Concilium Tridentinum

DIARIORUM, ACTORUM, EPISTULARUM TRACTATUUM

NOVA COLLECTIO

EDIDIT

SOCIETAS GOERRESIANA
PROMOVENDIS INTER GERMANOS CATHOLICOS
LITTERARUM STUDIIS

TOMUS SEPTIMUS

ACTORUM PARS QUARTA
VOLUMEN PRIUS

EX AEDE ET SUMPTIBUS HERDER
FRIBURGI BRISGOVIAE MCMLXI

CONCILIUM TRIDENTINUM

TOMUS SEPTIMUS

VOLUMEN PRIUS

Trent, Council of

CONCILIUM TRIDENTINUM

DIARIORUM ACTORUM EPISTULARUM TRACTATUUM

NOVA COLLECTIO

EDIDIT

SOCIETAS GOERRESIANA
PROMOVENDIS INTER GERMANOS CATHOLICOS
LITTERARUM STUDIIS

TOMUS SEPTIMUS

ACTORUM PARS QUARTA

VOLUMEN PRIUS

FRIBURGI BRISGOVIAE MCMLXI
EX AEDE ET SUMPTIBUS HERDER

CONCILII TRIDENTINI ACTORUM

PARTIS QUARTAE

VOLUMEN PRIUS

ACTA CONCILII ITERUM TRIDENTUM CONGREGATI A MASSARELLO CONSCRIPTA (1551–1552)

COLLIGERE COEPERUNT INTER ALIOS

ALOYSIUS POSTINA ET STEPHANUS EHSES

AUXIT ILLUSTRAVIT PRELO SUBICERE INCHOAVIT

IOACHIMUS BIRKNER

QUO IMMATURA MORTE PRAEVENTO OPUS PERFECIT

THEOBALDUS FREUDENBERGER

FRIBURGI BRISGOVIAE MCMLXI

EX AEDE ET SUMPTIBUS HERDER

Volumen hoc typis exscriptum est adiuvante Societate promovendis inter Germanos studiis inita (Deutsche Forschungsgemeinschaft)

Imprimatur. — Friburgi Brisgoviae, die 3. Oktobris 1960

Vicarius generalis: Föhr

Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae

MEMORIAE

FRATRUM LIBRORUM CHARTARUMQUE COGNITIONE PRAESTANTISSIMORUM
QUI OPUS SOCIETATIS GOERRESIANAE ASSIDUE ADIUVABANT

IOANNIS S.R.E. CARDINALIS MERCATI

BIBLIOTHECAE VATICANAE PER MULTOS ANNOS PRAEFECTI OPTIME MERITI
SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE BIBLIOTHECARII ET ARCHIVARII

ET

ANGELI MERCATI

CUIUS FIDEI DILIGENTISSIMAE PER SEX LUSTRA
COMMISSAE ERANT TABULAE SANCTAE SEDIS SECRETAE

PRAEFATIO

In hoc tomo praeparando adversa fortuna dominabatur. Cum enim Societas Goerresiana anno 1894 concilii Tridentini diaria, acta, epistolas edere sibi proposuisset, initio acta concilii iterum Tridentum congregati (a. 1551—1552) colligenda Woldemaro Hoffmann tributa erant, qui annis 1895/96 ad Massarelli acta describenda aggressus est. Eius partes ineunte anno 1898 Aloysius Postina obtinuit, qui, postquam materiam critica ratione retractatam auxit praecipue votis patrum et theologorum concilii originalibus conquisitis, deinde in patriam ab episcopo Argentinensi revocatus et tribus deinceps parochiis *Münchhausen, Wanzenau, Weißenburg* praefectus inter belli praesertim tumultus tandem sacra procuranda se impedire, quominus opus continuaret, adeo sibi persuasit, ut suscepto muneri sua sponte renuntiaret. Tunc Aemilius Goeller anno 1922 subiit laborem omnia collectanea recensita cum codicibus conferendi, donec anno 1924 Stephanus Ehses tomo actorum nono emisso etiam hunc edendum recepit, quem tamen, antequam die 19. Ianuarii 1926 morbo consumptus est, prelo subicere non potuit. In eius locum substitutus Vincentius Schweitzer itinere anno 1926 facto collectiones e codicibus in tabulariis et bibliothecis publicis Romae, Tridenti, Oeniponte, Vindobonae, Salisburgi, Monachii conservatis supplevit. Sed in fatis erat, ut etiam Schweitzer, cui hebescente oculorum acie impedito mense Octobri 1928 Hubertus Jedin in codicibus conferendis socius attributus erat, prius e vita discederet (die 5. Decembris 1931), quam tomus prelo paratus esset. Liber denuo orbatus anno 1932/33 curae Ioachimi Birkner demandatus est, qui, cum non solum criticas ad textum annotationes sed etiam commentaria adiunxisset res, praesertim innumeros locos citatos, illustrantia, denique anno 1934 priorem tomi partem typis describendam officinae tradere potuit. Temporum vero iniquitate factum est, ut in absolvendis plagulis tam tardo pede progredi posset, ut, cum rebus belli adversis laborem intermittere cogeretur, 23 tantum plagulae (pag. 1—368) prelum reliquissent. Quae ut exceptis duabus omnes flammis absumerentur, cum aedes Herderianae die 27. Novembris 1944 pyrobolis demissis conflagrarent, dira sorte accidit. Difficultatibus rei nummariae sublatis anno 1953 interrupta opera denuo pergi, sed ne tunc quidem multum proficere potuit, quia editor non solum officiis parochiae *Fürholzen* sibi creditae distentus sed insuper mortifero morbo affectus est, cui viribus lente contabescentibus die 30. Ianuarii 1956 succubuit. Postremo cura tomum tot casibus expositum perficiendi mihi delata est, quae tanti laboris quantae temporis iacturae erat, cum, quamquam maxima textus annotationumque pars (pag. 369—489) iam in paginarum columnas dispertita erat, non solum textum fere integrum rursus cum codicibus conferre sed etiam commentaria quasi nova rescribere et ultro in plagulis incendio deletis interimque phototypica ratione restitutis nonnulla corrigere et supplere (vide pag. 543 s.) opus esse videretur.

Hoc quartae actorum partis volumen prius acta concilii iterum Tridentum congregati ab Angelo Massarello conscripta continens suo tempore alterum volumen Deo fa-

vente sequetur, quo vota patrum et theologorum originalia eodem synodi spatio prolata, quotquot inveniri potuerunt, una cum prolegomenis totius tomi comprehendentur.

Superest, ut grato animo eorum meminerimus, qui de hoc volumine optime meriti sunt, imprimis

Summi Pontificis Pii XII felicis recordationis,

cui maxime cordi erat cuiusque munificentiae debemus, quod bello finito in libro typis exscribendo procedi poterat, Societatis deinde promovendis inter Germanos studiis initae *(Deutsche Forschungsgemeinschaft)* moderatorum, cuius subsidiis volumini tot annos in officinae tenebris detento tandem in lucem venire licuit, praefectorum denique tabulariis et bibliothecis Romae praesertim, Monachii, Wirceburgi a me aliisque editoribus consultis eorumque administrorum, qui promptum semper ad thesauros suos aditum praebebant.

Wirceburgi, mense Iunio MCMLX.

THEOBALDUS FREUDENBERGER

Hoc volumine continentur:

ACTA CONCILIUM PRAECEDENTIA.

1.

Capitula observanda a summo pontifice decreta in conclavi die lunae 2. Decembris 1549 post obitum Pauli papae III.

Bibl. Vat. *Vat. lat. 12126* (olim Arch. Vat. *Misc. Arm. 11 vol. 44*) f. 243^{r}, manu Massarelli; ed. *Le Plat* IV 156—159.

Nos omnes et singuli, episcopi, presbyteri et diaconi S. R. E. cardinales infrascripti pro bono et felici regimine atque conservatione status universalis ecclesiae iuramus et promittimus, quod, si aliquis ex nobis electus fuerit in papam, statim post electionem de se celebratam iurabit et promittet pure ac simpliciter et bona fide servare ac servari facere cum effectu omnia et singula infrascripta capitula.... Quae capitula sunt quae sequuntur, videlicet:

1. In primis, quod sacrosanctum concilium universale pro haeresibus extirpandis ac pro universalis ecclesiae reformatione omni studio ac diligentia prosequetur atque, ut ad optatum finem perducatur, curabit.

2. Item quod omnem reformationem, quam per dictum concilium iuxta canonicas sanctiones et sanctorum patrum decreta fieri contigerit, omnino ratam et gratam habebit ac sua summi pontificis auctoritate probabit et confirmabit.

[*Reliqua capitula ad concilium minime pertinentia videas apud Le Plat IV. 156—159.*] [1]

2.

Excerpta ex Actis consistorialibus annorum 1550 et 1551.

Arch. Vat. *Acta consist.: Acta vicecanc. 7; Acta cam. 8.*

I. Romae apud S. Petrum die Veneris 7. Februarii 1550:

Hora tertia noctis fuit electus et assumptus in summum pontificem R^{mus} D. Johannes Maria episcopus Prenestinus S. R. E. cardinalis de Monte, qui assumpsit sibi nomen Iulii III [2].

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 35^{r}; cf. *Acta cam. 8* f. 142^{r}.

II. Romae apud S. Petrum die lunae 10. Martii 1550:

S^{tas} S. habuit orationem, per quam egit gratias R^{mis} DD. de assumptione sua ad pontificatum, et ostendens eius desiderium in prosequendo concilio commisit reformationem faciendam in curia, praesertim de datariatu R^{mis} DD. decano, Tusculano, Crescentio, Sfondrato, Cibo et Polo [3].

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 42^{v}; cf. *Acta cam. 8* f. 147^{v}; ed. *Conc. Trid.* XIII 166 l. 30—34.

[1] Licet haec capitula iis, quae in conclavi post mortem Adriani VI composita sunt, similia fuerint, tamen antea factum non est, ut pontifex futurus ad concilium convocandum obligaretur. Cf. etiam *Pastor* VI 10; *J. Lulvès,* Päpstliche Wahlkapitulationen, in: Quellen und Forschungen aus italienischen Archiven und Bibliotheken hrsg. v. Preuß. Histor. Institut in Rom XII (Rom 1909) 224.

[2] Card. de Monte a Carolo V a pontificatu excludebatur, quia praesidens concilio Bononiensi contra imperatoris desideria strenue pugnaverat. Sed orator Caroli V, D. Mendoza, de hac Caesaris voluntate cardinales certiores non fecit. Revera card. de Monte in conclavi cardinales Gallos sequebatur, qui tamen de eius electione non cogitabant, quamdiu sperarent alium cardinalem partes regis Galliae defendentem posse eligi. Post electionem pontifex etsi aliqua signa benevolentiae erga imperatorem praebere studuit, tamen nec Carolo nec regi Galliae nimis favit. Cf. *Pastor* VI 1—35 et *Erdmann* 242 sq.

[3] Eosdem enumerat Massarellus in diario VI ad diem 5. Martii 1550 dempto Cibo. (Io. P. Carafa, episcopus cardinalis Tusculanus, a Massarello semper Praenestinus nominatur.) Conc. Trid. II 158 l. 28 sqq.

III. Romae apud S. Petrum die Veneris 23. Maii 1550:

R^{mus} D. Ioannes Dominicus, episcopus Ostiensis decanus, nomine aliorum S. R. E. cardinalium supplicavit S^{ti} S., ut capitula sub data 2. mensis Decembris 1549 in conclavi, in quo S. S^{tas} ad summi apostolatus apicem assumpta fuit, per ipsos R^{mos} edita approbare et confirmare dignaretur[1]. Et S^{tas} S. eisdem supplicationibus annuens capitula praedicta demptis duobus, videlicet quinto et decimoquarto capitulis, . . . in omnibus et per omnia iuxta illorum continentiam, formam et tenorem de eorundem R^{morum} consilio aprobavit et confirmavit et cum clausulis opportunis et consuetis.

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 53^{r}; cf. *Acta cam. 8* f. 152^{v} sq.

IV. Romae apud S. Petrum die lunae 21. Iulii 1550:

S^{mus} D. N. fecit verbum de reformatione dicens primis sui pontificatus diebus deputasse sex cardinales, qui huic reformationi incumberent, videl. decanum et Tusculanensem episcopos, Crescentium et Sfondratum presbyteros necnon Cybo et Polum diaconos cardinales, et cum partim essent absentes et partim infirmitate detenti[2] et instaret dieta Augustana[3], tractandum esse de concilii prosecutione et imprimis reformationem fieri debere, ut maiori cum fiducia S. S^{tas} posset prosequi concilium. Proposuitque S. S^{tas}, an propterea deberet fieri nova deputatio vel essent expectandi absentes aut monendi, ut venirent, et fuit conclusum, si res ita urgeret, ut vocarentur absentes, et si legitima causa impediti venire non possent, alii eorum loco deputarentur; alias expectarentur.

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 71^{r}; *Acta cam. 8* f. 163; ed. *Conc. Trid.* XIII 168 l. 6—15[4].

V. Romae apud S. Petrum die Veneris 3. Octobris 1550:

S^{mus} D. N. fecit verbum de celebratione concilii et dixit Caes. M^{tem} instare, ut dies illius resumptionis nuntiaretur et bulla desuper publicaretur[5], seque velle petitioni S. M^{tis} satisfacere et hac de causa R^{mos} DD. cardinales absentes advocasse, videl. Sancta Cruce, Moronum et Polum[6], ut quanto citius bulla desuper expediri posset.

Praeterea dixit, ut R^{mi} DD. cogitarent, si quid illis occurreret tam de concilio quam de reformatione, quam S^{tas} S. facere constituerat his mensibus, quibus a celebratione huiusmodi concilii cessabatur, et cogitasse indicere diem dicti concilii ad kal. Aprilis proxime futuras, et iam dedisse initium reformationi conclavis, ac R^{mos} de Medicis et Mapheum de mandato suo composuisse bullam de tollendis abusibus in electione Romani pontificis, quam dedit R^{mo} decano, ut per manus mitteretur ad R^{mos}, qui deberent videre, si quid in ea addendum aut diminuendum esset[7].

Conc. Acta vicecanc. 7 f. 76^{r}; cf. *Acta cam.* 8 f. 166^{r}; ed. *Conc. Trid.* XIII 168 l. 39—169 l. 7.

VI. Romae apud S. Petrum die Veneris 14. Novembris 1550:

Proponente S^{mo} D. N. fuit indicta reassumptio oecumenici generalis concilii in civitate Tridentina, in qua inceptum fuerat, ad kalendas Maii proxime venturas cum admonitione facta prelatis et aliis conciliis generalibus de iure vel consuetudine interesse debentibus, ut ipsa die illius continuationi et prosecutioni adesse debeant et alias prout in litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur[8].

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 82^{v}; cf. *Acta cam. 8* f. 171^{r}.

VII. Romae apud S. Petrum die Mercurii 4. Martii 1551:

Fuit deputatus legatus de latere ad sacrosanctum Tridentinum concilium R^{mus} D. Marcellus tituli S. Marcelli presbyter cardinalis Crescentius[9] nuncupatus cum facultatibus in litteris exprimendis, ita quod propterea legatus Bononiensis esse non desinat, et assi-

[1] Vide supra p. 3 n. 1.

[2] Duo ex his, scil. Sfondratus et Cibus, iam mortui erant.

[3] Quae die 26. Iulii 1550 initium habuit.

[4] Edita est haec pars etiam apud *Erdmann* 287 sq.

[5] Die 10. Septembris 1550 Pighinus certior factus est imperatorem desiderare, ut bulla convocationis concilii quam primum ederetur; eadem die nuntius de hac re Romam scripsit. *Erdmann* 260 et 298. Conc. Trid. XI 581 l. 52 sq.

[6] Mense Aprili 1550 pontifex cardinales pro reformatione deputatos iussit etiam res concilii tractare. Quibus tamen, cardinali Cibo iam die 15. Aprilis mortuo, cardinales Cervinum et Moronum adscripsit. Conc. Trid. II 168 l. 12—22.

[7] Cf. ad hoc Conc. Trid. XIII 168 adn. 7 et 169 adn. 1 2.

[8] Bullam in hoc consistorio approbatam vide infra n. 4.

[9] Marcellus Crescentius, ex nobili familia Romana a. 1500 ortus, a. 1527 S. R. Rotae auditor est factus, a. 1534 episcopus Marsicanus electus et a. 1542 a Paulo III in cardinalium collegium receptus est. Ab eodem pontifice annis sequentibus deputationi cardinalium pro rebus concilii est adscriptus. Iulii III intimus consiliarius fuit. De hoc viro fusius egi in: Römische Quartalschrift XLIII (1935).

stentibus sibi R. P. D. Sebastiano Pighino, archiepiscopo Sipontino[1], et Aloysio, episcopo Veronensi[2].

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 93r.

VIII. Romae apud S. Petrum die Veneris 24. Aprilis 1551:

Fuit consistorium, in quo fuerant decretae supplicationes ab ecclesia S. Marci usque ad ecclesiam basilicae duodecim apostolorum de Urbe prima Maii pro felici successu concilii Tridentini, et fuerunt admoniti omnes episcopi, qui sunt in curia, ut ad ipsum concilium migrarent[3].

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 101r.

3.

Rmi D. Moroni difficultates solvendae pro concilio Tridentino 1550.

[19. Aprilis 1550][4].

Arch. Vat. *Conc. 13* f. 207, manu Massarelli; ed. *Raynaldus* ad a. 1550 n. 9; *Le Plat* IV 164.

Prosecutio concilii videtur omnino necessaria ex pluribus causis satis notis. Hoc 207r
stante, quoniam conventus Germaniae et status tam Protestantium quam Catholicorum

[1] Sebastianus Pighinus, Regiensis (e Regio Lepidi), sub Paulo III S. R. Rotae auditor factus est. *E. Cerchiari,* Sacra Romana Rota II (Romae 1920) 97. Die 27. Augusti 1546 ad ecclesiam Alifanam promotus concilio Tridentino et postea Bononiensi interfuit. Die 3. Martii 1548 cum aliis a concilio deputatis (inter quos etiam Al. Lippomanus) Romam profectus est ad defendendam coram pontifice concilii translationem. Conc. Trid. I 748 l. 5-20; 749 l. 7 sq. Autumno a. 1548 una cum Aloysio Lippomano nuntius ad imperatorem est missus, munitus facultatibus, quas imperator pro Germania desideravit, ut illam conclusionem, quam *Interim* vocant, exsequi posset. *Pastor* V 664-667; *W. Friedensburg* in Nuntiaturberichte I. Abt. XI p. XXXIII sqq. Anno 1550 Iulio III iubente iterum ad imperatorem se contulit, ut cum eo de rebus concilii denuo convocandi ageret. *Pastor* VI 62-70; *Erdmann* 254 sqq. Mense Ianuario 1551 Iulius etiam Petrum Bertanum ad imperatorem misit adhuc dubitans, an Pighinum vel Bertanum praesidentem concilii nominaret. De hac re Dandinus die 27. Ianuarii 1551 Pighino scripsit: «Mons. di Fano, al quale si è giuntamente dato titolo di nuntio parendo bene alla Stà Sua, che (poiche il termine della reassuntione del concilio si va tanto approssimando) se intratenghi in quelle parti, finche S. Bne havrà meglio deliberato quel che voglia far di lui et anche di V. S., essendo l' uno et l' altro personaggi boni et idonei così appresso S. Mtà, come in concilio et però non essendo risoluta S. Bne, se V. S. o [*Cod.* et] esso Mons. di Fano o tutti doi havranno da andare al concilio o restare appresso S. Mtà, per rebattere le continue et calunniose importunità, che potranno esser fatte appresso la Mtà Sua.» Conc. Trid. XI 612 n. 432 B. Postquam in consistorio die 4. Martii pontifex Pighinum praesidentem nominavit, Dandinus die 9. Martii eum de hac re certiorem fecit. *Ibid.* 614 sqq. n. 435 A. Quia Pighinus non solum pontificis iussa pro rebus concilii apud imperatorem expleverat, sed etiam secreto contra concilii convocationem laboraverat, quod pontifici valde displicuerat, credi potest eum hac de causa e Germania revocatum fuisse. De quo cf. *Erdmann* 264. Iam prius die 4. Iunii 1548 ad ecclesiam Ferentinam, 30. Maii 1550 ad Sipontinam translatus erat; die 20. Novembris 1551 papa eum in cardinalium collegium recepit, sed non ante concilii finem publicavit, quod die 30. Maii 1552 factum est. Die 11. Decembris 1553 obtinuit ecclesiam Adriensem et anno sequenti die 21. Nov. Romae vita decessit et in ecclesia S. Mariae de Populo sepultus est. Dies mortis apparet ex *L. Firmani* diariis caeremonialibus, Conc. Trid. II 504 l. 11 sq. Ergo corrigendus est *van Gulik-Eubel* III 36 et 107, ubi invenitur dies 23. Nov. 1553, quod impossibile est, quia Pighinus die 11. Dec. 1553 obtinuit ecclesiam Adriensem vacantem per obitum cardinalis de Cupis, qui die 9. Dec. 1553 mortuus est, Conc. Trid. II 501 l. 27 sq. Item corrigendus est *V. Forcella,* Iscrizioni delle chiese e d' altri edificii di Roma I (Roma 1869) 345, qui habet diem mortis 22. Nov. 1553. *S. Merkle* in Conc. Trid. I 109 adn. 3 eum die 22. Dec. 1554 obiisse credit, quod etiam secundum Firmani diarium corrigendum esse puto. De Pighino vide *van Gulik-Eubel* III 36 107. 117. 211. 319. *A. Pieper,* Die päpstlichen Legaten und Nuntien I (Münster i. W. 1897) 8 adn. 2 et saepius. *Pastor* V et VI passim. *Erdmann* passim. Conc. Trid. I. II. IV. V passim.

[2] Aloysius Lippomanus, anno 1500 natus, die 7. Februarii 1539 episcopus titularis Mothonensis et coadiutor patrui sui, Petri Lippomani, episcopi Bergomensis, nominatus est, quem die 18. Februarii 1544 ad ecclesiam Veronensem translatum illuc secutus est. Die 9. Augusti 1548 patruo mortuo in ecclesia Veronensi successit. Die 21. Maii 1542 a Paulo III ad regem Portugalliae nuntius in rebus concilii missus est; quod munus paulo post exspiravit, quia regi persona Lippomani minus grata erat. Unde pontifex eum die 29. Octobris 1542 revocavit. Conc. Trid. IV 225 et 226 adn. 1. Concilio Tridentino et Bononiensi interfuit dieque 3. Martii 1548 Romam missus est, ut una cum aliis coram pontifice concilii translationem defenderet. (Vide adn. praecedentem.) Autumno huius anni Paulus III eum cum Sebastiano Pighino ad imperatorem misit, de quo cf. adn. praecedentem. Anno 1555 Paulo IV iubente ad regem Romanorum, eodemque anno ad regem Poloniae nuntius profectus est. *Pastor* VI 565 sq. et 555-559. Anno 1557 consultor inquisitionis Romam vocatus est, *Pastor* VI 526; die 20. Iulii 1558 ad ecclesiam Bergomensem translatus est et anno sequenti die 15. Augusti Romae obiit. In disciplinis theologicis bene versatus multa opera scripsit, de quibus cf. *F. Lauchert,* Die italienischen literarischen Gegner Luthers (Freiburg i. B. 1912) 569-584. Tomus primus «Historiarum de vitis Sanctorum cum scholiis» Romae anno 1551 in lucem prodiit et in concilii discussionibus huius anni saepe adhibitus est. Cf. de hoc viro *van Gulik-Eubel* III 147. 351. Conc. Trid. I. II. IV. V passim.

[3] Vide allocutionem pontificis infra p. 14 n. 12.

[4] In congregatione cardinalium pro rebus concilii deputatorum die 19. Aprilis 1550 hae difficultates pro-

submiserunt se (ut dicitur) concilio Tridentino[1] et causa potissimum Germaniae agatur, videtur negari posse, quin concilium ipsum Tridenti prosequi et celebrari debeat.

Hoc pro supposito, nonnullae difficultates occurrunt, quibus providendum est:

Prima videtur esse, quomodo Tridentum reduci debeat sine laesione auctoritatis sedis apostolicae et ipsius concilii, attenta translatione iam facta et pendentia litis ipsius translationis.

Secunda difficultas est, quia dubitatur, quod Germani Protestantes non veniant, et si venerint, an et quomodo sint admittendi. Et quod praelati etiam catholici Germani non comparebunt, nisi per procuratores, quos concilium nullo modo admittet. Eadem dubitatio est de praelatis Galliae, quod non sint venturi. Et similiter de praelatis Italiae, cum sint pauperes et experientia hoc ostenderit. Consideretur igitur, quid in his casibus agendum sit.

Tertia difficultas est, quia videtur, quod sedes apostolica, cum sit adeo ex[h]austa, non poterit sufferre expensas legatorum neque subvenire praelatis indigentibus neque alios sumptus necessarios facere.

Quarta difficultas videtur esse propter loci angustiam et aliarum rerum penuriam in civitate Tridenti, si contigerit in ea fieri magnum concursum praelatorum.

Quinta difficultas est, ubi comparerent Protestantes vel alii, qui vellent retractare vel in dubium revocare iam decisa et diffinita per concilium Tridentinum, quod videtur
207^v esse | contra sacros canones et approbata concilia.

Sexta difficultas: Nam si tractandum erit de reformatione generali, non solum proponetur reformatio clericorum, verum et laicorum, etiam principum, et tunc posset contingere, quod tractandum esset de negociis aliquibus tangentibus interesse Caesareae Maiestatis et praeiudicium aliorum, qui conqueri possent, quod locus Tridenti esset ipsis suspectus et Caesari nimis affectus.

Ultima difficultas est, ubi in concilio non fieret debitus progressus, et si tempus in cassum laberetur, quod non esset sine intolerabili iactura et magno dedecore sanctae sedis, quid in eo casu agendum esset[2].

4.

Bulla reductionis concilii Tridentum[3].

14. Novembris 1550.

Arch. Vat. *Conc. 90* n. 16, or. cum fide cursorum de promulgatione in tergo; *Conc. 123* f. 153 (inter Acta primae sessionis); *Conc. 118* f. 18^v—19^v f. 37^r—38^r; *Conc. 119* f. 19^r—20^v f. 39^r—40^v; ed. *Labbeus* XIV 793 sq.; *Raynaldus* ad a. 1550 n. 21.

Iulius episcopus servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Cum ad tollenda religionis nostre dissidia, que in Germania longo tempore non sine totius christiani orbis

positae sunt (Conc. Trid. II 168 l. 12—19); die 23. Aprilis cardinales eas examinaverunt et maiori parti placuit, ut concilium Tridentum reduceretur (ibid. 169 l. 17—22).

[1] In illa conclusione comitiorum Augustanorum a. 1548, quam vocant *Interim*, dicitur: «Quapropter imperator horum comitiorum initio cum statibus ita egit eosque permovit, ut insequentes sanctorum patrum maiorumque nostrorum vestigia, qui in negotiis fidei semper ad sacra concilia recurrere eisdemque obtemperare soliti fuere, in adhaesionem et submissionem huius concilii communiter consenserint.» *Le Plat* IV 33.

[2] In fine huius scripturae in tomo *Conc. 13* legitur nomen *Claudius*. Qui Claudius, cognomine *de Valle*, fuit sanctae Romanae inquisitionis notarius; cum regnante Paulo IV pontifice contra Moronum cardinalem de haeresi procederetur, omnia illius scripta perquirebat et subscribens manu propria illa Moroni esse attestabatur. *S. Ehses*, Der Internuntius Claudius in Raynalds Annalen zum Jahre 1541 und der Prozeß der Inquisition gegen Morone, in: Römische Quartalschrift XVII (1903) 293—300.

[3] Bullam hanc ipse pontifex confecit; iam mense Septembri 1550 cardinales pro rebus concilii deputatos Romam revocaverat; sed die 13. Octobris nondum venerant (Dandinus Seb. Pighino die 19. Septembris et 13. Octobris in Conc. Trid. XI n. 421 B et 423 A). Quare die 23. Octobris ipse pontifex bullam exarare aggressus est diebusque 6.—9. Novembris eam perfecit (Massarellus in diario VI, Conc. Trid. II 197 l. 7; 199 l. 1—20); oratori quoque Caesareo eam monstravit, cui placuit (*ibid.* XI n. 423 B). Die 10. Novembris unicuique cardinalium deputatorum exemplar bullae misit, ut eam examinarent; qui cardinales in congregatione die 12. Novembris opiniones suas protulerunt eamque unanimiter laudaverunt (Conc. Trid. II 200 l. 4—7; *ibid.* XI 599 n. 425 A). Sed pontifex die sequenti iterum aptationi bullae vacabat; denique die 14. Novembris eam in consistorio publicavit et principibus episcopisque transmitti iussit. Quia imperator validitatem translationis concilii Bononiam factae negans continuationem concilii desiderabat, papa vero contrarium asserens concilium Tridentum reducere volebat, Protestantes denique decreta prioris concilii in eorum absentia confecta impugnantes concilium resumi debere contendebant, munus conficiendi bullam, quae omnibus partibus satisfactura esset, perdifficile erat. De hoc cf. *Erdmann* 267—270.

perturbatione et scandalo viguerunt, bonum, opportunum et expediens esse videatur, sicuti etiam charissimus in Christo filius noster Carolus Romanus imperator semper Augustus nobis per suas litteras et nuncios significari fecit[1], ut sacrum oecumenicum generale concilium per felicis recordationis Paulum papam III predecessorem nostrum indictum et per nos tunc cardinalatus honore fungentes atque ipsius predecessoris nomine una cum duobus aliis sancte Romane ecclesie cardinalibus ipsi concilio presidentes inceptum, ordinatum et continuatum, in quo plures publice et solemnes habite fuerunt sessiones pluraque tam in causa fidei quam reformationis promulgata decreta multaque etiam ad utramque causam pertinentia examinata et discussa, ad civitatem Tridentinam reducatur: Nos, ad quos ut[a] summos pro tempore pontifices spectat generalia concilia indicere et dirigere, ut ecclesie pacem et christiane fidei atque orthodoxe religionis incrementum ad omnipotentis Dei laudem et gloriam procuremus et, quantum in nobis est, tranquillitati ipsius Germanie, que sane provincia retroactis temporibus in vera religione ac sacrorum conciliorum et sanctorum patrum doctrina excolenda exhibendaque maximis pontificibus, Christi redemptoris nostri in terra vicariis, debita obedientia et reverentia nulli Christianorum provincie fuit unquam secunda, paterne consulamus, sperantes per ipsius Dei gratiam et benignitatem futurum, ut reges omnes ac principes christiani iustis piisque nostris in hac re votis annuant, faveant atque assistant, venerabiles fratres patriarchas, archiepiscopos, episcopos et dilectos filios abbates omnesque alios et singulos, qui de iure vel consuetudine vel privilegio conciliis generalibus interesse debent, quosque idem predecessor noster in suis indictionis et aliis quibuscumque desuper confectis et publicatis litteris concilio interesse voluit, per viscera misericordie Domini nostri Iesu Christi hortamur, requirimus et monemus, ut proximis futuris kalendis Maii, quem diem ad ipsum concilium in eo, in quo nunc reperitur, statu resumendum et prosequendum previa matura deliberatione ex certa nostra scientia et de apostolice auctoritatis[b] plenitudine ac venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie cardinalium consilio et assensu statuimus, decernimus et declaramus, in ipsa civitate Tridenti legitimo cessante impedimento convenire et se congregare ac ipsius concilii continuationi et prosecutioni omni mora postposita incumbere velint. Nos enim operam sedulo daturi sumus, ut eodem tempore in eadem civitate nostri omnino adsint legati, per quos, si per etatem nostram valetudinemque et sedis apostolice necessitates personaliter adesse nequiverimus, Spiritu Sancto duce ipsi concilio presidebimus, quacumque ipsius concilii translatione et suspensione ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque ac presertim illis, que idem predecessor noster in suis litteris predictis, quas cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis et decretis in suo robore permanere volumus atque decernimus et, quatenus opus sit, innovamus, voluit non obstare, irritum nihilominus decernentes et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum hortationis, requisitionis, monitionis, statuti, declarationis, innovationis, voluntatis et decretorum infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quingentesimo quinquagesimo, decimo octavo kalendis decembris, pontificatus nostri anno primo.

M. car[lis] Crescentius — Romulus Amasaeus[2]

R. de Sainct Marsal.

[In tergo bullae:] Anno a nativitate Domini 1551, indictione nona, die vero prima mensis Ianuarii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, Domini Iulii divina providentia pape III anno eius primo, retroscripte littere alta et intelligibili voce lecte fuerunt in basilica Sancti Petri de Urbe, dum ibidem de mane divina celebrabantur et populi multitudo ad divina audienda convenerat, per me Iohannem Roillard, prefati sanctissimi Domini nostri pape cursorem, et deinde affixe in valvis ipsius basilice per me eundem

[a] *Or. et omnes copiae coaevae, quas mihi inspicere licuit, habent* et; *sic etiam legunt multae decretorum editiones saec. XVI et XVII; recentiores autem editiones habent* ut.
[b] *C 118 f. 19r et C 119 f. 20r* potestatis.

[1] Novissimae huius generis erant litterae Caroli die 30. Octobris 1550 Augustae Didaco de Mendoza, oratori suo Romano, datae. Conc. Trid. XI 593 n. 424 A; cf. etiam *W. Maurenbrecher*, Karl V und die deutschen Protestanten (Düsseldorf 1865) 152*.
[2] Cf. *Pastor* VI 57.

Iohannem et Maturinum Menandi, etiam cursorem, et affixas per aliquod temporis spacium stare permisimus et deinde amovimus, copiam earundem cum originali auscultatam affixam dimittendo.

Et iisdem anno, indictione et pontificatu ac die, quibus supra, supradicte littere lecte fuerunt similiter alta et intelligibili voce in basilica Sancti Iohannis Lateranensis hora vesperarum, dum ibidem populi multitudo ad divina audienda convenerat, per me eundem Iohannem Roillard cursorem et deinde valvis dicte basilice affixe per nos eundem Iohannem Roillard et Maturinum Menandi, prelibati sanctissimi Domini nostri pape cursores, et sic affixas per aliquod temporis spacium stare permisimus, deinde amovimus, copiam cum originali auscultatam ibidem affigendo et dimittendo.

Ita est Iohannes Roillard, cursor
Ita est Mathurinus Menandi, cursor
Ita est Medardus Nicolai, cursor
Adrianus de Cuppis, magister cursorum.

Registrata apud Romulum secretarium [1].

5.

Iulius III episcopis Poloniae [2].

20. Decembris 1550.

Arch. Vat. *Arm. 41 vol. 58* f. 315, min. Ed. *Raynaldus* ad a. 1550 n. 42; *Le Plat* IV 168.

Episcopos Poloniae admonet, ut contra haereses strenue pugnent, eosque ad concilium invitat.

315r Venerabiles fratres. Gratum vobis de nostra ad summi pontificatus apicem assumptione nuntium contigisse (quod ex epistola vestra cognovimus) magnopere laetati sumus. Vestris vero de nobis iudiciis atque expectationi, ut perpetuo respondeamus, sedulo operam dabimus. Quae ad nos scripsistis de imminentibus amplissimo Poloniae regno calamitatibus ob perniciosas de religione dissensiones, ad eas sedandas cogitationum nostrarum cursum

[1] Exemplaria huius bullae die 15. Novembris transmissa sunt Seb. Pighino, nuntio apud imperatorem, et nuntiis Venetiarum, Hispaniae, Portugalliae. Cf. Conc. Trid. II 200 l. 34—201 l. 2. Litterae Dandini ad Pighinum die 14. Novembris 1550 datae in Conc. Trid. XI n. 425 B et ad Lud. Beccatellum, nuntium Venetiarum, die 15. Novembris datae in Arch. Vat. *Nunz. di Venezia 261 A* f. 49v sq. Pighinus bullam die 22. Novembris imperatori monstravit, qui eam non statim publicavit. Die 15. Decembris Pighinus Romam scripsit imperatorem bullam Romae publicari consensisse. Quare pontifex die 27. Decembris per breve hac die datum (infra n. 6) iussit kal. Ianuarii publicationem more solito fieri. Quamquam imperator non ante mensem Ianuarium bullam in dieta Augustana publicavit, tamen ad cognitionem principum et episcoporum illic congregatorum pervenerat et cardinalis Augustensis eam per brevia specialia principibus episcopisque intimari voluit. De hac re Dandinus Hier. Martinengo, nuntio apud regem Romanorum, die 3. Ianuarii 1551 scripsit: «Et per tal segno replicando [S. Stà] allo advertimento dato da Mons. Rmo d' Augusta sopra il non essersi scritto particolarmente alli principi di Germania sopra la bolla del concilio, come altre volte fu fatto, disse, che questa non era nova indittione, ma prosecutione di quel medesimo et che però per hora non era stato necessario fare altro et tanto manco essendosi mandata la bolla in mano di S. Mtà senza passar più oltre. Di presente, che si è fatta publicare et che si fa stampare per mandarla per tutto, non si pretermetterà l' officio, che sarà necessario con detti signori.» Arch. Vat. *Nunz. di Germania 61 A* f. 91v. Bulla typis excusa die 17. Ianuarii 1551 nuntiis transmissa est, ut eam episcopis darent. Hac die Dandinus Pighino scripsit: «... pur le dirò, come dopo d' essersi qui publicata la bolla del concilio per li lochi soliti, si è fatta stampare et autenticare et si è dato principio a mandarne per tutte le parti del mondo; a V. S. ne mando qui alligata una dozina et mezza, perche le distribuisca a tutti quelli SSri elettori et prelati di Germania, accioche secondo il tenor del breve similmente stampato le possino far notificare per le lor diocesi et suffraganei. Et per non esser questa nova indittione di concilio, ma solo una reassuntione de tempo interotto, non è parso alla Stà S. necessario di scrivere sopra ciò brevi particolari, ne ad essi SSri elettori, ne ad altri principi et prelati di Germania o di qual si sia altra provincia o regno della christianità. Il che sarà officio di V. S. di remostrare et defendere questo procedere di S. Stà contra chi tal volta pensasse o dolersene o calunniarlo.» Arch. Vat. *Nunz. di Germania 61 A* f. 95r. Eadem die H. Martinengo 12 exemplaria bullae transmissa sunt (*ibid.* f. 97r), item nuntio Venetiarum. Arch. Vat. *Nunz. di Venezia 261 A* f. 57v. Nuntii episcopis bullas typis excusas distribuerunt, in litteris exponentes causas, ob quas pontifex specialia brevia expedire omiserat, ut vides in litteris Martinengi ad Nauseam infra n. 7. Hoc procedendi modo pontifex denuo mentem suam declaravit, se velle concilium continuare, ergo concilium prius congregatum et Bononiam quoque translatum fuisse verum concilium, cuius decreta nec in dubium vocare nec iterum discutere liceat.

[2] Causae, cur papa episcopos non per brevia specialia ad concilium invitaverit, in adn. praecedenti expositae sunt. Solis episcopis Poloniae sequens breve invitatorium misit, cuius tamen occasio, ut facile cognosci potest, fuit praecedens episcoporum huius regni de statu religionis expositio.

magnopere incitarunt. Non desinemus itaque assidue meditari, qua ratione a tam pestifera labe cum universam christianam rempublicam vindicemus, tum nobilissimi istius regni saluti ac tranquillitati consulamus. Ac imminentibus quidem malis, de quibus ad nos scribitis, duplex nobis omnino medendi ratio occurrit. Prima nanque est, ut vos, fratres, populos vestros assidue commonefaciatis, verum Dei cultum et ecclesiae catholicae instituta conservetis, perditorum vero atque impiorum quorundam conatus pro iure potestateque vestra coherceatis, atque ad haec in primis carissimi in Christo filii nostri, regis vestri optimi et religiosissimi principis fidem atque opem imploretis. In qua re quid est, quod vos pluribus hortemur, cum potius incensum studium vestrum sit laudandum, quam diligentia excitanda? Alterum impendentis periculi remedium nostrae curae et sollicitudinis maxime proprium est sacri oecumenici concilii celebratio, quod Tridenti inchoatum molesti quidam casus et apostolicae sedis vacatio interruperant; nobis vero, dum simul ac ad summum apostolatus fastigium pervenimus, nihil illa cura fuit antiquius, quam ut concilium kal. Maii ad[a] eandem civitatem ⟨reducendum et inibi⟩[b] prosequendum curaremus. Qua de re nostras plumbo obsignatas litteras ad Serenissimum Caesarem in Germaniam perlatas fuisse vobis ex multorum litteris et nunciis innotuisse putamus et in praesentia ex oratore Serenissimi regis ⟨et ex dictarum litterarum exemplo authentico, quod ad vos propediem mittemus⟩[c], cognoscere poteritis. Vos itaque, fratres, hortamur, ut ad dictam diem Tridenti adesse velitis; confidimus enim fore, | ut vestro et aliarum 315v
nationum et christianorum principum summo consensu non modo concilium amplius non differatur, sed praepotenti Deo favente per ipsum, cum ad optatum finem perductum fuerit, christiana respublica incolumitatem et salutem certissimam consequatur. Datum Romae apud S. Petrum die 20. Decembris 1550, anno primo.

⟨M. card. Crescentius.⟩[d]

6.

Breve eiusdem S^mi D. N., quo datur forma publicandi et intimandi bullam reductionis concilii.

27. Decembris 1550.

Arch. Vat. *Conc. 133* f. 107, or. cum fragmentis sigilli et fide cursorum de promulgatione in tergo; *Conc. 118* f. 20r sq.; *Conc. 119* f. 20v—21v; ed. *Labbeus* XIV 794 sq., *Le Plat* IV 169.

Iulius papa III. Ad futuram rei memoriam. Superioribus diebus de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium consilio ex causis tunc expressis apostolica autoritate decrevimus, quod sacrum oecumenicum universale concilium Tridentum, ubi olim inceptum fuerat, reduci et ibi adiuvante Domino terminari deberet, tempusque ad illud resumendum et prosequendum calendas Maii proxime futuri praefiximus omnesque et singulos quomodolibet in eo interesse debentes hortati fuimus et monuimus, ut dicto tempore Tridenti esse vellent, prout in nostris sub plumbo desuper expeditis litteris plenius continetur Ne autem propterea, quod dictae litterae nondum publicatae fuerunt, aliqui ignorantiam rei ullo modo praetexere possint, sed omnes plenam illius notitiam habeant, dicta auctoritate per praesentes ordinamus, quod tam praedictae quam praesentes litterae per aliquem ex nostris cursoribus in basilicis Sancti Petri de Urbe et Sancti Ioannis Lateranensis, dum inibi divina celebrantur, publice ac alta et intelligibili voce legantur et, postquam lectae fuerint, valvis ipsarum basilicarum affigantur et inibi aliquandiu dimittantur et relicta postea illarum copia amoveantur, decernentes publicationem sic faciendam omnes et singulos ipsius concilii celebrationi quomodolibet interesse debentes perinde arctare, ac si eis personaliter intimatae fuissent, quodque ipsarum litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii subscriptis ac sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, ac hortantes et in Domino requirentes omnes et singulos venerabiles fratres nostros patriarchas et archiepiscopos, ad quos ipsarum litterarum exempla impressa transmitti curabimus, ut pro suo officio et debito id eorum suffraganeis et aliis minoribus

[a] *corr. pro* in [b] *add. supra lineam*
[c] *add. in margine et corr. ex* et brevi ex dictarum litterarum exemplo, quod ad vos propediem fidelissime [*quod est corr. ex* totidem verbis] ab exemplari descriptum mittemus [d] *manu propria*

praelatis et abbatibus notificent, contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 27. Decembris 1550, pontificatus nostri anno primo[1].

Gal[eatius] Aquinas.

7.

Hieronymus Martinengus nuntius[2] Friderico Nauseae, episcopo Viennensi Austriae.

Augustae Vindelicorum 31. Ianuarii 1551.

Arch. Vat. *Conc. 106* f. 7, cop. saec. 18 (ex originali Schaffhusiano); ed. *W. Friedensburg* in Zeitschrift für Kirchengeschichte XXI (1901) 553 sq.

Mittit concilii bullam impressam authenticatam. Optima voluntas et spes papae, qui tamen sciens non per litteras in forma brevis datas singillatim ad concilium invitat. Laudat Nauseae intentionem libros edendi, unde magnos pro re publica christiana fructus exspectat; sperat opus bene progressurum, licet ipse nuntius auxilium praestare nequeat.

7r Concilii bullam impressam et authentica[tam] ex S^{mi} D. N. expressa voluntate habebis cum his litteris, quae ideo ad R^{mam} Paternitatem tuam et singulos mittitur, quorum persona in generali concilio maxime spectanda est, ut S^{mi} pontificis in universam rempublicam christianam caritatem et unitatis atque concordiae desiderium, quale summum et iustum pastorem decet, satis antea contestatum, nunc re ipsa perspiciatis et caeteros per universas vestras dioeceses admoneatis, qui cum omni studio evigilent nihilque praetermittant, quod ad consociandas populi sibi commissi voluntates opportunum esse videatur. Generale concilium, quod praecipuum remedium rebus ecclesiae afflictis et perturbatis semper est iudicatum, prosequi et ad suum exitum perducere summa cura contendit, in quo confidit, Dominum cum vestra opera et observantia vires et facultates subministraturum. Hoc per suas litteras in forma brevis scriptas singulis significare Sua S^{tas} sciens praetermisit, quod, licet in nova concilii indictione solitus [!] sit, in prosequutione tamen iam [in]dicti minime id esset necessarium[3]. Admonebit igitur te tua prudentia et ipsius bullae tenor, quid maxime dignitati tuae conveniat in procuranda pro virili huius christiani corporis sanitate, cuius te Dominus nobile membrum esse voluit.

Nunc mihi ab[s] te litterae redditae sunt nono die antea datae tuae sanctitatis[a] et
7v humanitatis | plenae, ex quibus libenter cognovi, te de editione librorum cogitare, quod etiam ut facias, plane hortor; spero enim fore, ut nostrae aetatis hominibus ad christianam orthodoxam religionem vel conservandam vel restituendam lucubrationes tuae adminiculum praestent. Sed quod opem nostram requiris, laetor, tam laute tecum fortunam egisse, ut, licet tibi auxilio esse non possim, non propterea tuum institutum opus impediatur, tot praesertim et tantis patrociniis fultum.

Sed ista te minuta et levia non retineant, quominus et christianam rempublicam iuves, in qua primae classis civem te esse noscere debes, tuumque et amicorum nomen illustres. Ego te propediem videre spero. Bene vale. Augustae Vindelicorum pridie cal. Februarii anno salutis 1551[4].

[a] *Friedensburg* sanitatis.

[1] Hoc breve una cum praecedenti bulla die 1. Ianuarii 1551 more solito promulgatum est, de quo subscriptiones cursorum in tergo fidem faciunt. Sed quia haec fides cursorum ad verbum fere concordat cum illa in tergo bullae (supra p. 7 sq.), eam hic omittimus.

[2] Hieronymus Martinengus nuntius erat apud Ferdinandum, regem Romanorum, ab anno 1550 usque ad annum 1554. Cf. *A. Pieper,* Die päpstlichen Legaten und Nuntien I (Münster i. W. 1897) 66; *Erdmann* 286 adn. 1.

[3] Cf. ad hoc supra p. 8 adn. 1.

[4] Errat *J. G. Mayer,* Bischof Friedrich Nausea von Wien auf dem Konzil von Trient, in: Histor. Jahrbuch VIII (1887) 1 sq. scribens etiam Olaum Magnum, episcopum Upsalensem, Romae degentem, Nauseae bullam transmisisse. Olaus Magnus die 29. Novembris 1550 Nauseam de bullae intimatione imperatori facta certiorem reddidit eique promisit se propediem bullam transmissurum esse. Epistolam hanc invenis apud *W. Friedensburg* in Zeitschrift für Kirchengeschichte XXI (1901) 552 sq. et *G. Buschbell,* Briefe von Johannes und Olaus Magnus, den letzten katholischen Bischöfen von Upsala, in Historiska Handlingar XXVIII 3 (Stockholm 1932) 97 sq. Sed eum hac revera fecisse ex illa epistola deduci non potest nec probabile est, quia bulla typis excusa per nuntios archiepiscopis, ut suffraganeis eam intimarent, et episcopis exemptis, ut erat Nausea, data est. Nausea pontifici die 28. Martii 1551 respondit, ut infra n. 10.

8.

Bulla mandati Iulii papae III in personam legati et praesidentium sacri concilii.

4. Martii 1551.

Arch. Vat. *Conc. 90* n. 6, or.; *Conc. 118* f. 21^v—22^v f. 38^r—39^r; *Conc. 119* f. 22^v—24^r f. 40^v—41^v; ed. *Labbeus* XIV 795 sq.; *Le Plat* IV 210 sq.; *Raynaldus* ad a. 1551 n. 4 (ad partem tantum).

Iulius episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio Marcello tituli Sancti Marcelli presbytero cardinali Crescentio nuncupato, nostro et apostolice sedis ad concilium Tridentinum legato de latere, et venerabilibus fratribus Sebastiano, archiepiscopo Sipontino, ac Aloisio, episcopo Veronensi, nostris et ipsius sedis ad indicto concilio una cum eodem Marcello cardinali et legato nomine nostro presidendum nunciis salutem et apostolicam benedictionem. Ad prudentis patrisfamilias officium spectat ea, que per se ipsum commode efficere non potest, ut per alios idonee fiant, diligenter curare. Dudum siquidem, cum ex certis tunc expressis causis bonum, opportunum et expediens esse videretur, ut sacrum oecumenicum generale concilium per felicis recordationis Paulum papam III predecessorem nostrum indictum ad civitatem Tridentinam reduceretur, nos sperantes per omnipotentis Dei gratiam et benignitatem futurum, ut reges omnes et principes christiani iustis piisque nostris in hac re votis annuerent, faverent et assisterent, venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos et episcopos ac dilectos filios abbates omnesque alios et singulos, qui de iure vel consuetudine aut privilegio conciliis generalibus interesse debent, hortati fuimus, requisivimus et monuimus, ut proxime futuris kalendis Maii, quam diem ad ipsum concilium in eo, in quo reperitur, statu resumendum et prosequendum previa matura deliberatione ex certa nostra scientia et de apostolice potestatis plenitudine ac venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie cardinalium consilio et assensu statuimus, decrevimus et declaravimus in ipsa civitate Tridentina legitimo cessante impedimento convenire et se congregare ac ipsius concilii continuationi et prosecutioni omni mora postposita incumbere vellent, prout in aliis nostris inde confectis literis plenius continetur: Nos igitur, qui etate nostra iam ingravescente et alias multipliciter impediti ad dictam civitatem ad presens personaliter accedere et ipsi concilio iuxta desiderium cordis nostri interesse nequimus, nolentes resumptionem, continuationem et prosecutionem concilii huiusmodi ex nostra absentia impediri, te, fili Marcelle cardinalis, fide ferventem et prudentia, scientia ac rerum usu conspicuum, nostrum et apostolice sedis ad concilium huiusmodi legatum de latere, ac vos fratres, Sebastiane archiepiscope et Aloisi episcope, pietate et doctrina ac rerum experientia insignes, nostros et ipsius sedis ad dicto concilio una tecum, fili Marcelle cardinalis et legate, nomine nostro presidendum nuncios cum speciali et expresso mandato necnon ratihabitionum et aliis clausulis in similibus apponi solitis de simili eorundem fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate tenore presentium constituimus et deputamus vosque ad dictam civitatem Tridentinam tanquam pacis angelos destinamus ac vobis nomine et auctoritate nostris eidem concilio presidendi ac illud resumendi, continuandi, dirigendi et prosequendi necnon in illo pro vestra pietate et sapientia ea omnia, que in premissis et circa ea necessaria et alias quomodolibet opportuna esse et alias ad laudem et honorem Dei pertinere noveritis, etiam si magis speciale mandatum exigant, iuxta nostrarum predictarum ac indictionis et aliarum ipsius predecessoris super premissis confectarum et publicatarum literarum formam faciendi et exercendi plenam et liberam auctoritate et tenore predictis concedimus potestatem et auctoritatem. Hoc itaque munus vobis iniunctum ita implere studeatis, ut sperati fructus inde proveniant vosque a nobis commendationem et a Deo, bonorum operum retributore, felicitatis eterne gloriam consequi mereamini. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quingentesimo quinquagesimo[1], quarto nonis Martii, pontificatus nostri anno secundo. A. Lalata.

[Intus in plica:] Pro R^{mo} D. meo M. cardinali Crescentio. Io. Barengus.
[In tergo:] Registrata apud Romulum secretarium.

[1] Initium anni pro expeditione bullarum in secretaria pontificia erat dies 25. Martii; quare haec bulla exhibet annum 1550.

9.

Iulius III Sebastiano Pighino, archiepiscopo Sipontino.

Romae 4. Martii 1551.

Arch. Vat. *Conc. 133* f. 106, or. in perg. cum sigillo bene conservato; *Conc. 118* f. 23^v; *Conc. 119* f. 24^v sq.

Pighinum de nominatione in concilii praesidentem certiorem facit.

Iulius papa III. Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem. Hodie in consistorio nostro secreto de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium consilio dilectum filium Marcellum tituli Sancti Marcelli presbyterum cardinalem Crescentium nuncupatum, singularis doctrinae et prudentiae ac summae fidei et integritatis virum, nostrum et huius sanctae sedis de latere legatum ad praesidendum nostro et eiusdem sedis nomine celebrationi sacri oecumenici et universalis concilii in futuris calendis Maii resumendae in Dei nomine creavimus. Memores vero, qua pietate et erga christianam religionem zelo tam tu quam venerabilis frater Aloysius, episcopus Veronensis, in ipso concilio, dum nos cardinalatus honore fungentes ei praesidebamus, usi fueritis, virtute ac opera vestra in assistendo eidem Marcello cardinali legato uti decrevimus vosque una cum eo ipsius concilii praesidentes deputavimus. Quam quidem rem fraternitati tuae his nostris privatis litteris significare voluimus, ut statuta die simul omnes vos Tridenti convenire et ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, quae ad ipsum concilium pertinebunt, dirigere et agere possitis. Haec et quaedam alia, quae nobis occurrunt, ex litteris venerabilis fratris Hieronymi, episcopi Imolensis, intimi secretarii nostri, plenius intelliges, quibus fidem habebis[1]. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 4. Martii 1551, pontificatus nostri anno secundo[2]. Gal. Aquinas.

[In tergo:] Venerabili fratri Sebastiano archiepiscopo Sypontino apud Serenissimum Caesarem nuntio nostro.

10.

Fridericus Nausea, episcopus Viennae Austriae, Iulio III pont. max.

Ex arce S. Viti 28. Martii 1551.

Arch. Vat. *Conc. 106* f. 11^r—12^r, copia saec. 18 (ex originali Schaffhusiano); ed. ad partem tantum *W. Friedensburg* in Zeitschrift für Kirchengeschichte XXI (1901) 554 sq.

Pro concilii convocatione papae gratias agit; se tamen non statim ad concilium venire posse scribit ob adversam valetudinem paupertatemque suam; quapropter papam rogat, ut apud regem Romanorum viaticum ei imploret.

11^r Beatissime Pater et sanctissime Domine! Bullam illam concilii dudum per beatae memoriae Paulum III, Sacrosanctae B^{nis} T. praedecessorem, Tridenti ita cepti[a], ut ille plane videri poterat [!] dimidium facti habere, et per eandem S. B^{nem} T. prima Maii mensis reassumendi progressuque temporis ibidem, quantumvis rebus ita passim stantibus, paulo lentius prosequendi, finiendi consumandique tam gratulanter quam dolenter et summa nimirum devotione et reverentia recepi et legi. Quandoquidem in primis toto quidem pectore non possum S. B^{ni} T.[b] hanc incomparabilem felicitatem non gratulari, quae eidem S. B^{ni} T. a Deo Opt. Max. in hoc concessa est, quod ipsa in tam sancto, tam pio, tam glorioso, tam necessario, tam denique ab universis totius christiani orbis hominibus diu multumque desiderato opere non secus atque immobilis petra perseverat et in suo proposito plane divino persistit, nempe non ignara melius et efficatius ad funditus extirpandum perniciosissima hereticorum et schismaticorum lolia et zizania ex vinea et agro Domini Sabbaoth remedium quam oecumenicum concilium in Spiritu Sancto coadunatum nec excogitari nec inveniri posse. Quo quidem prudentissimo, christianissimo constantissimoque S. T. B^{nis} proposito non mihi solum, sed et optimis quibusque letius, optabilius et

[a] *Cod.* ceptum [b] *del.* a Deo Opt. Max.

[1] Cf. Conc. Trid. XI n. 435 A.

[2] Absque dubio simili modo Aloysio Lippomano, episcopo Veronensi, tertio praesidenti, scriptum est, licet nihil huiusmodi in registris habeatur.

desiderabilius accidere nihil[a] posset. Nec etiam ut hac parte aliud aeque peroptem, quam ut diu noctuque precer et orem Deum illum Opt. Max., quatenus ille hanc T. S. B^{nis} perinde reservatam felicitatem et gloriam per eandem T. S. B^{nem} sua benignitate perficere dignetur. Deinde non possum non ex animo ob triste fatum meum dolere, quod, et|si 11v vix alius (absit iactantia verbo) omnium S. T. B^{nis} per Germaniam episcoporum, quorum non modo minimus, sed plane, ut episcopus vocer, indignus sum, reperiri possit, qui quam ego hanc ipsam universalem synodum ad gloriam D. N. Jesu Christi, eius catholicae ecclesiae salutem et pacem adeoque in amplificandam istius S. B^{nis} T. apostolicae sedis dignitatem frequentius, diligentius, syncerius et ardentius optaverit et modis omnibus scribendo, concionando consulendoque clam palamque promoverit, ipse tamen interim tam ardentissime vereque flagrantis desiderii et voti mei compos fieri commode nequeo. In primis enim remoratur me, quominus illuc ad concilium definito tempore accedere queam, gravissima et ea quidem diutina huius certe propemodum sexagenarii et exhausti non tam propter senectam, vel quamlibet per se dura satis aegritudo, quam propter infinitos et ingentes labores, quos in multos annos pro catholica fide et religione tuenda et propaganda patientissime sustineo, et nunc omnino ad occasum tendentis corpusculi infirmitas. Siquidem multis hucusque diebus adeo decumbo, ut aliquoties agere animum mihi videre videor, sperans tamen suo me tempore, Deo propitio, in aliqualem pristinam valetudinem restitutum[b] iri. Insuper me quoque remoratur paupertas illa mea meique episcopatus tenuitas, quae ob continuas et difficiles contra Turcas exactiones et contributiones et id genus alia gravamina, a quibus immunis haud sum, viaticum quantumvis exiguum minime praestare valeat, quandoquidem nullum mihi adsit totius meae dioeceseos per se satis angustae, sicut aliis per universam Germaniam episcopis, subsidium a sacerdotibus, qui praetendunt se ab omni contributione et subsidio per istam S. T. B^{nis} sedem esse exemptos et immunes. Propter eaque spes omnis mea, licet satis dubia, in Ser^{mo} regi nostro sita est. Quod igitur superest, omnino necessarium esse iudicaverim, S. B^{do} T. ex officio suo motu quasi[c] proprio ex certaque scientia tempore quoque[d] primo ad eundem clementissimum regem | meum scribi dignetur curare et hortari, quatenus eius 12r Sacratissima Maiestas de condecenti viatico providere mihi non dedignetur. Quod ubi factum fuerit, haud prorsus dubitaverim me voti mei fore compotem, utpote me quam primum, ubi paululum revaluero, ad ceptum concilium quo citius et celerius potero accessurum meque, si non prophetam, quod mihi nec sperare licet, saltem ut *Saulem inter prophetas*[1] exhibiturum. Quippe qui universas et corporis et animi et ingenii mei dotes et facultates, utcunque prorsus exiles, ad gloriam Dei, eius ecclesiae concordiam, religionis et fidei unitatem et istius sacrosanctae sedis apostolicae dignitatem impiger tendam et proferam. Id quod sibi S. B^{do} T. cum tota sancta synodo constanter persuadere, et meis humeris interea quidvis, quod par esse possit, mihi iubere et imponere non gravetur nec dedignetur, atque ego iussa devotissime diligentissimeque et obedientissime capescam, optans S. T. B^{nem} cum universali sua ecclesia diutissime et felicissime valere et hanc meam deprecatoriam epistolam aequo prolixam, sed tamen plane necessariam boni consulere dignetur. Ex arce mea episcopali apud S. Vitum supra Viennam 28. Martii anno salutis humanae 1551.

11.

Ioannes, rex Portugalliae, Marcello card. Crescentio.

Almarini 20. Aprilis 1551.

Arch. Vat. *Conc. 78* f. 19, cop. coaeva.

Magno cum gaudio concilium Tridentum coerceri audivit; oratores suos et episcopos sui regni mittet, qui tamen statuta die kal. Maii Tridenti nondum adesse possunt.

Ioannes Dei gratia Portugalliæ et Algarbiorum rex citra et ultra mare in Africa, 19r dominus Guineae, navigationis, expeditionis comercii Aethiopiae, Arabiae, Persidis et Indiae R^{mo} in Christo patri et ut fratri charissimo cardinali [de] Crescentiis in oecumenico

[a] *Cod.* mihi   [b] *Cod. et Friedensburg* restiturum   [c] *Friedensburg* quoque   [d] *Friedensburg* quoquo

[1] *I Reg.* 10, 11 sq.

concilio Tridentino legato amplissimo S. D. Et si multis gravissimisque de causis iucundissima mihi fuit S[mi] in Christo Patris Iulii III in apostolicae dignitatis fastigium evectio, reipublicae tamen christianae nomine maiorem longe ex ea re voluptatem cepi, propterea quod omnes, qui ex sanctissimo pontificatu ei fructus debebantur, illam percepturam optimo pontifice in amplissimam dignitatem cooptato non spondere solum, sed praestare etiam posse mihi videbar. Quem cum nihil ad gratiam inflexurum, omnia vero ad apostolicae veritatis normam exacturum omnes crederent, facile eo autore et recuperaturam suum splendorem sedem apostolicam et veterem disciplinam redituram postliminio aut revicturam potius sperare coeperunt. Nam cum statuerent homines tantis tamque inveteratis malis non alia via brevius quam instaurata repetitaque sacri concilii indictione occurri posse, ea nulli dubia fuit, cum primum magno totius christiani populi consensu pontifex maximus est renuntiatus ille, qui sic concilio Tridentino superiori interfuerat, ut non solum pontificio nomine legatus illi praeesset cum caeteris collegis, sed privato etiam studio in eius amplitudine conservanda industriam suam omnem operamque collocaret. Ubi vero nunc eam tibi curam traditam esse et totius huius negocii pondus humeris tuis impositum viderunt, nihil aut mediocre aut non eximium a legato omni virtutum genere ornato, elegantia literarum expolito, iuris maxima cognitione instructo, in omni reipublicae parte diligenter multumque versato et in amplissimo purpuratorum patrum ordine summam integritatis laudem consequuto expectandum sibi putaverunt. In eamque sunt omnes spem erecti, ut, nisi nostra scaelera Dei Opt. Max. animum averterent seque illius in nos effusae benignitati opponerent, existimarent sacri huius concilii conventum et christianae reipublicae vehementer salutarem et componendis diversarum partium studiis accomodatum fore. Quod cum ipse mirifice cuperem, quod a regibus, progenitoribus meis, ea mihi cura haereditario fere iure esset relicta et a me libenter suscepta, ut nihil alienum esse ducerem, quod esset cum christianae religionis dignitate et apostolicae sedis aucthoritate coniunctum, simul atque indictum in eam urbem concilium pontificiis litteris cognovi, admonendos statim adhortandosque episcopos omnes curavi et eos maxime, qui ad iter suscipiendum paratiores expeditioresque videbantur, ut primo quoque tempore proficiscerentur et pontificiae ad concilium oecumenicum evocationi studiose obsequerentur; mihi enim in animo esse legatos illuc meos, quam celerrime fieri posset, mittere et in ea me iam non cogitatione solum, sed cura etiam versari. Caeterum quia et illis com-
19v ponendae erant res domesticae | et ovium tantisper, dum illi abessent, commodis per operas vicarias consulendum et emetiendum longum iter, et his de causis ipse subvereri incipiebam, ne non tam mature isthuc quam mea in hoc sacrum concilium voluntatis propensio postulabat, venirent et eo ipso, quo illud aperiretur die, nondum adessent, hunc animum meum testari literis ad sacrosanctum concilium datis celerius volui et tibi etiam apertius significare, cuius ego aucthoritati plurimum defero. Neque vero dubitare debeo, quin tam optato exordio foelicissimus exitus succedat et primis extrema consentiant, vel quod Spiritu Sancto duce et moderatore universi huius operis res hec tota dirigitur vel quod optimo pontifice authore geritur vel denique quod prudentissimo legato adiutore administratur. Almeirini ex regia nostra 20. die Aprilis anno Domini 1551.

12.

Allocutio Iulii III ad patres, hortans eos, ut eant ad concilium Tridentinum 1551 [a].

[24. Aprilis 1551] [1].

Arch. Vat. *Conc. 78* f. 3, min.

3r Sermo noster hodiernus (qui brevis erit de rebus concilii) ad venerabiles fratres patriarcas, archiepiscopos et episcopos dirigetur.

Longum et [b] supervacaneum esset recensere [c], quae hactenus gesta sunt, quod scilicet concilium ipsum a fe. re. Paulo praedecessore nostro Mantuae primum indictum et tempus prorogatum, deinde Vicentiae et tempus prorogatum, postremo Tridenti et tempus pro-

[a] *manu Massarelli* [b] *add. supra lineam* [c] *corr. pro* enarrare

[1] Dies apparet ex Actis consistorialibus supra p. 5 l. 3.

rogatum et successive nobis[a] cardinalatus[b] honore fungentibus atque[c] ipsi concilio una cum duobus aliis S. R. E. dignissimis cardinalibus praesidentibus[c] incohatum et continuatum ac demum Bononiam translatum fuerit. Longum etiam esset et supervacaneum enarrare causas, ob quas pro bono pacis et quietis[d] (quacunque translationis disceptatione seposita) ad civitatem Tridenti reducendum duxerimus ac statuerimus.

Distulimus in hunc diem alloqui fraternitates vestras, quoniam ignorabamus, in quo statu essent res Germaniae et an statuta die kalendarum Maii posset ipsum concilium commode[b] resumi et in eo ad ulteriora procedi. | Sublata est omnis hesitatio[e] ex mente 3v nostra hortatione et suasione Augustissimi Caesaris, qui ultra ac sponte omnem suam operam et opem nobis offert et pollicetur vultque nos bene sperare de prospero ac felici successu ipsius concilii nec ullo modo diem ulterius prorogandam putat[1]. Hac tam pia et catholica tanti principis voce audita scripsimus legato nostro, ut statim Tridentum accedat et prosecutioni ipsius concilii Spiritus Sancti numine implorato diligenter incumbat[2].

Reliquum est, ut fraternitates vestras (sicuti toto cordis affectu facimus) in Domino hortemur ac moneamus, ut ⟨memores dignitatis suae et muneris episcopalis⟩[b] sine mora se quoque Tridentum conferre[f] et tam sanctum, laudabile, necessarium et salutare opus sua praesentia et auctoritate complecti et confovere velint, nec se ab exteris prelatis (quos ex longinquis mundi partibus Tridentum properare nuntiatum est) pietate zeloque religionis et fidei superari patiantur.

Causa tam magna est, ut nulla maior in orbe christiano tractari queat, ac nulla est, in qua magis episcoporum studium desideretur atque elucescat, et ob quam unam tantum liceat episcopis a suis abesse ecclesiis. In vestra erit manu tueri fidem et religionem nostram Christi sanguine fundatam et apostolorum antecessorum nostrorum cruciatibus propagatam, tueri auctoritatem et potestatem communem vestram atque nostram, emendare mores sive clericorum sive laicorum tam corruptos ac depravatos, confundere haereticos, illustrare ecclesiam, statuere denique, quicquid ad universae reipublicae christianae utilitatem et securitatem pertineat.

Qui igitur monitis nostris huiusmodi paruerint, Deum habebunt imprimis in hoc vel alio seculo remuneratorem, deinde nos et hanc sanctam sedem sibi ⟨in perpetuum⟩[c] devincient et obligabunt. Qui vero monita ipsa nostra contempserint (quod non facile futurum credimus), Deum habebunt vel in hoc vel in alio seculo ultorem et[c] nos[g] ⟨in quemcumque⟩[c] officio nostro non deerimus.

Cupimus haec pauca, quae a nobis pure[h], simpliciter ac[i] sine ullo fuco et apparatu verborum exposita sunt, fraternitates vestras boni consulere et se itineri (quanto citius fieri poterit) accingere ad laudem et gloriam omnipotentis Dei et ecclesiae suae sanctae perpetuam pacem, salutem ac prosperitatem. Quae omnia bona ille nobis concedere dignetur, qui sine fine vivit et regnat[3].

[a] *hic del.* ipsis cum cardinalis [b] *add. in margine* [c] *add. supra lineam* [d] *del.* omni
[e] *corr. pro* dubitatio [f] *hic del.* vellint [g] *corr. ex* nosque [h] *hic del.* et [i] *corr. ex* et

[1] Haec voluntas imperatoris non erat pro pontifice unica causa aperiendi concilium kal. Maii; multo magis eum movit, quod rex Galliae, qui Octavium Farnesium, ducem Parmae, contra pontificem protegebat, minatus est concilium nationale convocare, putans se hoc modo pontificis mentem erga Octavium mutare posse. Sed pontifex de imperatoris auxilio certior factus concilium resumi voluit, quamquam rex Christianissimus episcopis sui regni concilium adire non permisit. Cf. *G. Kupke* in Nuntiaturberichte I. Abt. XII p. XLII sq.; *Pastor* VI 72 sq.; *Erdmann* 273—277.

[2] Litteris diebus 20. et 22. Aprilis datis Crescentium Tridentum proficisci et die statuta concilium aperire iussit. *Erdmann* 278 adn. 3.

[3] De hac congregatione et allocutione Iulius Cananus Massarello die 25. Aprilis 1551 scribit: «Hieri fu consistorio, et dipoi che N. S[re] hebbe data un poco d' audientia alli SS[ri] cardinali, fece chiamare dentro li prelati, che furono ottanta quattro a ponto senza quelli, che se trovavano indisposti, et li eshortò tutti al venir allegramente al concilio, con parole tanto efficaci, che mi rendo certo, che molti, i quali non havevano cosi il spirito pronto, si accendessero a fare quello che dovevano. Sua S[tà] non fu cosi presto in sala per volere andare a pranzo, che questo buon vescovo, tutto pieno di zelo, che sarà eshibitore della presente, se li gettò a piedi et adomandò licentia di potersi mettere in camino quanto prima, desiderando (secondo ch' egli diceva) di trovarsi presto a Trento, per fare l' oratione della Penthecoste. Sua B[ne] li dette la benedittione et li voleva far dar denari et quello, che li bisognava per il viaggio. Disse, ch' era provisto, ma che supplicava bene S. S[tà], che in Trento volessi suvenire lui, secondo che suvenirebbe li altri prelati poveri, et S. S[tà] li rispose, ch' el farebbe molto volentieri et che ne farebbe dar commissione a voi. Et cosi ha commisso a me, che vi scriva, ch' ogni mese li debbiate dare 25 scudi d' oro et accarezzarlo, secondo che merita. Il che fo con la presente, raccommandandomi di continuo con dirvi, che N. S[re] è sano per la gratia di Dio. Di Roma alli 25 d' Aprile 1551» (*Conc. 139* f. 125[r], or. autogr.). Huius episcopi nomen, quod Cananus reticet, apparet ex rubrica Massarelli in dorso huius epistulae: «Sopra la provisione da darsi al vescovo Salazar.» Erat Francis-

13.

Bulla plenarii iubilei concessi a S^mo D. N. Iulio papa III orantibus Deum pro felici prosperoque successu sacri generalis concilii.

26. Aprilis 1551.

Arch. Vat. *Conc. 118* f. 24^r—25^r; *Conc. 119* f. 25^v—27^r; *Conc. 133* f. 9, cop. impressa et authenticata[1] (= T); *Conc. 104* f. 217, cop. impressa; ed. *Le Plat* IV 217 sqq. (= P).

24^r Iulius episcopus servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Cum post longam sacri oecumenici generalis concilii suspensionem tandem (inspirante Deo) omnium fere christianorum principum ac totius christiani populi votis precibusque annuentes, concilium ipsum, quacunque disceptatione pro bono pacis et quietis seposita, ad civitatem Tridentinam[a] reducendum ac proximis kalendis Maii in eo, in quo reperitur, statu resumendum[b] et prosequendum statuerimus, sicuti nostrae dudum super hoc confectae et publicatae litterae testantur, iamque dies kalendarum praedictarum appropinquet, ut Dominus ac Redemptor noster, fidelium suorum conversione placatus, ad sui divini nominis gloriam 24^v et orthodoxae fidei ac religionis incrementum | et ecclesiae suo precioso sanguine fundatae unionem et pacem prosperumque[c] et felicem ipsi[d] concilio successum elargiatur, omnes et singulos utriusque sexus Christifideles, tam in alma Urbe nostra, quam quibuscunque regnis, dominiis, provinciis, civitatibus, oppidis, terris et locis per universum orbem constitutis requirimus et hortamur in Domino, ut, postquam hae nostrae ad eorum notitiam pervenerint, ad D. N. Iesum Christum humili corde conversi, conscientiam suam unusquisque studeat diligenti examinatione discutere et ad purissimam omnium peccatorum suorum confessionem se parare eamque pura mente facere ac quarta et sexta feriis necnon die sabbati inde sequentibus ieiunent vel, si extra ieiunii tempus, ut de praesenti sumus, constituti existant, orationibus et elemosinarum erogationibus vacent, et die dominica dictum diem sabbati immediate sequenti sacratissimam corporis D. N. Iesu Christi Eucharistiam reverenter et devote percipiant, Deum ex intimis[e] cordis precantes, ut calamitates ecclesiae suae iam tandem miseratus praedictam ecclesiam ad unitatem et concordiam reducere et praefato concilio salubrem continuationem, directionem et conclusionem praestare dignetur.

Ut autem sacramentum Eucharistiae huiusmodi tranquilliori conscientia recipere valeant nec ab hoc[f] ex absolutionis difficultate retrahantur, et ut eorum oratio, quanto puriore animo fiet, tanto ad impetrandam misericordiam et gratiam divinae bonitatis sit acceptior, omnibus et singulis Christifidelibus suprascriptis[g], ut confessores sibi eligere valeant praesbyteros saeculares vel cuiusvis ordinis regulares, qui[h] confessionibus eorum diligenter auditis

[a] *T et P* Tridenti [b] *P* reassumendum [c] *T* prosperum ; *P* et prosperum [d] *P* christiano [e] *P* intimo [f] *P* hac [g] *T et P* supradictis [h] *P* cui

cus Salazar, episcopus Salminensis, qui die 9. Maii Tridentum advenit, et de quo Massarellus in diario suo ad hunc diem scribit: «Huic episcopo pontifex, ut commodius in concilio sustentari possit, dat quolibet mense elemosinam 25 aureorum, quod per litteras D. Iulii Canani, secretarii S. S^tis, 25. Aprilis datas mihi faciendum iniungitur» (Conc. Trid. II 230 l. 19 sqq.). In festo Pentecostes revera sermonem ad patres concilii habuit (cf. infra p. 56—60). Qui Franciscus Salazar, Ord. Min. de observ., iam concilio Tridentino prius coacto theologus intererat; die 12. Sept. 1548 episcopus titularis Soltaniensis nominatus est; suffraganeus erat episcopi Maioricensis (*van Gulik-Eubel* III 321 et 363). Ecclesiae Soltaniensi die 10. Iulii 1551 aliter provisum est; Franciscus Salazar a Massarello in Actis semper episcopus Salminensis (Salaminensis) nominatur, quae ecclesia apud *Eubel* minime invenitur. Suffraganeatum Maioricensem retinuit usque ad mortem a. 1557, quo anno Maioricensi alius suffraganeus datur (*Eubel* III 363). Sed iam ante hanc concilii convocationem in curia Romana resedisse videtur, quia cum praelatis Romae degentibus ad consistorium vocatur, nec post suspensionem concilii Hispaniam se contulit, sed iterum Romae residebat, ubi pro reformatione sub Iulio III et Paulo IV facienda tractatus et vota conscripsit, ut videbis in tomo, qui adhuc est sub prelo, Conc. Trid. XIII 349 n. 62 C et adn. 1.

[1] In copiis impressis haec bulla sequentem habet inscriptionem: *Bulla plenarii iubilei et amplissimarum facultatum per S. D. N. papam christifidelibus universi orbis Deum pro felici et prospero successu generalis concilii kalendis Maii 1551 in civitatae [!] Tridenti reasumendi [!] et prosequendi precantibus concessarum.* Inferius invenitur stemma Iulii III cum imaginibus SS. Petri et Pauli. — Notarius quidam et vicarius Urbis de authenticitate huius copiae manu propria subscribentes fidem faciunt: *Copia auscultata et transumptata cum originali et concordat. Pro D. Ioanne Bargino notario Claudius Perreti substitutus m. p. Ita est Ph[ilippus Archintus] vic[arius].* Qui hanc copiam etiam suo sigillo munivit. In tergo legitur manu Massarelli ea bullae inscriptio, quam supra exhibuimus.

eos et eorum quemlibet a quibuscunque eorum[a] peccatis, criminibus et delictis, quantumcunque gravibus et enormibus, etiam sedi apostolicae reservatis, etiam | in bulla, quae in 25r die Cenae Domini legi consuevit, contentis et a censuris propterea incursis hac vice dumtaxat absolvere ac pro commissis sibi poenitentiam salutarem iniungere ac vota quaecunque per eos emissa[b] (castitatis vel religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeant, facultatem dicta auctoritate apostolica impartimur. Et insuper omnibus et singulis Christifidelibus suprascriptis[c], qui praemissa[d] impleverint, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, plenissimam peccatorum suorum remissionem et eam[e], quae Christifidelibus ecclesias dictae Urbis et extra eam ad id deputatas anno iubilei visitantibus concessa est, in Domino concedimus et elargimur.

Ut autem praesentes litterae ad plurium notitiam valeant devenire, omnes patriarchas, archiepiscopos, episcopos et alios ecclesiarum praelatos in Domino monemus et requirimus, eis nihilominus in virtute sanctae obedientiae iniungentes, ut quam primum ipsae litterae sive earum transumptum manu alicuius praelati sive personae in dignitate ecclesiastica constitutae subscriptum ad eos pervenerint, litteras seu transumptum huiusmodi ubique per eorum provincias, dioceses et ecclesias sincera charitate absque ullo questu publicent et publicari faciant, constitutionibus et ordinationibus apostolicis aliisque contrariis non obstantibus quibuscunque. Volumus autem praesentes litteras, postquam earum originale vel transumptum publicatum fuerit, quoad loca, in quibus publicatio huiusmodi facta extiterit, post viginti dies, ab ipsa publicatione computandos, nullius esse roboris vel momenti. Datum Romae apud S. Petrum anno incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, sexto kal. Maii, pontificatus nostri anno secundo[1].

A. Lalata.

[a] *P om.* [b] *P* commissa [c] *T et P* supradictis [d] *P* promissa [e] *P* etiam

[1] Eadem die 26. Aprilis vicarius Urbis edictum publicavit, quo omnibus Urbis capitulis sive saecularibus sive regularibus praecipit, ut diebus 29. et 30. Aprilis processiones ad basilicam S. Petri instituant; die vero 1. Maii ipsum pontificem una cum collegio cardinalium ab ecclesia S. Marci ad praedictam basilicam in processione iturum, prout biduo ante in consistorio decretum erat (supra p. 5 l. 3 ad 6), populo annunciat. Item indulgentiae et facultates a pontifice concessae et in bulla eiusdem diei contentae promulgantur. Copia impressa huius edicti, cui titulus: *Processione generale con la presentia de la Santità di Nostro Signore e plenaria indulgentia e facultati amplissime per causa de la resumptione del sacro oecumenico concilio ne le calende di Maggio prossimo avenire in la città di Trento*, extat in tom. *Conc. 104* f. 216.

SESSIONES ET ACTA

sacrosancti et generalis concilii Tridentini

sub Iulio III pont. opt. max. anno Domini 1551 et 1552.

Restitutio concilii ad civitatem Tridentinam per Iulium III pont. max. anno Domini 1551 [1].

Datur crux R[mo] legato sacri concilii[2].

Creato igitur legato sacri concilii pontifex, licet podagrae dolore laboraret et propterea in lecto detineretur, ne tamen recessus ipsius legati ex Urbe diutius differretur, die **8.** suprascripti mensis **Martii,** quae fuit dominica quarta Quadragesimae, vocatis ad eius praesentiam omnibus cardinalibus (qui eo mane ad divina audienda in sacello pontificio de more celebranda in palatio apostolico convenerant) crucem ipsi legato atque benedicdictionem dedit. Qui deinde a caeteris cardinalibus omnibus extra portam Sancti Petri de more caeterorum de latere legatorum sociatus fuit, peractis ibidem ceremoniis consuetis. Conc 118 23r

Recessus legati concilii ex Urbe Tridentum versus[3].

Die vero Martis subsequentis, quae fuit **10.** eiusdem mensis **Martii,** legatus ipse ex Urbe recessit ac iter Tridentum versus arripuit, licet enim die dominica praecedenti cruce a Sua Sanctitate accepta publice ac solenniter recessisse videri potuit, itineri tamen nonnisi biduo post, id est die 10. suprascripta, se commisit.

Iter R[mi] legati concilii ex Urbe Bononiam et ex Bononia Tridentum[4].

At R[mus] legatus, qui (ut superius demonstratum est) ex Urbe die **10.** mensis **Martii** 25v
recesserat, iter suum per Hetruriam faciens Bononiam (cuius est etiam legatus) die . . .[a] eiusdem mensis applicuit. Quam civitatem (cum nunquam antea in ea ut legatus fuisset) solenniter cum consueta pompa et ceremoniis intravit receptus a magistratu et populo incredibili cum honore ac laetitia, tum ob reverentiam et devotionem, quam civitas ipsa gerit erga sedem apostolicam sanctamque ecclesiam Romanam (hoc praesertim tempore sub felicissimo pontificatu Iulii papae III, qui ipsam civitatem particulari quadam filiali dilectione prosequitur et ab ea singulariter amatur veneraturque), tum ob innumeras ipsius legati virtutes et animi dotes, tum denique, quia in ea per plures annos studuit, ex quo ipse civibus omnibus et omnes cives ei notissimi ac gratissimi sunt. Bononiae legatus ipse publicis negociis ac rebus civitatis dirigendis componendisque vacans permansit per totum ipsum mensem Martii[5] usque ad **24. Aprilis** subsequentis, qua die (quae fuit Veneris) ex Bononia recedens Tridentum versus iter sequutus est[6] applicuitque die 28. Roveretum

[a] *lacuna*

[1] Ut in introductione de fontibus disserentes diximus, Acta concilii sumpsimus ex codice Arch. Vat. *Conc. 118,* manu Massarelli scripto, in notis adnotantes ea, quae habet cod. Arch. Vat. *Conc. 119* (= C 119) diversa. In sessionibus sequimur codicem Arch. Vat. *Conc. 123. A. Theiner,* Acta genuina ss. oecumenici concilii Tridentini I (Zagrabiae 1874) 471—660 magnam Actorum huius periodi partem typis excudit; cuius variantes in notis exhibemus (= Th). — In *Conc. 118* Massarellus prooemio aliquo, quod de rebus concilium praecedentibus agit, bullam convocationis concilii, breve de forma publicandi bullam, mandatum in personam legati et praesidentium, breve ad archiepiscopum Sipontinum de eius electione in praesidentem concilii et tandem bullam de plenaria indulgentia orantibus pro felici successu concilii concessa inserit. Quae documenta omnia superius exhibuimus. Prooemium ipsum quia nullius est momenti ad historiam concilii illustrandam, praetermittimus. Quae Massarellus de rebus concilii a die ingressus legati et praesidentium in civitatem Tridentinam (29. Aprilis 1551) usque ad diem 2. sessionis (1. Septembris 1551) in Actis collegit, persaepe et haud raro ad verbum cum relationibus suis in diario suo VI conveniunt; quare singulorum capitum solos titulos adnotamus reiicientes lectorem ad dictum diarium a *S. Merkle* in Conc. Trid. II editum.

[2] Ed. *Theiner* I 474; cf. etiam Conc. Trid. II 218 l. 1—4.

[3] Ed. *Theiner* I 474; cf. Conc. Trid. II 218 l. 15—18.

[4] Ed. *Theiner* I 474 sq.

[5] Non solum negotia civitatis dirigenda legatum Bononiae retinuerant, sed potius difficultates inter imperatorem et regem Galliae propter res Parmenses iam diu pendentes, quae tamen mensibus Martio et Aprili adeo in peius mutatae erant, ut periculum belli immineret. De quibus cf. *Erdmann* 277 sqq. et supra p. 15 adn. 1.

[6] Litteris die 20. Aprilis datis papa legato mandavit, ut Tridentum iret et die 1. Maii concilium resumeret. Conc. Trid. XI 623 n. 441 C.

(quod a Tridento 12 milliaribus italicis distat), ubi invenit R. D. episcopum Veronensem, tertium praesidentem, qui eum ibi per triduum expectaverat[1]. Qua etiam die pervenit Tridentum R. D. archiepiscopus Sipontinus, secundus praesidens, qui tamen civitatem minime ingressus est, sed hospitatus fuit in monasterio Sanctae Crucis, ut die subsequenti omnes simul convenirent et publice ac solenniter civitatem ipsam intrarent.

Ingressus R^mi legati et praesidentium concilii in civitatem Tridentinam[2].

29. Aprilis.

[Vide Conc. Trid. II 225 sq., ubi tamen Massarellus omittit orationes Laurentii Pratani et Francisci Vargas, quas in Actibus exhibet et quas hic annectimus.]

26r Oratio habita a D. Laurentio Pratano[a 3] nomine cardinalis Tridentini et praelatorum in primo eorum congressu cum legato et praesidentibus concilii, dum Tridentum proficiscebantur.

Quantum lucis et spei afflictis christianis rebus expectatissimus hic vester adventus, Ill^me et R^me D. legate vosque piissimi et ornatissimi DD. praesidentes, [attulerit,] propterea dicere non institui, quod [ad] Iulii III summi et optimi pontificis incredibili pietate directi praedicationem vix ulla memoria, ulla ingenii vis, ulla denique eloquentiae magnitudo sufficere posse videatur. Lucem enim ac principem universae christianae dignitatis tot iam annos miseranda calamitate oppressae et iacenti christianae reipublicae paternam dexteram tanta cum pietate porrexisse, et quem virtutis et rerum cum summa innocentia praeclarissime gestarum gloria super omnes extulit, eundem ipsum restinguendis tot funestis seditionum incendiis natum christiana pietate quam potentia conspici malle cum tot clarissimis indiciis videamus. Nil certe iam nobis non ad referendam modo, verum etiam | 26v ad digne commemorandam eius benignitatem relictum existimavimus. Ad vos igitur debilis haec nostra spectabit oratio, quorum et magna hactenus et futura posthac de christianis rebus merita in summam quietis expectationem nos adduxere, et quasi tot erumnarum finem pollicentur. Cuius quidem pii vestri instituti memoriam nulla unquam piorum animis exemptura est temporis iniuria: imo vero coletur memoria et observantia sempiterna. Orbi igitur christiano tantam faelicitatem ex animo gratulentur boni omnes, cui scilicet calamitosis his temporibus ad agrum Domini tot noxiis veprium generibus repurgandum, tanta pietate et religione cultores obtigeritis. Ne autem longiori, quam temporis huius status postulat, oratione vos detineam, Ill^mi DD. Christophori cardinalis et praesulis Tridentini caeterorumque piissimorum et ornatissimorum, qui Tridenti in Spiritu Sancto convenere patrum, verbis te Ill^mum et R^mum legatum, vosque piissimos et ornatissimos DD. praesides oro atque obtestor, ut, quando omnem summi huius beneficii digne promerendi spem eis Beatissimi Patris vestraque bonitas eripuit, promptissimas ac paratissimas eorum divino hoc in religionis negocio vestrisque obsequiis voluntates huiusque civitatis arbitrium et protectionem eo, quo vobis offeruntur, animo suscipere vobisque persuadere velitis, nec eos nec civitatem ipsam, nec si quid praeterea in his est montibus, quod ad sanctae sedis apostolicae vestraque obsequia faciat, ullo eis studio, amore, observantia aut animo unquam defuturum.

27r Oratio habita a D. Francisco Vargas[4], fiscali Caesareo, in adventu legati et praesidentium concilii in civitatem Tridentinam[5].

Dici non potest, Ill^me praesul, quanta tum nos, tum christianam rempublicam, praecipue vero Caesarem invictissimum imperatorem maximum, dominum meum, voluptate

[a] *Codd. et Th* Platano, *ut habet etiam Ludovicus Firmanus in diariis caeremonialibus. Cf. Conc. Trid. II 492 adn. 3*

[1] Die 25. Aprilis Roveretum pervenerat, ubi Massarellus eum de rebus concilii certiorem fecit. Conc. Trid. II 225 l. 1 sqq.

[2] Ed. *Theiner* I 475 sq.

[3] De eius vita agit *S. Merkle* in Conc. Trid. II p. L sq.

[4] Franciscus de Vargas y Mexia, Hispanus, in universitate Alcalensi studia iuris perfecit; Carolus V eum ad aulam suam regiam Hispanicam vocavit ad negotia quaedam privata tractanda. A. 1547 fuit missus ad concilium Tridentinum et anno sequenti nomine imperatoris Bononiae contra translationem concilii una cum Martino Velasco protestatus est (Conc. Trid. II 736 sq.). De eius vita, indole et ingenio agit *G. Constant,* Rapport sur une mission scientifique aux archives d'Autriche et d'Espagne 360—385.

[5] Ed. *Theiner* I 475 sq.

affecerit, quantaque animi iocunditate exhilararit pulcherrima ista atque splendida legatio tua non quidem ambienti aut coeco favore delata fortunae, sed eiusdem pontificis summi iudicio et prudentia, qui non solet nisi spectatos viros id genus honoribus ornare, ne quid hic laudis fortuna sibi vindicare possit. Ut vero Christianissimi Caesaris animum sensusque intelligas (quem singulari Dei beneficio in haec reipublicae tempora natum universamque totius orbis salutem complexum experimur), incredibilem ipse ex apostolica hac legatione et foelicissimo tuo in hanc urbem adventu percipit laetitiam, quod videat christianam rempublicam tot malis vexatam atque afflictam hac sacrosanctae Tridentinae synodi celebratione pene ab interitu vindicari, te praesertim vices pontificis maximi et sanctissimi gerente, qui uberrimae pietatis *mons pinguis, mons coagulatus, mons* (inquam), *in quo beneplacitum est Deo*[1], iure optimo nuncupatur; cui uti silphium[2] inter herbas primam gloriam obtinens adiaces, eoque et re et nomine Crescentius appellaris. Gaudet insuper, eum honorem tibi ultro delatum esse, quo tu | te semper dignum praestitisti. Gaudet 27v
denique, quod tantus pontifex tantum virum ut Nestorem Agamemnonium aut (quemadmodum poetae fabulantur) Iovis aquilam aut Mercurium alterum ad huiusmodi rem praeclaram atque divinam divinitus delegerit. Pollicetur autem se tibi modis omnibus sanctissimoque huic negocio fauturum atque opem tanto Caesare dignam praestiturum effecturumque, ut tu, praesul amplissime, (sicuti par est et sanctam sedem apostolicam decet, quam semper veneratus est eiusque ditionem ac dignitatem tutatus) et colaris et observeris, prout his literis eiusdem Caesaris domini mei continetur[3]. Quod fusius a me (iuxta munus mihi iniunctum) postmodum explicabitur, ne in praesentia sim molestior.

Ingressus oratoris Caesarei in civitatem Tridentinam[4]. 28r

Eadem die **29. Aprilis** applicuit Tridentum Ill. D. Don Franciscus a Toleto[5], orator et procurator Caroli V imperatoris Augusti, ut nomine Suae Caesareae Maiestatis in concilio assistat.

Congregatio prima sacri concilii post ingressum legati et praesidentium in civitatem Tridentinam sub Iulio III pont. max.[6]

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen. Anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo primo indictione 9, die vero Iovis **30.** et ultima mensis **Aprilis** Tridenti in palatio Ghiroldi[a] [7] in aula maiori ipsius palatii, hora 20 habita fuit prima congregatio sacrosancti oecumenici et generalis concilii Tridentini sub S^mo^ ac B^mo^ in Christo patre et domino nostro, D. Iulio divina providentia papa III, principe opt. max., praesidentibus in eo R^mo^ et Illmo D. Marcello tituli S. Marcelli S. R. E. praesbytero cardinali Crescentio nuncupato, sanctae sedis apostolicae et eiusdem S^mi^ D. N. de latere legato ac RR. DD. Sebastiano Pighino, archiepiscopo Sipontino, et Aloysio Lippomano, episcopo Veronensi, nunciis apostolicis, praesentibus et interessentibus R^mo^ et Illmo D. Christophoro Madrutio, cardinali et episcopo Tridentino ac administratore Brixinensi[8], et Ill. D. Don Francisco a Toleto, oratore et procuratore invictissimi Caroli V imperatoris Augusti, ac RR. DD. archiepiscopis Turritano, Antibarensi, Panormitano et Calaritano ac episcopis Castellimaris, Lancianensi, Algarensi, Siracusano, Pacensi, | Oscensi[b], 28v
Calaguritano, Monopolitano et Bossanensi.

In qua quidem congregatione primum ego Angelus Massarellus de S. Severino Camerinensis diocesis, ipsius sacri[c] concilii secretarius, legi mandatum S^tis^ Suae in personas ipsorum legati et praesidentium[9]. Deinde praefatus R^mus^ et Ill^mus^ legatus invocavit auxilium S. Spiritus legens alta et intelligibili voce infrascriptam orationem, videlicet:

[a] *C 119* Ghiroldo [b] *C 118 et C 119 et Th om.* [c] *C 119 om.*

[1] *Ps.* 67, 16 sq.

[2] Σίλφιον graece, latine lacerpitium, planta e genere herbarum sive olerum, qua veteres tam in cibum quam in medicinam utebantur.

[3] Has Caesaris litteras non inveni.

[4] Ed. *Theiner* I 476; cf. Conc. Trid. II 226 l. 17 sq.

[5] De eo cf. Conc. Trid. I et II passim; *A. Druffel,* Die Sendung des Kardinals Sfondrato an den Hof Karls V 1547—1548 (Abhandlungen der 3. Classe der k. Akad. d. Wissenschaften Bd. XX Abt. 2) 308 adn. 1.

[6] Minuta exstat *Conc. 10* f. 204r—206r (= M); ed. *Theiner* I 476—479.

[7] In quo etiam prius congregationes habitae sunt. Cf. Conc. Trid. I 158 adn. 3 et 338 l. 31—35.

[8] De cardinali Tridentino cf. Conc. Trid. II 16 adn. 7; *van Gulik-Eubel* III 31; *Pastor* V et VI passim. De coadiutoria sua Brixinensi Conc. Trid. IV 291 adn. 1.

[9] Vide supra p. 11 n. 8.

Adsumus Domine Sancte Spiritus, adsumus quidem peccati immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati. Veni ad nos et esto nobiscum et dignare illabi cordibus nostris. Doce nos, quid agamus, quo gradiamur, et ostende, quid efficere debeamus, ut te auxiliante tibi complacere in omnibus valeamus. Esto salus et effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre et eius Filio nomen possides gloriosum. Non patiaris perturbatores esse iustitiae, qui summam diligis aequitatem. Non in sinistrum nos ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio munerum vel personae corrumpat, sed iunge nos efficaciter tibi solius tuae gratiae dono, ut simus in te unum et in nullo aberramus a vero, quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, ut hic a te in nullo dissentiat sententia nostra et in futuro pro bene gestis consequamur premia sempiterna[1].

Qua oratione absoluta idem R^{mus} et Ill^{mus} D. legatus alloquutus est patres in hanc sententiam videlicet[2]: Primo excusavit se, si non ea, qua opus erat, oratione cum eis ageret, ⟨tum ob brevitatem temporis, tum ob scientiam et experientiam⟩[a], quam ipsi patres habent concilii, ⟨cum in eo diu permanserint⟩[b]. Deinde ⟨exposuit causam sui adventus, missus videl. a S^{mo} D. N. Iulio III, ut concilium die statuta kalendarum Maii iuxta litteras Suae S^{tis} una cum eis resumeret⟩[c]. Excusavitque se, si tam sero Tridentum ad-
29r ve|nisset, quia Bononiae in negociis suae legationis detentus fuerat. Postea declaravit ⟨piam sanctamque mentem Suae B^{nis} in rebus concilii promovendis miseraeque et afflictae religioni nostrae succurrendum ac etiam erga pacem, quietem et bonum universale totius reipublicae christianae, summeque S^{tem} Suam esse affectam erga ipsos praelatos, qui Tridenti erant, cum iam diu eorum pietatem et doctrinam pernovisset⟩[d]. Excusavitque praelatos Italiae, cum adhuc ad concilium non venissent ob praesentis anni sterilitatem[3]; ⟨[se] sperare tamen, brevi eos venturos esse.⟩[e] Interim ⟨autem, quod⟩[f] S^{tas} Sua noluerit[g] differri resumptionem ipsius concilii, ⟨quam resumptionem in ipso die kalendarum Maii nullo modo esse differendam multis rationibus comprobavit. Et quod sperandum erat in pietate eiusdem S^{mi} D. N. (qui nihil ardentius optet, quam continuationem prosperam et conclusionem felicem ipsius concilii), tum favore Caesaris, qui oratorem suum praemisit, tum etiam favore et assistentia aliorum regum et principum christianorum, tum denique in diligentia, religione ac doctrina et prudentia ipsorum praelatorum, ut ipsum concilium felicem progressum et (Deo adiuvante) conclusionem habiturum sit. Ex quo factum erat,⟩[f] quod ipse ⟨et collegae sui laeto animo Tridentum venerunt⟩[h] et ⟨onus eis iniunctum (licet grave nimis humeris suis) halacriter suscipiebant aggrediebanturque. Et quantum ad eos pertinebat, pollicebantur, se praesto ac promptissimos affuturos ad ea omnia facienda, quae (iuxta eorum vires) ad causam ipsam promovendam fore videbuntur. Postremo ostendit, multis de causis ac rationibus futuram sessionem non posse ad brevius tempus indici quam
29v ad proximas kalendas Septembris. Super quibus omnibus vota et sententias | patrum rogavit. Qui responderunt ut infra, videlicet:⟩[i]

[a] *C 118 habuit* tum ob scientiam ... tum ob brevitatem ... *quod postea fuit correctum in ordinem viceversum* [b] *C 119 om.*
[c] *M* declaravit piam et sanctam mentem S^{tis} S. in concilio promovendo
[d] *M* mentem S. S^{tis} esse, ut concilium continuetur et habeat progressum suum etc.
[e] *M* sed venient etc. Speratur de favore Caesaris, qui iam oratorem suum praemisit, et id speratur de aliis regibus et principibus christianis [f] *M om.* [g] *M* noluit
[h] *M* cum collegis suis laeto animo Tridentum venit ob pietatem, quam scit esse in suis dominationibus, quas hic invenit etc.
[i] *M* quod onus licet grave eis iniunctum in Dei bonitate sperantes libenter suscipient. Et deinde monuit patres, ut die crastina, quae est indicta pro concilii resumptione, in ecclesia[m] solita[m] cum solitis paramentis venirent etc. Et indicetur futura sessio ad kalendas Septembris proximas futuras, quod tempus congruum esse multis rationibus ostendit

[1] Haec oratio extat in cap. 14 primi libri *Christophori Marcelli,* Rituum ecclesiasticorum sive sacrarum cerimoniarum SS. Romanae ecclesiae libri tres, Venetiis 1516, ubi de ceremoniis in congregationibus et sessionibus concilii generalis servandis agitur. De hoc opere, quod erat cura *Augustini Patricii Piccolominei* compositum et a *Chr. Marcello* primo editum, cf. *S. Ehses* in Conc. Trid. IV 269 adn. 4 et 516 adn. 2.

[2] Sequentis allocutionis duo excerpta in *Conc. 10* prostant, unum brevius in ipsa minuta protocolli, alterum folio separato 205r, quod ad verbum fere concordat cum textu, quem *Conc. 118* exhibet. Notae respiciunt formas ipsius minutae.

[3] Iam anno praecedenti haec sterilitas in Italia et praecipue Romae adeo urgebat, ut Iulius III ab imperatore et rege Galliae licentiam peteret emendi in eorum provinciis copiam frumenti necessariam. Brevia *Constituti in ea penuria* ad imperatorem et *Non dubitamus* ad regem Galliae dat. die 2. Augusti 1550. Arch. Vat. *Arm. 41 vol. 57* f. 288 sq. n. 725 et 726, min. or. Alia de hac re brevia anni 1550 apud *Pastor* VI 47 adn. 3, anni 1551 *ibid.* adn. 4.

Rmus et Illmus D. cardinalis **Tridentinus**[a] in primis gratias Deo egit, qui ob suam clementiam tantum beneficii contulerit christianae rei publicae in ea reductione concilii ⟨ad ipsam civitatem Tridentinam⟩[b], cum maxima commendatione Suae Stis, quae illud promovendum ⟨et resumendum⟩[b] mandavit, ⟨cui ecclesia sancta ob id multum debebat; seque sperare, quod inde salus publica orietur et vepres ex vinea Domini evellentur, et quod minime verebatur, omnes, qui rem ipsam publicam salvam cupiunt, ingenti cordis laetitia ex ipsa resumptione concilii exhilaratos ire[c]. Et quod ad eum spectabat, vires omnes fortunasque suas ac vitam denique propriam ad ipsum concilium promovendum eiusque auctoritatem tutandam lubentissime offerebat.⟩[b] Laudavitque dicta per Rmum legatum de resumptione concilii die crastina in ipsis kalendis Maii faciendam atque etiam de sessione ad kalendas proximas Septembris indicenda.

R. D. archiepiscopus **Turritanus** maxime laudavit[d] legationem Suae Stis factam in tribus praesidentibus ⟨tum ob eorum singulares[e] virtutes, tum⟩[b] ob diversitatem ordinum, cum unus sit cardinalis, alius archiepiscopus, tertius episcopus, quasi triumviratus sacer, gratiasque egit Deo, ⟨quod tandem concilium iam diu depressum in lucem prodiderit,⟩[f] ipsique etiam legato gratias retulit de laudibus, quas ipsis patribus tribuerat, comprobavitque ipsam resumptionem concilii; sed de indictione futurae sessionis nihil dicere voluit, nisi prius[g] auditis caeteris patribus.

Antibarensis respondit, sibi placere omnia a Rmo legato proposita.

Panormitanus eadem in omnibus comprobavit. |

Calaritanus approbavit dicta per antecessores suos, praesertim per Rmum Triden- 30r
tinum, ipseque etiam gratias Deo egit, qui dignatus erat eos hodierna die consolari praesentia ipsius legati et praesidentium, et quod ipse Divinam Maiestatem orabit, ut prosperum successum det concilio et praefatos praesidentes dirigat ⟨ad ea facienda, quae sint ad laudem et gloriam sui sanctissimi nominis et ad pacem atque unitatem ecclesiae suae reddendam⟩[b]; dixitque sibi placere crastina die resumi concilium, se autem non usque adeo probare futuram sessionem tantum differri, cum hactenus ipsum concilium iam plus quam satis dilatum esset et quia absentes retardabuntur ad veniendum ad ipsum concilium. Verumtamen se probaturum, quod Rmus legatus probabit.

R. D. episcopus **Castellimaris** Deo similiter ante omnia gratias reddidit, qui inspiraverit Smum D. N. ad ⟨ipsum concilium in civitatem Tridentinam reducendum et tales spectatissimos viros legatum et praesidentes eligendum, quorum prudentia et pietate maxime fidit⟩[h]. Quo vero ad proposita sibi placere, ⟨concilium die crastina resumi, celebrata de more in ecclesia cathedrali cum ceremoniis consuetis publica ac solemni sessione⟩[i]. De sessione autem futura indicenda censere, pro nunc non esse deliberandum, cum res sit maximi momenti et maturiori consideratione indigeat.

Lancianensis probavit dicta per Rmum Tridentinum, Deo gratias agens cum praefatione Psalmi seu cantici Zachariae: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae*[1]. ⟨Plurimisque verbis commendavit piam ac sanctam mentem Suae Bnis ob zelum et charitatem, qua christianam rempublicam prosequitur, bonoque auspicio rem ipsam successuram sperare, tum bonitate Dei tantique pontificis pietate ac invictissimi Caesaris favore, tum quia datum sit principium sa|crae congregationi ipsius 30v
concilii hodierna die,⟩[k] cum sit (inquit) festum sanctae Massentiae, nobilissimae matronae Romanae, matris sancti Vigilii, ⟨civitatis Tridentinae advocati ac protectoris⟩[l][2]; et ipsorum legati et praesidentium ingressum in ipsam civitatem fuisse in festo S. Petri, celeberrimi martiris, ⟨qui haereticorum mirabilis insectator et catholicae fidei acerrimus defensor fuit⟩[m][3].

[a] *M add.* loquutus est etiam in hanc sententiam [b] *M om.* [c] *Th* fore
[d] *M add.* personam Rmi legati et [e] *C 119* singulas
[f] *M* de hoc et de coniunctione animorum pontificis cum imperatore [g] *C 119 et Th om.*
[h] *M* talem legatum eligendum [i] *M* sessionem crastinam celebrare cum solitis ceremoniis
[k] *M* et laudavit diem hodiernam
[l] *M om. et eius loco ponit* dari principium congregationi patrum
[m] *M* quod fuit heri commendavitque personam legati

[1] *Luc.* 1, 68.

[2] S. Maxentia, Romana, mater S. Vigilii, patroni civitatis Tridentinae, vixit saeculo IV; in oppido Maiano prope Tridentum mortua postea in hanc ipsam civitatem translata est. *AA. SS.* Apr. III (Parisiis 1866) 781 sq. — S. Vigilii episcopi et martyris, qui circa annos 383—400 ecclesiae Tridentinae praefuit, vitam invenis in *AA. SS.* Iun. VII (Parisiis et Romae 1867) 143—148.

[3] S. Petrus Martyr, cuius festum die 29. Aprilis recolitur, in civitate Veronensi circa annum 1206 natus, anno 1221 ordinem praedicatorum ingressus contra haereticos, quos Catharos nominant, et etiam alios praecipue in Lombardia pugnavit; anno 1232

Quo autem ad proposita, sibi placere, sessionem crastinam celebrari et concilium resumi; sed de futura indicenda esse in sententia R. D. Castellimaris, ut consultatio differatur, ne absentes retardentur, tam qui sunt iam in itinere, quam ⟨alii, qui commode in eorum domibus morantur⟩[a]. Verum si aliter videretur R^{mo} legato, id fieri se cupere, quod magis expediens ac congruum esset.

Algarensis post actionem gratiarum etc. comprobavit, sessionem crastinam celebrari et concilium resumi; sed de indictione futurae sessionis fuit in sententia eiusdem R. D. Castellimaris.

Siracusano placuit concilium in sessione publica die crastina celebranda resumi et futuram sessionem ad kalendas Septembris indici; sed interim tempus non conteratur.

Pacensis retulit laetitiam, quam habet de hac concilii reductione[b], ⟨cum ex ea maxime sperandum sit, quod tot controversiae, quae impraesentiarum[c] in religione nostra sunt, tandem componentur et ecclesia sancta Dei pristinum candorem recipiet; propterea rempublicam christianam multum debere S^{mo} D. N. Iulio pontifici opt. max., qui non solum ipsam reductionem fecit, sed tam insignem legationem designavit; Suaeque S^{tis} piam ac
31r catholicam mentem, virtutes ac praeclara facinora miris laudibus atque praeconiis commemoravit, Deoque ipsi omnium bonorum datori et auctori imprimis gratias agendas esse, atque orandum, ut, quod tam feliciter cepit, perficere dignetur.⟩[d] Ad proposita autem respondit, sibi placere, quod in solemni sessione die crastina celebranda concilium resumatur; sed quoad indictionem futurae sessionis probavit dicta per R. D. Castellimaris, ut eius dies non publicetur cras in sessione, sed melius ac maturius res perpendatur atque discutiatur, ⟨ne absentes non solum veniendo retardentur, sed rem sinistre interpretantes sessionem non ad id tempus dilatam, sed concilium ipsum prorogatum intelligant⟩[e].

Oscensis approbavit dicta per R^{mum} D. Tridentinum.

Calaguritanus dixit, gratias ingentes agendas esse Deo, ⟨qui post longas tenebras lucem populo christiano reddere dignatus est, ac etiam summo pontifici, qui ob eius singularem pietatem et religionem ecclesiae iam misere labenti succurrere voluit, ac ipsis denique legatis et praesidentibus, qui provinciam hanc tam halacri animo susceperunt et eorum ope non defuturos polliciti sunt.⟩[f] Quo vero ad proposita probavit concilium die crastina in sessione resumi; sed de sessione futura placeret, eius diem non publicari ⟨ob rationes ab aliis allegatas⟩[g], et quod nihilominus posset idem in effectu fieri, ⟨id est, quod sessio ipsa futura in dictis kalendis Septembris celebretur, licet is dies in crastina sessione subticeretur.⟩[h]

Monopolitanus praefatus est verbis Pauli in ep. 2 ad Cor. [1, 3]: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis,* qui ecclesiam sanctam suam consolari dignatus est, ⟨ostendens ei non longe abesse[i] portum,
31v quo tuta, a tot haereticorum procellis liberata et confugere et quie|scere possit⟩[e]. Ad proposita vero respondit, sibi placere resumptionem concilii in crastina sessione fieri. Sessionis autem futurae dies, si fieri potest, non publicetur, si autem publicandus est, indicatur ad kalendas Septembris.

Bossanensis ⟨actis gratiis Deo cum mirifica commendatione piae mentis Suae S^{tis}⟩[e] respondit, sessionem die crastina celebrari et concilium resumi sibi placere. De indictione autem futurae sessionis disputavit ad partes ⟨referens rationes utriusque partis satis diffuse⟩[e], ut pro una non videatur facienda, ne absentes praelati retardarentur et ne quod omnes expectent, ⟨ut videlicet concilium ipsum resumatur et progressum habeat; facta simplici resumptione concilium⟩[e] differri videatur. Ex alia vero in dictis kal. Septembris esse necessario indicendam multis modis comprobavit, sed potissimum, quia absentes omnino expectari debent, item quia materiae in ipsa sessione publicandae non sunt digestae, item quia Germani ante omnia expectandi, ⟨absque quibus nihil in concilio cum fructu effici posset.⟩[e] ⟨Ultimamque hanc opinionem ut aequiorem laudavit.⟩[k]

[a] *M* de aliis   [b] *M* resumptione   [c] *C 119 et Th* in praesentia

[d] *M* commendavitque piam mentem S^{mi} D. N. Iulii, qui illud promovit etc., laudavit personas praesidentium

[e] *M om.*   [f] *M* et S^{mo} D. N. et R^{mo} legato et praesidentibus etc.

[g] *M* ne absentes retardentur etc.

[h] *M* sed non publicari in sessione etc.   [i] *C 118* adesse

[k] *M* Igitur placet expectare kalendas Septembris, si aliter fieri non potest

inquisitor Mediolani institutus est. Anno 1252 ab aliquibus haereticis interfectus anno sequenti ab Innocentio IV in Sanctorum numerum receptus est. *AA. SS.* Apr. III 686–694.

[a]Quibus votis absolutis cum maior pars sententiarum tenderet, ut sessio futura ad brevius tempus indiceretur quam ad kal. Septembris (id quod nulla ratione faciendum erat), et ad id sentiendum patres impellebantur iusto dolore et taedio affecti, cum Tridenti causa concilii iam per sex annos continuos permansissent et eorum quatuor in perpetuo ocio ac potius dedecore et conscientiarum suarum gravamine (cum non semel a Paulo III interpellati monitique fuissent, ut inde discederent et alios patres concilii, qui Bononiae, quo concilium ipsum translatum fuerat, convenerant, sequerentur)[1]. Qua de causa cito rem absolvi et ad propria reverti cupientes neque absentium | neque aliarum considerationum (quae 32r
gravissimae et magni momenti occurrebant) rationem habendam esse perpendebant. Quapropter, ut ab huiusmodi errore revocarentur, R. D. archiep. **Sipontinus,** secundus praesidens, eis ostendit, quo in statu res eo tempore se haberent, et inprimis declaravit, mentem S[mi] D. N. firmissimam esse, ut nulla mora in celebratione concilii interponatur, nihilque magis ex animo S[tem] Suam desiderasse, quam ut ipsum concilium debito modo absolveretur et ecclesia Dei suam pristinam unionem et pacem reciperet. Monuit tamen considerandum, non esse ex usu pacis publicae, ut concilium cum solis Hispanis vel Italis celebretur, sed requiratur imprimis praesentia Germanorum (quorum causa concilium Tridenti a sac. mem. Paulo III indictum et a S[mo] D. N. Iulio III reductum fuerat), praesertim Lutheranorum, qui se Protestantes appellant, qui semper respuendi decreta concilii occasionem sumerent, si eis non expectatis neque etiam auditis decreta ipsa promulgarentur.

[a] *De his, quae sequuntur, i. e. de Sipontini allocutione et Turritani et Pacensis votis et de aliis usque ad votum Tridentini, duo excerpta inveniuntur in Conc. 10, unum in folio separato 205ᵛ, quod concordat quasi ad verbum cum textu, alterum brevius in ipsa minuta, quod sequitur:* Deinde absolutis votis patrum D. archiepiscopus Sipontinus, secundus praesidens, dixit mentem S. S[tis] esse, ut nulla mora interponatur in celebratione concilii et nihil magis S[tem] S. desiderasse, sed Maiestas Caesarea dixit (apud quam ipse nuper nuncium apostolicum egit) animadvertendum esse, ne praecipitanter res agantur ob Germanos protestantes, qui expectandi sunt, quorum causa praecipue agitur. Idem etiam de catholicis Germanis, qui adeo sunt gravati in dieta Augustensi, ut pro nunc venire non posse se excusent, dicuntque necesse esse, ut ecclesias suas visitent et refocillent eas, neque soli Itali vel Hispani causam hanc agere debent, ideo alii expectandi sunt, quod etiam Maiestati Suae Catholicae expediens videtur. Etsi aliter fieret, dixit futurum scandalum, cum Protestantes absque eis res discussas et decretas esse conquerantur et se a nobis iure dissentire posse occasionem habebunt. At si tempus differatur, ostendit, quod non solum ipsi venient, sed etiam praelati Hispani, qui in navibus, quae reginam Bohemiae in Italiam traducent, venient. Ideo confirmavit kal. Septembris pro sessione futura, praesertim quia materiae non sunt discussae, quae cum Protestantibus adversariis discutiendae sunt; aliter nihil fructus habentur; propterea die [*Ms* dies] crastina publicanda est. — Deinde Turritanus quoad sessionem futuram indicendam (super qua re nihil hactenus dixerat) comprobavit, non eam tantum differendam et quia ipsi tam diu Tridenti laborarunt, et debet eorum haberi ratio prout etiam Germanorum, contra ea, quae dixit Sipontinus. Pacensis contradixit, videlicet videri sibi Germanos expectandos et indicendam sessionem ad kalendas Septembris, et cum patres super hac re maxime discordes essent, praesertim ipso Turritano vehementissime ipsas kal. Septembris oppugnante, haec res iterum in deliberationem posita est.

[1] Post translationem concilii Bononiam die 11. Martii 1547 factam cardinalis Pachecus et alii 12 patres regni Hispanici Tridenti remanserunt, quorum nomina invenis Conc. Trid. V 1037. In illo discursu, qui teste *Pallavicino* XI 8, 4 mense Iulio 1550 a summo pontifice regi Galliae missus est, narratur post discessum cardinalis Pacheci, qui anno 1549 Romam ad conclave profectus est, etiam alios patres non amplius Tridenti remansisse. *Pastor* V 60 sq. Pallavicinum sequens scribit omnes *fere* praelatos Tridento discessisse. Sed quod Massarellus supra in Actis adnotat (cf. etiam Sigismundi Phedrii orationem in prima sessione habitam infra p. 37 l. 9) fide dignius est illo discursu, qui nonnisi in excerptis Pallavicini ad nos pervenit (cf. *S. Merkle* in Conc. Trid. II 182 adn. 2) et compositus esse videtur ad regis Galliae consensum pro convocatione concilii obtinendum. Cf. *Erdmann* 156. Revera in adventu legatorum aderant novem ex illis 13 praelatis, qui concilio Bononiam translato remanserant, quorum quinque anno 1545 Tridentum ingressi circa sex annos ibidem commorabantur; alii quatuor anno 1546 Tridentum pervenerant: archiepiscopi Turritanus (advenerat 10. Ianuarii 1546, Conc. Trid. I 372 l. 19 sqq.), Panormitanus (advenerat 1. Augusti 1545, *ibid.* 229 l. 3), Calaritanus (Balthasar de Heredia, qui usque ad annum 1548 fuit episcopus Bossanensis, advenerat 9. Maii 1546, *ibid.* 546 l. 9) et episcopi Castellimaris et Lancianensis (advenerant 3. Iunii 1545, *ibid.* 199 l. 47), Siracusanus (advenerat 20. Augusti 1545, *ibid.* 246 l. 35 sq.), Pacensis (advenerat 1. Septembris 1545, *ibid.* 307 l. 34), Oscensis (advenerat mense Martio 1546, *ibid.* 516 adn. 3), Calaguritanus (advenerat 27. Maii 1546, *ibid.* 551 l. 8). Quaestio oriri potest de episcopo Algarensi, qui die 23. Novembris 1546 Tridentum advenerat (Conc. Trid. I 587 l. 37) et die 29. Novembris sententiam suam de decreto iustificationis dare debuisset (Conc. Trid. X 741 l. 14—17), sed non dedit neque hac die neque die 1. Decembris, quando dixerunt alii quatuor, qui cum eo advenerant (Conc. Trid. V 678 sq.). Cuius nomen sequentibus mensibus nec in Actis congregationum et sessionum invenitur, nec inter patres, qui Tridento non discesserunt post translationem, nec inter eos, quos legati die 12. Aprilis 1547 litteris invitarunt Bononiam venire (Conc. Trid. I 638 sq.); sed litteras patrum Tridenti residentium pontifici die 23. Martii 1548 datas una cum aliis subscripsit (Conc. Trid. I 757 l. 20 et *Le Plat* IV 11). Coniici tamen potest patres non semper in ipsa civitate Tridentina resedisse, sed in locos vicinos se contulisse.

Quod etiam imperatori expediens atque necessarium videri retulit, prout M^{tem} Suam Caesaream sibi, dum apud eam nuper nuncius apostolicus [!] egerat, pluries dixisse affirmavit. His addebatur, quod materiae in ipsa sessione publicandae non essent adhuc discussae aut examinatae, et notabile tempus ad eas praeparandas requirebatur. Praeterea quod praesentis anni sterilitas etiam spectanda erat, ut commodius receptis novis messibus praelati Tridenti permanere possent. Et quod considerandum quoque esset aliud impedimentum, nempe rumores et suspiciones futuri belli, ob quod non tute forsan aut saltem cum graviori incommodo ac perturbatione praelati venturi essent et aliqui etiam ex eo non immerito ansam excusationis acciperent. His et aliis multis rationibus comprobavit dictam futuram sessionem non
32v posse ad brevius tempus indici quam ad dictas kal. | Septembris, ut R^{mus} legatus proposuerat.

Deinde **Turritanus,** qui votum suum super ipsa futura sessione suo loco non dixerat, declaravit mentem suam esse in sententia R. Castellimaris, ut non tantum differreretur[a]. Et quemadmodum R. D. Sipontinus Germanorum et aliorum absentium rationem habendam esse retulerat, ita etiam et ipsorum praelatorum, qui Tridenti tam diu per sexennium immorati sunt et qui adhuc morantur et parati sunt usque ad mortem immorari, ut concilium debitum finem suscipiat, eandem et maiorem rationem habendam esse comprobavit.

Ep. **Pacensis** impugnavit ea, quae dixerat Turritanus et sententiam Sipontini defendit.

Et cum patres alii in eandem Sipontini opinionem venissent, alii Turritanum sequerentur (praesertim ipso Turritano vehementissime contrariam partem oppugnante), res iterum in deliberationem posita est et vota patrum exquisita, qui responderunt ut infra, videlicet:

⟨R^{mus} D. **Tridentinus** eius primam sententiam defendit et alias improbavit.⟩[b]

⟨R. D. **Turritanus** perseveranter contrariam asseruit et quod dixerat confirmavit.⟩[c]

Antibarensis sessionem ad kalendas Septembris indicendam laudavit.

Panormitanus idem comprobavit.

Calaritanus fuit eadem sententia, dummodo interim aliquid fieret.

Castellimaris idem, ⟨sed quod in crastina sessione, dum futura ad kalendas Septembris indicitur, exprimatur⟩[d], procedendum interim esse ad ulteriora[e].

Lancianensis probavit in omnibus dicta per Sipontinum.

Algarensis idem confirmavit.

Siracusanus idem.

Pacensis sequutus est sententiam R. Castellimaris. |

33r **Oscensis** laudavit dicta per Sipontinum in omnibus.

Calaguritanus dixit, sibi placere quod maiori parti placet.

Monopolitanus ⟨comprobavit dicta per Sipontinum.⟩[f]

Bossanensis idem.

Absolutis omnibus votis **Turritanus** iterum opinionem suam perseveranter defendit neque aliqua ratione ab ea divelli a quoquam potuit.

Tunc R^{mus} et Ill^{mus} D. **legatus** dixit: Postquam longe maiori parti patrum placet, quod sessio futura indicatur ad proximas kal. Septembris, ⟨ita faciemus⟩[g]. Et die crastina concilium resumetur et sessio solemnis more solito in ecclesia cathedrali celebrabitur. Ad quam monuit patres, ut venirent cum paramentis consuetis hora 11.

Deinde dimittitur congregatio hora circiter 22[1].

Adventus episcopi Virdunensis.

Eadem die **ultima Aprilis** applicuit Tridentum R. D. Nicolaus Psaulme, episcopus Virdunensis, natione Lothoringus[2].

[a] *Th* differetur [b] *M om.* [c] *M* Turritanus denuo tantam dilationem improbavit
[d] *M* ut indicatur sessio futura ad kalendas Septembris, sed cras dicatur in sessione
[e] *M add.* et probavit dicta per secundum praesidentem
[f] *M* placet indici sessionem futuram ad kal. Septembris [g] *M* id fiet; *C 119* ita fiet

[1] De hac congregatione Crescentius die sequenti Romam scripsit. *A. Druffel,* Briefe und Akten I 632 sq.

[2] De eius vita et scriptis cf. *S. Merkle* in Conc. Trid. II p. CXLVII—CLXX. Invitus Tridentum accessit obtemperans mandato imperatoris. De qua re I. Amiot, qui die 1. Septembris 1551 concilio exhibuit protestationem regis Christianissimi, scripsit ad M. de Morviller die 8. Septembris: «Le dit evêque de Verdun n' est pas allé à Trente de son bon gré; mais se trouvant à la cour de l' empereur à Augsbourg à solliciter quelque procès, qu' il a à l' encontre de certains gentilshommes siens voisins, qu' il dit occuper quelques choses, qui sont de son evesché, M. d' Arras lui commanda de la part de l' empereur, qu' étant l' assignation de la session prochaine, il eust à s' y trouver.» *Le Vassor* 97. Etiam archiepiscopus Treverensis die 3. Aprilis iussit eum Tridentum proficisci. *Le Plat* IV 216 sq. Cum mense Augusti 1551 domum reverti cogitaret, imperator eum die 3. Septembris gravibus verbis monuit, ne Tridento discederet. *Ibid.* 243.

SESSIO PRIMA

sacrosancti oecumenici et generalis concilii Tridentini

sub Iulio III pont. max.

anno Domini 1551.

[Sessio XI.]

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Conc. 123 152^r
Anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, indictione nona, die vero **prima** mensis **Maii**, quae fuit Veneris, Tridenti in ecclesia cathedrali, quae est sub invocatione B. Vigilii[1], celebrata fuit prima publica sessio sacrosancti oecumenici et generalis concilii Tridentini sub S^{mo} in Christo patre et domino nostro, Domino Iulio III, sacrosanctae Romanae et universalis ecclesiae pontifice opt. max., principe gloriosissimo, pontificatus eius anno secundo, praesidentibus in eo R^{mo} et Illmo Domino D. Marcello tit. S. Marcelli S. R. E. praesbitero cardinali Crescentio nuncupato, sanctae sedis apostolicae et eiusdem S^{mi} D. N. papae de latere legato, ac RR. DD. Sebastiano Pighino, archiepiscopo Sipontino, et Aloysio Lippomano, episcopo Veronensi, nunciis apostolicis. Qui legatus et praesidentes convenientes mane una cum praelatis infrascriptis in dicta ecclesia cathedrali[2], in loco ad sessiones habendas hactenus sub fel. record. Paulo III deputato, imprimis praefatus R^{mus} et Ill^{mus} D. legatus celebravit missam solemnem de Spiritu Sancto[3]. Qua absoluta diaconus[4] publicavit indulgentiam plenariam his verbis: *R^{mus} et Ill^{mus} D. Marcellus cardinalis Crescentius, sacri concilii legatus, authoritate apostolica dat et concedit omnibus hic interessentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam in forma ecclesiae consueta. Orate ergo Deum pro felici statu S^{tis} Suae, unione ecclesiae et prospero ipsius sacri concilii progressu.* Deinde habuit orationem ad patres ipsius concilii R. sacrae theologiae magister Sigismundus Phedrius de Diruta, O. M. Conv. Qua absoluta tam R^{mi} et Ill^{mi} DD. legatus, cardinalis Tridentinus et praesidentes, quam caeteri RR. patres omnes acceperunt pluvialia et mitras ac alia paramenta consueta. Quo tempore decantabatur a cantoribus Psalmus 83: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine.* Pluvialibus et mitris acceptis quisque resedit in loco suo iuxta tempus suae promotionis et ordinem hactenus in hoc eodem concilio observatum sub eodem Paulo III. Et R^{mus} et Ill^{mus} D. legatus recedens e loco, ubi paramenta perceperat, ivit ad altare maius, ante quod resedit in faldistorio versa facie ad sanctam synodum. Statimque magister ceremoniarum[5] dixit alta voce: *Silentium.* Cumque paululum omnes quievissent, diaconus

[1] Ecclesia cathedralis S. Vigilii etiam in concilio prius congregato pro sessionibus adhibita est. Cf. quae scribit Massarellus de ea in diario suo I, Conc. Trid. I 157 l. 16–20, et Joannes Thomas Sanfelicius cardinali Farnesio 13. Oct. 1542, ibid. IV 255 l. 38—47.

[2] Ceremoniae sessionum describuntur in libro primo p. 61 sq. *Christophori Marcelli,* Rituum ecclesiasticorum sive sacrarum cerimoniarum SS. Romanae ecclesiae libri tres (Venetiis 1516), de quo supra p. 24 adn. 1.

[3] *Ciaconius* III 677 et *Theiner* I 480 in brevissimo summario de hac prima sessione (sicut iam antea *Sarpius*) narrant archiepiscopum Turritanum sacra fecisse. *Pallavicinus* XI 14, 4 recte dicit ipsum legatum missam cantasse, id quod etiam in prima sessione sub Paulo III factum erat (Conc. Trid. IV 515 l. 20 sqq.). Uti enim iam potuit Pallavicinus litteris ab ipso Crescentio die sessionis Hieronymo Dandino datis, quae nunc habentur typis impressae in Conc. Trid. XI 626 sqq. n. 444, ubi cardinalis Crescentius de sua missa dicit: «Confisus in gratia et clementia Dei ho cantata la messa questa mattina, quale è la mia messa novella, essendo la prima». Iam litteris die 23. Aprilis Bononiae datis Crescentius Massarello scripserat, se paratum esse cantare missam, si opus fuerit: «La messa del Spirito Santo se bisognarà dirla a me, anchora che mai habbi cantato messa, farrò come saperò meglio. Penso, ce serrà tempo consultarla un giorno avanti, el che bastarà» (*Conc. 139* f. 123^r, or.). Certe Crescentius loquitur de sua prima missa cantata, quia iam antea, ut consentaneum est, celebraverat, cuius e. gr. Massarellus testis est in diario suo V, ubi Crescentium quinta die exequiarum Pauli III, 23. Novembris 1549, missam celebrasse narrat (Conc. Trid. II 21 l. 33; cf. *ibid.* 85 l. 1).

[4] Nomen diaconi Massarellus in registro generali officialium concilii sub Iulio III (*Conc. 122* f. 600^r) non indicat; non tamen eundem fuisse crediderim ac sub Paulo III, Herculem scil. Tombesium Ferrariensem, quem Ioannes Maria de Monte cardinalis conclavistam, postea pontifex capellanum sibi elegit et a. 1555 episcopum Ravellensem instituit (Conc. Trid. II 122 col. 2; 127 col. 1; 247 l. 23; *van Gulik-Eubel* III 300). Videtur potius concilium non habuisse proprium diaconum nec subdiaconum, sicut per aliquod tempus non habuit magistrum ceremoniarum. Vide adn. sequentem.

[5] Magister ceremoniarum fuit secundum Massarelli registrum generale officialium concilii sub Iulio III (*Conc. 122* f. 600^r) Ludovicus Bondonus de Branchis Firmanus, qui tamen satis tardius scil. ultimis diebus mensis Octobris Tridentum venit; de quo agit *S. Merkle* in Conc. Trid. II p. CIX—CXIII. Eius diarium, quod in hac concilii sessione conscripsit, *ibid.* 492–498. Usque ad Firmani adventum concilium magistrum ceremoniarum proprium non habuit; ex litteris Crescentii die 23. Aprilis Bononiae Massarello datis (*Conc. 139* f. 123^r, or.) concludi potest ipsum Massarellum aliquam ceremoniarum curam habuisse, quo in munere eum ceremoniarii cardinalis Tridentini sine dubio adiuverunt.

sacris indutus permanens a destris [!] ipsius R^{mi} et Ill^{mi} D. legati dixit alta voce: *Orate.* Moxque ipse R^{mus} et Ill^{mus} D. legatus caeterique patres omnes genuflexi detectis capitibus 152^{v} versi ad altare oraverunt. Surgensque R^{mus} | legatus aliis genuflexis permanentibus legit competenti tono clara et intelligibili voce infrascriptam orationem, videlicet: *Adsumus, Domine Sancte Spiritus . . . [ut supra in congregatione praecedenti p. 24 l. 1—10.]* Qua oratione finita cantores responderunt: *Amen.*

Deinde subdiaconus a sinistris R^{mi} legati surgens, vertens se ad sanctam synodum dixit alta voce: *Erigite vos.* et omnes surrexerunt. Postea a cantoribus decantata fuit antiphona infrascripta, videlicet: *Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos, Domine*[1]. Iterumque diaconus versus ad patres dixit: *Orate.* Et similiter omnes procubuerunt et aliquantulum oraverunt secrete surgensque subdiaconus a sinistris dixit: *Erigite vos,* et omnes surrexerunt omnibusque sic stantibus R^{mus} D. legatus deposita mitra legit alta voce subsequentem orationem, videlicet: *Mentes nostras, quaesumus Domine, Paracletus, qui a te procedit, illuminet et in omnem, sicut tuus promisit Filius, inducet veritatem. Qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.* Et cantores responderunt: *Amen.*

Qua oratione finita iterum omnes genuflexerunt et duo ex cantoribus cantarunt laetanias more Romano et ab aliis cantoribus alta, a quolibet vero ex patribus submissa voce respondebatur. Cumque cantores illi duo pervenissent ad versiculum: *Ut domnum apostolicum* etc., R^{mus} legatus surgens accipiensque mitram benedixit sanctam synodum dicens haec verba, videlicet: *Ut hanc sanctam synodum et omnes gradus ecclesiasticos benedicere digneris.* Et omnes responderunt: *Te rogamus, audi nos.* Deinde idem R^{mus} legatus iterum benedixit sanctam synodum dicens: *Ut hanc sanctam synodum et omnes gradus ecclesiasticos benedicere et regere digneris.* Et similiter responsum fuit: *Te rogamus audi nos.* Tertioque R^{mus} legatus sanctam synodum benedicens dixit: *Ut hanc sanctam synodum et omnes gradus ecclesiasticos benedicere, regere et conservare digneris.* Omnesque item responderunt: *Te rogamus, audi nos.* Postea procumbente iterum R^{mo} legato depositaque mitra laetaniae a cantoribus perfectae fuerunt.

Quibus completis omnes surrexerunt et R^{mus} legatus detecto capite versus ad altare 153^{r} dixit: *Oremus.* Tunc diaconus a dextris dixit: *Flectamus genua,* et subdiaconus | a sinistris ait: *Levate.* Et R^{mus} legatus legit clara voce infrascriptam orationem, videlicet: *Da, quaesumus, ecclesiae tuae, misericors Deus, ut Spiritu Sancto congregata hostili nullatenus incursione perturbetur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.* Et cantores responderunt: *Amen.* Postea diaconus petiit a R^{mo} legato benedictionem pro evangelio, quam ei dedit imposuitque incensum more solito cantavitque diaconus assistens in medio patrum evangelium Lucae cap. 10 [1 sq.]: *Designavit Dominus et alios septuaginta duos* etc., cum luminaribus et ceremoniis consuetis. Quo absoluto ipse R^{mus} legatus ac cardinalis Tridentinus et praesidentes librum osculati sunt. Deinde RR. DD. archiepiscopus Sipontinus et episcopus Veronensis praesidentes recedentes e loco, ubi missam audiverant, iverunt et ipsi ad altare maius, ante quod simul resederunt in faldistoriis ibidem ad id praeparatis, medium habentes ipsum R^{mum} legatum, et patres respicientes caeterisque suis in locis consedentibus ego Angelus Massarellus de S. Severino, sacri concilii secretarius, legi clara et intelligibili voce bullam S^{mi} D. N. Iulii III super reductione concilii ad civitatem Tridentinam, quae est tenoris infrascripti, videlicet:

Bulla reductionis generalis concilii ad civitatem Tridentinam per S^{mum} D. N. Iulium III pont. max.

Iulius episcopus servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Cum ad tollenda . . . *[Vide supra p. 6 n. 4].* Datum Romae apud S. Petrum anno incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo, decimo octavo kalendis Decembris, pontificatus nostri anno primo.

153^{v} Qua bulla lecta ego idem secretarius praefatus legi similiter alta et intelligibili voce bullam mandati eiusdem S^{mi} D. N. in personam ipsorum legati et praesidentium, cuius tenor sequitur et est talis, videlicet:

[1] *Ps.* 68, 17.

Bulla mandati S^{mi} D. N. Iulii papae III in personam legati et praesidentium sacri concilii.

Iulius episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio Marcello ... Ad prudentis patrisfamilias ... *[Vide supra p. 11 n. 8.]* Datum Romae apud S. Petrum anno incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo, quarto nonis Martii, pontificatus nostri anno secundo.

Quibus bullis lectis, cum paululum omnes quievissent, surrexerunt et R^{mus} et Ill^{mus} 154^{v}
D. legatus capite detecto incepit hymnum: *Veni Creator Spiritus.* Quo incepto omnes genuflexerunt et ipse etiam D. legatus incepto hymno genuflexit omnesque sic genuflexi permanserunt, donec primus versiculus hymni perfectus fuit a cantoribus. Deinde omnes surrexerunt stantes nihilominus capitibus detectis et cantores totum hymnum perfecerunt. Quo completo R^{mus} et Ill^{mus} D. legatus dixit: *Emitte Spiritum tuum et creabuntur,* et cantores responderunt: *Et renovabis faciem terrae.* Postea idem R^{mus} et Ill^{mus} D. legatus legit alta voce infrascriptam orationem, videlicet: *Deus, qui corda fidelium S. Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.* Et cantores responderunt: *Amen.* Postremo duo ex cantoribus dixerunt: *Benedicamus Domino,* et ab aliis responsum fuit: *Deo gratias.*

Quibus omnibus peractis omnes suis in locis resederunt indictoque silentio R. D. archiepiscopus Turritanus accedens ad altare maius accepit genuflexus e manibus R^{mi} et Ill^{mi} D. legati verba, quae pro decreto huius sessionis publicanda erant, ascendensque ambonem ea alta et clara voce recitavit. Sunt vero quae sequuntur:

Decretum primum sessionis primae Tridentinae sub Iulio III pont. optimo maximo.

R^{mi} et Ill^{mi} domini Reverendique patres, placetne vobis ad laudem et gloriam sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, ad incrementum et exaltationem fidei et religionis christianae sacrum oecumenicum et generale concilium Tridentinum iuxta formam et tenorem litterarum S^{mi} D. N. resumi debere et procedendum esse ad ulteriora?

Tunc interrogati sunt omnes patres etiam singulariter a me Angelo Massarello, sacri concilii secretario, praesente D. Nicolao Driel[1], clerico Coloniensi, notario, an placeret. Et ab omnibus patribus unanimiter responsum fuit per verbum *Placet.* Deinde R^{mus} D. legatus protulit clara voce verba, quae sequuntur, videlicet: *Et ita concilium ipsum resumimus et ad ulteriora procedendum esse declaramus.*

Postea idem R. D. archiepiscopus Turritanus adhuc in ambone permanens iterum interrogando patres dixit infrascripta verba intelligibili et clara voce, videlicet:

Decretum secundum sessionis primae Tridentinae sub Iulio III pontifice maximo.

R^{mi} et Ill^{mi} domini Reverendique patres, placetne vobis, proximam futuram | ses- 155^{r}
sionem habendam et celebrandam esse in futuris calendis Septembris?

Et statim omnes patres interrogati etiam singulariter a me secretario praefato responderunt simpliciter per verbum *Placet.*

Deinde R^{mus} et Ill^{mus} D. legatus incepit hymnum *Te Deum laudamus* cantoribus prosequentibus. Quo absoluto D. Ioannes Bapt. Castellius[2] Bononiensis ut promotor concilii rogavit omnes prothonotarios et notarios ibidem praesentes, ut de omnibus in

[1] Nicolaus Driel, familiaris Pighini, iam in concilio sub Paulo III notarius erat. Conc. Trid. I 15 l. 9 sq. et 18 l. 6—9 et adn. 2; *ibid.* II 373 adn. 1; *ibid.* IV 544 l. 17—21. Circa annum 1554 erat canonicus S. Victoris extra muros Maguntinos. *Liber confraternitatis B. Marie de Anima Teutonicorum de Urbe* (Romae 1875) 144. Anno 1557 praepositus S. Stephani Maguntiae factus est. *M. Lossen,* Briefe von Andreas Masius (Leipzig 1886) 297.

[2] Ioannes Bapt. Castellius, familiaris cardinalis Crescentii, hoc loco dicitur *ut promotor* notarios rogasse, ut instrumenta conficerent. Nondum enim erat promotor, sed in congregatione patrum die 31. Augusti habita electus est (cf. infra p. 85 l. 30—33). Etiam in concilio sub Pio IV officium promotoris explevit, non electus a synodo, sed a pontifice nominatus. Conc. Trid. VIII 168 n. 108.

ipsa sessione gestis unum vel plura conficerent instrumentum vel instrumenta. Tunc surgentibus omnibus patribus capitibus detectis R^{mus} et Ill^{mus} D. legatus manu elevata benedixit sanctam synodum signo crucis et patres omnes depositis paramentis recesserunt[1].

Nomina praelatorum, qui interfuerunt primae sessioni Tridentinae sub Iulio III pontifice maximo.

Legatus et praesidentes.

R^{mus} et Ill^{mus} D. Marcellus, tit. S. Marcelli S. R. E. praesbiter cardinalis, Crescentius nuncupatus, sacri concilii primus praesidens et legatus .	Romanus
R^{mus} D. Sebastianus Pighinus, archiep. Sipontinus, secundus praesidens .	Regiensis
R^{mus} D. Aloysius Lippomanus, ep. Veronensis, tertius praesidens .	Venetus

Cardinalis Tridentinus:

R^{mus} et Ill^{mus} D. Christophorus Madrutius, tit. S. Caesarei in palatio S. R. E. praesbiter cardinalis et ep. Tridentinus ac administrator Brixinensis .	Germanus

Orator Caesareus:

Ill. D. Franciscus a Toleto, invictissimi D. Caroli V imperatoris Augusti orator et procurator	Hispanus

Archiepiscopi:

R. D. Salvator Salapusius[2], archiep. Turritanus et Sassarensis . . .	Sardus
R. D. Ludovicus Chieregatus, archiep. Antibarensis	Vicentinus
R. D. Petrus Tagliavia de Aragonia, archiep. Panormitanus . . .	Siculus
R. D. Balthassar de Heredia, archiep. Calaritanus	Hispanus

Episcopi:

R. D. Ioannes Fonseca, ep. Castellimaris	Hispanus
R. D. Ioannes Salazar de Burgos, ep. Lancianensis	Hispanus
R. D. Petrus Vaguer, ep. Algarensis	Hispanus
R. D. Hieronymus de Bononia, ep. Siracusanus	Siculus
R. D. Franciscus de Navarra, ep. Pacensis	Hispanus
R. D. Nicolaus Psaulme, ep. Virdunensis	Lotharingus |
155v R. D. Petrus de Augustinis, ep. Oscensis	Hispanus
R. D. Ioannes Bernardus Diaz, ep. Calaguritanus	Hispanus
R. D. Octavianus Praeconius, ep. Monopolitanus	Neapolitanus
R. D. Vincentius de Leone, ep. Bossanensis	Siculus

Viri ecclesiastici:

R. D. Martinus Naidegg, archidiaconus et canonicus Tridentinus . .	Germanus
R. D. Ludovicus Balzanus, canonicus Tridentinus	Tridentinus
R. D. Thomas Marsoner, canonicus Tridentinus	Germanus
R. D. Erasmus Stremberger, canonicus Tridentinus	Germanus
R. D. Antonius Piccolus, canonicus Tridentinus	Germanus
R. D. Romulus Pincius, canonicus Tridentinus	Mantuanus
R. D. Iacobus Malanottus, vicarius spiritualis Tridentinus . . .	Tridentinus
R. D. Ioannes Arze, s. theol. doctor	Hispanus
R. D. Petrus Frago, s. theol. doctor	Hispanus
R. P. Sigismundus Phedrius, s. theol. magister, O. M. Conv. . . .	de Diruta
R. D. Melchior Bosmedianus, s. theol. doctor	Hispanus

[1] Eadem die Crescentius de hac sessione Romam scripsit. Conc. Trid. XI 626 sqq. n. 444.

[2] *van Gulik-Eubel* III 342: Alapusius. Cf. Conc. Trid. IV 616.

Saeculares, nobiles et barones:

Ill. D. Nicolaus baro et dominus Madrutii, Avii et Brentonici	Germanus	
Generosus D. Franciscus Vargas, U. J. doctor, fiscalis et consiliarius Caesaris	Hispanus	
Ill. D. Franciscus a Castelalto	Germanus	
Ill. D. Gaspar baro de Bolchenstain	Germanus	
Ill. D. Sylvius comes Portiae et Brugnarae	Foroiuliensis	
Ill. D. Clemens a Preda	Italus	
Ill. D. Balthassar de Bigha	Italus	
Nob. D. Franciscus ex comitibus Plusaschi	Turinensis	
Nob. D. Octavius Crescentius	Romanus	
Nob. D. Philippus Carolus Ghiselerius	Bononiensis	
Nob. D. Antonius Capreolus	Romanus	
Nob. D. Bartholomaeus Lippomanus	Venetus	
Nob. D. Matthias a Tramtenstorff [!]	Germanus	
Nob. D. Albertus Prangg	Germanus	
Nob. D. Gaspar baro de Vels	Germanus	
Nob. D. Antonius Cadamostus	Vicentinus	
Exc. D. Ioannes Bapt. Castellius, U. J. doctor	Bononiensis	
Exc. D. Bartholomeus de Flisco, U. J. doctor	Tridentinus	156r
Exc. D. Franciscus Particella, U. J. doctor	Tridentinus	
Magn. D. Ioannes Ethingher, cancellarius Tridentinus	Germanus	
Magn. D. Thomas Tabarella, eques aureus	Tridentinus	
Magn. D. Hieremias de Hieremiis	Tridentinus	
Magn. D. Ioannes Maria Albertus, secretarius Tridentinus	Pedemontanus	
R. D. Antonius Floribellus, secretarius R^{mi} legati	Mutinensis	

Oratio habita a R. sacrae theologiae magistro Sigismundo Phedrio Diruta[1] O. M. Conv. in suprascripta prima sessione seu resumptione sacri concilii Tridentini sub Iulio III pont. max.[a]

[b]Veni, Sancte et Paraclete Spiritus, infunde pectoribus nostris atque animis sapientiae, scientiae, bonitatis ac pietatis tuae lumen, ut depulsis tua luce errorum omnium tenebris candor veritatis effulgeat. Veni, etiam atque etiam rogamus; veni, Alme Spiritus, ecclesiarum iam pridem misere afflictarum consolator maxime atque optime, et mentes patrum reique publicae christianae ducum in hunc locum ab oriente, occidente, meridie septemque trionibus in tuo nomine congregatorum aperi, doce, illumina, inflamma, ut discussa caligine animorum oculis synceram, solidam et in sanctis literis archano Dei consilio reconditam veritatem cernentes Christi quaerant gloriam et ecclesiarum nostra culpa labentium in uno christianae suavissimae pacis osculo tranquillitatem a sanctis plane omnibus exoptatam. Valeant, qui inter nos dissidia volunt; abscindantur, qui nos conturbant haeretici, et postliminii saltem iure redeat pax aurea puritasque ecclesiarum amabilissima et concordia illa, quae oleo illo fragrantissimo, quod florentibus olim Hierosolymis fundi solebat in caput et defluere in barbam, barbam (inquam) ipsius Aaron et in oras deinde vestium illius et rore etiam illo, qui in montem Hermon et Syon descendere solebat[2]: multo suavior est atque etiam iucundior, ut regnet in nobis Deus, regnet in orbe Christus et cum utroque in magna sanctorum ecclesia vivas, floreas, ardeas ac regnes tu, amborum nexus et dulcis, aeternus ac mutuus amor, Paraclete, qui per os sanctorum ad ecclesiae doctrinam, patientiam, consolationem, spem in ecclesia loqui soles.

[a] *C 118 add.* kal. Maii 1551 [b] *C 118 praemittit* Praecatio ad Spiritum Sanctum

[1] Sigismundus Phaedrius a Diruta, ord. Min. Conv., concionator et etiam confessarius (Conc. Trid. I 213 l. 14) cardinalis Tridentini erat. Non credendum est, mera sponte munus concionandi hac die traditum fuisse ei, qui die 1. Maii 1546 totum patrum consessum duabus illis litteris, quas praelegit, graviter offenderat (Conc. Trid. I 543 l. 9—20). Forsitan ipso Sigismundo vel cardinali Tridentino, qui multis huius offensionis auctor visus fuerat (Conc. Trid. X 482 l. 19 sq.), petentibus factum est, ut Sigismundo occasio daretur aliam moderatioris et felicioris argumenti orationem pronuntiandi. Cf. de hoc viro Conc. Trid. I 486 adn. 6.

[2] Cf. *Ps.* 132, 2 sq.

Gratias tibi ago, summe pater, vobisque sanctorum votis et ecclesiarum ferme omnium lachrimis praeclare tandem aliquando faventibus, pietatis nostrae coelites, quod vestris nunc nuper auspiciis et quidem longe quam olim felicioribus, gratus mihi bonisque omnibus et iam diu ac vehementer etiam optatus illuxit dies, albo imo vero meliore ac ditiore, aureo scilicet et gemmeo lapillo numerandus, quo amplissimi ordinis amplissimum virum, christianae exoptatae pacis angelum sanctaeque Romanae ecclesiae cardinem, Marcellum Crescentium, quem absentem cogitatione venerabamur, intra moenia Tridentinae urbis et sanctos templi huius parietes, magna Romanae catholicae et apostolicae sedis auctoritate ad gubernacula oecumenici concilii, in quo[a] vos, sanctissimi patres atque optimi, in mutuo et sancto christianae suavissimae pacis osculo congregati, de ecclesiarum eru- 156v ditio|ne et instauratione bono Paracleti auspicio atque omine consulturi estis, sedentem conspicio, et quae vestra est benignitas, amor, benevolentia, favor (dii superi), quasi solem inter minora sydera ac lumina fulgentem coram et, si unquam alias, laetus intueor.

Crescenti maxime, qui omnibus virtutis ac fortunae ornamentis beatissime redundas et legatione longe omnium amplissima ornatissimis viris Sipuntis archipraesule et Veronensi episcopo comitatus pro Christo et ecclesia honorificentissime modo perfungeris, charus principi[1], qui incredibili laetitia affectus est tuo adventu, charus patribus, qui tecum idem, id est officiose atque amanter de re Christianorum publica sentiunt, carus huic urbi, cuius vel ipsa, mediusfidius, tecta ac moenia tibi advenienti obviam prodire, gratulari et gratias agere gestiebant, charus denique omnibus, qui labentem ecclesiam sartam, tectam, suffultam percupiunt, expectatusque venisti; omniaque sunt facta hoc tuo adventu laetiora ac hilariora: aureae spirant suavius; Fersina[2], quae in varios deducta rivulos urbem totam exhilarat atque abluit, plaudens tibi manibus, leniore nobis impetu atque agmine fluit; Athesis[3] amoenius undaque pellucidiore labitur; gramina blandius virent; aer lilia pluit; arbores novis floribus ornatae multo elegantiores sunt; prata herbis convestita et variis florum luminibus distincta quasi rident: sol etiam ipse clarior, quam unquam soleat, mitiore aspectu nos delectat; tota demum haec civitas sacrosanctae Romanae ecclesiae obsequiis addicta, dedita, obstricta, situ, moenibus, suburbano, hortis, magnificentia aedium Madrutiarum praed[i]olisque et villis perbelle sane et ratione exaedificatis[4], multo quam antea ornatior est atque etiam amenior; et annus (ut semel omnia complectar) formosissimus est. Dominus enim ex alto nostras vices miseratus benedixit ex Syon terram nostram *coronae anni benignitatis* suae[5], ut vidente te montes nostri atque rupes stillarent dulcedinem, colles fluerent lac et mel[6], valles frumento, pecore et bonis omnibus abundarent[7].

O quam magnifice Dominus te adveniente fecit nobiscum! Profecto nos ipsi, qui nobis ipsis non modo non assecuti tantum boni, sed vix etiam somniare videmur, facti repente sumus sicut consolati impletumque est risu et mille gaudiis os nostrum et lingua etiam nostra exultatione[8], cantu et modulationibus musice musicis. Iure igitur optimo tibi ad hanc urbem auspicato venienti de tuo adventu, quo nihil nobis aut iucundius aut optatius accidere potuisset, non modo gratulamur, sed vere etiam atque ex animo gratulamur, omenque a tuo nomine accipientes speramus omnino fore, ut Crescentio praeside magna venerabilis oecumenica Tridentina synodus, in haec usque tempora non repentina patrum voluntate, non casu, non temere aut fortuitu, sed coelesti quodam fato dilata verius quam detrusa et nuper, ut sancti haberent, cur serio exultarent, faustissimis auspiciis divi Iulii tertii pont. max., cui ecclesiarum plane omnium curae et sollicitudines praecipue atque maxime incumbunt, et summa divi Caroli Caesaris, quem maiestatis causa nomino, ad haec regum, ducum, principum, rerumpublicarum, nationum, gentium, populorum, qui 157r benevole sentiunt de lapidibus Syon et pulveris eius perexigui | miserentur, voluntate et gratia in Spiritu Sancto longe omnium potentissimo Tridenti tertio coacta magnaque tum amoris, tum etiam animorum conspiratione in Christo consentiens, invitis omnibus inferorum omnium portis — pudefient enim omnino, quotquot odio habent Syon, convertentur quoque retrorsum et erubescent, qui nobis volunt mala[9] et fucum ac negotia facere

[a] *C 123 et C 118 falso* quos

[1] Scil. Christophoro Madrutio.
[2] De Fersina flumine cf. Massarelli descriptionem civitatis Tridentinae in suo diario I, Conc. Trid. I 157 l. 4—7.
[3] Cf. Conc. Trid. I 156 l. 31 sqq.
[4] Palatium cardinalis Tridentini describit Massarellus in diario I, Conc. Trid. I 156 l. 34—157 l. 4 (cf. etiam adn. 1); 161 l. 9—15; 170 l. 44—171 l. 6.
[5] *Ps.* 64, 12.
[6] *Ioel* 3, 18; *Amos* 9, 13.
[7] *Ps.* 64, 14.
[8] *Ps.* 125, 1 sq.
[9] *Ps.* 69, 4.

conantur — pulcherrime iuxta ac beatissime floreat indiesque magis atque magis crescat, augeatur.

In primis autem, Germaniarum et suae familiae decus et tui nominis atque ordinis cardo ac rei Tridentinorum publicae princeps omnibus tum pietatis, tum eruditionis numeris absolutus, cuius dignitas atque amplitudo (ita me dii bene ament) meis hisce oculis mihi carior est, te ad nos incolumem adventasse, serio et, quod te minime fugit, intimis quoque sensibus gratulatur.

Deinde voluptate nimia, quam de tuo adventu coeperunt, exhilarati gestiunt coelestium desideriorum viri[1], qui sexto abhinc anno[2] ad instaurandam doctrinam verae pietatis, Hesperia ab ultima, extremis etiam Gadibus[3], Sardoo mari et Siculo freto in hunc locum convenerunt, sacrae scilicet et mihi [in] aeternum venerabiles superioris oecumenici necdum absoluti concilii reliquiae; Hispani atque Siculi patres, ambrosia certe et nectare alendi, quos ego propter suavitatem ingeniorum, politioris linguae delitias, insignem eruditamque pietatem, aureum pectus, gemmeos mores, denique bonarum artium ac disciplinarum plane omnium pulcherrimam orbicularem illam absolutionem, quam Graeci encyclopaediam nominant (neque enim genus restat ullum solidae, elegantioris ac purioris doctrinae, in quo non mirifice excellant), non modo veneror, admiror, amplector, sed vehementer et etiam atque etiam exosculor.

Sed quo me sermonis atque animi gestientis cursus abripuit? Quo me verbosior forte quam velles gratulatio? Dabit hoc tua humanitas, rara illa quidem, eximia et summa, Marcelle amplissime et Romulidum tui ordinis decus, qui in Tridentina oecumenica synodo unanimi totius christiani orbis consensu congregata clarissimorum praesulum Sipontii et Veronensis prudentia, consilio, auctoritate et gratia quasi stipatus sanctae Romanae ecclesiae dignitatem et decus merito sustines, meae erga te observantiae, pietati, amori. Nunc vero, sanctissimi patres, qui eruditione, pietate et gratia apud pontificem maximum, Carolum quoque Caesarem victoriis ac fide praestantem, et reges, principes atque omnes Christianorum populos mirifice valetis et mihi hodierno die linguis, auribus, oculis atque animis tam humaniter sancteque favetis, quoniam praeteriti doloris recordatio illa, quae secura est, delectationem habet, et mulier, quae pariens tristitiam habuerat, cum scitum puerum peperit et aucta est filiolo, prioris statim praessurae oblivisci solet[4], res certe ipsa omnino postulat, ut ad rem nostram, sancta nempe victricis ecclesiae epinicia, succincte ac familiaris dictionis filo stiloque pertenui et paupere ac perexiguo explananda (qui[d] facerem aliud a Gratiis et Musis plane omnibus alienus?) aliquando veniam. Adeste igitur animis, qui adestis corporibus, patres optimi, et per pietatem vestram, per quam ceu per rem maxime sacram vos hodie oro, obsecro et obtestor: audite gestientem ecclesiam et suas victorias, triumphos atque arma nabl[i]o, | cheli, fidibus, testudine, tuba, 157v timpano, *cymbalis bene sonantibus*[5], denique omnibus musicis instrumentis canentem in psalmis. Nam pressurarum omnium prorsus oblita erumpit in has voces laetitiae et gaudiorum plenas: *Protexisti me* Deus *a conventu malignantium et a multitudine operantium iniquitatem*[6]. Vero verius et certo etiam certius est, patres ornatissimi, illud Graecorum adagium, quod vulgo et passim in ore omnium ac sermone versatur: Διὰ πυρὸς καὶ ὕδατος, per ignem et aquam[7]. Per multas enim, inquit ille de coelo ad praeclaram evangelii functionem selectus, tribulationes, pericula, aerumnas, discrimina necessum est ingredi in regnum Dei[8]. Sic profecto res habet, sic contigit ecclesiae et rei nostrae publicae recens a Christo natae et ferro, carceribus, exiliis, plagis, cathenis, metallo, proscriptionibus, flammis ignibusque probatae. Per tela etenim, per hostes, per cruces milleque et amplius rerum, capitis, vitae ac fortunarum discrimina, Deo bene iuvante facienteque cum tent[at]ione [e]vectum[9], sanctis ac piis omnibus optatissimum, protecta divinitus *a conventu malignantium*, oppugnata saepius, expugnata nunquam, pietatis suae confessionem immortalitati consecravit. Arrigite, patres, optimi, benignitatis vestrae aures et videte (amabo) miram Dei bonitatem, suam ecclesiam haud quidem *corruptibilibus* veluti *auro aut argento*, sed precio magno et ditiore, *pretioso* scilicet *sanguine quasi agni immaculati et incontaminati Christi*[10] redemptam[a] *a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem* protegentis.

[a] *C 123* redemptum

[1] Cf. *Dan.* 9, 23 et saepius.
[2] Cf. supra p. 27 l. 4 et adn. 1.
[3] In Hispania meridionali.
[4] Cf. *Io.* 16, 21. [5] *Ps.* 150, 5.
[6] *Ps.* 63, 3.
[7] Cf. *Ps.* 65, 12: *Transivimus per ignem et aquam.*
[8] Cf. *Act.* 14, 22. [9] Cf. *1 Cor.* 10, 13.
[10] *1 Petr.* 1, 18 sq.

Vixdum a lacte atque uberibus (ut ita dicam) depulsa erat ecclesia et ecce (o facinus indignum) adversus doctrinam fidei et pietatis nostrae confessionem adhuc teneram, vagientem in cunis et vix oppido natam, mundus totus omnibus suis praesidiis armatus et a malo genio harum tenebrarum non tam principe quam tyranno, callida sese metamorphosi in angelum lucis transfigurante effascinatus, non solum scelerate, verum etiam nepharie conspiravit per Iudaeos primum, qui arcem religionis tenere videbantur et praetextu religionis ac pietatis adversus omnis verae pietatis et religionis fontem hostiliter sane et pluribus atque maximis proeliis decertarunt. Sed protexit Deus nascentis christianae rei cunabula *a conventu malignantium* Iudaeorum, Saulo Iudaicae perfidiae duce et minas undique caedesque spirante[1], prostrato et capto; ereptaque est sanctorum communio in divo Petro, senatus apostolici principe, *de manu Herodis et de omni expectatione plebis Iudaeorum*[2]. Dein religionis nostrae pietatem oppugnare est aggressus per philosophos omnis doctrinae genere pollentes, per sophistas disputandi pertinacia invictos, per rethores eloquentiae viribus admirabiles, per tyrannos omni genere saevitiarum armatos, per reges, praesides, magistratus, postremo per magos et praestigiarum artifices, tandem per daemones huius mundi dominos; quos quidem omnes omnium tumultus, seditiones, oppugnationes, impressiones velut inundans malorum pelagus rei christianae publicae quidem quasi scopuli servator[a] Iesus et apostoli, pietatis nostrae linguae atque oculi, studentes *servare unitatem spiritus per vinculum pacis*[3] cum sua doctrina, multae virtutis efficacia[b] spiritus et flammarum plenissima exceperunt, sustinuerunt, perruperunt, devicerunt. Ad eorum 158r nanque evangelicam praedicationem, cui neque resistere ullo unquam modo neque contradicere omnes adversariorum copiae et phalanges potuerunt (dabat nimirum Dominus *voci suae vocem virtutis*[4] et *verbum* sincere *evangelizantibus virtute multa*[5]) omnia humanae calliditatis et sapientiae simulachra, et libri omnes nostrorum hostium vel eruditissimorum, qui summo aliquando ingenio, mirabili eruditione, exquisita etiam facundia scripserunt adversus fidei, doctrinae et relligionis nostrae pietatem, veluti somnia quaedam et inanes somniorum umbrae evanuerunt, adeo ut ne extent quidem, nisi si qua fragmenta, qualia forsan Iuliani, tanquam vanae obsidionis atque oppugnationis testimonia servata sint a Christianis[6]. Fecit enim Deus potentiam et robur per brachium[7] suum nostrorumque hostium potentissimorum iuxta ac infensissimorum arma, potentias, arcum, scutum, gladium bellumque confregit, ut pubescentem ecclesiam protegeret *a conventu malignantium*.

Proinde monarchae et reges, quod prius armis impugnaverant, supplices summaque religione adoraverunt. Magica vis evanuit; mendaces etenim et vanitatis ac superstitionis plenae Delphica et Pythia tripodes, Iupiter Ammon, lebetes et, quicquid usquam erat oraculorum, diviniori numini Paracleti Spiritus cessere, daemones, quamvis armati, a fortiori profligati sunt heroe. Philosophi suorum dogmatum studiorumque pertaesi suam inscitiam vulgo et passim confessi sunt et a porticu, a lycaeo, ab academia, a Chrisippi spinetis, *ab elementis mundi huius*[8], a tenebris et Belial ad ecclesiam et veram christiani orbis lucem, servatorem Christum, honestissime laudatissimeque et multo etiam cum foenore deficientes, relicta caeca et stolida sapientia mundi huius stultitiae crucis[9] sapienter adhaeserunt. Rethores foro, rostris et curiae ultro cedentes scripserunt encomia Iesu Christi, verum puriore et sanctiore stilo, qui scilicet christianae ditionis simplicitatem docet, nempe sine pigmentis fucoque rethorico; neque enim decent christiane dicentem rethorum cincinni et fucus. Poetae Aoniis montibus et Haelicone deserto nec Menalum ultra nec Tmoli vineta[10] neque friggida Thessala Tempe[11], sed Tabor, Syon et Hermon cecinere et gentium diis exsibilatis[c] pro innumeris et commentitiis Deum verum de Deo vero, unicum Dominum Iesum Christum ex Patre Deo ante omnia saecula natum, sine ullis fabularum involucris, non Musis aut Apolline, sed Spiritu Sancto favente, afflante adeoque impellente decantarunt, metro denique et libera oratione hebraice, graece, latine et omnibus omnium gentium ac nationum

[a] *C 123 falso* servato [b] *C 118 et C 119* efficaciae [c] *Codd.* exhibilatis

[1] Cf. *Act.* 9, 1. [2] *Act.* 12, 11.
[3] *Eph.* 4, 3. [4] *Ps.* 67, 34.
[5] *Ps.* 67, 12.
[6] Cogitat de Iuliani Apostatae libris «Contra Galilaeos», qui in opere Cyrilli Alexandrini «Pro sancta Christianorum religione adversus libros athei Iuliani» ad partem saltem ad nos pervenerunt. *O. Bardenhewer* IV 58 sqq. et III 14 adn. 1. Sed alii Iuliani libri integri servati sunt. Cfr. *Lexikon für Theologie und Kirche* V 708. [7] Cf. *Luc.* 1, 51.
[8] *Col.* 2, 20. [9] Cf. *1 Cor.* 1, 18.
[10] Montes Tmoli in Lydia vino celebres erant. *F. Lübker*, Reallexikon des klassischen Altertums[8] (Leipzig-Berlin 1914) 1051.
[11] Angustiae inter Olympum et Ossam montes, quas Peneus flumen percurrit. *F. Lübker* l. c. 1018.

linguis illustratum Christi nomen; et protecta divinitus est ecclesia *a conventu malignantium* atque ovans, immo vero triumphans terribilisque, ut castrorum acies solet ordinata [1], spoliis nostrorum hostium et manubiis onusta *per desertum ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pygmentarii* [2].

Quamvis igitur a primis nascentis christianae rei atque ecclesiae temporibus adversus pauculos et humiles ad haec non fucatos, non fallaces, non eruditos ullo simulationis artificio et bonarum quae dicuntur artium ac disciplinarum splendide ambitiosarum omnino rudes sineque literis et idiotas christianae orientis academiae alumnos Iudaeorum zelus, Pharisaeorum supercilium, sacerdotum autoritas, | barbaria omni immanior tyrannorum 158v
saevitia, tum regum quoque legibus, edictis, copiis armata potestas, magorum praestigiae, philosophorum eruditio, haereticorum seditio infremuerint et iunctis perfidiae umbonibus, ut qui adversus evangelii pietatem foedus scelerate percusserant, in castra Dei viventis irruperint milleque validissimis sathanae machinis a fronte, a tergo, a lateribus oppugnata sit olim ecclesia, Domino nihilosecius conatus hominum atque actiones vi quadam archana, qua omnia fortiter attingit suaviterque disponit [3], attemptante factum est, ut suppliciis et mortibus creverit invalueritque nostra pietas et religio; impiorum philosophorum ac sophistarum oblatrationibus confirmata sit evangelica philosophia, non oppressa; magorum praestigiae Christi divinam virtutem illustrarint, in apostolis et maioribus nostris magnifica Dei, prodigia nempe et signa, operantem; quae in ecclesiarum perniciem dolo certe malo et mille etiam artibus moliebantur schismatici, piorum concordiam arctius iunxerint ac velut in phalangem cuneumque redegerint; impia haereticorum dogmata piorum ingenia ad sanctas literas peritissime scrutandas compulerint; et divino consilio evenit, ut, dum Iudaei zelo Dei, sed non secundum scientiam [4] pugnant adversus evangelium, certius cognoverimus, antiquatas esse legis umbras, et illustrata est evangelii gloria; rursus dum persequutor ignominiis, cruciatibus, mortibus et quibus non suppliciis atque poenis conatur fidem in Christum extinguere, fidem auxerit, charitatem accenderit, spem sanctorum multo firmiorem reddiderit et piorum tollerantiam, dum ferro illam et carceribus et flammis exercet, illustrarit. Postremo dum haereticorum argumentationibus, cavillis, impietatibus agitatur, doctior reddita atque etiam illustrior (nam Dei amantibus omnia simul adiumento sunt in bonum [5]), magis uti didicit armatura literarum sanctarum et nobis posterisque omnibus loricas [a], scuta, pharetras, sagittas et telorum omne genus adversus omnes omnium temporum atque aetatum hostes et ad cognitionem omnem erigentem sese adversus consilium Dei facile deiiciendam fabricavit. Ad haec confirmata est impugnata veritas, exclusa a piscatoribus attica eruditio et ecclesia magna, unde *mille clypei pendent*, et panoplia fortium ex fortissimis Israel, qui tenent gladios et sunt *ad bella doctissimi* [6], domito Iudaeorum supercilio, subactis regibus, devictis gentibus, superatis philosophis, debellatis sophistis, magis ex omni penitus Christianorum orbe profligatis, principe mundi huius eiecto foras [7], Sathana per annos mille et amplius ligato [8], compressis haereticorum tumultibus, schismati[ci]s, ut ad frugem longe meliorem aliquando redirent, suis agris urbibusque mulctatis, protecta est *a conventu malignantium.*

Sic Domino placuit sicque visum est Spiritui Sancto, orphanorum omnium plane Paracleto, arcus nostrorum hostium promiscue omnium conterere, arma confringere, scuta denique igni comburere [9], ut in multos annos tutam pacem haberemus, quo *sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviremus illi in sanctita te et iustitia coram ipso* 159r
omnibus diebus nostris [10]. Proinde, patres optimi atque ornatissimi, qui [b] thesauris domus Domini novissimae et multo, quam prior unquam fuerit, illustrioris sanctissime praeestis: durate (inquit ille) et vosmet rebus secundis ac melioribus servate [11], eruntque vobis prava omnia in directa et aspera cuncta in vias planas [12]. Id mihi certe praesagit animus; id vobis etiam reique Christianorum publicae auguror et mihi, ut ne unquam a tanta spe, quam omnino in manibus habemus, nostra forsan culpa excidamus. Profecto qui iam olim ab initio miris ecclesiam modis protexit *a conventu malignantium,* a synagoga potentium [13] et a tabernaculis Idumaeorum [14], nostris quoque temporibus, quanquam miseris et turbu-

[a] *C 118 et C 119* loracas [b] *Codd. add.* ex

[1] *Cant.* 6, 3 et 9.
[2] *Cant.* 3, 6.
[3] Cf. *Sap.* 8, 1.
[4] Cf. *Rom.* 10, 2.
[5] Cf. *Rom.* 8, 28.
[6] *Cant.* 4, 4 et 3, 8.
[7] Cf. *Io.* 12, 31.
[8] Cf. *Apoc.* 20, 2.
[9] Cf. *Ps.* 45, 10.
[10] *Luc.* 1, 74 sq.
[11] *Virgilius,* Aeneis I 207: «Durate et vosmet servate secundis.»
[12] Cf. *Is.* 40, 4.
[13] Cf. *Ps.* 85, 14.
[14] Cf. *Ps.* 82, 7.

lentissimis, ut ne amplius circunferamur omnibus omnium doctrinarum ventis[1] pauloque momento huc illuc, ut quisquiliae et festucae solent, impellamur et quovis euripo longe instabiliores vicibus irrequietis sursum deorsum volvamur et revolvamur: proteget sineque ullo negocio et certe pro nihilo salvam faciet[2] venerabilem Occidentis senectam, nisi ea forte somnio, quae vigilans vehementer exopto et maxime etiam volo, aut abbreviata sit manus Domini[3], ut salvare nequeat vel certe nolit (proiecturus fortasse illam in tempore senectutis[4]) *a multitudine operantium iniquitatem,* et res nostrae omnes, imo vero Christi et ecclesiarum omnium ferme labentium Dei benignitate ac dono, qui nos custodit *ut pupillam oculi*[5], statim in vado et tranquillo erunt.

Quamobrem sitis bono animo, viri patres. Hoc enim vobis spondeo et sanctissime etiam recipio, quod Deus et Pater D. N. Iesu Christi, qui *diligit portas Syon super omnia tabernacula Iacob*[6], recordatus tandem aliquando viscerum misericordiae suae[7], *propter miseriam inopum, gemitum pauperum*[8] et sanctorum lachrimas, *ut ostendat in saeculis* quoque nostris *abundantes divitias gratiae suae*[9], memor erit nostri omnique benedictione spirituali in coelestibus in Christo domui Israel, familiae quoque Aaron et sanctis promiscue omnibus plenis de coelo manibus, hoc est cumulatissime, benedicet, ut sedeamus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciae et in requie opulenta. Urgete, sanctissimi patres, perficite, absolvite (ut ne latius serpant dissidia atque haereses) apertum a vobis iterum oecumenicum concilium; date voces in medio petrarum[10], montium atque amnium; seminate in lachrimis, in exultatione messuri[11]; nam *Deus pacis conteret sathan sub pedes vestros brevi*[12] cadentque a lateribus vestris mille decemque et amplius a dextris millia[13] et ad propria gaudio pleni redeuntes manipulos referetis[14] exspectatione vestra longe plures. Implete igitur gaudium nostrum; et ipsi, qui ingemiscentes expectamus beatam hanc spem[15], nempe ut nostris hisce oculis videamus claritatem Hierusalem, beati erimus, si vestro nobis studio ac pietate donetur, ut portae Hierusalem et aperturae murorum eius ex saphiro, smaragdo et omni lapide praecioso reaedificentur[16], ut *ex lapide candido et mundo omnes*
159v *plateae eius ster|nantur et per vicos eius halleluya*[17], canticorum omnium canticum multo suavissimum, ab ore infantium, lactentium[18], iuvenum ac senum noctes, dies et iugiter decantetur.

Quod reliquum est et ad concilium[a] fauste ac feliciter absolvendum tam pertinet, quam quod maxime, patres amplissimi, praeparemus corda nostra[19] et sacris primum rite peractis, praeparata levemus effundamusque coram Domino viscera omnia pietatis et misericordiae nostrae pauperibus et inopibus ultro hilariterque aperientes: quae tamen omnia, patres ornatissimi, sine venditatione et sine populo teste faciamus, non quo fugiendus sit (omnia enim praeclare facta in luce collocanda sunt, ut glorificetur Pater[20]), sed quoniam nullum theatrum virtuti ac pietati conscientia maius est, neque ullus recte factorum testis locupletior Deo et Patre, qui non externa modo, sed nos et nostra omnia vel penitissime, etiam abdita et in venis, in medullis ac visceribus latentia, perspicue et clarissime videt in abscondito *tabernaculi admirabilis*[21]. Omnia igitur nostra in fide et charitate fiant, si Deo ipsi placere studemus et fumum aromatum nostrarum precum, sacrificiorum, eleemosinarum, operum, oblationum in conspectu Dei, ut videlicet litet, ascendere optamus. Nimium enim delirant ii, qui caeteris omnibus viventis fidei luce et charitatis flamma extinctis, tantummodo propter munera multo sese acceptiores Deo esse dicunt. Adeamus igitur cum fiducia et puris precibus ad tronum Dei[22], pia vero oratio et nubes et sydera penetrans[23] ea est, quae in pectore candido animoque syncere humili radices habet et meditatio est cordium nostrorum verius quam vox, quae si ab imo proficiscatur pectore, phiala aurea est, plenissima odoramentorum[24] et thuris, quod in igne charitatis sanctissime ardens sensim eliquatur in fumum multo fragrantissimum, quem in conspectu suo directum odoratur Dominus quasi odorem eximiae cuiusdam et iucundae suavitatis[25]; et Dominus, syncero a nobis pectore, hoc est in veritate invocatus[26] et candidiore puri cordis simplicitate quaesitus (neque enim maria traiicienda sunt aut penetrandae nubes aut

a *Codd.* concilii

1 Cf. *Eph.* 4, 14. 2 Cf. *Ps.* 55, 8.
3 Cf. *Is.* 59, 1. 4 Cf. *Ps.* 70, 9.
5 *Ps.* 16, 8. 6 *Ps.* 86, 2. 7 Cf. *Luc.* 1, 54.
8 *Ps.* 11, 6. 9 *Eph.* 2, 7.
10 Cf. *Ps.* 103, 12. 11 Cf. *Ps.* 125, 5.
12 *Rom.* 16, 20. 13 Cf. *Ps.* 90, 7.
14 Cf. *Ps.* 125, 5. 15 Cf. *Tit.* 2, 13.
16 Cf. *Apoc.* 21, 19 sqq. 17 *Tob.* 13, 22.
18 Cf. *Ps.* 8, 3. 19 Cf. *1 Reg.* 7, 3.
20 Cf *Matth.* 5, 16. 21 *Ps.* 41, 5. 22 Cf. *Hebr.* 4, 16.
23 Cf. *Eccli.* 35, 21. 24 Cf. *Apoc.* 5, 8.
25 Cf. *Gen.* 8, 21. 26 Cf. *Io.* 4, 23.

superandae Alpes et montium iuga, ut Deum inveniamus, qui *prope est omnibus invocantibus eum, invocantibus,* inquam, *in veritate*[1]) pro sua in nos benevolentia ac pietate protecturus ecclesiam suam *a conventu malignantium* haereticorum, qui vulpecularum instar vineas Engadi[2] bene alioqui florentes tanto ecclesiarum malo et rei publicae christianae detrimento demoliri student[3], dexter nobis omnino ac benignus aderit. Dixit enim scriptura: *Clamaverunt iusti et Dominus exaudivit eos et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos*[4]. Et iterum: Clamaverunt ad te, Domine, in tempore afflictionis suae et tu de coelo exaudisti eos[5].

Sed quid ego homuncio indoctus neque ullo prorsus modo dignus, imo vero plane nullus, qui neque graece neque latine, neque phisice neque theologice satis calleo et eorum, quae lego aut dico aut audio aut scribo, millesimam partem vix intelligo, noctuas Athenas? Praecipue cum in ea synodo benevolentis Dei dono et vestro favore sim, in qua non modo vos, qui opportune adestis, sanctissimi patres, lumina ecclesiarum atque ornamenta, sed aulaea, parietes etiam ipsi et tapetia (quod quidem inficiari minime possum) | et plura 160r
et ornatiora et ad rem maxime facientia loqui posse videntur. Verum charitatis favonius, simplicis etiam veritatis non fucatus amor et ardens innovationis nostrae desiderium huc me impulerunt. Vestrae erit pietatis, eruditionis atque etiam humanitatis, hanc mei ingenii paupertatem, hanc consilii, doctrinae, iudicii inopiam, hanc stili balbutiem et dictionis infantiam boni consulere. Dicta enim hactenus ab animo profecta sunt rei christianae publicae amantissimo, qui christianae synodi fructum, id est emendatioris maximeque purgati Christianismi laetissimam in sanctis osculis concordiam a vobis omnibus et certo et vehementer etiam expectat. Namque ex vultu vestro atque oculis et fronte (ut aiunt) vestrum erga rem publicam christianam amorem optime perspicio.

Reliqua vero omnia, quae ad doctrinam ac pietatem instaurandam et ovem drachmamque misere perditam[6] Germaniam, paternae charitatis ac dilectionis itineribus comperiendam et pacis artibus ad nostra ovilia adducendam maxime pertinent, et ipsi, qui adestis, probe scitis et superioribus comitiorum annis pleniore vobis canali plus centies, plus quam millies fluxerunt per ora Deo plena disertissimorum atque etiam eruditissimorum patrum, qui in lingua et in pectore habuerunt Spiritum Christi rectum, sanctum, principalem, bonum, dulcem, melle, mellis favo, saccharo omni et ipsa etiam suavitate suaviorem, quos ego quoties dabatur audire (dabatur autem eorum gratia et benignitate frequenter), mihi certe ipsi non homines, sed pietatis nostrae fontes, ditissimos christianae doctrinae thesauros atque omnium sacrorum voluminum thecas videbar audire loquentes. Erat enim filus[a] dicenti[b] aureus et plena literatae pietatis oratio; nam de thesauro pectoris quasi de penu quodam et evangelicae coelestis copiae cornu affatim et luculenter nova et vetera depromebant[7]. Non est igitur, cur ego, semissis certe et nullius frugi atque eruditionis homo, vestras aures atque animos longiore oratione frustra obtundam. Faxit Pater Deus, Optimus ille quidem et Maximus, ut sanam aliquando et salvam rem christianam publicam, cuius salute, pace, concordia atque ocio dignitatis pleno nihil vobis esse debet antiquius, vestra tum ope tum opera videamus. O ita res beatissime habeat. Dixi.

[c]Et quia ego Angelus Massarellus de S. Severina Camerinensis diocesis, sacri concilii secretarius et prothonotarius apostolicus, praemissis omnibus et singulis interfui et praesens fui eaque in notam sumpsi, ideo hic manu mea propria subscripsi in fidem etc.

[a] *C 119* filius [b] *C 118 et C 119* dicendi [c] *Legitur nonnisi in C 123.*

[1] *Ps.* 144, 18. [2] *Cant.* 1, 13. [3] Cf. *Cant.* 2, 15. [4] *Ps.* 33, 18. [5] Cf. *Ps.* 106, 6 et passim. [6] Cf. *Luc.* 15, 4—10. [7] Cf. *Matth.* 13, 52.

ACTA SACRI CONCILII TRIDENTINI

post primam sessionem sub Iulio III pont. opt. max.

Adventus archiepiscopi Granatensis. Conc. 118 48v

3. Maii.

[Vide Conc. Trid. II 229 l. 33 sq.]

Adventus episcoporum Legionensis et Ovetensis.

6. Maii.

[Vide Conc. Trid. II 230 l. 2 sq.]

Vesperae concilii in vigilia Ascensionis Domini.

6. Maii.

[Vide Conc. Trid. II 230 l. 4—7.]

Missa concilii in festo Ascensionis Domini. 50r

7. Maii.

[Vide Conc. Trid. II 230 l. 8—11.]

Oratio habita a D. Petro Frago[1] Hispano ad patres concilii in festo Ascensionis Domini 1551.

Verum illud planeque compertum experiri soleo, R^{mi} et Ill^{mi} praesules, pastores vigilantissimi vosque eruditissimi viri, quod Christus redemptor noster nosterque institutor nostrae nos imbecillitatis paterne admonens discipulis suis nobisque sub eorum persona non obscure loquitur, nihil nos sine eo posse facere[2]. Unde et Paulus, *electionis vas*[3], negat prorsus sufficientes esse nos, non dico facere, ut in evangelio legimus, sed ne *cogitare* quidem *aliquid a nobis quasi ex nobis*[4], quod sufficientia nostra universa non aliunde sit quam *a Patre luminum,* unde *omne datum optimum et omne donum perfectum*[5] descendit et proficiscitur. Egoque meae conscius infirmitatis et imperitiae, cum difficillimam hanc et omnino imparem meis viribus provinciam magnoque convicio obtrusam evitare non potuerim, nescio profecto, patres amplissimi, quo me tandem vertam. Non enim mediocriter perturbor, dum huius auctoritatem loci contingo, qui non nisi eruditissimo cuique et ad dicendum exercitatissimo patere solet.

Nisi forte suplex ego ad te, Domine Iesu, aeternum Patris lumen et virtus, in densissimis hisce inscitiae[a] tenebris meaque hac trepidatione confugiam. Qui humani

[a] *P add.* meae

[1] Familiaris erat episcopi Pacensis. Eius oratio iam anno 1551 Venetiis typis excusa est. Quae editio in omnibus fere cum codicibus concordat. Postea in aliquibus locis correcta eodem anno Venetiis iterum edita et anno 1552 editioni Venetianae decretorum et orationum concilii inserta est. Secundae editionis textum editiones recentiores (Lovaniensis a. 1567 p. 51—60; *Labbeus* XIV 1044—1057; *Le Plat* I 151—160) sequuntur (= P). Ut infra p. 53 l. 20 sq. adn. a vides, codices pauca verba omittunt, quae in editione prima leguntur et quae omitti non possunt, quin sensus turbetur. Sed quia verba illa omissa includuntur inter verba *altera-altera,* quae in editione prima eodem fere loco duarum linearum immediate sequentium leguntur, supponi potest Massarellum orationem ex editione prima in codices transcripsisse et oculi vitio aliqua verba omisisse. Nihilominus exhibemus textum codicum, quia sunt Actorum forma authentica; in iis tamen locis, in quibus textus codicum corruptus esse videtur, editiones sequimur. In Bibl. Vat. exstat exemplum primae editionis, cuius textus manu aliqua in margine in formam textus secundae editionis redactus est; quae emendationes in aliquibus locis cum secunda editione non concordant, ut in notis adnotabimus.

[2] Cf. *Io.* 15, 5.

[3] *Act.* 9, 15.

[4] *2 Cor.* 3, 5.

[5] *Iac.* 1, 17.

50v generis misertus *habituque* | *inventus ut homo*[1], ut hominem, natura irae filium, ex crudelissimis daemonum faucibus eriperes, caecis visum, claudis ingressum, aegrotis salutem, mutis denique loquendi facultatem restitueres[2]. Quique eligens infirma mundi, ut fortia quaeque confundas[3], Mosen balbum[4], Hieremiam puerum[5], rusticos et piscatores infusa divinitus sapientia instruxisti et cumulasti, obtrusum os meum aperire et implere raptoque ex altari divinitatis tuae calculo polluta labia mea mundare digneris, ut nonnihil de sacratissimo ascensionis tuae ad Patrem tuum et Patrem nostrum mysterio in honorem tuum nostramque utilitatem commemorare possim.

Caeterum quoniam nequissimus servus dominum, imbecillissimus[a] omnipotentem, peccator iustum, reus iudicem adire non audeo, agedum advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte[6], et[b] quae venenosae ac pestiferae serpentis caput, illatam humano generi iniuriam ulta, contrivisti[7], ad Dei hominumque mediatorem primogenitum tuum mediatoris officio et ipsa fungitor[c], ut sacrosanctum hoc concilium, unde universa reipublicae christianae salus et restitutio pendet, dirigere mentesque omnium cum nostras, tum eorum, qui ad haereses et schismata, quae nostra (malum) per tot annos videt aetas, daemonis fascino conversi a veritate auditum avertunt[8], illustrare velit, ut et vos, patres sanctissimi, salutaria hisce nutantis ecclesiae temporibus consilia ineatis; et illi patefactis capitalissimi hostis insidiis, ad veritatis agnitionem revertantur. Atque ut commodius id et facilius exoremus, defixis humi genibus angelicam beatissimae virgini salutationem de more offeramus: *Ave Maria, gratia plena* etc.

Interim vero, ut brevius minoreque cum molestia vestra id quicquid est peragi possit, patres amplissimi, decantatum in sacro faciundo evangelium iam pronunciabo[d]: et quoniam in eo evolvendo atque explicando utilia fortasse nonnulla minimeque ingrata ad-
51r ferentur, oro | vos per ascendentem hodie redemptorem nostrum, ut, dum ea paucis percurro, et me attente audiatis et solita vestra humanitate et benevolentia sublevetis.

In illo tempore, recumbentibus undecim discipulis apparuit illis Iesus[9] etc.

Apparuit (inquit). Agedum, quisnam qui apparuit? Is nempe, qui coeternus est Patri ac (licet crepet Arrius) consubstantialis, per quem et facta sunt saecula[10]; ⟨is, qui hominem singulari beneficio ad imaginem similitudinemque suam fecit[11]; is, qui⟩[e] contaminatum nephariis sceleribus orbem, exceptis octo, quos mystica tuebatur navis, cataclysmo[f] absumpsit, et quadam veluti baptismi figura expurgavit[12]; is, qui Abraamo amico suo, oblato circumcisionis signaculo, promisit in eius semine omnes gentes benedictum iri[13]; is, cuius admirabili dispensatione castus ille et pius somniator Ismaelitis in Aegyptum divenditus atque abductus, ut per eum innocentissimus pater et illi ipsi nepharii sceleris auctores conservarentur[14]; is, qui populum suum in alieno solo tot saecula protexit, eumdemque afflictum per tot prodigia et portenta ex ⟨iniquissima servitute⟩[g] asseruit; ⟨is, qui Israelitas⟩[h] in summa deserti penuria, manna caelitus mirabiliter demisso, et iocundissimis aquarum fluentis quasi melle de petra saturavit[15], traditaque in Sineo monte lege[16], in terram promissionis melle ac lacte manantem[i], exactis inde habitatoribus, introduxit[17]. Sed quid ego haec tam vetera commemoro? Is, patres gravissimi, is (inquam) est, qui dissipata iam lege sceptroque de[k] tribu Iuda et duce de femore eius ablato, a patriarchis prophetisque tantopere expetitus[18], plenitudine temporis adveniente, missus a Patre et apud Patrem perpetuo manens, *factus* est *ex muliere, factus sub lege, ut eos, qui sub lege essent, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*[19].

Quin ut suo nos exemplo humilitatem, virtutum omnium parentem, doceret, orbis caelorumque fabricator, *portans omnia verbo virtutis suae*[20] locum sibi in diversorio deesse
51v voluit, ut in praesepio nasceretur. Hic primum exortus iustitiae sol | mundo apparuit. Hic nobis[l] primitias sui sanguinis in circumcisione fudit. Hic suo nobis baptismo ditavit

[a] *P* imbecillimus [b] *Codd.* ut [c] *Codd.* fungito [d] *Codd.* pronunciando
[e] *In exemplo primae editionis manu aliqua emendato (cf. supra p. 45 adn. 1) legitur in margine* quique homine singulari beneficio ad imaginem similitudinemque suam facto; *reliquae edd.* is, qui hominem . . . facto [f] *Codd.* catechismo [g] *In C 119 corr. ex* antiquissima virtute
[h] *P* quem [i] *P* manenterm [k] *P* ex [l] *Codd.* nos

[1] *Phil.* 2, 7. [2] Cf. *Matth.* 11, 5.
[3] Cf. *1 Cor.* 1, 27. [4] *Ex.* 4, 10. [5] *Ier.* 1, 6.
[6] Ex hymno *Salve Regina* S. Bernardi.
[7] Cf. *Gen.* 3, 15. [8] Cf. *2 Tim.* 4, 4.
[9] Evangelium in festo Ascensionis Christi: *Marc.* 16, 14—20.
[10] *Hebr.* 1, 2. [11] *Gen.* 1, 26 sq.
[12] *Gen.* 7, 7 sqq.; *1 Petr.* 3, 20 sq.
[13] *Gen.* 12, 3. [14] *Gen.* 37 et 45, 5 sqq.
[15] *Ex.* 15, 22 sqq.; 16 et 17. [16] *Ex.* 19 et 20.
[17] *Ios.* 1—4. [18] Cf. *Gen.* 49, 10.
[19] *Gal.* 4, 4 sq. [20] *Hebr.* 1, 3.

aquas et sanctificavit[1]. Hic nobis ieiunavit atque exurivit. Hic dum seminat semen suum nostramque salutem architectatur, et *Samaritanus* per summam blasphemiam audit, et quasi daemonium habens exagitatur[2]. Quid de ludibriis, quid de verberibus? Quid de sputis colaphisque commemorem? Quibus nostra ipse causa patienter toleratis, in cruce[a] clavis confixus sublimis apparuit, ut qui serpentinis vel afflatibus vel morsibus ⟨fueras ictus, eo conspecto misericorditer sanarere⟩[b]. Unde et mortem tibi, *mortem autem crucis*[3] subiit, ut tu ab inimico captus et irretitus, qui primi parentis tuaque offensione et casu exultabat, saluberrima Christi morte ex eius laqueis elabereris. Is igitur, patres amplissimi, recumbentibus undecim discipulis apparuit. Qui quidem magnam profecto spem nobis excitavit, se iis, qui orationis[c] et caritatis officio operam navent, affuturum, qui cibum sumentibus atque etiam incredulis tam officiose apparuerit[4]. Novit siquidem figmentum ipse nostrum[5], et cum irascitur, misericordiae recordatur[6]. *Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, probatum per omnia, pro similitudine absque peccato*[7]. Tolle siquidem delicti maculam, in cuius ore nec dolus[8] nec doli suspicio inventa est, caetera iisdem quibus primus parens incommodis fuit expositus. Quin ne ea quidem ipsorum incredulitas esse nobis potest infructuosa. Nam et Thomas sua illa pertinaci trepidaque hesitatione inflictorum cicatrices vulnerum attrectavit[9] et eadem opera omnem nobis dubitationis nebulam[d] occasionemque discussit. Optime siquidem nostris perturbationibus et periculis est consultum, quae postea exorirentur, quod adversus occultos daemonum insultus, impiorum calumnias et terrenae argumenta sapientiae eorum ipsorum, qui ad credendum fuerunt cunctantiores[e], et aspectus nos instruat, erudiat auditus et attactus | confirmet, 52r
adeo ut (iuxta Leonem) dubitatum sit ab illis, ne nos ipsi dubitaremus[10]. Unde D. Gregorius multo amplius immodica Thomae apostoli dubitatione, quam prona et facili Magdalenae credulitate[f] se adiutum profitetur et affirmat[11].

Neminem interim offendat, si Redemptor noster a suis iam iam digressurus non modo non eos consoletur, verum etiam repraehendat et increpet[12], quum[g] regere dictis afflictos discipulorum animos et plena moeroris pectora mulcere esset opus. Nam praeterquam quod id magna illa ad credendum hebetudo et tarditas postulabat, altius certe ac tenacius ea erant, praesertim tam necessaria, eorum mentibus inhesura, quae in suo suis magister abitu inculcaret. Mirabile tamen dictu, repraehenduntur vehementius et increpantur; at nulla, ne minima quidem, vel indignationis vox vel significatio intelligitur, correctionis autem tanta, ut cum paulo ante trepide et diffidenter Dominum comitarentur vel potius ingratissimeque[h] desererent, nihil fuerit illis in posterum optabilius, nihil gloriosius, quam ut[i] eo iam corporaliter absente pro eius nomine ac fide tuenda et contumelias et extrema paterentur.

Decerpamus, obsecro, fructum ex illustri hoc piae moderationis exemplo, commodum nobis et salutarem, ut ea in universos quidem, erga eos tamen potissimum utamur[k], qui suscepta salutis nostrae cura et sollicitudine, constituti a Spiritu Sancto episcopi et Christi vicarii, nullos non labores et aerumnas pro animabus nostris tolerantes, attentissime vigilant.

Aversemur autem et detestemur Caimum, Saulem, Acabum[13], Simonem, Arrium, Lutherum, Vergerium[l] reliquosque id genus superbientis ac Deo[m] se aequantis Luciferi discipulos, quibus nepharia animi pravitate contumacia pro poenitentia ex scelere oritur. Unde[n] peccata peccatis cumulantes, recte[o] in praeceptoris sui baratrum praecipitantur et ruunt, praesertim quum, patres amplissimi, (sicut et ethnicus ille ait) solo vultu laedatur pietas[14]. Unde namque innumerabiles hae | calamitates et incommoda in rempublicam chri- 52v
stianam invecta? Unde superseminata creverunt zizania[15]? Undenam haereses pullularunt, quam ex praesulum et magistratuum contemptu et negligentia? O tempora, o calamitosam

[a] *Ed. prima add.* tibi; *P add.* universo orbi
[b] *P* essemus icti . . . sanaremur; *etiam in sequenti prima persona pluralis utitur.* [c] *P* orationi
[d] *Codd.* maculam [e] *Codd.* cunctatiores [f] *P* crudelitate [g] *P add.* ceteroqui et
[h] *P add.* timidissimeque [i] *P* in [k] *P add.* cum vel solo vultu (ut ille ait) laedatur pietas
[l] *P om.* [m] *P add.* etiam [n] *P* hinc [o] *P* recta

[1] *Tertullianus,* Adversus Iudaeos cap. 8. *Migne,* P. lat. II 615. [2] *Io.* 8, 48. [3] *Phil.* 2, 8.
[4] *Luc.* 24, 13—35. [5] *Ps.* 102, 14.
[6] *Is.* 97, 3. [7] *Hebr.* 4, 15.
[8] Cf. *1 Petr.* 2, 22. [9] *Io.* 20, 27.
[10] *Leo Magn.,* Sermo 73 de ascensione Domini. *Migne,* P. lat. LIV 395.
[11] *Gregorius Magn.,* Homilia 29 in evangelia. *Migne,* P. lat. LXXVI 1213. [12] *Marc.* 16, 14.
[13] Scil. Achab, rex Israel, qui servivit Baal. *3 Reg.* 16, 29—33.
[14] *Cicero,* Pro Sex. Roscio Amerino oratio 13, 37: «Vultu saepe laeditur pietas.»
[15] Cf. *Matth.* 13, 25.

christianae reipublicae conditionem et miserabilem rerum faciem! Audent hi[a] nequissimi homines ac suae salutis prodigi, veluti Cham, patris negligentius dormientis pudenda detegere[1], et quasi ius in suarum animarum parentes habeant, ita eos traducunt, ita[b] exagitant, ut non tam ipsos quam delegatam a Deo potestatem (quae enim potestas non a Deo[2]?) turpissimis probris et contumeliis onerent. O vos miseros, qui tam procaciter christos Domini tangitis et violatis, qui tam impie in Dei prophetis malignamini[3]. Ecquid aliud vos quam horrendi Chami exilium[4], quam Semei[c] interitus[5]? Quid denique aliud quam praecipitium Iezabelis et laniatio tot sceleribus digna manet[6]? Neque enim canes impudentes et rabidi nisi a canibus vorari debent[d]. Finge eos nullam fieri formam gregis, finge avare et superbe, contra quam Spiritus Sanctus iubet, dominari in cleris[7], finge gregum et officii sui oblitos molliter semetipsos ac delicate pascere, non attendentes[e] sedisse (ut a Domino commonentur[f]) super cathedram Moysi ac vitanda, si qua sunt, prava eorum opera, servanda autem et facienda, quaecunque ab iis tibi praecipiuntur[8]? Nam vel percussus Paulus te docet, sacerdotibus non maledicendum[9].

Sed ut intelligatis, quem tandem mites illi et mansueti ex suae agnitione culpae suaque modestia fructum perceperint, en audiunt continuo: *Euntes in mundum universum* etc.[g] ⟨Nam ut⟩[h] superbis resistit Deus, ita[i] humilibus dat gratiam[10]; nec requiescit spiritus Domini (iuxta prophetam) nisi super humilem et pauperem et trementem sermones eius[11]. At quibus eos credidisse negat? Num angelis? Minime. Quibus igitur? Iis, quae cum ab angelis de resurrectione Domini certiores factae ac continuo Dominum intuitae essent,
53r idemque discipulis nunciarent, non modo illi non crediderunt, verum etiam[k] illarum verba ut deliramentum aliquod exceperunt[12]. Quin ne discipulis quidem, cum alii aliis idem referrent, crediderunt.

Euntes in mundum universum praedicate etc. Non ii ad Fortunatas insulas et Hesperidum[l] hortos, non ad ultimos ⟨Aethiopes, Antarctico⟩[m] polo propemodum admotos, non ad Indos, non denique ad finitimum Boreae latus, per duratas solo nives, pauperiem, donum Dei non intellectum fugitantes penetrarunt, ut[n] gemmas et lapides, aurum et inutile, summi materiam mali, reportarent, sed eodem summa diligentia et relicta fluxorum bonorum sarcina contenderunt. Non ut Crates Thebanus, non ut Antisthenes, non ut plerique alii philosophi, venalia gloriae mancipia et popularis aurae rumorumque avidissima, sed ut verissimi Christi discipuli et sectatores, non suam[o], praeceptoris exemplo, sed totius orbis salutem *in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiae a dextris et a sinistris*[13]*, quasi tristes et semper gaudentes, sicut egentes, multos autem locupletantes*[14] quaesiverunt. Nec in deliciis ii carnis curam agentes mollibus, ut qui in domibus regum sunt, vestiebantur[15], ⟨sed melotis et pellibus caprinis tunicisque palmarum fronde contextis obtecti atque etiam (ut Paulus ait) interdum nudi⟩[p][16] eius fidem intrepide profitebantur, quem et haud ita pridem negarant et de eius resurrectionis veritate addubitaverant.

Quam *mirabilia opera tua*[17], Domine, et quam ipse es mirabilis in sanctis tuis[18]! Petrus, Andreas ac reliqui tui piscatores retia sua piaeque voluntatis proposito omnia, quae in mundo sunt, ac se ipsos abnegantes, te sequuntur, et ex piscium piscatoribus hominum piscatores evadunt[19]. Matthaeus ex teloneo vocatus, ex usurario et publicano officiosus charitatis sectator efficitur[20]. Quid Paulus, tot ante saeculis a Iacob per Spiritum Sanctum apostolus designatus[21]? Is mane, ineunte scilicet adolescentia, oves Domini

[a] *P* hic [b] *P add.* eos [c] *Codd.* Semet
[d] *P add.* Dices forsan, cur Spartam, quam nacti sunt, dedecorant? [e] *P* attendens [f] *P* commoneris
[g] *P add.* O admirabilem caelestis dignitatis praerogativam et regnis omnibus atque imperiis anteferendam etc. [h] *P* Sic, sic [i] *P* sic et [k] *P om.* [l] *Codd.* Experidum
[m] *Codd.* Aethiopas antartico [n] *P* et [o] *P* sua
[p] *P* siquidem nudi erant (ut Paulus ait) et esuriebant et sitiebant et colaphis caedebantur et instabiles erant atque ita manibus suis laborantes

[1] *Gen.* 9, 22. [2] Cf. *Rom.* 13, 1.
[3] Cf. *Ps.* 104, 15. [4] *Gen.* 9, 25.
[5] *3 Reg.* 2, 39—46. [6] *4 Reg.* 9, 32—37.
[7] *1 Petr.* 5, 3. [8] *Matth.* 23, 2 sq.
[9] Cf. *Act.* 23, 4 sq. [10] Cf. *1 Petr.* 5, 5.
[11] Cf. *Is.* 66, 2. [12] *Luc.* 24, 11.
[13] *2 Cor.* 6, 6 sq. [14] *2 Cor.* 6, 10.
[15] Cf. *Matth.* 11, 8. [16] Cf. *1 Cor.* 4, 11.
[17] Cf. *Ps.* 138, 14. [18] *Ps.* 67, 36.
[19] Cf. *Matth.* 4, 18—22. [20] Cf. *Matth.* 9, 9.
[21] Secundum *Tertullianum*, Adversus Marcionem lib. 5 cap. 1 (*Migne*, P. lat. II 469) Jacob dicens illa verba Gen. 49, 27: *Beniamin lupus rapax mane comedet praedam et vespere dividet spolia*, Paulum ex tribu Beniamin oriturum prima vitae suae aetate ecclesiam Dei devastaturum, senectute autem oves Christi educaturum praevidebat. Similiter *Augustinus*, Sermo 279. *Migne*, P. lat. XXXVIII 1275.

spirans caedis et minarum[1] devorabat. Idem ad vesperam, id est | provecta iam aetate, 53v suo iudicio prae modestia et humilitate peccatorum primus dominicas pascebat oves, easdemque subinde, *omnibus omnia factus*[2], donec in iis formaretur Christus, parturiebat[3]. An non ex lupo rapaci ovis et ex persecutore *vas electionis* effectus est, ut Redemptoris nomen coram gentibus et regibus portaret[4]? Videtisne ut lapis ille, *quem reprobaverunt aedificantes*[5], nullo populos discrimine agens, ambos pace per crucem facta conciliet[6]? *Habemus enim per ipsum ambo accessum in uno spiritu ad Patrem;* nec audimus *iam hospites et advenae, sed cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis aedificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino*[7].

Sed perpendamus (quaeso), quidnam haec verba nobis innuant: *Euntes in mundum universum praedicate evangelium. Nemo* (teste Apostolo) *sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*[8]. Unde per Ioannem Christus ait: *Omnes quotquot* ante me *venerunt, fures sunt et latrones*[9]. O Luthere, o Oecolampadi, o Bucere, ⟨o Vergeri,⟩[a] cur vos ante Dominum ut Theudas ille et Judas Galileus venitis[10]? Cuius auctoritate apostolicam functionem sumitis et usurpatis? An non vel hoc uno argumento vos proditis, ut operarios iniquitatis, ut pseudoapostolos? Esaias mitti postulat[11]. Ioannes Baptista missus a Deo dicitur[12]. Paulus *vocatus et segregatus in evangelium* scribitur[13]. Apostoli hodie mittuntur. Quid igitur? An non vos (iuxta vocem Domini) fures estis et latrones[14]? Aut inimicus sator, aut certe ut eius ministri, quos ipse fascinavit suoque auctoramento obligatos in zizania, in scandalum, in blasphemiam christiani nominis et crucis ignominiam seminavit[15]? O vos vestrosque asseclas infelices et miseros, quos equidem sine gemitu et moerore nominare non possum. Tam male cautos Mariae vos lepra fratri Moysi leviter obtrectantis reddit[16]; tam male vos movent[b] | aedita in Chore, Dathan et Abiron ex- 54r empla[c][17]? Qua vos dementia quibusve furiis agitati et Dei ecclesiam et Christi vicarium perturbatis et persequimini?

Sed iam videamus, qua diligentia quamque late, qui in universum mundum mittuntur, evangelicam fidem promulgent. Paulus apostolus ad Romanos scribens, cum omni gentiles excusatione nudat et desarmat[d], nisi praedicatam iam per universum orbem fidem amplecterentur, illud psalmographi citat et impletum ostendit: *In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum*[18]. Chrysostomus, cui et angelicus doctor (refragante non nihil D. Augustino epistola 80, quam ad Hesychium mittit[19]) astipulatur, intra viginti aut certe intra triginta annos evangelium in omnes orbis oras propagatum asseverat[20]. Nititur is hoc Pauli loco et verbis illis eiusdem: *Gratias agimus Deo et Patri Domini nostri Iesu Christi semper pro vobis orantes, audientes fidem vestram in Christo Iesu et dilectionem, quam habetis in sanctos omnes propter spem, quae reposita est vobis in caelis, quam audistis in verbo veritatis evangelii, quod pervenit ad vos sicut in universo mundo est, et fructificat et crescit*[21]. Quae mihi sententia non mediocriter arridet; nam licet in omnibus orbis partibus ecclesia omnino neutiquam aedificaretur, tamen vel per apostolos vel per eorum discipulos in universos orbis fines evangelii praedicationem ante Hierosolymitanum excidium excurrisse arbitror. Quid enim vel solus Paulus obivit, quum non modo magnam Asiae partem et quamplurimas insulas, verum etiam Macedoniam, Graeciam Illyricum, Italiam, et ut Chrysostomus multis locis testatur permultique alii, Hispaniam[22],

[a] *P om. et add.* o vos lutum et sordes, o nobilissimae ac perinde christianissimae quondam nationis vestrae oblivio [b] *Codd.* moveat
[c] *P add.* Cur vos illorum exitus non perhorrescitis, quorum impia facta imitamini?
[d] *P* exarmat

[1] *Act.* 9, 1. [2] *1 Cor.* 9, 22. [3] Cf. *Gal.* 4, 19. [4] *Act.* 9, 15. [5] *Ps.* 117, 22; *Matth.* 21, 42. [6] *Eph.* 2, 16. [7] *Eph.* 2, 18–21. [8] *Hebr.* 5, 4. [9] *Io.* 10, 8. [10] *Act.* 5, 36 sq. [11] *Is.* 6, 8. [12] *Io.* 1, 6. [13] *Rom.* 1, 1. [14] *Io.* 10, 8. [15] *Matth.* 13, 24—30. [16] *Num.* 12. [17] *Num.* 16, 31 sqq. [18] *Rom.* 10, 18 et *Ps.* 18, 5.
[19] *Augustinus* in epistula 199 ad Hesychium dicit suis temporibus nondum omnibus gentibus evangelium praedicatum fuisse. *Migne,* P. lat. XXXIII 923.
[20] *Chrysostomus,* Homilia 75 in Matth.: «Quod Christi potentiae maximum est argumentum, quod doctrina annis viginti vel triginta orbis terminos pervaserit». *Migne,* P. gr. LVIII 689. — *Thomas Aquinas,* Commentarius in epistulam ad Romanos cap. 10 lectio 3. [21] *Col.* 1, 3—6.
[22] *Chrysostomus,* Homilia 30 in epist. ad Romanos (*Migne,* P. gr. LX 662); Homilia 13 in epist. 1 ad Cor. (*ibid.* LXI 111); Homilia 10 in epist. 2 ad Tim. (*ibid.* LXII 659); Enarratio in epist. ad Hebr., praefatio (*ibid.* LXIII 11). Alios patres, qui testantur S. Paulum in Hispaniam profectum esse, invenis apud *P. B. Gams,* Die Kirchengeschichte von Spanien I Regensburg 1862) 5—49; *Z. Garcia Villada,* Historia eclesiástica de España I 1 (Madrid 1929) 105—143.

ac teste Sophronio, patriarcha Hierosolymitano, Gallias etiam adierit[1]? Unde facile liquet, 54v quanta celeritate, quanta fide, quanta contentione, quam | magnis laboribus et periculis ab homine peregre proficiscente, id est a Christo in caelum ascendente, credita sibi talenta multiplicarint. Euge servi boni et fideles, quia super pauca fuistis fideles, supra quam multa iam constituimini[2]!

O si, patres amplissimi, nostris his exulceratissimis temporibus nonnulli ex eorum ossibus exorirentur, qui non pecuniaria talenta, sed eloquia Dei preciosa et illuminantia oculos fidelibus nummulariis committerent. Qui si episcopatum desiderant et adipiscuntur, reputarent secum, non tam inanem gloriam, non tam primos in foro accubitus, non tam reditus ipsos, quam ministerium, sollicitudinem, non tam praefecturam, iuxta Chrysostomum, quam subditorum curam et unicam ovium salutem[3] vel cum aperto capitis periculo proponere sibi oportere. Bonus enim pastor is meo iudicio dicitur, qui suorum commodorum oblitus etiam animam suam pro suis ovibus ponit[4]; Moses evangelii potius (ut inquit Origenes) quam legis discipulus[5], quam crebro culparum populi sibi commissi deprecator intercedit? Adeo ut nisi populo insano etiam cultu daemonum implicato parceretur, deleri de libro Domini postularet[6]. David rex, dum angelum, a quo populus sibi creditus caederetur, videt saevientem, in se Dei manum converti postulat[7]. Paulus quoque a..athema pro fratribus fieri cupiebat[a][8]. Itaque cum hae sint veri pastoris partes et iustissimum officii auctoramentum, quaeso vos, qui huic officio deest, cur non mercennarius potius quam pastor appellabitur? Considerate igitur, obsecro, quid Deus Pergamenae ecclesiae angelo dicat, cum se illi venturum minatur[b][9].

Utinam ignis ille, quem venit Dominus mittere in terram[10], in cordibus nostris accenderetur, ne in nobis desideraretur, ut[c] in Ephesinae ecclesiae angelo[d][11]; utinam saecu- 55r laribus curis et sollicitudinibus expediti, vere et ex animo serviremus Domino. | Utinam vigilaremus et custodiremus vigilias noctis super gregem quisque suum; utinam pasceremus potius, quam pasceremur[12], neutiquam dominicus grex tam esset dispersus, tam scabiosus, non (inquam) tam esset afflictus. Nihil enim non possemus in eo, qui nos confortaret[13], si eius negocium bona fide tractaremus. Quid enim illi ipsi, de quibus nunc agimus, quum fuerint *sollicitudine non pigri et spiritu ferventes*[14], non praestiterunt? O rem portentosam ac plane incredibilem! Debellaverunt Romani universum orbem, innumerabiles hominum miriadas in servitutem redegerunt; et a duodecim viris nudis, inermibus atque idiotis subacti sunt ipsi et superati, quibus ii[e] vel invitis novas leges novaque vivendi statuta imposuerunt adeo, ut, quod in una domo vix fieri possit, missis Christus discipulis per praecipitia, per ignes, per praeruptos scopulos, per sartagines et craticulas, per bella terra marique frementia, per infinita mortis genera perfecerit. At vero, cur praedicandum omni creaturae evangelium? Num plantis? Num rupibus? Ut Orphea[e] narrant fabulae suo cantu avulsisse arbores, stetisse flumina et violentissimas feras demulsisse[15]? Minime, minime inquam. Sed soli homini, qui ut rationis est particeps, ita et beatitudinis particeps esse potest. Appellatur autem omnis creatura, quod cum universis rebus creatis non nihil

[a] *P add.* Unde quis inter eos infirmabatur, quin idem infirmaretur? Quis scandalizabatur, quin idem ureretur? *[Cf. 2 Cor. 11, 29.]*
[b] *P* minitatur [c] *P* quod [d] *P add.* idem Dominus requisivit [e] *P* iis

[1] In scriptis S. Sophronii (*Migne,* P. gr. LXXXVII 3, 3147—4014) nullum invenio testimonium de itinere S. Pauli in Hispaniam et multo minus in Galliam. Sed ab antiquioribus historiae ecclesiasticae scriptoribus testis itineris in Hispaniam adducebatur, ex. gr. a *Baronio* ad a. 61 n. 3. Primus, qui Sophronii testimonium de hac re reiecit, est *H. Florez,* España sagrada III[2] (Madrid 1754) 8, qui credidit Sophronii testimonium esse Simeonis Metaphrastes, cui revera prius illud ὑπόμνημα SS. Petri et Pauli (*AA SS.* Iunius VII [Parisiis et Romae 1867] 374 ad 386) attributum est, quod ex variis fontibus compositum in principio narrationem de factis et laboribus S. Petri exhibet, quae fragmento S. Sophronio adscripto de laboribus, certaminibus et peregrinationibus SS. Petri et Pauli (*Migne,* P. gr. LXXXVII 3, 4011—4014) persimilis est. Cf. *A. Lipsius,* Die apokryphen Apostelgeschichten und Apostellegenden II 1 (Braunschweig 1887) 222. Qua de causa supponam forsan ab aliquibus S. Sophronio attributum fuisse totum illud ὑπόμνημα, in quo S. Paulus non solum in Hispania, sed etiam in Gallia evangelium praedicasse legitur (*AA. SS.* l. c. 384 sq.).

[2] Cf. *Matth.* 25, 14—23.

[3] In hunc sensum loquitur *Chrysostomus* in homilia 10 in epistulam primam ad Timotheum. *Migne,* P. gr. LXII 547—554. [4] *Io.* 10, 11.

[5] *Origenes,* Homilia 9 in Numeros c. 3. *Migne,* P. gr. XII 628; Die griechischen christl. Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte, *Origenes* VII (Leipzig 1921) 58.

[6] *Ex.* 32, 31 sq. [7] *2 Reg.* 24, 17.

[8] *Rom.* 9, 3. [9] *Apoc.* 2, 12—17.

[10] *Luc.* 12, 49. [11] *Apoc.* 2, 4.

[12] Cf. *Ez.* 34, 2. [13] Cf. *Phil.* 4, 13.

[14] *Rom.* 12, 11.

[15] Cf. *Lübker,* Reallexikon des klassischen Altertums[8] (Leipzig-Berlin 1914) 746 sq.

habeat commercii. Nam ut sit, commune habet cum saxis; ut vivat, cum plantis; ut sentiat, cum animalibus; ut ratiocinetur, cum angelis. Unde et a philosophis parvus mundus appellatur[a] [1].

Additur porro: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Quam commode fides primo loco statuitur! *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit*[2]; ea enim sublata impossibile est placere Deo.

Num[b] vero, si quis aliquando crediderit, eo protinus liberabitur? Credidit Iudas et interiit; credidit et Simon magus, et flagitio, quod ab | eo postea nomen tulit, in- 55v
teritum ruit voluntarium[c] [3]. Hinc Paulus fidem et misericordiam consecutus, castigat corpus suum et in servitutem redigit, ne, quum aliis praedicaverit, ipse reprobus efficiatur[4], atque ut idem monet: *Qui existimat se stare, videat ne cadat*[5]. Anne tibi satis te beatum putabis, si[d] labiis duntaxat Deum honores? Si nosse confitearis, factis autem neges? Non potes eum nosse, quin eius mandata custodias; ea si infringis, ea si violas, nihil minus quam Deum nosti[6]. Adsit igitur mandatorum observatio, adsit fides, non tamen mortua, sed actionibus pie instructa, et quae per charitatem operetur[7].

Roget quispiam: Quam ob rem tandem repetat D. Marcus: *Non crediderit,* tacet vero *non baptizatus fuerit?* Nempe ut ostenderet, solam fidem interdum ad salutem sufficere, si aquam ad baptismum non contemptus, sed defectus (ut magni auctores tradunt) negaverit, eoque, quum martyrium omnium theologorum placitis baptismi vicem subeat, non ob poenam cruciatumque, quem vel nocentissimi perferrent[e], sed ob ipsam fidem id effici intelligimus.

At vero quibus argumentis dignoscemus eos, qui crediderint? *In nomine meo daemonia eiicient.* Ut intelligas bonitatis Redemptoris nostri divitias, multo etiam ante, quam ipse pateretur et Spiritum Sanctum discipulis insufflaret, factum apud Marcum his verbis legimus: *Exeuntes praedicabant, ut poenitentiam agerent, et daemonia multa eiiciebant et ungebant oleo multos aegros, et sanabantur*[8]; qua etiam gratia et ipsi exultabant. Quin et in Actis apostolicis ita scriptum vides: *Deus non quaslibet virtutes per manus Pauli faciebat, ita ut deferrentur etiam a corpore eius super*[f] *languidos sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores et spiritus nequam egrediebantur*[9].

Quod autem ad novas linguas attinet, quibus locuturi erant credentes, non una solum, ut quidam arbitrantur, sed omnibus omnium linguis decem post dies usi sunt, quibus iacto fidei | fundamento missus a Patre et Filio Spiritus Sanctus communicatus est. Nec hoc 56r
Paulus munere defraudatus, licet tunc abfuerit, quum dicat quibus scribit: *Gratias Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor*[10]. Quin et per eius impositionem manus ita quibusdam Ephesi datus est Spiritus Sanctus, ut et linguis loquerentur et prophetarent[11]. *Serpentes* (inquit) *tollent.* Certe eorum calcandorum facultas multo ante passionem est his tributa; et Paulus apostolus in Melite insula viperam iam manui haerentem illaesus in ignem discussit, quum, qui adessent, arbitrarentur, ipsum naufragio quidem dilata Dei vindicta liberatum, eo tamen morsu continuo ut homicidam interiturum[12]. Quid? Ut omittam consolidatas claudo bases et plantas[13] et Euthychum ex tertio coenaculo prolapsum ac mortuum vitae[g] restitutum[14]: an non Petrus, non dico imposita manu, sed vel sola (per Christum quidem) umbra effecit, quod nusquam Christum fecisse legimus[15]? Nempe ut impleretur, quod Redemptor per Ioannem dixerat: *Qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet*[16].

Porro *si mortiferum quid biberint, non nocebit eis.* Proh Deum immortalem, christiani patres! «Nulla aconita bibuntur fictilibus». Nunc, nunc illa, vix ubi ullum fidei et charitatis

[a] *P* appellitatur [b] *Codd.* nam

[c] *P add.* Non quaeruntur in Christianis initia (ut ille ait), sed finis. Doctor gentium male coepit, sed bene finivit. Male coepit et latro, sed ex cruce in paradisum evolavit. Quam vel Dei testimonio probatus Saul ad regni administrationem accessit, quam vero nefaria et miserabili morte absumptus est? Quam honesta Arii exordia, sed eius finis summa impietate damnatur. Iustitia enim iusti non liberabit eum in quacumque die peccaverit, nec contra, ut apud Ezechielem *[33, 12]* scribitur.

[d] *P add.* credideris aliquando, si baptizatus fueris ac paulo posterius

[e] *P* perferunt [f] *Codd. om.* [g] *Codd.* ita

[1] Ex. gr. a Nicolao Cusano, Marsilio Ficino. Cf. *E. Cassirer,* Individuum und Kosmos in der Philosophie der Renaissance (Leipzig 1927) 42 68.
[2] *Hebr.* 11, 6. [3] Cf. *Act.* 8, 20.
[4] *1 Cor.* 9, 27. [5] *1 Cor.* 10, 12.
[6] Cf. *1 Io.* 2, 3 sq. [7] Cf. *Gal.* 5, 6.
[8] *Marc.* 6, 12 sq. [9] *Act.* 19, 11 sq.
[10] *1 Cor.* 14, 18. [11] *Act.* 19, 6.
[12] *Act.* 28, 3–6. [13] *Act.* 3, 1–10.
[14] *Act.* 20, 9–12. [15] *Act.* 5, 15. [16] *Io.* 14, 12.

vestigium, timenda, «quum pocula sumes aurata, et medio Setinum ardebit in auro»[1]. Divites illa et opulenti formident, quibus non fames et sitis, sed affluentes voluptates periculum creant; illa, illa pertimescant, quos non voluntaria abiectio et modestia, sed exitialis avaritia et honorum aucupatio suffocat et strangulat. Quis enim Petro insidiaretur aut mortiferum aliquid misceret, cui non argentum, non aurum imo vero ne aes quidem in zona, ut monuerat Dominus[2], sed ingens mundi contemptus, sed firma fides et locuple-
56v tissima misericordia affuit? Iis enim machinis christiana respublica per egestatem, | persecutiones et varia caedium genera ab exiguis profecta initiis eo crevit, ut universum orbem occuparit. Quem ecclesiae statum, in speciem quidem luctuosum, re tamen vera felicissimum, nefarius apostata et deterrimus christianae reipublicae hostis ita nobis invidebat, ut Christianos omnes non tam aperta crudelitate, quam subdola clementia persequeretur adeo, ut, qui proscripti et ablegati in exilium ob ecclesiae dissensiones a Constantio fuerant, quasi fraudulentis odientis osculis (ut cum sapiente loquar[3]) in ⟨pristinum ab ipso statum⟩[a] restituerentur[4].

Illi igitur, illi inquam, expaveant, patres amplissimi, qui licet sermone taceant, opere tamen loquuntur: «Fidem et misericordiam non habeo» (sic[b] enim D. Hieronymus in suorum confusionem temporum haec invertit, quae utinam in nos dici non possent), «quod autem habeo, argentum et aurum, hoc tibi non do»[5]. Cur turpis lucri cupidus es[6]? Cur aurum sitis? Cur thesaurizas cui nescis, ut ipse aeternum sitias cum divite et egeas[7]? Cur denique cum Exuperio illo avaritiam e templo non expellis[8]? O nos miseros, si haec non intelligimus; o nos miseriores, si intelligimus, quod multae nos plagae maneant, nisi corrigamus; nemo sibi hic blandiatur, christiani patres, aut hoc se ex numero exemptum arbitretur, quod schematis maiorum, quod pictis fumosarum imaginum vultibus, quod praeclaris honoribus fulgeat. Nihil vana haec Christus moratur, nihil curat. Cui plus commissum fuerit, plus ab eo sine ullo personarum discrimine exigetur. Ac nisi exactam suae villicationis rationem reddat, *potentes potenter tormenta patientur*[9]. Videamus tamen, ecquid propinatum iis epotumque nocuerit? Nihil profecto. Hausit siquidem discipulus ille, quem diligebat Iesus, nec illi haustum obfuit[10]; hauserunt et plerique alii, nec quicquam inde ceperunt detrimenti. At ne effoetam id genus miraculis divinam arbitrere gratiam, multis post sae-
57r culis B. Benedictus (auctore Gregorio) non haustu, sed | caelesti quadam praesensione porrectum sibi a monachis veneni vasculum solo crucis signo comminuit[11].

Dicet hic forsan insipientior aliquis, nullam iam esse fidem, quod nulla id genus miracula appareant. Quis tu es, qui Dei sapientiam ita convellis? Fuerunt illa nascenti ecclesiae necessaria, ac proinde tunc passim aedita, ut adolesceret iis christiana fides et propagaretur. Nunc vero cum idolorum cultus desierit, cum ipsa ecclesia omnium linguis loquatur, cum serpentes et scorpiones calcarit, cum venenata Babylonis ethnicorumque errorum pocula sustulerit, quorsum tandem miraculis opus? Num mare nobis dividi, num serpentem tolli nobis in deserto, num manna de caelo demitti nobis cupiamus? Quaerat sibi signum generatio nequam[12]; nos verum habemus baptismum, verum Christi corpus in cibum, verumque serpentem[13], *cuius livore sanati sumus*[c][14], ut omittam interim, iuxta Gregorium universa haec in ecclesia spiritualiter effici, quae olim per discipulos corporaliter transigebantur[15].

Sed progrediamur ulterius. *Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis.* Quid? Soluḿne discipulis suis loquutus Christus ac nihil operatus discessit? Atqui nihil frigidius

[a] *P* pristinam ab ipso dignitatem [b] *P* si
[c] *P add.* quem et hodie in caelum ascendisse cernimus

[1] *Iuvenalis,* Satira 10, 25 sqq.: «Sed nulla aconita bibuntur fictilibus; tunc illa time, quum pocula sumes gemmata et lato Setinum ardebit in auro.»

[2] *Matth.* 10, 9; *Marc.* 6, 8. [3] *Prov.* 27, 6.

[4] Iulianus Apostata Catholicos, Donatistas, Novatianos, Arianos, qui annis praecedentibus in exilium missi fuerant, revocavit, sperans illorum in rebus fidei discordia religionem christianam deletum iri. Cf. *J. P. Kirsch,* Die Kirche in der antiken griechisch-römischen Kulturwelt (Freiburg i. Br. 1930) 360.

[5] *Hieronymus,* Ep. 22 ad Eustochium virginem de custodia virginitatis (*Migne,* P. lat. XXII 418), invertens verbum Petri *Act.* 3, 6: *Argentum et aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do* etc.

[6] Cf. *Tit.* 1, 7. [7] Cf. *Luc.* 16, 23 sq.

[8] *Hieronymus,* Ep. 125 ad Rusticum monachum. *Migne,* P. lat. XXII 1085.

[9] *Sap.* 6, 7.

[10] Cf. *R. A. Lipsius,* Die apokryphen Apostelgeschichten u. Apostellegenden I (Braunschweig 1883) 426.

[11] *Gregorius Magn.,* Liber 2 dialogorum cap. 3. *Migne,* P. lat. LXVI 134 sq.

[12] Cf. *Luc.* 11, 29.

[13] Cf. *Num.* 21, 7 sqq.

[14] *Is.* 53, 5.

[15] *Gregorius Magn.,* Hom. 29 in evangelia. *Migne,* P. lat. LXXVI 1215.

doctore, qui verbis solum philosophatur, et iuxta Paulum regnum Dei non tam in sermone, quam in virtute consistit[1]. Et cum concionator duabus potissimum partibus confletur, ut vir bonus sit et dicendi peritus, potior pars est, ut sit vir bonus; quod non ostentatione, non simulatione morum, sed probitate et perfectis virtutum actionibus metiendum est. Quod vero tonuerit Redemptor noster et fulminarit in dicendo, vel hostium testimonio perspicuum, qui violentas in eum manus iniecturi efficacissimae eius eloquentiae miraculo stupefacti atque attoniti se cohibuerunt, responderuntque ⟨iis, qui se ad eum comprehendendum miserant,⟩[a] nunquam sic locutum fuisse | hominem[2]. Quid vero illud: ⟨*Quem* 57v
quaeritis[3]? Nec mirum, cum et eius dicto facta sint omnia.⟩[b] At fuit in agendo debilior? Imo vero (ut ille ait) «mirabilium effector operum»[4]! Qui praeterquam quod coelum et terram et omnia, quae in eis sunt[5], fabricarit, post hominem etiam assumptum suos ipse suorum ⟨veritate operum⟩[c] inimicos provocat et lacessit, ut si ei adamantina insensati[d] cordis duritia non crediderint, saltem eius operibus credant[6]. Et ut intelligas priorem illi faciendi quam loquendi rationem fuisse, prius facere quam docere coepisse a Luca scribitur[7], nempe ut suo nos optimus magister exemplo institueret, pastorale officium benefactis potius quam verbis constare. Itaque Dominus Iesus non loquutus modo, sed etiam mirabilia ac plane divina operatus, assumptus est in coelum.

At quonam pacto assumptus? Primum omnium detestemur Arrianam et Nestorianam impietatem et universa Orientis venena. Unum siquidem Christi suppositum, et duas, ut voluntates, ita et naturas confitemur et asseveramus. Et ut una mortuus est, ⟨altera mori non potuit, ita quoque una resuscitatus a mortuis,⟩[a] altera resurrexisse, una assumptus, altera ascendisse dicitur. Sic a D. Luca eius mysterii neutiquam ignaro elevatus dicitur, quem protinus idem patefacto nobis divinitatis archano euntem in coelum scribit[8]. Sic quoque psalmographus, sic Paulus loquuntur: *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*[9]. O admirabilem scripturae rerumque seriem. Rubo, qui illaesus ardebat, Christi conceptio et virginis integritas designabatur[e]; praesignabatur traditio et venditio Redemptoris, magnis peristaseon coagmentis, Iosephi in Aegyptum venditione, qui et a Pharaone servator mundi est nuncupatus[10]; immaculati agni imolatio paschalis agni mactatione et esu figurabatur; [f]Ionas creatoris sui carne induti sepulturae et resurrectionis typum gessit; denique et Heliae raptu sacrum ascendentis hodie Domini mysterium adumbrabatur; | quamquam ille ut servus, hic ut Dominus; ille dilata morte, 58r
hic iam devicta; ille in aerium locum, hic super omnes caelos; ille aliena virtute, hic eadem, qua universa quondam fabricarat, invecta eodem et honestata natura nostra ascendit.

Utque magis stupeas et ardentius ad illum adspires, nos, nos inquam, miseri illi, qui tam impie in primo parente divinam laeseramus maiestatem, ut ex paradiso terrestri miserabili exilio flammeoque etiam gladio per Cherubin intentato exigeremur[11], caelorum finem[h] transgressi et regali sede decorati, angelicis choris exornamur. Quod quidem aperte declarant duo illi angeli albis vestimentis prae laetitia induti, qui moestos ob discessum Domini discipulos consolantur, et non iam angeli[i], sed[k] viri ab evangelista vocari volunt[12]. O ineffabilem nobis dominicam ascensionem et albis vestibus innocentiae internaeque exultationis indicibus perpetuo celebrandam! At quomodo ascendit, quum sit idem qui et descendit? Audi Salomonem: *Ecce* (inquit), *iste venit saliens in montibus et transiliens colles*[13]. Quibusdam enim veluti saltibus gigas ille, cuius egressio a summo caelo ad currendam nostrae salutis viam exultavit[14]. Primum ab arce parentis in uterum virginis, ex utero in praesepe, ex praesepi in crucem, ex cruce in sepulchrum, inde confirmatis fratribus *ascendens in altum captivam duxit captivitatem*. Quam vero? Vel vinctos suos, iuxta Zacchariam, qui detinebantur in lacu, in quo non erat aqua[15], vel diabolum et mortem, quam morte ipse sua vicerat et absorpserat, cuius et imperio vincti adhuc illi coercebantur.

[a] *Codd. om.* [b] *P* Ego sum, quo audito omnes adversarii iam iam capturi capti conciderunt?
[c] *P* magnitudine miraculorum [d] *P* insentati [e] *P* praesignabatur
[f] *P add.* occulto mysterio [g] *P anteponit* negligens supernae legationis [h] *P* fines
[i] *P add.* tantam nobis gloriam nescio quo pacto invidentes vel potius gratulantes, non inquam iam angeli
[k] *Codd.* et

[1] Cf. *1 Cor.* 4, 20. [2] *Io.* 7, 44 sqq.
[3] *Io.* 18, 7.
[4] *Rufinus,* Hist. eccles. I 11, 7. Die griech. christl. Schriftsteller der ersten drei Jahrh., *Eusebius* II 1 (Leipzig 1903) 81. [5] Cf. *Ps.* 145, 6.
[6] Cf. *Io.* 10, 38; 14, 11. [7] Cf. *Act.* 1, 1.
[8] *Act.* 1, 9 11. [9] *Ps.* 67, 19; *Eph.* 4, 8.
[10] *Gen.* 41, 45. [11] *Gen.* 3, 24.
[12] *Act.* 1, 10. [13] *Cant.* 2, 8.
[14] Cf. *Ps.* 18, 6 sq. [15] *Zach.* 9, 11.

At quaenam dona dedit hominibus? Audi apostolum Corinthiis commemorantem: *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae; alii autem sermo scientiae secundum eundem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum in uno Spiritu; alii* [58v] *operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, | alii interpretatio sermonum*[1]*;* nec negavit discipulis benignissimus praeceptor duplicem illum spiritum, quem suus alumnus ab Helia tantopere expetebat[2], nempe ut et illustraretur intellectus et affectus expurgaretur. Unde cum vilescerent illis omnia, imo vero reputarent ea ut stercus propter Christum[3], corpore quidem mortuo propter peccatum spiritus vivebat propter iustificationem[4]. Et quia non humi, sed tutius in caelo thesaurum sibi thesaurizarent, ac proinde omnis eorum in caelis esset conversatio, ingemiscebant gravati, hoc tabernaculo habitationem nostram, quae de caelo est, superindui cupientes[5]. Hinc illae voces: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum*[6]. Hinc et illud: *Desiderium* habęo *dissolvi et esse cum Christo*[7]. Quae cum ita se habeant, patres sanctissimi, an non satis liquet, quam affluenter et dona illa et duplex ille Heliae spiritus discipulis Domini sit tributus? O felices ter et amplius, qui ita se abnegaverunt, qui ita crucem suam sustulerunt, ita desierunt mundo vivere propter Christum, ut nihil vivat in illis, nihil in illis regnet nisi Christus. «Sic petitur coelum», patres sanctissimi, «non ut ferat Ossan Olympus, summaque Peliacus sydera tangat apex»[8]. Gigantum ista temeritas et haereticorum, qui quum sint proprio iudicio damnati et in reprobum sensum traditi, naturae ac Deo ipsi bella movent. Nos, qui Christo in baptismo consepulti sumus[9], nos, qui Christum induimus[10], nos, qui Christum pro nostra fragilitate amplectimur, qui ad Christum anhelamus, ad Christum per montem pinguem, montem coagulatum, montem, in quo beneplacitum est Deo, summum scilicet pontificem ascendamus[11].

Quod si rectores tenebrarum et spiritualis[a] nequitiae, ascitis in societatem haereticis et schismaticis ac universis tartari cohortibus id interturbare conentur[b], licet eorum castra adversus nos consistant ne simus modicae fidei, alioqui Petri exemplo summergemur. [59r] Ac licet exurgat eorum praelium adversus | ecclesiam, ne timeat cor nostrum, obsecro, aut perturbetur, quin potius in eo[c] speremus. Nunquid manus Domini abbreviata est[12]? Aut non iustificabitur Christus in sermonibus suis? Atqui ille ipse, qui solus non mentitur[13], ascensurus ad Patrem, ultimis verbis, quae ipse apud Matthaeum discipulis loquitur, praesentissimum ipsis sponsaeque suae auxilium usque ad consumationem saeculi pollicetur[14]. Idem, cum Sathanas ultima iam caena sumpta expetisset apostolos, ut cribraret eos sicut triticum, an non oravit pro Petro, ut et ipse conversus confirmaret fratres suos[15]? Quid igitur? Oravit tunc pro Petro Dominus, et nunc non orabit pro Iulio? Nunquid aut Christus imbecillior vel inhumanior quam heri et nudiustertius? Aut minor Petro Iulius dignitatis substantia et officio? Non, non, si crepent Antichristi omnes et sathanica rumpatur phalanx. Dices forsan, haeretice, fratres a Petro confirmatos, nihil te adhuc tale in Iulio expertum. Imperet tibi Christus[16], utinamque stulte saperes ac novissima provideres[17].

Attende huc (quaeso), quod tandem praesentissimum est habitum vel a primis nascentis ecclesiae incunabulis, aut ad confirmandos, quos tu et vitae sordibus et doctrinae pravitatibus offendis, aut ad te tuique similes vel sanandos vel cohercendos, remedium. An non oecumenicum concilium? Atqui interruptum iam ac fere ob nostra vestraque scelera desperatum sanctissimus pontifex et verissimus Christi vicarius summa pietate et singulari in ovile dominicum studio, sapientissimis et christianissimis eiusdem concilii moderatoribus in civitatem hanc optime Madrutio et cardinale et principe moratam missis coactoque sanctissimo antistitum ordine restituit et felicissime continuat. Nonne hic Crescentium illum incomparabili sanctimonia summaque rerum prudentia virum a pontifice opt. max. adesse intueris? Quo ductore et suus aliquando tandem deformatae ecclesiae [59v] decor restituetur et religio amissaque multorum flagitio christianae reipublicae dignitas recuperabitur et crescet? Nonne hic duos vides sapientissimos praesides, praestantissimi legati collegas et socios, qui vitae integritate, qui locupletissima scientiarum suppellectili, qui plurimis gravissimisque negociis caste integreque obitis clari sunt toto orbe et

[a] *Codd. et P* spiritualia [b] *P om.* [c] *P add.* indubitanter magnaque cum fiducia

[1] *1 Cor.* 12, 8 sqq. [2] *4 Reg.* 2, 9.
[3] Cf. *Phil.* 3, 8. [4] Cf. *Rom.* 8, 10.
[5] Cf. *2 Cor.* 5, 2. [6] *Phil.* 1, 21.
[7] *Phil.* 1, 23.
[8] *Ovidius,* Fasti 1, 307 sq.
[9] Cf. *Rom.* 6, 4; *Col.* 2, 12. [10] *Gal.* 3, 27.
[11] Cf. *Ps.* 67, 16 sq. [12] Cf. *Is.* 50, 2.
[13] Cf. *Tit.* 1, 2. [14] *Matth.* 28, 18 sqq.
[15] Cf. *Luc.* 22, 31 sq. [16] Cf. *Iud.* 9.
[17] Cf. *Deut.* 32, 29.

insignes? Nonne hic tot stellas, quot praesules conspicis, quorum lux ita lucet coram hominibus, quorum sanctissima opera ita perspicua sunt, ita omnibus obvia, ut ne tu quidem, licet praepostero iudicio sis et a communi sensu alienus, ut es, non possis eorum erga caelestem Patrem [amorem] non glorificare? Nonne, inquam, vides omnes hos christianissimos viros non aliorsus suis sedibus excitos et coactos, quam ut tibi tuique similibus ac universis reipublicae vulneribus medeantur? Ecquid aliud requiris? Nam ne Christus quidem aliud quippiam a Petro postulavit. Non enim a pastore sanatio, sed cura et sollicitudo exigitur. Interim tamen cave, ne tua te pravitas, ne tui te peccatorum funiculi ad insaniam redigant. Ac proinde *revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te*[1]. Nam quamvis fornicata sis cum pluribus amatoribus, quamvis facta sit tibi facies meretricis[a] [2], despondebimus te *uni viro virginem castam exhibere Christo*[3]. Surge igitur, ne dormias, et exurge a mortuis; praecinge lumbos tuos et propera; ecce sponsus venit, ut te illuminet, ut novum te hominem induat. Exurge, inquam, et propera, sume mature oleum, accelera, excipe venientem ad nuptias sponsum; si evigilaveris, si venientem exceperis, mihi crede, virgo eris et prudens et ingredieris ad nuptias[4]. Ne desperes transformationem hanc; quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

Sed redeamus, patres amplissimi, unde sumus digressi, et quam brevissime, quod superest, absolvamus. Quod si igitur non iam caro et sanguis, sed et principes et potestates et rectores te|nebrarum[5] harum nos adoriantur et invadant, sic habetote, ne portas 60r quidem inferi quicquam adversus ecclesiam praevalituras[6]. Non enim est domus super arenam[b] aedificata, sed supra vivum saxum firmamque et divinam petram constructa, eoque licet flumina veniant, licet flent venti procacius et impetentius[c] in illam irruant, non periclitabitur, non cadet[7]. Agitari siquidem Petri navicula fluctibus potest, submergi non potest.

Sed quoniam in gravissimis his reipublicae calamitatibus innumerabiles multitudine animae Christo pereunt, pro quibus ipse sacratissimum sanguinem suum fudit, vellem equidem, ut hae procellae, quibus ecclesia divexatur, et assiduis iustorum precibus et salutaribus consiliis componerentur; testorque, patres amplissimi, locum hunc, quem ego indignus conscendi, non tam unquam christianae reipublicae pericula, non tam dissensiones, non tam me[d] schismata quam corruptissimos mores nostros nostraque delicta formidasse, praesertim dum considero eo nos prolapsos, ut nec vitia iam nostra nec remedia pati possimus. Haec siquidem nos enervant, haec frangunt, haec oppugnant, imo vero expugnant ac veluti vinctos nostris nos hostibus tradunt. Haec totam Asiam, haec totam Africam, haec bonam Europae partem leoni, qui circuit quaerens quem devoret[8], prodiderunt.

Quamobrem per sanctam[e] vos sedem apostolicam, per necessariam concilii celebrationem, per ascensionem Domini, per Christum mundi salutem, oro et obtestor, ut laborantis ecclesiae miserti prosternatis cum Daniele preces vestras ante faciem Domini, non in iustificationibus propriis, sed in miserationibus eius multis[9]. Et quia sacerdotes Domini et ministri eius estis, patres sanctissimi, *canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, sanctificate ecclesiam,* plorate inter vestibulum et altare, et dicite: *Parce Domine,* | *parce* 60v *populo tuo, et ne des hereditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes*[10]. ⟨Quin potius renovati *spiritu mentis vestrae*[11], ne, cum sal et lux mundi esse debeatis, (quod peccatori iuxta psalmographum contingit) iustitiarum et divini praecepti enarratione excludamini,⟩[f] [12] abiectisque[g] tenebris arma lucis induti[13] obsecrate Deum suppliciter, ut expulso apro de sylva ac singulari fero[h] respiciat ipse de caelo, videat visitetque vineam istam

[a] *P add.* ut spiritualium nuptiarum paranymphi [b] *P* arena [c] *P* impotentius
[d] *P om.* [e] *P add.* ego
[f] *P* Ac ne vos, qui ad liberandam ex tot periculis atque adeo ex ipsis daemonum faucibus ecclesiam summa cum omnium gentium expectatione coacti estis, iustitiarum et divini testamenti enarratione negligentia quapiam (quod peccatori iuxta psalmographum contigit) excludamini, cum sal terrae et lux mundi esse debeatis, renovamini, renovamini spiritu mentis vestrae
[g] *P add.* huius saeculi
[h] *P add.* qui omnia depascitur et populatur, qui omnia violentissime fert et agit

[1] *Cant.* 6, 12. [2] Cf. *Os.* 2, 2—5. [3] *2 Cor.* 11, 2. [4] Cf. *Matth.* 25, 1—13. [5] *Eph.* 6, 12. [6] Cf. *Matth.* 16, 18. [7] Cf. *Matth.* 7, 24—27. [8] *1 Petr.* 5, 8. [9] *Dan.* 9, 18. [10] *Ioel* 2, 15 sqq. [11] *Eph.* 4, 23. [12] *Ps.* 49, 16 sqq. [13] Cf. *Rom.* 13, 12.

⟨eamdemque perficiat⟩[a], quam plantavit dextera eius[b] [1]. Spero siquidem[c] sanctissimis precibus vestris[d] effectum iri, ut concilium hoc felicissime et e republica peragatur; evellantur[e] superseminata zizania, mores nostri emendentur destructisque inimicorum civitatibus solo tubarum sono, id est septiformi Spiritus Sancti gratia[f] labefactati Hierusalem muri divinitus aedificentur, opitulante Domino nostro Iesu Christo, qui hodie a dextris Dei et in potissimis eius bonis collocatus sedet et regnat cum Patre et Spiritu Sancto in saecula saeculorum. Amen.

Adventus episcopi Salminensis Tridentum.

9. Maii.

[Vide Conc. Trid. II 230 l. 18 et 19.]

Adventus episcopi Tudensis Tridentum.

12. Maii.

[Vide Conc. Trid. II 231 l. 12 sq.]

Laudantur a pontifice gesta in resumptione concilii.

R[mus] legatus recepit litteras a R. D. episcopo Imolensi nomine S[mi] D. N. scriptas, quibus significat S[tem] S. laudasse ac probasse omnia acta in suprascripta sessione in resumptione concilii etc.[2] |

61r

Vesperae concilii in vigilia Penthecostes.

16. Maii.

[Vide Conc. Trid. II 231 l. 31 sqq.]

Adventus episcoporum Maioricensis, Constantinensis et Guadixensis

16. Maii.

[Vide Conc. Trid. II 231 l. 34 sqq.]

Missa concilii in festo Penthecostes.

17. Maii.

[Vide Conc. Trid. II 232 l. 1—4.]

Oratio habita a R. D. Francisco Salazar, episcopo Salminensi, ad patres concilii Tridentini in festo Penthecostes 1551[3].

Inter tot divina verba, quibus Servator noster, cum in terris ageret, suam sapientiam, bonitatem, potentiam suaeque coelestis doctrinae veritatem patefecit, optimo iure ab

[a] *P om.*
[b] *P add.* Quin ne captata diu et summo Dei beneficio oblata haec tam commoda restituendae christianae reipublicae occasio vestra culpa amittatur. Aperite portas vestras, christiani principes, et stantem iam ad ostium et pulsantem Dominum nobisque in iis tempestatibus tam clementer apparentem eadem animorum conspiratione atque observantia huc introducite, retinete, veneramini, qua hodie ad Patrem ascendens ab universis angelis exceptus est.
[c] *P add.* caelesti eius praesentia et [d] *P add.* ac corde omnium vestrum uno animaque una
[e] *Codd.* evelletur [f] *P add.* per quem in unum convenistis

[1] Cf. *Ps.* 79, 14 sqq.
[2] Cf. Conc. Trid. XI 628 sq. n. 445 A.
[3] De Francisco Salazar cf. supra p. 15 adn. 3. Orationem sequentem Massarellus card. Maffeo Romam misit, ut eam pontifici monstraret; Maffeus Massarelli desiderio obedivit eique die 6. Iunii respondit: «N. S[re] ha vista volentieri la oratione di Mons. Salazar et l' ha laudata et per la dottrina et per lo stile» (*Conc. 139* f. 150[r], or. autogr.). Etiam aliorum orationes Massarellus misit Maffeo, qui tamen die 29. Iunii Massarello scripsit: «Alla lettera Vostra de 18 del presente non ho molto che rispondere dopo l' haver accusata la ricevuta et detto Lei, che da questo in poi io non farò ufficio di laudatore, ma di giudice nelle orationi, che mi mandarete, et dubito, che ritorneranno costà mal trattate» (*ibid.* f. 165[r], or.).

ecclesia tanquam venerandum Christianis omnibus ac sancte meditandum celebratur illud evangelicum dilectionis praeceptum, quod solemni ritu coram est mox recitatum[1]. In eo namque velut in imagine quadam amplitudinem eximiamque Sancti Spiritus excellentiam di[s]cimus ac perinde summam quandam et institutionem christianae vitae conspicimus, qua tum episcopi et evangelici doctores, tum populi eorum | providentiae et doctrinae 61v
concrediti ad sua officia recte praestanda dirigantur, qua ratione querenda sit vera salus, quae in dilectione consistit, quam secura sit neminemque destituens viva illa in Deum fiducia, qua non turbatur cor nostrum neque metu percellitur, denique evangelicae lectionis profunditate excitati flexique de Christo magnifice sentientes fatemur, quia diligit Patrem, et sicut mandatum illi dedit, sic recte fecit. Quamobrem eius enarrationem aggressurus hunc eundem Spiritum, ecclesiae praesidem, concilii auctorem et adiutorem, ductorem nostrum ac doctorem, invoco atque precor, ut mihi faveat[a] verbaque hoc consessu digna pro sua benignitate suggerat. Vos vero, Ill[mi] atque amplissimi patres caeterique omnes pastores vigilantissimi, adeste mihi animis. Et quoniam alia nunc quam olim apud veteres illos et religionis et imperii ac ceremoniarum forma conspicitur, enarratorem potius theologum quam oratorem expectetis. Interim tamen, qui spiritus boni aut mali dicantur, cur itidem sub irrationalis creaturae forma Spiritus Sanctus apparuerit, an vero species illa veras sub se continuerit res an illarum dumtaxat similitudines, et qui Spiritum Sanctum contristant, silentio praeteream, de quibus longam iam olim orationem habuimus[2]. Sed de iis, quae dicere institui, paucula quaedam perstringam verius quam dicam.

⟨Dulcissimus quidem⟩[b] in Deo Spiritus Sanctus est, qui per ineffabilem atque inexpertum omni creaturae osculum designatur. Cum Pater diligit Filium singulari dilectione, summus aequalem, aeternus coaeternum, unus unicum amplectitur, sic illa gignentis genitique cognitio pariter et dilectio, illa *pax quae exuperat omnem* etiam angelicum *sensum*[3], osculum est suavissimum, sed secretissimum, benignitas et amor, qui, quoniam per dilectionem cunctis esse vel vivere tribuit, Spiritus appellatur, ideo | vero Sanctus, 62r
quia cuncta per eum sanctificantur. Quamobrem si sanctificatos convenit honorare, multo magis ipsum sanctificatorem, qui archano Dei consilio negocium evangelicum ita disponente, quinquagesimo a resurrectionis die, continente[c] in se magna mysteria et veterum sacramentorum et novorum, apostolorum mentibus coelitus illapsus, coeli muneribus, ut coeleste auspicarentur[d] negocium, corda illorum ferventi amore accendit ac splendenti lumine illustravit. Factus est subito de coelo sonus, quasi ferretur flatus vehemens et visae sunt[e] illis linguae divisae velut ignis et brevi ingenti fiducia animique praestantia ceperunt loqui tanta cuiuscunque linguae expressione, tanta vehementia et gravitate, tam decora ac plene loquente actione, ut externarum nationum homines divina dona cernentes nil aliud potuerint quam obstupescere[4]. O miram Dei Opt. Max. clementiam meritis omnibus superiorem! O immensum divinae bonitatis beneficium cunctis obvium! O veram stupendam virtutem Spiritus Sancti copiosissime dispensatam, quae terrenos homines coelestes effecit, ut a temporali manifestatione venientis ad occultam aeternitatem semper praesentis converterentur! Sed minus est omne, quod dicimus; magnitudo enim huius Spiritus nostram extenuat orationem. *[Enumerantur praecipua opera, quae Spiritui Sancto attribuuntur in veteri et novo testamento, in historia ecclesiae et in quotidiana sacramentorum administratione; per invocationem eiusdem Spiritus terminatur haec prima pars orationis.]*

Sed redeo ad evangelium. Nam propemodum videor oblitus instituti; ac utinam, 63r
patres amplissimi, iustum temporis spacium pro vestra humanitate ad dicendum hodie eatenus cursum sustineret orationis meae, quoad aperire possem, quid nobis haec enarrati[f] evangelii imago demonstret. ⟨Et quidem ad Spiritum Sanctum pertinet charitas, iccirco in evangelica nunc recitata hystoria Servator noster illam discipulis commendavit.⟩[g] *Si quis* (inquit) *diligit me, sermonem meum servabit et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus;* si ergo Deum diligimus, charitatem ipsa re declaremus; hanc observatio praeceptorum arguet, quoniam qui non diligit, praecepta Dei non curat; hunc Pater odit, quia negligit et Dei praecepta; sed *qui habet mandata et servat ea, ille est, qui diligit*[5], qui habet in

[a] *C 119* faveas [b] *C 119* Dulcissimum quiddam [c] *C 119* continentem
[d] *C 119* auspicaretur [e] *C 118* sint [f] *C 119* narranti [g] *C 119 om.*

[1] Evangelium in festo Pentecostes est *Io.* 14, 23—31.

[2] Scil. in festo Pentecostes (29. Maii) 1547 coram patribus concilii Bononiensis (cf. Conc. Trid. I 656 l. 44 sq.). Quae oratio, cuius argumenta eadem sunt ac illa supra enumerata, eodem anno Bononiae apud Bartholomaeum de Bonardo typis excusa est.

[3] *Phil.* 4, 7. [4] Cf. *Act.* 2, 1—6.

[5] *Io.* 14, 21.

memoria et servat in vita, qui habet in sermonibus et servat in moribus, qui habet audiendo et servat faciendo; ipse est (inquit), qui diligit me et *diligetur a Patre meo*[1] et *rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis*[2]; seipsum advocatum esse ostendit et alium, si modo diligerent, mittere promittit. His et similibus colloquiis Servator noster corda discipulorum inflammabat.

Et hic iure mihi optarim ingenii foelicitatem et eloquentiae vires, ut explicare valerem, quid sibi velit Servatoris nostri ad charitatem exhortatio; eo nimirum facto significare voluit, oportere quidem episcopos et eos, qui evangelico negocio praesunt, plebem sibi
63v commissam ad charitatis exercitia ⟨adhortari, non ad prophanum ocium, non ad sordida negocia, non ad lusus aut venatum, non ad voluptates et carnis commoda, sed ad sublimia et spiritualia exercitia⟩[a], ad gratiarum actiones, ad expurgationem animi, si quid forte labis est contractum, ad lectionem sacrorum voluminum; ac multa ad docendum efficacissima ex veteris ac novi testamenti libris deproma[n]t. Quod[b] si tu, qui evangelicum agis praesulem, scire cupis, quid tibi illa Servatoris nostri ad amorem et dilectionem exhortatio designet, iam ipsum, quo decoraris, episcopi nomen id tibi facile declarat, nimirum ut custodis, ut speculatoris, ut superintendentis officium tuearis et exerceas, ut, qui plus caeteris dona Spiritus Sancti accepisti, prae caeteris divino et proximorum amore flagrantia gestes praecordia, coelestia anheles, omnibus praesidio maximo sis et adiumento, ut sollicite dispicias et circumvigiles, habeas oculos ad gregis tibi commissi custodiam, ne quid pereat, ne quid aberret, ne quid illi desit sive consolatio sancta, sive exhortatio ardens, sive correctio prudens, sive doctrina salutaris, sive incorruptae vitae exemplar. Et his sacratioribus studiis ipse evangelicus doctor pectus suum velut opulentum thesaurum sibi constituat, animum sibi formet coelestem, qui in Dei aulam misceat cum Christo colloquia sancta, cum consulat, deprecetur, precetur, imploret, obtestetur, flectat, ut ab eo colloquio semper seipso maior, melior et vegetior ad charitatis officia exercenda redeat et charitas flagret, tota currat in Deum et gratuletur, gaudeat, applaudat, exultet, quod in cordibus nostris dederit verum[c] pignus et *primitias spiritus*[3]. Proinde bis evidenter facta fuit Spiritus Sancti donatio, quandoquidem duo sunt praecepta charitatis, quae fons est et origo bonorum operum et obedientiae mater, tum praeceptorum finis, tum etiam vinculum perfectionis. Iccirco quantum quisque amat et Deum et proximum, tantum habet Spiritum Sanctum, quem vel ex hoc adesse cognoscis, si studeas vinculum pacis
64r servare in unitate Spiritus, si pondus | praelationis in Christi gloriam et animarum salutem disponis, si, dum in nostra sunt potestate, remedia convertimus ad meliora, si festinamus vitiorum nostrorum exhaurire sentinam[d], denique si charitatem habeas; quam qui non habent, frustra iactant evangelii promissiones, quorum mores cum evangelicis constitutionibus pugnant; frustra iactant fidei necessarium salutis exordium, quorum charitas fidei non ducit ad opera sancta, neque alia ratione Deo placere possumus, quam qua Christus placuit. Ille per charitatem, per obedientiam, pietatem caeterarumque virtutum exercitia coram Patre iustus fuit, ad Patrem accessit et ad Patris dexteram est collocatus. Quamobrem cognoscit coelestis ille Pater iustos filios et haeredes, qui mentem ad exemplar Christi institutam et compositam habent atque ad illius imaginem charitate configuratam. Nam alioquin in Christo non fuit fides, in quo, si charitas et obedientia non fuisset, nequaquam a Patre ut filius et iustus agnitus fuisset; ac nobis quidem accedentibus ad Deum necessaria est fides et spes, eo quod sine illa coeca est natura et sine ista iacet. Verum accessus ratio charitati data[e] est, unde cum tot sint iniqui Christiani fidem sine charitate habentes, beati illi, qui in coelesti patria aeterna fruuntur foelicitate, charitatem sine fide habentes Deo sunt dilectissimi.

Sed iam tempus est, ut me colligam ad orationis finem; neque enim exaggerabo quam deceat vos illa Christi verba animadvertere, quibus post maximum dilectionis praeceptum certandi vincendique formam ac specimen exhibuit. *Non* (inquit) *turbetur cor vestrum neque formidet;* ac quidem vel ex hoc maxime turbari non debet, quia per illum dabitur[f] victoriae corona, dabitur gloriae consortium. Hanc a vobis, patres consultissimi,
64v animi magnitudinem Christum hodie expetere facile colligitur, ut malorum omnium | in christianam rempublicam insurgentium tempestatem magnitudine animi superetis, confiden-

[a] *C 118 om.* [b] *C 119* Qui [c] *C 118* arram
[d] *C 119 add.* non enim nocent peccata praeterita, si non placent praesentia
[e] *Codd.* sita [f] *C 119 add.* nobis robur, dabitur

[1] *Io.* 14, 21. [2] *Io.* 14, 16. [3] *Rom.* 8, 23.

tiam mundi perniciosam, infoelicissimam gloriae rationem procul abiicientes, in Deum fiduciam habeatis. Et o miseram ac flebilem nostri temporis Christianorum fiduciam! Quotus enim quisque est, qui hoc exitioso non feratur mundi amore ac falsa fiducia? Deo non fidimus, Deum non diligimus, ab eo non pendemus, aut sic[a] pendemus, ut humana praesidia primo loco respiciamus, non animadvertentes ab hac praepostera fiduciae ratione omnes angustias nostras proficisci. Hinc procellae tempestates, seditionum turbines, haeresum et errorum diluvium. Hinc nos vitia nostra neque pati possumus neque corripere studemus. Urgemur periculis externis, domesticis, intestinis et huc et illuc, sursum deorsum volvimur, revolvimur, terrenarum rerum falsa fiducia allecti nescimus remedia invenire. Vos igitur, patres perspectissimi, quos in legum[b] specula posuit custodes et fideles servos super familiam suam constituit[1] ac super candelabrum lucernas[2] erexit, Servator noster alloquitur. Non est, quod turbetur cor vestrum. Et si aliquando, nunc maxime Christi negocium (quod fausto iam pede coepistis) perficite. Laborate secundum exemplum, quod vobis in monte monstratum est. Mons Dei, mons, inquam, in quo beneplacitum fuit divinae providentiae habitare[3] ac Filii sui unigeniti vicarium in terris constituere. Hic iam olim in his Tridentinis montibus legatus dignissimus, nunc Iulius eius nominis tertius pont. max. tanto splendore, tanto robore, tanta charitate populum Dei electum sibi commissum prosequitur veluti gentium apostolus ac alter Moses, in quo apostolici muneris species reluxit, ut pro eorum salute nec deleri de libro vitae[4] neque anathema fieri a Christo[5] formidet. Adest Caesaris invictissimi et pietas et diligentia, qui contemptis adversitatum omnium procellis, incredibili zelo et ecclesiae | et veritati 65r fidei favet. Nec dubitandum est, quin et reliqui christiani reges et principes ex animo salutem omnium ac morum reformationem exoptent. Sed quid moror? Nonne habetis Spiritum Sanctum, qui vos unanimes ex diversis regionibus congregavit, ut omni formidine superiores nullo malorum genere ab evangelici muneris functione[c] deterreamini? Sed ad omnia pericula principes vos praestetis. Et quis noceat ei, qui Spiritum Sanctum habet protectorem? Nonne maximum pignus Spiritus Sancti habemus, nempe ipsam hanc prosecutionem concilii, in quo multis iam terrarum difficultatibus superatis convenistis? Et convenient plurimi Christo duce et auspice Christo, ut insipientibus magistros, ut coecis duces, aegrotis animis medicos, errantibus[d] pastores, dissidentibus iudices, omnibus denique ⟨patres vos ipsos praebeatis atque praestetis⟩[e], in quibus pietatis simulachrum, charitatis studium, humilitatis decorem virtutumque omnium speculum aspicientes vestri potissimum imitatione erudiantur. Alioquin qui evangelium, qui decreta, qui consuetudines in ore habent, magna observatione[f] ea docentes et in actionibus vitae et morum exercitio, quae evangelio, quae decretis, quae consuetudinibus adversantur, tenent. Horum doctrina quid ponderis queso habere poterit? Quis enim ex animo suadere virtutem credat, qui male vivit? Non est, qui illum ex professo de coelesti foelicitate loqui existimet, quem terrenis delitiis cernit dissolutum. Veh istorum pravae vitae moribus, quibus destruunt, quicquid dicendo aedificant. Illa, illa foelicissima est evangelici verbi Dei dispensatio, quae ex cordibus evangelizantium proficiscitur[g], nimirum vita doctrinae per omnia correspondente! Quam occulte divina quaedam in corda ferit, quam subtiliter[h] penetrat animos hominum, ⟨quam fervide a terra ad coelum | attrahit⟩[i], quam ardenter ad resipiscentiam compellit, 65v quam suaviter ad perseverantiam confirmat, ⟨quam beate ad perfectiora ducit⟩[i], quam gloriose Christi nomen in vita Christianorum reddit illustre[k]! Et o felices populos talium episcoporum! Hi sunt reverendi Christi ministri, in quorum gestu et corde dicas illucere Spiritum Sanctum, quem, si habetis, ut amplius habeatis, rebus omnibus contemptis ad vere magnas et laborum plenas divitias studium convertite et praestigiosis voluptatibus animum abdicate; curate non hominibus, sed Deo placere; ne videamini Christi negocium deserere, fluxas et fortunae ludibrio subiectas opes aspernite, fallacem hanc gloriam, vanum fortunae applausum, humanas considerationes execramini[l]. Rapidissimum esse mundi cursum ac totius mundi homines, qui nunc supersunt et nos ipsos brevi defuturos semel atque iterum cogitemus, ut spiritum carnis, qui mollia, spiritum mundi, qui vana, spiritum malitiae, qui amara loquitur, fugiamus. Quod ut fiat, ardentissimis precibus

[a] *C 118* si [b] *C 119* legem [c] *C 119* defunctione [d] *C 119* errabundis
[e] *C 118* vos patres praestetis atque eos praebeatis [f] *C 119* asseveratione
[g] *C 119 falso* proficisci [h] *C 119 add.* corda [i] *C 119 om.*
[k] *C 118* illustres; *C 110* illustrem [l] *C 119* execrate

[1] Cf. *Matth.* 24, 45. [2] Cf. *Matth.* 5, 15. [3] Cf. *Ps.* 67, 17. [4] Cf. *Ex.* 32, 32. [5] Cf. *Rom.* 9, 3.

triplicem illum, quem David optabat obtinere, spiritum interpellemus[1]: Spiritum Sanctum, qui odit sordes nec habitare potest in corpore peccatis subdito, ne proiiciamur a facie eius, Spiritum rectum, qui Filius est, ut veterem hominem exuens novam induat[a], Spiritum principalem, Patrem inquam, ut confirmati in charitate excellentiam[b] Sancti Spiritus ac donorum varietatem[c] confiteamur; dilectionis praeceptum prae oculis habeamus, ut invicem diligamus, quam deceat episcopos et[d] evangelicos doctores; docere praecipiendo, quae faciendo confirmant, saepius repetamus. Denique vestigia Servatoris nostri sectemur, qui vel si urbes incolebat vel si vicos et oppida peragrabat vel si lacus adibat, si penetrabat in deserta, si descendebat in campestria, si conscendebat montes aut docebat aut consolabatur aut
66r pascebat aut sanabat aut liberabat aut revo|cabat ad vitam, nec ab ullo secedebat loco semper et per omnem occasionem, quin ibi charitatis monimenta relinqueret, quoniam vere dilexit Patrem, et sicut mandatum illi dedit, sic recte omnia fecit.

Publicatio iubilei concessi orantibus pro felici successu concilii facta Tridenti praelatis ipsius concilii[2].

17. Maii.

[Vide Conc. Trid. II 232 l. 5 sqq.]

Vesperae concilii in vigilia Sanctissimae Trinitatis.

23. Maii.

[Vide Conc. Trid. II 232 l. 33 sqq.]

Adventus episcopi Segobricensis Tridentum.

23. Maii.

[Vide Conc. Trid. II 232 l. 36 sq.]

Missa concilii dominica festivitatis Sanctissimae Trinitatis.

24. Maii.

[Vide Conc. Trid. II 233 l. 1—6.]

66v
Oratio habita a R. D. Martino Olaveo, sacrae theologiae doctore, Caesareae Maiestatis sacellano[3], in dominica Trinitatis ad patres concilii 1551.

[In prooemio Olaveus personam suam ad concionandum coram tam illustri et erudito patrum conventu ineptam esse affirmat; quare audientium benevolentiam opemque B. Virginis implorat. Tres rationes in ecclesia antiqua ad institutionem festi SS. Trinitatis fideles adduxisse credit, licet aliqui pii et religiosi viri specialem festivitatem Trinitatis minus probandam esse putaverint, quia quotidie Christiani SS. Trinitatem adorare et venerari debeant. Institutum autem hoc festum fuisse: 1. ut coleretur unitas trium personarum in essentia et divinitate; 2. ut ii, qui secundum consuetudinem veteris ecclesiae paucis ante diebus baptizati fuissent, in fide imprimis SS. Trinitatis firmarentur; 3. ut plurimi haereticorum circa hoc dogma errores, qui tempore nascentis ecclesiae crassabant, refutarentur et vera Trinitatis fides in universo populo explanaretur. Aut de mysterio SS. Trinitatis loqui aut de fructu huius fidei disserere et admonitionem ex verbis hodierni evangelii haustam ad patres dirigere se posse asserit. Alterum facere sibi proponit, quia ad tanti mysterii explicandam veritatem coram patribus se indignum putat. Licet hic fidei articulus de SS. Trinitate una cum eo de incarnatione omnium gravissimus sit, tamen Deum permisisse per 700 saecula, ut ab haereticis (qui nominatim enumerantur) vehementissime impugnaretur. Sed postea ecclesiae, quae omnibus suis viribus restiterit haeresibus, pacem restitutam esse. Sic etiam hodiernis temporibus speran-

[a] *C 118* inducat [b] *C 118* excellentia [c] *C 119* varietate [d] *C 119* ad

[1] *Ps.* 50, 12 sqq. [2] Cf. supra p. 16 n. 13. [3] De quo cf. Conc. Trid. II 228 adn. 7.

dum esse fore, ut cura patrum ad hoc concilium congregatorum errores refutentur et haeretici, qui fidem SS. Trinitatis verbo saltem et ore adhuc confiteantur, ad unitatem ecclesiae reducantur.]

De quo fructu dum breviter, quemadmodum ante promisi, iuxta evangelicae lectionis [69r] ordinem dico, a vobis, Ill^mi^ et amplissimi patres, peto, ut me pro vestra charitate benevole et attente audire velitis. Inicium igitur hodierni evangelii hoc est[1]: *Cum*[a] *venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Inter omnia commoda et ornamenta, quae ex vera et viva divinae Trinitatis fide hominibus accedunt, illud haud dubie est multo maximum et praestantissimum, quod per hanc fidem spiritaliter generamur et a carnalibus terrenisque hominibus distinguimur et separamur, suscepto per eam illo Paracleto Spiritu, qui spiritui nostro testimonium de Christo praebet, quemadmodum verba ex evangelio proposita significant. De quo Spiritu loquens Ioannes in prima sua canonica similem omnino sententiam profert: *Spiritus est* (inquit ille), *qui testificatur, quoniam Iesus est veritas*[2]. Ea autem statim verba subiicit in huius sententiae confirmationem, quae apertissime exprimunt eam de divina Trinitate fidem, quam perpetuo catholica ecclesia retinuit. Sic enim ait: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et ii tres unum sunt*[3]. Nam quidam dicere ausi sunt fortasse haec verba ab | [69v] ipso apostolo scripta non fuisse, sed addita ab aliquo contra Arrianos[4]; satis inde refellitur, quod eadem a D. Cipriano, qui multo fuit Arrio antiquior, citata reperiantur tractatu de simplicitate praelatorum[5], quem[b] genuinum Cypriani opus esse nullus unquam negavit nec negare quidem potest. Eadem vero citata etiam invenimus ab Hygino[c] papa[6], qui fuit nonus a D. Petro, ut Eusebius scribit[7]. Porro quod in verbis ex evangelio citatis dicitur (unde id breviter etiam expediri libet, antequam ad institutum sermonem accedam), quod dicitur (inquam) Spiritum Sanctum a Patre procedere, mitti autem a Filio, non ita accipi debet, quasi non idem mittatur etiam a Patre et procedat a Filio; sed hac ratione loquendi usum fuisse evangelistam existimare debemus, ut D. Augustinus et alii veteres interpraetes nos admonent, quo distinctio personarum magis exprimeretur[8].

Venio iam ad generationem spiritalem, quam uberrimum et praestantissimum fructum esse dixi fidei vivae S^mae^ Trinitatis ac Spiritus Paracleti, quem per eam assequimur. Eius quanta sit dignitas, amplitudo, maiestas, an non illa eiusdem evangelistae verba abunde demonstrant? *Dedit* (inquit) *eis potestatem filios Dei fieri, iis, qui credunt in nomine eius*[9]. Nam quam filiationem hic D. Ioannes designat, eam D. Petrus eiusmodi esse demonstrat, ut per illam scribat effici nos divinae consortes naturae[10]. Itaque cum eius excellentiam ipse D. Ioannes admiratione plenus secum computarit, hortatur alio loco Christianos omnes, ut grato et memore animo de tam magnifico genere et tam coelesti ac divina nobilitate cogitantes ad veram Dei dilectionem et mundi dispicientiam incitentur. *Videte* (inquit), fratres, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus; propter hoc mundus non novit nos*[d], *quia non novit eum*[11]. Ne autem veniret in mentem suspicari, tam alta stirpe natos vires fortasse satis magnas ad vincendum | [70r] mundum et peccato resistendum non habere, animat nos idem et corroborat in eadem epistula dicens: *Omne, quod natum est ex Deo, vi[n]cit mundum et haec est victoria, quae vi[n]cit mundum, fides vestra*[12].

[a] *Codd.* dum [b] *Codd.* quare [c] *Codd.* Hicinio [d] *Codd.* vos

[1] In Missali Romano ante reformationem per Pium V factam evangelium in festo SS. Trinitatis erat *Io.* 15, 26—16, 4.

[2] *1 Io.* 5, 6. [3] *Ibid.* 5, 7.

[4] Lutherus in expositione epistulae primae S. Ioannis de anno 1527 (quae tamen non ante annum 1708 typis excusa est) hunc locum 1 Io. 5, 7 ab orthodoxis contra Arianos additum esse asseruit. (*Editio Weimarien.* XX [1898] 780.) Forsan cognovit Olaveus etiam opinionem Ioannis Bugenhagii, qui in commentario ad Ionam prophetam (Wittembergae 1550) hunc locum spurium confirmavit eumque ab Hieronymo textui insertum credidit, quamquam ei videbatur haec verba contra Arianos minime adduci posse, imo potius ab Arianis inventa esse, quia, si unitas Patris et Filii et Spiritus Sancti eadem esset ac illa spiritus, aquae et sanguinis, opinio Arianorum de Trinitate recta esset, cum non esset unitas essentiae. Cf. *A. Bludau,* Das Comma Ioanneum im 16. Jahrhundert, in: Biblische Zeitschrift I (1903) 300 393.

[5] Potius in libro de unitate ecclesiae. *Migne,* P. lat. IV 504. Sed S. Cyprianum hoc loco non citasse verba 1 Io. 5, 7, sed verba 1 Io. 5, 8 intellexisse de SS. Trinitate ideoque non esse testem authenticitatis verborum 1 Io. 5, 7 probavit *K. Künstle,* Das Comma Ioanneum (Freiburg i. B. 1905) 6 sq.

[6] *Hyginus* papa, Epistula 1 ad omnes Christi fideles. *Migne,* P. gr. V 1090; sed epistula spuria est.

[7] *Eusebius,* Historia ecclesiastica IV 11. *Migne,* P. gr. XX 327/328. Die griech. christl. Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte, *Eusebius* II 1 (Leipzig 1903) 320.

[8] *Augustinus,* Tractatus 99 in evangelium Ioannis n. 8 et 9. *Migne,* P. lat. XXXV 1889 sq.

[9] *Io.* 1, 12. [10] *2 Petr.* 1, 4.

[11] *1 Io.* 3, 1. [12] *Ibid.* 5, 4.

Et rursus: *Scimus, quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum et malignus non tangit eum*[1].

At mihi quidem, patres, ita videtur, quem haec tantae dignitatis meditatio non moverit, ut spiritalis generationis excellentia cognita et perspecta dignum aliquid semper tanto munere et faciat et sentiat atque a corporis obsequio indulgentiaque discedat, difficile illum quavis alia ratione ad verum et directum christianae vitae iter posse revocari. Quare et in apostolicis literis admonitiones et hortationes recte vivendi saepissime ex hoc loco petitas esse animadverti. Nam ut ex D. Paulo et D. Ioanne nihil citem, quod plane eorum omnia scripta nihil frequentius resonent et inculcent, certe D. Petrus ex eo, quod nos dixerat, per Christi gratiam eiusque veram cognitionem nos divinae naturae consortes effici, hortatur, ut fugiamus eius, quae in mundo est, concupiscentiae corruptionem. Et alibi castificare nos iubet animas nostras, quod non ex semine corruptibili renati simus[2]. Quod natum est ex carne, carnem esse, quod autem natum est ex Spiritu, spiritum esse[3], nihil aliud plane voluit quam studia nostra commovere ad spiritalem suam legem custodiendam. Quid enim aliud ea verba significant, quam mirum accidere nobis non debere, si carnales homines carnem sentire et carnem in suis actionibus sequi videamus, verum absurdissimum esse christianos homines, qui ex Spiritu renati sunt, quicquam nisi spiritale sapere ac redolere? Solent qui principum et illustrium virorum liberos instituunt, si quid ab eis abiectius et indignum suo genere committi videant, sanguinis nobilitatem ipsis exprobare et huius laude ac commendatione ad virtutis et splendoris amorem illos incen-|
70v dere et excitare. Nos igitur, patres, quos Pater coelestis suos filios nominari et esse voluit, quanta tandem repraehensione et poena digni erimus, si in hoc conspectu et cognitione coelestis nobilitatis nostrae in delitiis et voluptatibus tanquam bruta animantia vitam collocamus? Si inanem hanc mundi pompam et fugacem saeculi gloriam quasi perniciosam labem non opprimimus? Si alio denique quam ad coelestium et immortalium rerum studium curas et cogitationes nostras traducimus? Quod si meditatio haec Christianos omnes hortari ad decus et revocare ab omni ignavia et turpitudine potest, profecto, patres, vos maxime commovere illa debet, ut sanctissimum istud munus, quod geritis, inculpate et maxima cum diligentia praestetis, id quod ita demum verissimum esse cognoscetis, cum vestris animis reputetis, in hunc vos finem ad hanc synodum esse vocatos, ut de conservanda in plurimis, de recuperanda vero in aliis etiam non paucis amissa una cum fide coelesti indole ac filiatione tractetis. Deinde, si existimatis a vobis omnia Catholicorum et filiorum Dei subsidia expectari, in vestra diligentia et virtute, in vestris iudiciis atque sententiis ecclesiae totius statum, remedium unius praesertim miserae et afflictae Germaniae, spem reliquarum provinciarum positam esse atque defixam.

Iam vero cum initium hodierni evangelii alium praeterea Spiritus Paracleti fructum ac fidei, per quam nobis illum Deus impartitur, hunc esse demonstret, ut de Christo testimonium dare possimus, quanto tandem vos, patres, studio fidem hanc colere et Spiritum Paracletum implorare convenit? Impetratum autem semel, quanta animi puritate et reverentia tueri et conservare oportet? Qui huc ex diversis mundi regionibus accessistis non modo, ut puram et germanam Christi Salvatoris nostri fidem et doctrinam explicetis, verum etiam, ut Christianis omnibus legem vivendi ac disciplinam detis, Spiritu utique opus habetis,
71r qui vos | perinde ut apostolos non tantum scientia veritatis illustret, sed et constantiae et fortitudinis dono corroboret et confirmet, ut acerrime abusus omnes repraehendatis et quam fortissime carnalibus hominibus resistatis, ut constantissime etiam in hoc concilio perseveretis nec unquam animo deficiatis, sed praestantius existimetis vos onere suscepti oneris opprimi, quam id propter molestiam abiicere vel, ut ullis placeatis hominibus, deponere. Cogitare enim saepe illud debetis, quod mihi quidem valde est verisimile, nisi in hoc concilio his morbis (qui tam vehementer universum christianismum nunc affligunt) remedium afferatis, eo prorumpere hominum malitiam, ut omnino intolerabilia sequutura mala timere nos oporteat. Quare Spiritus Dei sedulo est a vobis implorandus, quoniam absque eo nec recte sapere nec bene quicquam agere potestis.

In propheticis et apostolicis litteris frequens est haec loquutio, ut pro charitate aut spe aut quavis alia virtute Spiritum charitatis vel spei legamus. Admonet autem nos hoc additamentum eam virtutis actionem esse significatam, quae non possit a solis nostris viribus absque ope et impulsu Spiritus Sancti proficisci. Quanquam autem saepe accidat, ut, qui inhabitantem Spiritum Sanctum non habent, Spiritus tamen divini auxilio acti et impulsi

[1] *Ibid.* 5, 18. [2] *1 Petr.* 1, 22 sq. [3] *Io.* 3, 6.

multas actiones recte edant, quibus ad suscipiendam ipsius Spiritus gratiam praeparentur.
Verum qui Spiritum ipsum inhabitantem per charitatem in cordibus suis diffusam[1] possident,
illi vero soli sunt, qui digne de Christo testimonium dicere possunt. Ut enim nemo scit,
quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est, ita quae sunt Dei, nemo noscit
nisi Spiritus Dei[2]. In spiritali autem generatione non spiritum mundi, sed Spiritum Dei
accipimus, per quem ea, quae sunt Dei, cognoscere et aliis explicare possimus. Accipimus
etiam Christi Spiritum, quoniam membra eius corporis, cuius ipse caput est, per hanc
generationem efficimur. Constat autem capitis et membrorum unum spiritum | atque ean- 71v
dem vitam esse, derivatam illam quidem atque diffusam ex capite in caetera membra;
unde intelligitur eos dumtaxat recte et commode de Christo Domino posse testificari,
qui ita cum eo uniti et copulati sunt, ut ad communionem Spiritus et vitae eius vocati
videantur.

Ut ad institutum igitur sermonem redeamus, certe, patres, si ullo unquam tempore
plurimum totius ecclesiae interfuit, pastores ullos et rectores eius spiritales viros esse et
magnam morum [et] vitae religionem, maximam verborum et sententiarum fidem et pietatem
colere, nunc maxime refert vos, qui eius partes in hac synodo sustinetis, eiusmodi esse.
Nam cum satisfacere vos oportet bonis omnibus, qui, cum non ignorent, quae in vestris
sententiis vis, quae auctoritas, quod pondus existat, consilium nunc certe vestrum, gravi-
tatem, providentiam, innocentiam vitae et maximum Christi gloriae ac salutis animarum
zelum vehementer implorant, tum etiam expedit, ut gravitate sententiarum ac constantia
eorum ora obstruatis, qui synodum vestram ludum putant, quaecunque in ea decernuntur,
iocum arbitrantur. Necessum est praeterea, ut amissam in maxima orbis parte ecclesia-
sticorum existimationem ostensione spiritus et optimae vitae exemplo ac sanctissimis in-
stitutis reconcilietis. Eratis quidem vos, patres, antequam huc veniretis, *sal terrae*[3] aut
esse certe pro vestro officio debebatis, ut carnalibus hominibus, qui quasi bruta animalia
pascendi vobis traditi erant, salem spiritus lambendum praeberetis; at nunc verissime, ut
salem totius terrae et universi mundi lucem in hac vos synodo tanquam in edito monte
et toti orbi conspicuo Christus collocavit; ex quo intelligitis quam gravi in discrimine
versemini, nisi importunis et assiduis precibus promissum ab illo Spiritum veritatis hoc
tempore flagitetis. Non enim ignorare potestis, quam periculosum superbumque sit, cum
lucis et salis ad illustrandam et condiendam | ecclesiam officio fatigamini, vos absque luce 72r
et sapore Paracliti Spiritus in tenebris huius mundi insulsos et infatuatos residere. Agite
igitur, patres, per eam, qua vos Christus invitat et in filios suscipere paratus est, chari-
tatem, quantum et quam sanctum munus sustineatis, tandem aliquando alta mentis con-
sideratione perpendite; colligite vos hoc tempore arctius quam unquam ante, orationi
instantius vacate; exprimite moribus vestris illos Spiritus fructus ab apostolo tantopere
commendatos; desideriis omnibus externi hominis tantam vim afferte, ut etiam a multis
voluptatibus et animi remissionibus aliis hominibus concessis abstineatis, omnia fortunae
et temporis munera magno et forti animo despicite, quo vis Spiritus vestros animos in-
habitantis ita hac ratione in vobis eniteat, ut, quod accensa candela tenebris, quod petra
salis brutis animalibus esse solet, id vos caeteris hominibus sitis; nec ullus posthac ad
vos veniet, qui irradiatus splendore luminis vestri et quasi salis attactu sapore quodam
rerum coelestium conditus non discedat. Sed haec de utilitate et necessitate Spiritus,
quem se missurum Christus in evangelio promittit, dixisse sufficiat.

Reliqua brevissime perstringamus. At quod statim quidem sequitur: *Et vos testi-
monium perhibebitis, quia ab initio mecum estis,* dubium non est, quin iuxta literalem sensum
ad illos dumtaxat discipulos pertinuerit, quibus cum Christo Domino magna familiaritas
et consuetudo intercessit; in spiritali tamen sensu recte id potest ad vos, patres, accom-
modari. Cum Christo enim fueritis et sitis oportet, ut testimonium de illo pro eo, ut
vestrum officium exigit, dare possitis. Cum Christo autem episcopum aliquem esse inter-
praetor ego, ita illum in eius lege die ac nocte meditari, ita toto animo et studio omni
ipsius gloriae servire, sic de implendo suscepto pastoris officio | esse sollicitum, ut reliquas 72v
omnes curas et cogitationes abiiciat. Nam ego sane inire rationem [n]ullam possum, ut
illos cum Christo esse et testificari de ipso recte posse vel defendam vel sentiam, qui,
cum amplissima stipendia cum titulis honorificentissimis ex munere ecclesiastico suscipiunt,
functionem tamen ipsam, quae tota ad spiritalem vitam pertinet, aut tanquam humilem
et abiectam contemnunt aut tanquam molestam et laboriosam aspernantur et repudiant.

[1] Cf. *Rom.* 5, 5. [2] *1 Cor.* 2, 11. [3] *Matth.* 5, 13.

Nec secus profecto de illis omnibus censeo, qui curis saeculi adeo sunt distenti, ut vix libere respirare eis liceat, tantum abest, ut in quiete et tranquillitate animi spiritualibus meditationibus vacare possint. Verissimum utique est, quod olim magnus ille Gregorius longa experientia edoctus et Spiritu Dei plenus dicere solebat: Qui saecularibus curis intenti sunt, eos tanto insensibiliores intus effici, quanto studiosiores ad ea, quae foris sunt, esse videntur; usu etenim terreni negotii animum ad coelestia desideria indurari[a], ipsum vero actionibus saeculi semel induratum emolliri postea ad ea, quae charitatis et Spiritus sunt, difficillime posse[1]. Ac deplorat ille quidem frequenter corruptos in ecclesiasticis suorum temporum mores; nihil aeque tamen atque haec rerum saecularium studia insectatur, quod ea maxime impediant et retardent homines, ne cum Christo vivant. Itaque illis magna ex parte assignat plurima gravissima mala, quae populum christianum vehementer tunc exercebant, atque illa Hieremiae verba plena equidem doloris identidem lugens inculcat: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum*[2].

Utrum autem quibus ille lachrymis, quo clamore et gemitu suo tempore uti consueverat, eisdem ego nunc etiam quam ille causatius uti possum, utrum mala haec, quae
[73r] hodie patimur, longe illa | quidem graviora et periculosiora, quam quae illis temporibus acciderunt, ex impurissimis et profligatissimis multorum ecclesiasticorum moribus manarint, non oportet vos a me, patres, admoneri. Non enim dubito, quin vos ipsi saepe pro vestra pietate verissima haec esse cum magno animorum vestrorum dolore recordemini. Nec vero ullum tam tardum esse arbitror, qui non sit id facile perspecturus, si modo nostras tenebras cum splendore vitae veterum nostrorum patrum, mundanum et Deo atque hominibus exosum fastum et luxum nostrum cum christiana illorum sobrietate et modestia, dissipatas et dissecatas sexcentis saeculis sollicitudinibus curas et cogitationes nostras cum assidua illorum oratione et arctissima spiritus collectione diligenter et studiose componat. Intelligitis igitur, patres, vos, qui ad custodiendas iustificationes Domini et legem eius exquirendam electi estis, nisi cum Christo sitis, officium istud vestrum praestare non posse.

Finem dicendi faciam, si paucissimis verbis, quae ad finem evangelii pertinent, complexus fuero. Sequitur igitur: *Haec loquutus sum vobis, ut non scandalizemini; absque sinagogis facient vos; sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo. Et haec facient vobis, quia non noverunt Patrem neque me. Sed haec loquutus sum vobis, ut, cum venerit hora eorum, reminiscamini, quia ego dixi vobis.* Quo in sensu haec a Christo Domino apostolis fuerint proposita et quemadmodum in eis impleta extiterint, non est opus hoc in loco a me commemorari. Ipsa enim rerum gestarum sequuta series (quam neminem vestrum latere scio) abunde haec omnia testatur et explicat. Illud ego existimaverim prorsus esse hoc in loco despiciendum, an ad vos, patres, qui apostolis in functione successistis, haec Christi hortationes et consolationes aliqua ex parte pertineant. Nam multi, quod vos non videant graviora illa pericula pro Christi nomine adhuc
[73v] esse perpessos | nec ea vobis impendere prospiciant, suspicabuntur fortasse sermonem hunc Christi ad vos minime esse directum. At ego longe aliter sentio et illum bono periculo affirmare ausim, quotquot inter vos, patres, sunt (nam multos esse equidem non dubito, cupio certe quidem nullum ex hoc numero exceptum esse), sed quotquot (inquam) inter vos sunt, ad quos Christus Paracletum suum misit Spiritum, quo afflati apud animos vestros statueritis, aperte et syncere absque ullo fuco et tegumento intrepide etiam et constanter testimonium de divina eius doctrina et voluntate contra carnales homines et nimium saeculi amantes in publicis hominum conventibus et in hoc praesertim concilio dicere aut expertos esse iam aut brevi fortasse experturos, non deesse his nostris temporibus saevissimos Christi et servorum eius persecutores.

Non enim desunt, patres, (utinam non tam multi passim occurrerent) homines corrupti mente, quibus Dei sapientia tam invisa est et tam ingens stultitia esse videtur, ut vos, si eam sequamini, sexcentis conviciis praessuri et laceraturi sint, vestram religionem hipocrisim vocabunt, statim vobis omnem rerum usum, omnem prudentiam, sensum etiam communem detrahent, vos de vestris sedibus deturbare, expoliare ornamentis omnibus nec in memorata tantum redigere, sed e vivis etiam, si modo possint, tollere conabuntur. Non deerunt (credite mihi), qui amplissimam vobis, si viri perfecti et gloriae divinae

[a] *Codd.* indurare

[1] *Gregorius Magnus,* Homilia 17 in evangelia. *Migne,* P. lat. LXXVI 1146. [2] *Thren.* 4, 1.

amantes sitis, occasionem saepe dabunt, eam delectationem capiendi, quam apostolos percepisse audimus, cum eos legimus *gaudentes a conspectu concilii* ivisse, *quod digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati*[1]. Optarem equidem, patres, minus mihi iuris esse, quam me nunc habere sentio, ad deplorandas eas querelas, quas adversus huiusmodi persecutores D. Bernardus suo tempore habere solebat; optarem, et minus hodie mihi liceret clamare cum illo: Amici tui, o Deus, et proximi | tui adversus te appropinquaverunt 74r et steterunt[2]. Omitto quae sequuntur. Nam ego nihil aliud nunc quam commonefacere vos, patres, volui, Christum verbis evangelii iam dictis non apostolos suos modo, sed et vos, si eorum vestigiis insistatis, adversus futuras persecutiones armare et munire voluisse, quas ideo praedixit, ut antea vobis promissae non tam vehementer postea ferantur. Admonet autem, ut memineritis, haec a se fuisse praedicta, ut si contigerit vos multis vexari contumeliis, plurimis iactari iniuriis, ignominiis omnibus appeti aut quavis alia ratione affici aut affligi, haec omnia magna cum patientia ipsius exemplo toleranda et perferenda a vobis esse intelligatis.

Causam autem et rationem, cur illi convicium vobis facere et quamcunque iniuriam inferre non dubitabunt, vos autem illatum aequo animo et cum humilitate ferre debeatis, solam hanc affert, quod Deum illi non noverint, vos autem noveritis. Quae profecto ratio magnum pondus et momentum habet, si recte inspiciatur. Sermo est enim de ea cognitione, quam vivam et effectivam appellamus, de qua loquens D. Ioannes in sua prima canonica, verba haec Domini optime interpraetatur[a]. *Vos* (inquit ille) *ex Deo estis, filioli, et vicistis eum*[b], *quoniam maior est, qui in vobis est, quam qui in mundo. Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur et mundus eos audit. Nos ex Deo sumus; qui novit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos*[3]. Et paulo post: *Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est*[4]. Ergo, patres, si Deum cognovistis[c] et filii eius estis, quamquam pro tuenda eius gloria strenue et constanter cum mundanis pugnare semper debeatis, ex dignitate tamen vestra esse intelligitis, ut pro ea charitate et lenitate, quam ex Christi exemplis et doctrina didicistis, nunquam malum pro malo, sed bonum semper potius pro malo reddatis, eorum ferocitatem et insolentiam patientia et mansuetudine comprimatis, superbiam humilitate | et modestia frangatis, loquacitatem silentio et modera- 74v tione retardetis. Hoc enim est directum ad aeternam gloriam cum labore sensus iter, quod Christus dux noster primus contrivit. *In mundo* (dixit ille paulo post verba evangelii nostri) *praessuram habebitis, sed confidite, quia ego vici mundum*[5]. Sane, Domine, tu primus mundum vicisti et viam nobis ostendisti ac munisti, quam ingressi facile de mundanis omnibus victoriam aeterna cum laude ferre possimus. De caetero autem, patres, (ut verbis epistulae hodiernae sermonem finiam) *perfecti estote, exortamini, idipsum sapite, pacem habete et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. Gratia Domini nostri Iesu Christi et charitas Dei et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen*[6].

Publicatio iubilei in civitate Tridentina orantibus pro felici successu concilii[7].

24. Maii.

[Vide Conc. Trid. II 233 l. 5 sq.]

Vesperae concilii in vigilia festivitatis Corporis Christi.

27. Maii.

[Vide Conc. Trid. II 233 l. 16 sqq.]

Missa et processio in festo Corporis Christi.

28. Maii.

[Vide Conc. Trid. II 233 l. 19—25.]

[a] *Codd.* interpraetantur [b] *Codd.* eos [c] *Codd.* non novistis

[1] *Act.* 5, 41.
[2] Cf. *Ps.* 37, 12. Ubi S. Bernardus his verbis utitur, non inveni.
[3] *1 Io.* 4, 4 sqq. [4] *Ibid.* 4, 8.
[5] *Io.* 16, 33. [6] *2 Cor.* 13, 11 et 13.
[7] Cf. supra p. 16 n. 13.

75r

Processio in die octavae festivitatis Corporis Christi.

4. Iunii.

[Vide Conc. Trid. II 234 l. 39—44.]

Ingressus Philippi principis Hispaniarum in civitate Tridentina[1].

6. Iunii.

[Vide Conc. Trid. II 235 l. 7—21.]

75v

Princeps Hispaniae legatum concilii visitat.

7. Iunii.

[Vide Conc. Trid. II 235 l. 22—24.]

Legatus principem visitat.

8. Iunii.

[Vide Conc. Trid. II 236 l. 1 et 2.]

Recessus principis ex Tridento.

9. Iunii.

[Vide Conc. Trid. II 236 l. 18—21.]

Adventus episcopi Solonensis Tridentum.

17. Iunii.

[Vide Conc. Trid. II 237 l. 7 sq.]

Licentia legendi libros haereticorum ac cum haereticis loquendi et versandi concessa praelatis et aliis existentibus in concilio.

Et quoniam pontifex superioribus mensibus, cum prospiceret haereses tot iam in
76r locis pullulasse et in dies magis magisque augeri, ex lectione librorum haereticorum | praecipue evenire, prohibuerat gravissimis sub censuris et poenis, ne libri praefati et alias prohibiti a quoquam quavis auctoritate seu dignitate fungente quovis praetextu, occasione, colore vel causa legerentur neve etiam apud se retinerentur[2], et nunc resumpto concilio non possint haereses ipsae commode perfecteque damnari vel impugnari, nisi prius diligenter et accurate ipsorum haereticorum libris ac opinionibus lectis, discussis atque examinatis, Sanctitas Sua, ut id sine conscientiae laesione ac censurarum et penarum incursu fieri possit, concessit potestatem R^mo^ legato una cum praesidentibus dandi licentiam praelatis ac aliis doctoribus et sacrae theologiae magistris in ipso concilio commorantibus ad effectum praedictum dictos libros prohibitos legendi et apud se retinendi ac etiam cum ipsismet haereticis (quos ad dictum concilium venire contigerit) loquendi, versandi ac comercium et communionem habendi, missis ad ipsum legatum et praesidentes litteris in forma brevis tenoris infrascripti, videlicet:

Breve, per quod pontifex concedit praelatis et aliis in concilio existentibus licentiam legendi libros haereticorum et cum ipsis haereticis loquendi et versandi[3].

Iulius papa III dilecto filio Marcello, tituli S. Marcelli presbytero cardinali, Crescentio nuncupato, nostro et apostolicae sedis ad concilium Tridentinum legato de latere,

[1] Cf. Conc. Trid. XI 629 n. 445 B.

[2] Breve *Cum meditatio* d. die 29. Aprilis 1550 apud *B. Fontana*, Documenti Vaticani contro l'eresia Luterana in Italia, in: Archivio della R. Società Romana di Storia Patria XV (1892) 412 sqq.

[3] Ed. *Theiner* I 182 sq.

et venerabilibus fratribus Sebastiano, archiepiscopo Sipontino, et Aloysio, episcopo Veronensi, nostris et ipsius sedis ad in dicto concilio una cum eodem Marcello cardinali et legato nomine nostro praesidendum nunciis salutem et apostolicam benedictionem. Quoniam inter caetera, quae a sacrosancta ista synodo ad laudem Dei omnipotentis et candorem | fidei 76v orthodoxae peragenda sunt, illud praecipuum nobis esse videtur, ut opiniones ac dicta et scripta haereticorum medio veritatis per Sanctum Spiritum enucleatae tollantur, confundantur et impugnentur, nos, ut id facilius ab ipsa synodo fieri possit, vobis quam venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus caeterisque praelatis ac etiam dilectis filiis in sacra theologia magistris ac iure canonico doctoribus, quibus vobis videbitur, quod durante ipsa sancta synodo et ei interessendo tam Lutheranorum et aliorum haereticorum quam quosvis alios libros prohibitos apud se habere, legere et perlegere ad effectum praedictum possint et valeant, auctoritate nostra indulgere possitis, apostolica auctoritate tenore praesentium facultatem elargimur, et praeterea tam vobis quam praedictis omnibus, quod similiter sine alicuius censurae ecclesiasticae incursu cum quibusvis Protestantibus, haereticis etiam manifestis, qui istuc venerint, communicare, versari et loqui possitis, indulgemus, constitutionibus et ordinationibus ac prohibitionibus apostolicis in contrarium forsan editis caeterisque contrariis non obstantibus quibuscunque. Datum Romae apud S. Petrum sub annullo piscatoris die 4. Iunii 1551 pontificatus nostri anno secundo.

Adventus regis Bohemiae Tridentum.

23. Iunii.

[Vide Conc. Trid. II 237 l. 28—31.]

Legatus concilii una cum praelatis regem praedictum visitat.

24. Iunii.

[Vide Conc. Trid. II 238 l. 1—5.]

Rex Bohemiae legatum concilii visitat. 77r

25. Iunii[1].

[Vide Conc. Trid. II 238 l. 6 sqq.]

Recessus regis Bohemiae ex Tridento.

26. Iunii.

[Vide Conc. Trid. II 238 l. 9 sq.]

Vesperae in vigilia festivitatis apostolorum Petri et Pauli[2].

28. Iunii.

[Vide Conc. Trid. II 238 l. 11 sq.]

Missa solemnis in festo apostolorum Petri et Pauli.

29. Iunii.

[Vide Conc. Trid. II 239 l. 13—16.]

[1] Sic. In diario Massarellus scribit 24. Iunii, quod tamen editor *S. Merkle* corrigendum esse credidit, Conc. Trid. II 238 adn. 6.

[2] Orationem hac die per Paulum Passotam ad patres concilii habitam vide in Appendice I n. 10.

77^{v} Nomina et cognomina praelatorum, qui sunt praesentes Tridenti in concilio die 29. Iunii 1551[1].

Legatus et praesidentes:

R^{mus} et Ill^{mus} D. Marcellus, tituli S. Marcelli S. R. E. presbyter cardinalis, Crescentius nuncupatus, legatus de latere et sacri concilii primus praesidens	Romanus
R. D. Sebastianus Pighinus, archiepiscopus Sipontinus, secundus praesidens	Regiensis
R. D. Aloysius Lyppomanus, episcopus Veronensis, tertius praesidens	Venetus

Cardinalis Tridentinus:

R^{mus} et Ill^{mus} D. Christophorus Madrutius, tituli S. Caesarei in palatio S. R. E. presbyter cardinalis et episcopus Tridentinus ac administrator Brixinensis	Germanus

Orator Caesareus:

Ill. D. Don Franciscus a Toleto, invictissimi Caroli V imperatoris augusti ad concilium orator et procurator	Hispanus

Archiepiscopi:

R. D. Salvator Salapusius, archiep. Turritanus et Sassarensis	Hispanus
R. D. Ludovicus Chieregatus, archiep. Antibarensis	Vicentinus
R. D. Petrus Tagliavia de Aragonia, archiep. Panormitanus	Siculus
R. D. Petrus Guerrero, archiep. Granatensis	Hispanus
R. D. Baldasar de Heredia, archiep. Calaritanus	Hispanus

Episcopi:

R. D. Gaspar Ioffredus, ep. Segobricensis et Albarrazinensis	Hispanus
R. D. Ioannes Bapt. Campegius, ep. Maioricensis	Bononiensis
R. D. Ioannes Fonseca, ep. Castellimaris	Hispanus
R. D. Ioannes Salazar de Burgos, ep. Lancianensis	Hispanus
78^{r} R. D. Petrus Varguer, ep. Algarensis	Hispanus
R. D. Hieronymus de Bononia, ep. Siracusanus	Siculus
R. D. Franciscus de Navarra, ep. Pacensis	Hispanus
R. D. Ioannes Iuppis, ep. Constantinensis, suffr. Barchinonensis	Hispanus
R. D. Petrus Augustinus, ep. Oscensis	Hispanus
R. D. Georgius Flach, ep. Solonensis, suffr. Herbipolensis	Germanus
R. D. Ioannes Bernardus Diaz, ep. Calaguritanus	Hispanus
R. D. Octavianus Praeconius, ep. Monopolitanus	Neapolitanus
R. D. Ioannes Fernandi Theminon, ep. Legionensis	Hispanus
R. D. Christophorus Roscius, ep. Ovetensis	Hispanus
R. D. Ioannes Emilianus, ep. Tudensis	Hispanus
R. D. Martinus Ayala, ep. Guadicensis	Hispanus
R. D. Nicolaus Psaulme, ep. Virdunensis	Lotheringus
R. D. Franciscus Salazar, ep. Salaminensis	Hispanus
R. D. Vincentius de Leone, ep. Bossanensis	Siculus
R. D. Egidius Foscararius, ep. Mutinensis	Bononiensis

Sacrae theologiae doctores et magistri:

R. Martinus Olaveus, procurator R^{mi} D. cardinalis Augustensis	Hispanus
R. Ioannes Arze, missus ab imperatore	Hispanus

[1] Praesidentes concilii de parvo Italiae episcoporum, qui Tridentum pervenerant, numero Romae questi sunt. Quare card. Maffeus eadem die 29. Iunii Massarello scripsit: «Mi maraveglio, che hormai non cominci a comparer qualchuno de nostri vescovi Italiani, poi che io non fo altro, che cacciarne di Roma.» Arch. Vat. *Conc. 139* f. 165^{r}, or. Cf. Conc. Trid. XI 630 n. 445 C et 633 n. 448.

R. Melchior Bosmedianus, cum R. D. Pacensi	Hispanus	
R. Melchior Cano, ord. Praedic., missus ab imperatore	Hispanus	
R. Franciscus Toro, cum R. D. Granatensi	Hispanus |	
R. Antonius Arias, cum R. D. Panormitano	Hispanus	78v
R. Iacobus Ferrus, cum R. D. Segorbicensi [!]	Hispanus	
R. Franciscus Heredia, procurator R. D. episcopi Tirasonensis	Hispanus	
R. Petrus Frago, cum R. D. Pacensi	Hispanus	
R. Sigismundus Phedrius, ord. Min. Convent.	Dirutanus	
[R.] Alphonsus de Castro, ord. Min. de observ., missus ab imperatore	Hispanus	
R. Antonius Ulloa, ord. Min. de observ., missus ab imperatore	Hispanus	
R. Didacus Chaves, ord. Praedic., missus ab imperatore	Hispanus	
R. Petrus Varguez, cum R. D. Granatensi	Hispanus	
Magn. et Gener. D. Franciscus Vargas, fiscalis et consiliarius Caesaris	Hispanus	

Oratio habita a R. D. Melchiore Bosmediano, Hispano, sacrae theologiae doctore[1], ad patres concilii Tridentini in festo apostolorum Petri et Pauli 1551.

Natura, Pauli consilio[2] ac consuetudine optima comparatum est, Rmi ac Illmi patres, illustres ac amplissimi praesules, doctores doctissimi ac christiana concio, ut rem magnam aggressuri vix audeant eam vel a limine salutare, quin prius ab illo summo rerum omnium opifice Deo opem divinae gratiae obnixis precibus petant. Quo fit, ut concionaturus ipse exposituursque (indignus licet) sacrosanctae solemnitatis apostolorum Petri et Pauli evangelium in celeberrimo isto oecumenici concilii Tridentini consessu te, Deus Optime Maxime, supplex orem, ut qui linguas infantium facis disertas[3], linguam meam erudias, instruas atque ornes, ut ad tui laudem nostramque salutem ista prosit oratio.

Nusquam magis de re aliqua sciscitatur, quam cum de ea variae sunt opiniones. Cum ergo eo tempore Christus Deus noster in partes venisset Caesareae (non illius, quae sita in Palestina turris | Strathonis vocatur[4], sed eius, quae in Phenice posita, Panias[a] 79r postea dicta est[5]), interrogavit discipulos suos: *Quem dicunt homines esse Filium hominis*[6]? Multi nanque multa de eo opinabantur; ob idque querebat ab apostolis suis, quem eum esse putarent. Cui illi dixerunt: *Alii Ioannem Baptistam,* cuius sententiae fuerat Herodes, cum Marc. 6[16] diceret: *Quem ego decollavi Ioannem, hic a mortuis resurrexit. Alii autem* (inquiunt apostoli) dicunt te esse *Heliam,* cum propter ieiunium quadraginta dierum aut vitae austeritatem, tum propter iustitiae zelum ferventissimum, miraculorum excellentiam imperterritamque mentis constantiam et constantissimam veritatis asseverationem. Quae omnia cum legissent in Helia fuisse eaque in Christo D. N. florere viderent, eum Heliam esse putabant, vel quod denuo natus esset, vel quod iam olim in carne vivens eo tempore apparuisset. Nonnulli etiam erant, qui Iesum Hieremiam esse coniicerent, commoti fortasse verbis illis Hieremiae 1 [9 sq.]: *Ecce dedi verba mea in ore tuo. Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas et destruas et disperdas et dissipes et aedifices et plantes.* Et quia haec verba vivente Hieremia non fuerant impleta et nunc coeperant impleri in Iesu, salvatore nostro, putabant eum Hieremiam esse, vel forsan propter zelum illum veritatis et constantiam insectandi ac repraehendendi quoslibet. (Hieremias

[a] *Codd.* paucas

[1] Melchior Bosmedianus (Vosmedianus), doctor saecularis Hispanus, presbyter Palentinus, theologus episcopi Pacensis, iam interfuit concilio Tridentino prius coacto. Anno 1560 (Sept. 4) episcopus Guadicensis nominatus sub Pio IV concilii causa iterum Tridentum ivit. Votum suum de canone septimo sacramenti ordinis die 1. Decembris 1562 datum, in quo episcopos etiam sine consensu Romani pontificis consecrari et institui posse et revera in antiqua ecclesia institutos fuisse et suo tempore ab archiepiscopo Salisburgensi institui affirmavit, magni inter patres tumultus causa fuit. Cf. Conc. Trid. IX 194 l. 10 sqq.; Conc. Trid. II 664 l. 18 sqq. Resignavit anno 1574 mortuusque est anno 1587. Cf. Conc. Trid. V 1072 et *van Gulik-Eubel* III 223. Edidit indicibusque auxit Ivonis Carnotensis Panormias seu decretum (Lovanii 1557), quam editionem sequitur *Migne,* P. lat. CLXI 1038—1428.

[2] Forse cogitat de Pauli consuetudine deprecandi in principio epistularum suarum gratiam et pacem Domini pro fratribus.

[3] Cf. *Sap.* 10, 21.

[4] Cf. *Lexikon für Theologie und Kirche* II 775 sq.

[5] Nomen Panias antiquius est. Philippus oppido nomen Καισάρεια dedit, quo postea oblivioni dato primum nomen remansit. Cf. *ibid.* II 776.

[6] Evangelium in festo apostolorum Petri et Pauli est *Matth.* 16, 13—19.

enim constantissime sacerdotum pontificumque arguebat peccata, ut Christus faciebat.) Et utinam nunc aliqui in christiana plebe essent Hieremiae apud pontifices summosque principes et non pro Hieremia adulatores, palpones caeterique perditissimorum hominum genus! Alia etiam erat hominum illius temporis de Christo opinio, quod unus esset ex prophetis, in quam adducebantur eo, quod multa ab illis praenunciata legissent, quae cum in ipsis non impleta essent, in Iesu Opt. Max. impleri videbant.

79v Falsas ergo de eo Iudaei habebant opiniones, quia velamen eorum cordi | impositum merito habebant. Quibus veluti falsis auditis reiectisque ait Christus apostolis: *Vos autem quem me esse dicitis?* Digni enim estis, ut qui mecum noctu diuque versamini, veriora de me cognoscatis. Ait Simon Petrus, vertex apostolorum primus et ecclesiae princeps, respondit unus pro omnibus, quia unitas fidei, quam paulo post confessurus erat, in omnibus esse deberet, dixitque: *Tu es Christus, Filius Dei vivi;* tu (inquam) es Christus a Patre unctus, Dei Patris Filius, non excellentia virtutis, non adoptione, sed natura, illi coaeternus, eiusdem cum eo substantiae, principium illud, de quo deiloquus Ioannes ait: *In principio erat verbum et Deus erat verbum et verbum erat apud Deum; hoc erat in principio apud Deum; omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil, quod factum est*[1]. Principium (inquam) illud, in quo omnia, a quo omnia et per quem omnia, Filius Dei vivi, non falsorum, non mortuorum illorum deorum, quos[a] vana colit poesis, sed Filius Dei vivi, qui cuncta creavit, qui cuncta fecit, qui cuncta servat et sine quo nihil consistit, sed neque ad temporis momentum consistere potest. Haec (inquam), ait Petrus, est sententia mea, huic assentio, huic subscribo, pro qua denique moriar.

Quam cum Iesus Opt. idemque Max. audiret, dixit Petro: *Beatus es Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est.* Dicit hoc Petrus (ait Augustinus) et laudatur; dicit hoc daemon et damnatur[2]. Unde hoc, nisi quia vox par et cor impar? Tu, Simon Iona fili, beatus es, quia fidem hanc me dignam confessus es, non falsas opiniones longeque a vero alienas sicuti illi, qui me vel Ioannem vel Heliam vel Hieremiam aut unum ex prophetis iudicabant. Pater meus, qui verax est, imo ipsa veritas, is tibi revelavit veram, sanctam et certissimam de me sententiam atque fidem, ob idque *ego dico tibi,* «non sermone casso» (ut ait Hieronymus) «et nullum habente
80r opus, sed dico tibi, quia meum dixisse, fecisse | est»[3]. Quapropter hoc tibi fatebor, *quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam,* super hanc (inquam) petram, quam confessus es, fidem scilicet et confessionem, ut aiunt Augustinus et Hieronymus[4], *super hanc petram,* quam cognovisti dicens: *Tu es Christus, Filius Dei vivi, aedificabo ecclesiam meam;* vel super teipsam petram, ut alii sanctissimi et doctissimi viri dicunt, aedificabo ecclesiam meam.

Et addit Dominus: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Sicuti portae domus haec dicuntur, per quas in domum ingredimur, ita etiam vitia atque peccata, tyranni ac ecclesiae persecutores et haeretici, per quorum falsam blasphemamque doctrinam ad inferos itur, sicuti fuerunt 14 illi (ut caeteros omittam) tyranni imperatores regesque, qui Dei ecclesiam sunt prosecuti [!], ut Nero ille, lassissima bestia, qui beatos apostolos Petrum et Paulum interfecit, Domitianus, Traianus, Marcus Antoninus Verus[5], Severus, Maximianus[6], Decius, Valerianus, Aurelianus, Diocletianus, Constantius secundus, Iulianus Apostata et Gensericus[b], Vandalorum rex Arrianus, et Anastasius, qui quaternitatem, non Trinitatem adorari praeceperat[7]. Portae inferorum sunt haeretici, Ebion et Cherinthus, Arrius et Sabellius, Allogi et Pepuziani, Adamiani, Antidicomarianitae, ut caeteros perditissimos homines omittam, quos D. Epiphanius, Constantiae Cypri episcopus, in suo panario recenset[8]. Portae inferorum sunt (ut nostri temporis calamitates defleam) ii, qui a 17. anno a Christo nato post 1500 in hunc usque diem tanquam singulares feri vineam Domini Sabbaoth depascunt, ut Luther nephandus, Zvinglius, Carolo-

[a] *Codd.* quas [b] *Codd.* Gerosericus

[1] *Io.* 1, 1 sqq.
[2] *Augustinus,* Sermo 183. *Migne,* P. lat. XXXVIII 993.
[3] *Hieronymus,* Commentaria in evangelium Matthaei lib. 3. *Migne,* P. lat. XXVI 117.
[4] *Augustinus* et *Hieronymus* l. c. et in multis aliis locis.
[5] Marcus Aurelius Antoninus, qui Caesar cognomen habuit Veri.
[6] Rectius: Maximinus Thrax.
[7] Sub imperatore Anastasio I (491—518) hymno «Trisagio» additamentum illud Petri Fullonis *Qui crucifixus es pro nobis* adiunctum est, quo posterioribus saeculis aliquibus theologis quartam personam in Trinitatem induci visum est; inter quos erat *Ioannes Damascenus,* De fide orthodoxa 3, 10 (*Migne,* P. gr. XCIV 1017 sqq.); De recta sententia liber n. 5 (*ibid.* XCIV 1429/30).
[8] *Migne,* P. gr. XLI et XLII 9—774.

stadtius, Brenzius, Conradus Pelicanus, Oecolampadius, Sebastianus Meyer[1], Pomeranius[2], Welstemerus[3], Butzerus apostata, Melanchthon, Calvinus, Musaeus[a][4], Bernardinus Occhinus apostata, Petrus Paulus Vergerius apostata, olim episcopus Iustinopolitanus, et plerique alii hominum feces. Et merito ii omnes portae inferorum dicuntur, | quia per eos eorum- 80v
que falsa dogmata volatur ad inferos; sed tamen portae istae nunquam praevalebunt adversus ecclesiam eiusque petram, de qua Paulus inquit: *Petra autem erat Christus*[5].

Et subdit idem de praeeminentia Petri dicens: *Et tibi dabo claves regni coelorum,* quia confessio fidei, quam Petrus fecerat, confessores suos in ecclesia provehit et negatores ad inferna demergit. Claves Petro committit, ut veram fidem confitentibus coelum aperiat, negantes[b] autem in infernum detrudat; praemium Petro promittitur propter eximiam fidem, quam de Christo confessus fuerat, et quia vicarium suum Christus constituere habebat, ideo illi claves promittit, quibus coelum aperiat. Clavis enim est potestas vel auctoritas, qua âperitur ostium regni coelestis, quod nobis per peccatum clauditur. Et quia potestas ligandi solvendique ostaculum tollit et coelum aperit et scientia, qua iudicatur, quis aptus quisve ineptus coelesti regno fuerit, duae sunt claves. Si autem essentia auctoritatis una est tantum, quae potentiam iudicandi, ligandi scilicet et solvendi, includit et discernendi scientiam, non quidem eam, quae dicit habitum conclusionis, per demonstrationem acquisitum (hac etenim quod non sine vehementi animi dolore dixerim, plurimi sacerdotes carent), sed quae auctoritatem discernendi, quam sine huiusmodi scientia quilibet sacerdos habet, non tamen sine peccato potest accipere.

Collatis igitur clavibus coelestis regni Petro et per eum caeteris sacerdotibus ipse namque plenissimam habet potestatem, reliqui vero ab ipso; «neque enim frustra uni commendatur» (inquit Leo papa), «quod omnibus intimetur»[6]. Unde docet eum Dominus clavium usum dicens: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Ampla, imo amplissima tibi datur facultas, Petre, et quae nunquam ante te cuique mortalium collata fuerat. Quod tu namque solveris super terram, Deus solutum habebit et in coelis. Et quae tu ligaveris super terram, erit ligatum et | in coelis, non tamen pro libito voluntatis, non pro 81r
humana ambitione seu gratia, sed tunc, quod solveris super terram, erit solutum et in coelis, cum fertur ex Petri aequitate iudicium; «nec nimia est vel severitas vel remissio, ubi nil erit ligatum» (ut Leo papa inquit) «nil solutum, nisi quod Petrus ligaverit aut solverit»[7]. Maxima igitur est haec potestas, sed maxima indiget prudentia, maxima animadversione.

Caveamus igitur sacerdotes, caveant episcopi, caveant pontifices summi, quomodo sacrosancta hac potestate sibi a Deo tradita utantur. Meminerint sibi datam in aedificationem et non in destructionem. Utantur ea, sed non abutantur. Impium namque esset et blasphemum putare ratam haberi a Deo in coelis ligationem aut solutionem, quae non ex Petri iudicio aequitateque datur, sed pro libidine voluntatis. Audiant Bernardum dicentem, remissionem voti absque necessitate, non dispensationem, sed praevaricationem esse[8]. Claves regni coelorum traduntur Petro a Domino et illi palam dicitur: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Et adhuc insurgunt maleficiati homines, et quod apertissime ait Deus, ipsi impudentissime negant; caput ecclesiae catholicae Petrum successoresque eius constituit Deus, et eum caput negant. Petro uti capiti oves et claves committit Deus, et Petrum ovilis dominici caput negant. Resipiscant iam isti detractores Petri eorumque pontificum, qui eius loco succedunt caputque in ecclesia Christi Dei Opt. Max. sunt. Et si hoc non fatentur cum Cypriano, Ambrosio, Augustino, Hieronimo, Gregorio, Chrysostomo, Origene, Leone, Cyrillo, Lactantio, Athanasio, Eusebio caeterisque patribus, fateantur cum Valentiniano, Phoca, Iustiniano imperatoribus; fateantur cum ipsa universali ecclesia; fateantur saltem cum Christo, qui Petro eiusque vi|cariis dedit regni 81v

[a] *Codd.* Musarlus   [b] *Codd.* negantibus

[1] Ex ordine fratrum minorum, reformationem praedicabat in civitate Bernensi. Cf. *Realenzyklopädie für prot. Theologie und Kirche* XXIV[3] (1913) 101 sq.

[2] Ioannes Bugenhagen.

[3] Rectius Westemerus, Bartholomaeus Westheimer, 1499—1570, de quo cf. *Die Religion in Geschichte und Gegenwart* V[2] (1931) 1889.

[4] Simon Musaeus, 1529—1582; cf. *ibid.* IV[2] (1930) 293.

[5] *I Cor.* 10, 4.

[6] *Leo Magnus,* Sermo 4. *Migne,* P. lat. LIV 151.

[7] *Ibid.*

[8] *Bernardus,* De praecepto et dispensatione liber cap. 5. *Migne,* P. lat. CLXXXII 867.

coelestis claves, et quod solverit super terram, erit solutum et in coelis, et quod ligaverit super terram, sit ligatum et in coelis.

Sed iam eo vocor, ut, cum multa dixerim de Petri Paulique potestate, nonnulla etiam dicam de eorum vita eorumque solemnitate. Sed quo me vertam, patres? Unde incipiam nescio; mallem namque tacere quam pauca de multis dicere. Attamen neque multa dicam neque omnia tacebo, sed inde initium sumam narrationis, unde praeclarissima orbis lumina initium sumpserunt praedicationis. Petrus Galileus ex vico Bethsaida, primus Filii Dei confessor, Paulus vero Tarsiensis e tribu Benjamin, ut, quem habebant praeceptorem, (quoad poterant) vita et moribus referrent, cum ab eo didicissent circumisse vicos et castella, ut doceret in synagogis eorum et praedicaret evangelium regni, post Christi Opt. Max. ascensionem ad coelos alter annunciat verbum Dei in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia et Bithinia, alter vero in Damasco, quater in Hierusalem et quater in Antiochia, Seleucia, Cypro, Phrigia, Troade, Rhodo, Patara et Syracusis et demum in Hispania, ut vetustissimi vita[a] et sanctitate et doctrina praeclari referunt auctores Euthymius, Gregorius, Chrysostomus, Isidorus, Epiphanius et Athanasius, et denique Romae. Petrus divina charitate flagrans[b] verbum Dei annos quinque disseminavit in Iudaea, septem in Antiochia et 25 demum Romae, ubi sedem constituit; Paulus vero 21 annos per varias orbis partes variasque nationes, Caesareae duos, cum in vinculis esset, totidem priores Romae et denique ultimi decem. Petrus igitur 37 annos crucem Christi verbum Dei praedicando portavit. Paulus vero 35 perpetua charitate aestuans quinquies flagellatus, ter virgis caesus, semel lapidatus, ter naufragium perpessus, in periculis latronum, periculis in solitudine,
82r in erumna, in laboribus, in vigiliis, | in fame, siti et ieiuniis praeter alia multa[1] et, ne quid deesset, ut omnia pro Christo Deo nostro pateretur, ad extremum uterque Romae sub Nerone soevissimo vitam hanc miseram cum morte, imo cum vita longe optima commutavit; alter cruci affixus ad terram capite verso, ne praeceptori similis fieret, alter vero capite amputato, quod pro sanguine lac dedit idque Romae, ut, ubi caput superstitionis erat, ibi capita quiescerent sanctitatis, et ubi gentilium principes habitabant, illic ecclesiarum principes morarentur; uno anno, die una, sub uno tyranno crudelissimo, ut in tot unitatibus insinuaretur fides una, quae apostolorum praedicatione in omnibus esse deberet.

Magna res est, patres, si Petrum sique Paulum imitari ⟨conemini, sed longe maior, si Christum. Sed quando non facile videtur vel Christum vel Petrum vel Paulum imitari⟩[c], saltem Ioseph illum sanctum, qui ante legem datam nimio studio multa cum sollicitudine fratres suos quaerebat in solitudine errans. Misit hunc pater Iacob, ut videret, si cuncta prospere agerentur erga fratres suos et pecora. Misit vos huc Deus, ut fratres vestros quaeratis. Ioseph fratres, quos non invenit in Sychem, quod interpraetatur humerus vel praessi onere legis, quaesivit in Dothaim, quod significat defectionem[2]. Vos, patres, si fratres vestros quaerentes non invenitis in Sichem, quaerite in Dothaim. Si non invenitis eos praessos legis onere, uti esse deberent, si recte saperent, querite eos in defectione legis catholicae, a qua defecerunt, ut inde eos ad sanctam catholicamque ecclesiam reducatis. Ioseph solus quaerebat ante legem gratiae fratres suos. Et vos, patres, hic in Spiritu Sancto coacti, fratres vestros non quaeritis, socios cum habeatis huius sacrosancti laboris vestri Christi vicarium, Petri successorem, ecclesiae universalis caput, S^{mum} D. N. Iulium papam III, Montem illum sanctum, in quo beneplacuit Deo habitare in eo, in quo Dominus habitabit in finem[3], Carolum V maximum, ecclesiae propugnaculum, murum et ante-
82v murale, | Hispaniarum Romanorumque regem, imperatorem felicissimum et semper augustum, et christianissimum regem illum Lusitanorum ceu praelia Domini cum Davide praeliantem caeterosque christianos principes, quos vobis affuturos polliceor. Ioseph non oppidum, non civitatem, non provinciam, non regnum, sed familiolam, fratres, unius moribundi patris filios quaerebat. Et vos non regnum, sed regna, non moribundi, sed aeterni Patris adoptione filios non quaeretis? Vestrum est, patres, sicuti et coelum aperire, ita et portas

[a] *Codd.* vitae [b] *C 119* fragrans; *in C 118 corr. in* flagrans
[c] *In C 119 om. et postea a Massarello in margine add., qui tamen loco* conemini *falso scribit* quo nemini

[1] Cf. *2 Cor.* 11, 25 sqq.
[2] *Gen.* 37, 12—17. Interpretationem verbalem desumit ex *Hieronymo,* Liber de nominibus Hebraicis, de Genesi. *Migne,* P. lat. XXIII 778 785. Sed alium sensum supponit interpretationi nominis Sichem *Ambrosius,* De Ioseph Patriarcha c. 3: «Et misit in Sichem, quod interpretatione dicitur humerus sive dorsum, hoc est ad eos, qui non converterentur ad Dominum, sed fugientes se a facie eius averterent, quod est proprie peccatoris.» *Migne,* P. lat. XIV 644.
[3] *Ps.* 67, 17.

inferorum claudere; claudetisque, si de medio tuleritis (quod vestri sanctissimi muneris est) ecclesiasticorum hominum avaritiam, ambitionem insatiabilem, simoniam, detestabile vicium, pluralitatem sacerdotiorum in uno, promotionem puerorum et idiotarum, lusorum, luxuriae incumbentium, ecclesiae pauperumque bona in usus (quos referre pudet) dilapidantium, gladiatorum, prophanorum hominum (quorum in Christi ecclesia magnus est numerus), praelatorum absentium ab ecclesiis, quibus praesunt, eorum praesentiam in aulis principum vel in magistratibus, qui cum animarum cura constare minime possunt, ac demum portas inferorum claudetis, si de medio tolleritis eos, quibus tota est cura in parentibus nepotibusque ditandis et parva vel certe nulla in Christi pauperibus pascendis. Denique si Ioseph extra legem gratiae fratres suos quaerebet, non multum est, patres, si in lege gratiae praevio Spiritu Sancto, quem huius oecumenici concilii ducem habetis, fratres vestros quaeratis. Petrus 37 annos ad mortem usque pro christiana plebe Christi crucem tulit; et Paulus 35, ut eam Christo lucrifaceret. Et vos, patres, non longe pauciores patienter feretis, ut fratres vestros vestra opera, vestro studio, vestra sollicitudine ad ecclesiam catholicam ac Christi ovile reducatis? Si Petri haereditatem cupitis, credite, quae Petrus; si Pauli iustitiam desideratis, facite quae Paulus. Pascite oves a Christo vobis commissas non vobis, sed Christo (ut Petrus Paulusque | fecerunt) et imitamini 83r
opere, quos imitamini dignitate, ut quam ipsi suo felicissimo transitu hodierna die assecuti sunt gloriam, eandem vos consequamini. Adesto tu, Petre; adesto tu, Paule, ut haec fiant, nobis opem impetra. Adesto tu denique Deus Opt. Max., et hisce tuis famulis subveni, quos precioso sanguine redemisti [1], et non repellas, Domine, plebem tuam et haereditatem hanc tuam non derelinquas, *quoadusque iustitia convertatur in iudicium et sint iuxta illam omnes, qui recto sunt corde* [2]. Dixi.

Exemptiones concessae a S^mo D. N. Iulio III praelatis et aliis concilio Tridentino interessentibus.

Cum praelati et alii, qui concilio intersunt, christianae reipublicae et ecclesiae universali deserviant, non immerito praesentes et residentes in eorum ecclesiis ac beneficiis iure haberi debent, ne, dum publicis commodis vacant, privata damna sustineant. Quare S^mus D. N. Iulius III sequutus etiam exemplum fe. re. Pauli papae III praelatos ipsos ac alios quoscunque doctores tam sacrae theologiae quam iurium, qui huic sacro oecumenico concilio Tridentino inserviunt, quamdiu ipsi interfuerint, praesentes ac residentes in eorum ecclesiis ac beneficiis quibuscunque haberi debere declaravit atque statuit, ac propterea omnes et singulos dictarum ecclesiarum ac beneficiorum fructus, etiam distributiones quotidianas et alia emolumenta omnia (exceptis iis, qui singulis diebus actu praesentibus erogari solent), perinde ac si in eis praesentes essent et residerent, durante eorum in dicto concilio absentia integre percipere posse ac debere editis litteris sub forma brevis tenoris infrascripti, videlicet:

Breve exemptionum concessarum a S^mo D. N. Iulio III praelatis concilii etc. [3]

Iulius papa III. Ad futuram rei memoriam. Circumspecta Romani pontificis | pro- 83v
videntia singulorum merita et obsequia debita meditatione considerans illos (prout aequum est) specialibus favoribus et gratiis prosequitur, quos universalis ecclesiae obsequiis iugiter intentos pro ea laborare et diversas expensas subire cognoscit. Hinc est, quod nos tam ad labores quam ad impensas graves, quas venerabiles fratres patriarchae et archiepiscopi ac episcopi necnon dilecti filii abbates et caeteri, quibus iure vel privilegio in conciliis generalibus residendi et in eis sententiam dicendi permissa est potestas, sacro oecumenico et generali concilio Tridentino interessentes pro prosecutione eiusdem concilii sustinere coguntur, debitum respectum habentes et animo revolventes eos ac magistros in theologia necnon iurium doctores, quos ipsi ad effectum concilii huiusmodi penes se habent, inibi residendo universali ecclesiae deservire ac, cum causa reipublicae christianae absint, in

[1] Ex hymno *Te Deum laudamus.* [2] *Ps.* 93, 14 sq.
[3] Hoc breve maximam ad partem idem est ac illud Pauli III die 1. Ianuarii 1546 datum, quod editum est in Conc. Trid. IV 545 sq. Sed a Paulo III praelati et alii concilio interessentes et votum dantes etiam a decimis eximebantur. Breve Iulii III decimarum mentionem non facit, concessiones autem praelatis factas expresse ad theologos et magistros concilii extendit. Extremae fisci papalis difficultates propter bellum Parmense tunc existentes causa fuisse videntur, cur Iulius III praelatos a decimis non exemerit. Cf. *Pastor* VI 101 sq.

ecclesiis, quibus praesunt aut in quibus beneficiati existunt, praesentes et residentes merito reputari debere, motu proprio, non ad eorundem patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum ac abbatum et caeterorum praedictorum vel aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate et ex certa scientia omnibus et singulis patriarchis, archiepiscopis et episcopis necnon abbatibus et aliis sententiam dicendi (ut praefertur) potestatem habentibus et in posterum habituris, qui in dicto concilio ad praesens resident aut ad illud imposterum accedent, necnon praefatis et pro tempore existentibus cum eisdem patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac abbatibus et aliis sententiam dicendi potestatem (ut praefertur) habentibus magistris et doctoribus, quod, quamdiu concilium praedictum duraverit et ipsi illi interfuerint, pro praesentibus et residentibus ac divinis interessentibus in ecclesiis, monasteriis ac beneficiis suis praedictis 84r habeantur ac etiam | a die arrepti per eos ad dictum concilium itineris, quousque ad ecclesias, monasteria et beneficia sua huiusmodi commode redire potuerint, omnes et singulos suos fructus, redditus et proventus ac distributiones quotidianas ecclesiarum et monasteriorum ac aliorum beneficiorum suorum, quae in quibusvis ecclesiis sive locis obtinent et in posterum obtinebunt, etiam si canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes vel officia in cathedralibus, etiam metropolitanis vel collegiatis, et dignitates ipsae in cathedralibus, etiam metropolitanis post pontificales maiores seu collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, et ad dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint[a] per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, cum ea integritate (pecuniis ac rebus, quae occasione distributionum huiusmodi praesentibus tantum singulis diebus actualiter erogari consueverint dumtaxat exceptis), cum qua illos perciperent, si in eisdem ecclesiis, monasteriis sive locis personaliter residerent et divinis interessent, percipere libere et licite valeant, apostolica auctoritate tenore praesentium de speciali gratia indulgemus, mandantes universis et singulis personis in dignitate ecclesiastica constitutis necnon canonicis metropolitanarum et aliarum cathedralium ecclesiarum, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios faciant auctoritate nostra fructus, redditus et proventus ac distributiones huiusmodi eisdem patriarchis, archiepiscopis et episcopis necnon abbatibus et aliis sententiam dicendi potestatem habentibus et habituris ac magistris et doctoribus praefatis in eodem concilio pro tempore residentibus, quandiu concilio huiusmodi interfuerint, vel procuratoribus suis eorum nominibus iuxta indulti huiusmodi tenorem integre ministrari, non permittentes eos per locorum ordinarios et dilectos filios capitula ecclesiarum praedictarum aut quosvis alios 84v quomodolibet molestari, con|tradictores per censuras ecclesiasticas et alia opportuna iuris remedia (appellatione postposita) compescendo, non obstantibus, si in eisdem ecclesiis sive locis primam non fecerint residentiam personalem consuetam, et quibusvis apostolicis necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ac praedictarum et aliarum ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi fuerint, necnon eorundum monasteriorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, etiam si de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea et litteris ipsis etiam ab alio seu aliis impetratis aut alias quovismodo concessis non utendo, patriarchae, archiepiscopi et episcopi ac abbates necnon magistri et doctores et alii praefati per se vel procuratores suos praestiterint forsan hactenus vel in posterum praestare contigerit iuramentum, aut si eisdem locorum ordinariis et capitulis a dicta sit sede indultum vel in posterum indulgeri contingat, quod canonicos, rectores et personas ecclesiarum, civitatum ac dioecesum eorundem, etiam in dignitatibus, personatibus, administrationibus vel officiis constitutos per subtractionem proventuum beneficiorum suorum ecclesiasticorum aut alias compellere valeant ad residendum personaliter in eisdem, seu quod canonicis, rectoribus et personis ecclesiarum suarum civitatum et dioecesum, etiam in dignitatibus, personatibus, administrationibus vel officiis constitutis et in illis non residentibus, aut qui in eis primam non fecerint residentiam personalem consuetam, fructus, redditus et proventus et distributiones quotidianas beneficiorum ecclesiasticorum in absentia sua ministrare minime teneantur et ad id compelli aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huius-85r modi mentionem et | qualibet alia dictae sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus

[a] *C 118 add.* qui

huiusmodi gratiae impediri valeat, quomodolibet vel differri et de qua eiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, proviso, quod ecclesiae et monasteria et alia beneficia huiusmodi debitis propterea non defraudentur obsequiis et animarum cura in eis, quibus illa immineat, nullatenus negligatur, sed per bonos et sufficientes vicarios, quibus de beneficiorum eorundem proventibus necessaria congrue ministrentur, diligenter exerceatur et deserviatur inibi laudabiliter in divinis. Et quia difficile foret praesentes litteras ad singula, in quibus de eis fides forsan facienda fuerit, loca deferre, volumus et eadem auctoritate decernimus, quod ipsarum transumptis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius curiae ecclesiasticae vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis ea prorsus fides in iudicio et alibi, ubi opus fuerit, adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum sub annullo piscatoris die 6. Iunii 1551 pontificatus nostri anno secundo.

Adventus episcopi Mutinensis Tridentum.

1. Iulii.

[Vide Conc. Trid. II 238 l. 25 sq.]

Adventus episcopi Pharensis.

12. Iulii.

[Vide Conc. Trid. II 239 l. 15 sq.]

Adventus secundi oratoris imperatoris Tridentum.

29. Iulii[a].

[Vide Conc. Trid. II 240 l. 25 sq.]

Adventus episcopi Astoricensis. 85v

6. Augusti.

[Vide Conc. Trid. II 241 l. 6.]

Adventus R. D. episcopi Lacorenzis [!].

10. Augusti.

[Vide Conc. Trid. II 241 l. 8 sq.]

Vesperae concilii in vigilia Assumptionis B. Virginis.

14. Augusti.

[Vide Conc. Trid. II 241 l. 12 sq.]

Missa in festo Assumptionis B. Mariae Virginis.

15. Augusti.

[Vide Conc. Trid. II 241 l. 14 sq.]

Oratio habita a R. D. Iacobo Ferrusio Hispano, sacrae theologiae doctori, in festo Assumptionis B. Mariae Virginis ad patres concilii Tridentini[1].

Etsi vereri maxime poteram, Ill^{me} ac R^{me} legate, gravissimi praesides, oratores illustres, patres amplissimi, vosque viri universi eruditissimi, ne et loci maiestas et | authoritatis 86r

[a] *In C 118 falso* 19.

[1] Iacobus Ferrusius seu Ferrus, presbyter Valentinus, theologus erat episcopi Segobricensis. Iam anno 1551 eius oratio Venetiis typis excusa est (= T); ex *Labbeo* XIV 1963—1970 ed. *Le Plat* I 743—752 (= P).

vestrae eximia celsitudo dicere incipientem terrerent et rem tantam in clarissimo coetu aggressum[a] ab inceptu[b] deiicerent, grata tamen mihi ac periocunda humanitatis vestrae recordatio, qui studiosis hoc loco dicentibus magna animorum propensione favere, et eorum praeclaros conatus vestra auctoritate provehere soliti estis, mihi ad suscepti huius muneris rationem vires addidit, quibus neque rei[c] magnitudini cederem neque augustissimo hoc vestro conspectu omnino perterritus locum detrectarem. Nam cum vestra omnium in rem omnem bene institutam propensa voluntas ad res praeclare gerendas iacentes etiam animos erigere soleat, tum vero me illud hodie maxime confirmavit, quod de Virginis Deiparae laudibus sim apud vos dicturus, quae propitia nostris votis adesse non dedignabitur, ad cuius insignem et claram commemorationem vos omnes tanta alacritate in hunc locum convenisse video, quae forti et invicto animo adversus antiquum illum et infensissimum humanae salutis hostem, suscepto causae nostrae patrocinio, eiusmodi inimicitias exercuit, ⟨quae amplissimam ac perpetuam pacem contrito illius capite nobis conciliaverit⟩[d], ut edito in orbem Filio, ac proinde per ipsum superata daemonum potestate, salutem mundo attulerit, nosque suis praesidiis continuo[e] defensos materno sinu perinde ac filios foverit, ut quantum nos eius praestantia ac maiestas deterrere poterant[f], tantum clementia erexerit ac spem etiam nostram confirmarit; quae hodie detractis hosti spoliis ornatissima ad caelos, unde fuerat ille deiectus, gloriosissimo triumpho assumpta et angelorum omnium sedes supergressa, astat regina a dextris unigeniti Filii *in vestitu deaurato,* in ea honorum varietate[1], quae Dei matrem et caelorum reginam decet; quae maximo hoc beneficio nos
86v omnes sibi devincit, quod propugna|tioni nostrae semper intenta, in eo gloriae suae amplitudinem collocat, ut miserorum hominum necessitatibus patrocinetur atque eorum salutem admirabili benignitate iuvet; cuius laudes, quae innumerae sunt atque eximiae, quo minus ob nostram imbecillitatem assequi possumus, eo magis a nobis oranda fuerit, ut quae hodie immarcessibilem gloriae coronam super omnes angelos consecuta est, suo nobis favore adesse et meam hanc dicendi inopiam ad insignes illos triumphos, quibus honorificentissime in caelis ornata est, aliqua saltem ex parte hoc loco referendos, sublevare pro dignitatis suae magnitudine dignetur. Quod ut facilius impetremus, officii nostri non immemores angelicam illi de more salutationem fixis humi genibus pie omnes offeramus. *Ave Maria* etc.

Quum multis magnisque rationibus, sapientissimi ac gravissimi patres, diem hunc sacrum faustum nobis ac felicem ecclesia intelligeret, omne studium in hanc rem collocavit, ut observantia[g] erga virginem matrem et debitis obsequiis defuisse minime videretur. Rem itaque sacram magnis laudum praeconiis hodie celebrat atque (ut nunc caetera omittamus) eam nobis proponit evangelii lectionem, quae illius dignitati explicandae omnibus idonea merito videri debeat[h]. Quoniam vero sacrorum evangeliorum historia ad illud usque tempus dumtaxat conscripta est, quo Christus in coelum ascendit et apostoli ad evangelium ubique praedicandum, *Domino cooperante*[2], profecti sunt, neque obitum virginis matris, qui aliquot post annis subsequutus est, neque eius in coelum assumptionem complectitur, ut illud nemo iure reprehendere possit, ecclesiam alio non usam esse evangelio, in quo huius festi peculiaris et expressa mentio haberetur; sed illud nobis hodie concinit, in quo Marthae et Mariae sororis exemplo duas nobis vitae rationes declaret[3], quas nobis Christus
87r vias ad summam | illam et aeternam felicitatem propositas esse voluit, ut in ea, quam sibi quisque constituerit, pietatem et iustitiam colere, atque adeo ad ipsam beatitudinem cum virgine matre assumi etiam possit. Alii enim ad actiones ultro sese accommodant et ad[i] ea gerenda, quae hominum utilitati necessaria esse intelligunt et, ut Romanis scribebat Apostolus: *Necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes*[k4], pauperes alunt, reficiunt imbecilles; et non solum corporis, sed et animi multo etiam maiorem rationem habentes, imperitos instituunt, delinquentes monent, adhortantur, corripiunt et ea praestant verae pietatis opera, quibus amplissima premia parata ac proposita Christus pollicetur. Alii vero alterius exemplum sororis, hoc est Mariae, sequuti, terrena abdicantes a sensibus sese magis abducunt et curis omnibus vacui rerum divinarum contemplatione magis delectantur, parentum, amicorum, opum ac rerum humanarum omnium obliti solum Deum

[a] *Codd.* aggressam [b] *P* incepto [c] *T et P* rerum
[d] *P* quas amplissima ac perpetua pax . . . secuta sit [e] *P* quotidie [f] *P* poterat
[g] *T et P* observantiae [h] *P* debet [i] *Codd. et T om.* [k] *Codd. et T et P* sectantur

[1] Cf. *Ps.* 44, 10. [2] *Marc.* 16, 20. [3] *Luc.* 10, 38—42. [4] *Rom.* 12, 13.

cogitant, solum illum suspirant, solum magno animi affectu et votis continentibus exposcunt, ad Christi pedes assident et illius verbo diligenter intenti solidiore illo cibo animum ad aeternitatem alunt, dum salutaris doctrinae ex limpidissimo illo sapientiae fonte rivos hauriunt uberrimos[a]; ac illud subinde repetunt: *Pars mea Dominus, dixit anima mea*[1], atque illa etiam ex Davide: *Oculi mei semper ad Dominum*[2]. *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum*[3].

Hoc vitae institutum ingressa atque adeo feliciter etiam persecuta Maria, Marthae soror, sedebat secus pedes Domini et illius verba diligenter audiebat. Altera vero solicita et ministerio intenta dum multis distrahitur, docetur a Christo, unum esse necessarium, ut illud vitae genus, quod ad istud unum magis accedit, praestantius atque sublimius esse intelligat. Id autem est, quod in contemplatione positum, pura ac syncera | rerum divinarum 87v consideratione, seclusa humanarum solicitudine, in Deum ipsum maxime unum ac simplicissimum ducit. Est enim Deus unum illud necessarium per se expetendum, in quem ut in ultimum finem omnia virtutum studia, pietatis opera ac praestantissima illa rerum caelestium contemplatio referri debent; cui uni adhaerere bonum est, ac in eo spem suam omnem [se] collocare dicebat David[4], et unam hanc rem se a Domino petiisse atque hanc ipsam requisiturum se, ut inhabitaret in Domini domo omnibus diebus vitae suae[5], ut facile sit hoc loco illorum errorem depraehendere, qui, dum audiunt, unum esse necessarium, fere omnia ad salutem necessaria e medio tollere non dubitarunt, dum vel solam fidem vel ociosam omnino et inanem quandam verbi auscultationem ad salutem necessariam tantum esse interpraetantur. Quae quid[b], queso, proderunt sine observatione mandatorum Dei, et nisi operibus praestes, quae audis? An salutares Dei leges contemnendas esse putas, quarum observationem ad salutem et iustificationem nihil nobis conferre posse arbitraris? Sed finem nobis proponit Christus, unum quidem illud ac necessarium, qui solus per se sit a nobis expetendus, et in quem unum bona omnia relata esse oportet; ut hinc intelligamus, eo praestantiorem vitae rationem quosdam elegisse, quo minus distracti curis, eo liberius ac syncerius unum illud contemplantur et ad illius rationem atque imaginem, quoad fieri potest, se magis accommodant.

Caeterum hodierno die, patres, hae duae nobis sorores in hunc maxime finem propositae sunt, ut quorum animi aciem non poterat non perstringere[c] splendor Mariae Dei genitricis, et mentis quasi luminibus officere[d] altitudo gloriae, ex ancillis saltem dominam, ex pedissequis praecipuam mundi reginam | utcunque depraehenderemus. Duo enim illa 88r bene vivendi instituta, si in virgine matre expendere nobis libuerit, tanto conspicientur praestantiora, quanto illae praeclarissima hac virgine inferiores extiterunt; in qua, ut de vita, obitu et glorificatione eius brevissime pauca dicantur, quum excelluerit contemplandi studium atque in ea altissimum etiam gradum attigerit, nobis certe non profuit solum, sed percussis atque prostratis salutem attulit sancta illa et solers diligentia ministerii, quae tam insigniter salutata ab angelo, ancillam se Domini professa[6], parata atque accincta ministerio, unigenitum Dei Filium, splendorem gloriae et figuram substantiae eius[7], in virgineum uterum tam magnifice ac liberaliter excepit, ut virgineam carnem ex mundissimo illo sanguine, unde sanctissimum Dei et hominis corpus formaretur, munificentissime subministraverit, atque inde tanquam sponsus processerit e talamo suo exultans ille gigas ad currendam viam paterni mandati[8], cuius a summo caelo egressio fuerat. Unde ad nos salute derivata, gravi illa servitute liberati, adoptionem filiorum recepimus, ut non iam servi, sed filii ac proinde heredes regni per Deum simus[9]. Cuius beneficii quis unquam nostrum immemor esse poterit, quod eius sumus assecuti ministerio, quae Christum nobis edidit, lactavit ac materno etiam affectu solertissime educavit, quem nobis exhibuit omnibus saeculis expectatum Servatorem totius mundi? Ut eam merito ad omnem memoriam magnis praeclarisque monimentis commendatam celebremus, non insignem tantum virginem, sed praestanti etiam atque egregia prole fecundam, cuius fecunditas plusquam niveo candore integritatis eius conspicua non minus nobis salubris fuit quam admirabilis; quae multo quam antiqua illa et aurea | urna felicior, non umbraticum, sed verum nobis manna 88v conservavit, et velut *plantatio rosae in Hiericho*[10], quam non superbiae scopuli, sed modestiae et humilitatis planicies protulit, florem illum campi enixa est omnium pulcherrimum,

[a] *P* rivas ... uberrimas [b] *Codd.* quidem [c] *T et P* praestringere [d] *Codd.* efficere

[1] *Thren.* 3, 24. [2] *Ps.* 24, 15. [3] *Ps.* 83, 3. [4] *Ps.* 72, 28. [5] *Ps.* 26, 3 sq. [6] *Luc.* 1, 38. [7] *Hebr.* 1, 3. [8] Cf. *Ps.* 18, 6. [9] Cf. *Gal.* 4, 5—7. [10] *Eccli.* 24, 18.

cuius suavissimo odore semper afflata, quamvis de terra progenita, terrenae tamen fecis nihil inde contraxit.

Summam plane rem et excelsam, cuius magnitudinem admirari magis[a] quam assequi possumus, quod olim Deus Mosi abunde explicatum esse voluit, qui cum rubum vidisset multis quidem flammis ardere et, quod miraculo omnibus esse poterat, nulla parte aduri, atque ad illud spectaculum diligentius intuendum[b] propius accessisset, prohibitus a Domino substitit, iussus solvere calceamenta de pedibus, quod locus ille sanctus esset[1]. Nimirum res tanta, de qua nunc agimus, hoc est admiranda illa fecunditas, qua incarnati verbi mysteria[c] sensimus cum integerrima virginitate coniuncta, quae rubo ardenti nec combusto portendebatur, dignitatis plena ac maiestatis, quam non capiunt angustiae pectoris nostri, non egestas animi, non infirmitas ingenii sustinet, nos potius ad sui admirationem movere debet et ad cultum excitare, quam ut[d] ad eam penetrandam audaciores accedere debeamus; sed sobrie ac nudis[e] pedibus tractanda res fuerit, ne oppressi a gloria, admirabiles istos sui amores, quos excitare solet, in nobis temere extinguamus. Suspicere autem et multis etiam laudibus prosequi, cum caetera ad hanc rem spectantia, tum illud etiam maxime debemus, quod Aaroni veterum sacerdotum praefecto postea accidit, ut hoc etiam mysterii ipsi indulgeretur, dum virga illa insignis, nullo humectata aquarum fluxu, ita germinavit, ut e turgentibus gemmis flores eruperint, ac dilatatis foliis fructus etiam omnibus placidissimus prodierit[2]. Quid autem commemorem vellus illud Gedeonicum celesti conspersum
89r rore in tanta terrae ariditate[3]? Quod quid aliud praesignabat, | quam te virginem coelesti afflatu gravidam, in quam superveniens Spiritus Sanctus rem omnibus saeculis admirabilem operaretur? Quod ipsum Hieremias, ut nos rei novitate alliceret ac delectaret, in hunc modum expressit: *Novum creavit Dominus super terram; femina circundabit virum*[4].

Sed omnium apertissime Esaias, qui ut Mosaicum rubum et flores illos Aaroniticos et, quod alio ipse loco dixit, ascendens virgultum et radicem de terra sitienti nobis exponeret[5], multa paucis complectens: *Ecce,* inquit, *virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen eius Emanuel*[6], quod est, nobiscum Deus, hoc est Deus homo, verbum haud dubie caro factum, quod nostrae naturae particeps, nobiscum una versaretur. Quod, ut rei magnitudinem admirati, non quidem vulgare et commune aliquid, sed praestans atque eximium depraehenderemus signum a Domino datum fuisse, idem ipse propheta est abunde testatus, ne locus ullus Iudaeorum vesaniae, quos prava huius rei intelligentia transversos agit, relictus esse posse intelligatur. Quae omnia promissa et a veteribus pronunciata patribus, angelus e caelo missus nunciando exhibuit: *Concipies in utero,* inquit, *et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis*[7]. Idem ⟨nimirum ille, qui⟩[f] ex illaesa virgine natus, illaesam semper servavit, ut illaesa virgo esset et mater. At cuius mater? Eius, de quo angelus tam egregie professus est: *Quod nascetur*[g] *ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*[8], ut hinc vere te[h] Graeci Θεοτόκον, nos vero Dei genitricem appellemus, quod ipsum[h] in eos, qui in errorem impulsi,
89v ab hac fide aversi fuerant, sanctissimis frequentissimisque patrum | conciliis, Ephesino[9] et Constantinopolitano concilio generali quinto[10], sancitum ac declaratum fuit.

Quoniam vero contemplandi studium praeclaras atque excellentes vitae actiones non exornat modo, sed alit atque substentat, aeternitatis ac divinarum rerum meditatione[i] sic omnia vitae exercitia permiscuit, ut splendorem rerum gestarum cum altitudine contemplationis, et hanc cum rebus gestis amplissime fuerit complexa. Christum itaque dum pareret, lactaret, educaret, an non mens illa caelestium rerum amore ardens, divinitatis numen[k] contemplata, cum humanis divina, cum his, quae videbantur, invisibilia conferebat, quae Christum in humana natura corporeis oculis dum videret, atque divinam intelligendi vi ac fide assequeretur, in utraque sit illum admirata et obsequiis prosecuta? Quam ipsam praestantem divinarum rerum cum humanis collationem divus Lucas elegantissime nobis exposuit: *Maria,* inquit, *conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo*[11]. Quae angeli

[a] *T et P* potius [b] *T et P* contuendum [c] *Codd.* beneficia [d] *Codd. om.*
[e] *Codd.* multis [f] *Codd.* mirum esse quae; *in C 118 postea corr. in* nimirum
[g] *Codd.* nasceretur [h] *P om.* [i] *Codd.* meditationem [k] *Codd.* lumen

[1] *Ex.* 3, 1—5. [2] *Num.* 17, 8.
[3] *Iud.* 6, 36 sqq. [4] *Ier.* 31, 22. [5] *Is.* 53, 2.
[6] *Is.* 7, 14. [7] *Luc.* 1, 31 sqq. [8] *Luc.* 1, 35.
[9] In anathematismo 1 Cyrilli contra Nestorium (*Mansi* IV 1081), qui in Actione 1 concilii Ephesini approbatus est.
[10] In anathematismo 6. *Mansi* IX 379.
[11] *Luc.* 2, 19.

legationem, Christi ortum, concursum pastorum, magorum obsequia, Simeonis et Annae vaticinia ac vetera etiam prophetarum oracula, sedulo repetens, in singulis maiestatem, divini verbi immortalem ac perpetuam naturam suspiciebat ac venerabatur, ut tandem inter ipsos etiam acerbos Filii sui cruciatus, quum in cruce pro communi omnium salute penderet ac pateretur, sola divini consilii ac immutabilis decreti Dei cogitatio ipsam recrearit, donec peracto ⟨fere toto⟩[a] vitae suae decursu, sublato iam in coelum Christo, ne aliquando mens illa divinorum contemplatione vacua esset, Hierosolymis in insigni illo cenaculo deprecationi et obsecrationi[b] intenta, una cum apostolis reperitur: *Erant,* inquit D. Lucas, *omnes perseverantes unanimiter in oratione* et obsecratione[c] *cum mulieribus et Maria matre* | *Iesu*[1]. 90r

Haec magna cum sint, praeclaris semper Deus beneficiis ornare solet, qui in sanctis suis omnibus gloriosus, ut in matre tamen praecipue divitias gloriae suae declararet, eximiis virtutibus insignem, amplissimis hodie triumphis et clarissimo gloriae ornamento decoravit. Cui quum ingens ille thesaurus esset in coelo reconditus, ad illum divinitus vocata, e vivis felicissime excessit, ea nimirum morte, quae vitae honestissime sanctissimeque actae consentanea fuerit. Et quod nobis de Dei matre pie credere liceat, reassumpto incorrupto corpore ad vitam revocata, ut non solum anima, sed et corpore gloria donaretur, tot hodie laudibus tantaque beatorum omnium gratulatione in coelum assumpta est, ut vere nova quaedam lux coelo ipsi illuxerit, cuius splendore coelestis patria illustrata sit, et sancti novi gaudii novos ac gratos fructus perceperint. Quid enim potuit sublimius excogitari, et unde maior ad illos laetitiae causa accederet, quam eam coelis praesentem vidisse, cuius praesentia in terris ipsis etiam angelis quam gratissima fuerit? Cuius colloquio in terris usus Gabriel, hoc ipso nomine celeberrimus laudatissimusque sit habitus? Qui omnes in officio fuerunt, et ascendentis de deserto maiestatem admirati, quae tam insolitis deliciis afflueret, et dilecti sui innixa potentiae[2], virtutem ac praestantiam dignitatis ostenderet, suis quisque laudum titulis coelestia regna petentem efferentes, illi celsitudinem gloriae et sibi recens felicitatis genus gratulabantur[d]. Quod si nostrum[e] aliquis cogitatione repetat, quanto totius populi applausu, quam splendidis choris, quam ornatis, quam vario musicae instrumentorum genere testamenti archam in civitatem suam voluerit David introductam esse[3], is plane intelliget, non defuisse virgini magnificos | angelorum choros, non splendidam 90v sanctorum cohortem, non ⟨centum quadraginta quatuor⟩[f] millia tenentium citharas in conspectu throni et seniorum et ante sedem et seniores cantantium canticum novum[4]; quae non archa illa testamenti, sed sacrarium fuit aeterni numinis, non legis Mosaicae tabulas reconditas et servatas habuit, sed evangelicae legis et salutis omnium authorem magnificentissime ex se protulit; quae non in terrenam hanc Hierusalem a Davide, sed in coelestem illam omnibus bonis affluentem a Christo, qui matrem unice colebat, inducebatur[g].

Quid vero referam igneos Eliae currus[h], equos igneos et turbinem igne ardentem, qui, cum totus zelo divini cultus exarsisset, hoc novo genere spectaculi in coelum sublatus est[5]? Cuius tam[i] fervebat religionis amor, ut illud aliquando dicere sit ausus (sic enim de eo D. Hieronymus loquitur), se solum inter prophetas Dei relictum fuisse[6]. Quos ego ignes cum ferventi caritatis ardore, quo aeternas hodie regiones Deipara virgo petiit, conferendos[k] esse non censeo, quae divino amore flagrans ascendit, velut *virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentarii*[7], Spiritus Sancti igne accensa, ut vere *quasi myrrha electa* dederit *suavitatem odoris*[8], et *odor vestimentorum* eius *sicut odor thuris*[9] omnibus suavissime spiraverit; et quod Elias de se asserebat inter prophetas Dei, sola ipsa relicta sit inter observatrices divini cultus feminas, quae divinis beneficiis omnes facile superaret[l]; quae ⟨pro lucidissimo⟩[m] illo lucifero, qui mane oriebatur, affectata tamen tyrannide infelicissime de coelo cecidit, nova hodie oritur coelis aurora, quae discussis iam ab initio omnibus peccati tenebris, et caelesti nunc gloria splendens ac rutilans, ad intuendam clarissimam pulcherrimamque summi boni lucem nos ducit; quae non superbo

[a] *T et P* magna ex parte
[b] *T et P* observationibus; *sed in omnibus exemplis editionis a. 1551 a me examinatis est manu aliqua corr. in* obsecrationibus
[c] *T* observatione; *in omnibus exemplis editionis a. 1551 corr. in* obsecratione
[d] *Codd.* gratulabatur [e] *P om.* [f] *Codd. et T* centum illa et quadraginta [g] *Codd.* induebatur
[h] *P* cursus [i] *P* tum [k] *Codd.* conservandos [l] *P* superare [m] *P* placidissimo

[1] *Act.* 1, 14. [2] Cf. *Cant.* 8, 5. [3] *2 Reg.* 6, 12–15. [4] Cf. *Apoc.* 14, 1 sqq. [5] *4 Reg.* 2, 11. [6] *3 Reg.* 18, 22. [7] *Cant.* 3, 6. [8] *Eccli.* 24, 20. [9] *Cant.* 4, 11.

91r et elato animo super caeli sydera exaltat solium suum, non montem | testamenti et latera aquilonis[1] ambit, non similitudinem Dei tyrannice affectat, sed miti ac humili animo omnibusque virtutum numeris absolutissima, solium nacta est omnibus coeli syderibus excelsius, ad verticem[a] coelestis montis Syon, et in ea Dei similitudine, quam eius genitricem assecutam fuisse decuit, ubi repletur *in bonis desiderium tuum*[2], ubi *magna est gloria* tua *in salutari tuo*[3], ubi gloria et honore coronata[4] satiaris ubertate magnificentissimae domus istius, e quo bonorum omnium torrente nos omnes abunde potare possis[5]. *Concupiscit enim et deficit anima nostra in atria Domini*, et *melior est dies una in atriis tuis*[b] *super millia*[6], ubi tota te coeli procerum multitudo multo supra se elevatam venerabunda suspicit, colit, observat, teque augustam caeli ⟨ac terrae⟩[c] reginam profitetur. Tu in caelesti ista ecclesia triumphis ornata, militantis huius ecclesiae suscepto patrocinio, ipsius causam agis.

Haec enim est, patres, cuius beneficio nostrae huic ecclesiae multa subinde ac varia bona obveniunt, quam non destituit protectione, sed fovet, tuetur, amplectitur, ut in afflictis ecclesiae rebus solatium magnum in eius praesidio positum[d] esse experiamur. «Illo enim ascendit fructus terrae sublimis», quod D. Bernardus pie et graviter dixit, «unde ad nos data optima et dona perfecta[7] descendunt»[8]; qua caelestium bonorum communicatione ecclesia nostra vim suam omnem et auctoritatem conservatam retinet. Tanta est eius cum superiori illa connexio, ut duabus inter se apte coherentibus et colligatis, felici quodam federe humana divinis, terrena coelestibus, ima summis copulentur.

Haec enim militans ad[e] illius coelestis exemplar expressa, in illa vim suam fundatam atque optime constitutam habet; haec illi subest, ab illa pendet, illius similitudinem 91v gerit; et ut ad illam | felicissime aspirat, ita ⟨eadem ab⟩[f] illa assidua moderatione gubernatur et regitur, adeo ut illud mirum quibusdam maxime videri aliquando soleat (ut ad hoc tandem nostra etiam descendat oratio), qui fieri possit, ut in tanta utriusque ecclesiae consensione tot quotidie lites, tot hominum dissidia in hac nostra ecclesia oboriantur, quibus eam tam acriter premi ac divexari videmus; cui quum divinum praesidium nec defuerit unquam, nec hoc tempore aut in posterum defuturum sit, multa tamen eius difficillima tempora extiterint, quibus variis agitata et concussa tumultibus, vix ullam pacis aut otii spem habuisse videretur. Ne quid de nostro hoc tempore dicam, quo multi liberioris vitae appetentes, excusso fere suis cervicibus[g] suavi ac miti iugo Christi, vix ulla lege, nisi quam ipsis suo sensu interpraetari liceat et ad suos affectus torquere, contineri volunt. Quid? An non Deus potenter ecclesiam suam tuetur? An non ingens est et infinita praesidii divini vis? Est quidem, patres, est, inquam, ac proinde firma et constans semper mansit ecclesia. Quod vero eius pace perturbata, angustior aliquando et brevioribus solito terminis contracta fuerit, tantum abest, ut ob id divini praesidii viribus nostra existimatione detractum quidpiam esse debeat, ut hinc[h] ⟨maxima immensi⟩[i] Dei potentia eluceat, quum in mediis persecutionum tumultibus, rebellantibus multis et omnibus suis machinis in ecclesiam contendentibus, servatam eius auctoritatem et nihilo imminutam videmus. Communis autem ereptae pacis culpam utinam in ipsos tantum seditionis auctores reiiciendam esse existimare possemus! Sed illud maxime vereor, quod vestris tamen sententiis, patres, decerni potius quam mea velim, ne fortasse aliqua etiam ex parte eius rei causa 92r illis imputari possit, | quos oportuerat in ecclesia pastores esse vigiles, qui universo gregi diligenter attendentes[9], adversum hominum scelera proposito ad virtutem clarissimo exemplo constanter dimicarent; quos neque principum favor, neque propriae utilitatis appetitus, neque tribulatio, neque angustia, neque persecutio, neque periculum, neque gladius a charitate Christi separarent[10]; qui solam in functionibus suis obeundis et tractandis Christi et ecclesiae rationem haberent. Plurimum enim refert, quales ii sint, et quanta animi magnitudine ecclesiae dignitatem defendendam suscipiant, qui primum in ea locum obtinuerunt. Ut enim vitiorum contagia facile serpunt ad plurimos a primariis viris profecta,

[a] *Codd.* veritatem [b] *Codd. et T* istis [c] *P om.* [d] *Codd.* possit
[e] *Codd. om.* [f] *T et P* ab eadem [g] *P* servicibus
[h] *Codd. et T* tunc [i] *T et P* maxime immensa

[1] Cf. *Ps.* 47, 3. [2] *Ps.* 102, 5.
[3] *Ps.* 20, 5. [4] Cf. *Ps.* 8, 5.
[5] Cf. *Ps.* 35, 9. [6] *Ps.* 83, 3 et 11.
[7] Cf. *Iac.* 1, 17.
[8] *Bernardus*, In assumptione B.V. Mariae sermo 1. *Migne*, P. lat. CLXXXIII 415.
[9] Cf. *Act.* 20, 28.
[10] Cf. *Rom.* 8, 35.

ita virtutis exemplum non solum ab omnibus commendatur, sed illis etiam maxime prodest, si a claris authoribus fuerit exortum. Quod cum semper necessarium sit, in hac tamen tanta temporum difficultate tantum habet momenti ad sedandas rerum discordias, ut hac una[a] in re spes omnis collocata sit pacis et quietis, si *in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiae*[1] hominum improbitati restiteritis fidemque vestram et integritatem omnibus probari sedulo curaveritis.

Haec enim praecipua est ratio tuendae religionis, quam apud eos ⟨prostratam atque⟩[a] neglectam videmus, qui sublata morum aequitate arbitrio suo et voluntati frena laxarunt. Oppressa vero[a] religione quid, queso, integrum remanere poterit? Iudicent ii, apud quos simul atque obtinuit religionis neglectus, iacuit statim contempta legum severitas, mos maiorum sublatus, fides Deo data et obstricta violata est; vixit unusquisque suo sensu atque arbitrio, ut nulla pietas, nullus metus, nullus pudor tenuerit homines; direptae ecclesiae, excisa monasteria, rapta bona, ut nihil fuerit in tanta promiscuae plebis atroci tate, quod 92v metuendum esse videretur, quod cursum tantae audaciae retardare posset. Ingentem sane calamitatem, quam quoties in mentem revoco, magnae alicuius ruinae metus se se in animum ingerit, ne tot malis offensus Deus, atrocissimas aliquando corruptae religionis poenas exigat. Quis enim non censeat illa reiicienda non fuisse, sed ferenda potius libenter, quae, non dico, tulerunt tot proceres, tot heroes, tot lumina religionis, sed introduxerunt in ecclesiam et coelesti sapientia divinaque auctoritate ad salutem omnium constituerunt? At quinam viri? Doctrina excellentes, sapientia clari, pietate conspicui, sanctitate verendi, quorum aliqui non dubitarunt pro evangelii veritate, pro Christi nomine et ecclesiae dignitate sanguinem suum profundere. Horum pietatem, doctrinam, auctoritatem, ad revocandos in ecclesiam illorum animos, quos Christus una nobiscum[b] redemit, plurimum posse debere, quis non videt? Ut unum omnes caput in uno corpore, non distracto illo quidem et diviso, sed arctissimo vinculo charitatis coniuncto agnoscamus. Vestrum autem erit, patres, quos ad ecclesiae authoritatem propugnandam Spiritus Dei in hunc locum collegit, illius dignitatem diligenter ac sedulo cogitare, qui aliorum duces et antesignani, quo validiori tempestate iactatur, ⟨ac quo⟩[c] minus ingentibus copiis atque praesidiis oppugnari desinit, hoc maiori studio et diligentia suscepti a vobis muneris meminisse debetis, ut ea sit ratio et magnitudo animorum vestrorum, ut nullum vos incommodum a vera laude distrahat[d], sed in excellenti ecclesiae dignitate omnia ad gloriam splendoremque revocetis, ut nulla neque in periculis fortitudo, neque in agendo industria, nullum in providendo consilium aut ulla in conficiendo celeritas a vobis praetermissa fuisse videatur. Haec enim fuerunt semper clarissimorum | hominum consilia et facta; haec de 93r eorum virtute audivimus, haec accepimus, haec legimus; neque eos in laude esse positos videmus, quorum insignes conatus in medio cursu sunt fracti et leviter, inconstantiae vitio, a rebus optime inchoatis resilierunt; sed qui auctoritate, fide, constantia, magnitudine animi, in rebus ecclesiae promovendis perstiterunt, ii graves, ii praestantes, ii duces, ii ecclesiae principes semper sunt habiti.

Quibus animi virtutibus ut quisque vestrum instructissimus est, ita enitendum ei maxime fuerit, ut ad excellentem earum laudem provehatur. Posita est enim in spe atque expectatione istius concilii ecclesia, in quo tum afflictis rebus opem, tum oppressis subsidium aliquod inveniat; ad quod ipsum vos maxime adhortatur Iulius pont. max., cuius nulla res tanta fuerit, quae non regi consilio, virtute confici et auctoritate conservari possit. Idem contendit summo studio Carolus Caesar[a], imperator augustissimus, cuius eximiam ac divinam animi magnitudinem in componendis dissidiis, in concilianda pace et ecclesiae dignitate defendenda omnes abunde cognovistis. Quod cum humanis viribus non dico confici, sed ne[e] cogitatione quidem concipi possit, summum Dei Opt. Max. praesidium communibus omnium votis imploremus, quod inexhaustae ipsius clementiae[f] fisi speremus nos facile consequuturos esse, beatissima praesertim virgine auxiliatrice nostra suis nobis precibus suffragante, quae ut solet exorabilem se nobis maxime praebere, in conservanda certe religione minus sua ope est desertura. Quo fiet, ut et dissidia sedari facile possint, et constabilita una[g] atque eadem communium consiliorum et voluntatum societate, communi totius ecclesiae tranquillitati diligentissime consulatur.

[a] *P om.* [b] *Codd.* nobis [c] *Codd.* quo quam [d] *T et P* abstrahat
[e] *Codd. om.* [f] *Codd.* potentiae [g] *Codd.* vera

[1] *2 Cor.* 6, 6 sq.

93v Adventus 4 doctorum praemissorum ab electore Treverensi.

17. Augusti.

[Vide Conc. Trid. II 241 l. 16 sqq.]

Adventus duorum electorum Maguntini et Treverensis.

Die sabbati 29. eiusdem mensis **Augusti** applicuerunt Tridentinum Ill. ac RR. DD. Sebastianus Heusenstein, archiepiscopus Moguntinus[1], et Ioannes ab Isenburg, archiepiscopus Treverensis[2], sacri Romani imperii principes electores, quorum adventus totum concilium mirum in modum exhilaravit, uti ex eo ipsius concilii auctoritas et existimatio maxime aucta fuerit atque spes concepta, quod alii tam ipsius Germanicae nationis quam aliarum provinciarum praelati citius ac libentius ad concilium adventuri sint. Quare gratiae agendae sunt Deo.

Adventus episcopi Viennensis, oratoris regis Romanorum[3].

30. Augusti.

[Vide Conc. Trid. II 242 l. 4 sq.]

Adventus episcoporum Misiensis, Auriensis et Elnensis.

Eadem die[4] applicuerunt Tridentum RR. DD. Balthasar Vaveman[5], episcopus Misiensis, Germanus, suffraganeus Maguntinus, ac Franciscus Manrique, episcopus Auriensis, Hispanus, et Michael Pugius, episcopus Elnensis, etiam Hispanus. |

94r Congregatio generalis. Admittuntur primum electores et assignatur eis locus et concluduntur agenda in crastina sessione[6].

In Dei nomine. Amen. Anno salutis 1551, pontificatus eiusdem S^{mi} D. N. Iulii papae III anno secundo, die vero lunae 31. et ultima mensis **Augusti,** ⟨hora 20⟩[a] Tridenti in aedibus Ghiroldianis ⟨et habitatione⟩[b] R^{mi} et Ill^{mi} D. sacri concilii legati, in aula consueta habita est congregatio generalis omnium patrum ipsius concilii, in qua primum ipse R^{mus} et Ill^{mus} legatus invocavit auxilium Sancti Spiritus legens solitam orationem. Deinde ⟨rogavit D^{nos} electores Maguntinum et Treverensem, (qui primum in locum congregationis comparuerant), ut parumper secedere vellent in aulam propinquam⟩[c], ut[d] exquireretur iudicium patrum super loco eis dando. ⟨Cumque dicti electores libenter recessissent, ipse⟩[e] R^{mus} et Ill^{mus} D. **legatus** proposuit patribus ⟨rem ipsam eosque interrogavit super loco dictis electoribus[f] assignando⟩[g] hortatusque est patres, ut ⟨eos omni honoris genere afficerent⟩[h], ⟨tum ob eorum dignitatem archiepiscopalem, tum electoriam sacri imperii, ac propterea dixit sibi videri, dandum eis esse locum supra omnes praelatos. Super qua re exquisitis patrum sententiis⟩[i]

[a] *C 119 et Th om.* [b] *C 119 et Th* in hospitio scilicet
[c] *M* iussi sunt exire electores duos [!] imperii
[d] *C 119 et Th* donec [e] *M om.* [f] *C 119 et Th add.* in congregatione ipsa
[g] *M* quis locus videretur dari electoribus et quod ei videretur ante omnes praelatos, cum sint omni honore afficiendi, cum sint et archiepiscopi et imperii electores
[h] *C 119 et Th* eos omni honore prosequerentur; *M* eis honorem exhiberent
[i] *M* et quisquis diceret sententiam suam

[1] Rectius Sebastianus de Heussenstamm, de quo cf. Conc. Trid. II 241 adn. 3 et *van Gulik-Eubel* III 249. Iam mense Iunio huius anni per familiarem habitationem Tridenti sibi parare fecerat. Absentiam suam in prima sessione concilii excusavit apud card. Crescentium, qui eum caeterosque archiepiscopos electores per litteras die 14. Iunii datas rogavit, ut quamprimum ad concilium venirent. Cf. App. I n. 8.
[2] De quo cf. Conc. Trid. II 241 adn. 4 et *van Gulik-Eubel* III 337. [3] Cf. infra p. 97 adn. 4.
[4] In diario (Conc. Trid. II 242 l. 1 sqq.) Massarellus adventum horum episcoporum ad diem 29. Augusti notat.
[5] Rectius Waneman seu Fannemann. Cf. Conc. Trid. II 242 adn. 3; *van Gulik-Eubel* III 264; *N. Paulus,* Die deutschen Dominikaner im Kampfe gegen Luther (Freiburg i. B. 1903) 84 sqq.
[6] In *Conc. 119* Acta huius congregationis etiam manu Massarelli scripta sunt. Minuta exstat in *Conc. 10* f. 206v—207v. Ed. *Theiner* I 483 sqq.

⟨R^{mus} et Ill^{mus} cardinalis **Tridentinus** approbavit omnia dicta per praefatum R^{mum} legatum hortando etiam ipse atque rogando patres, ut omnem honorem eis tribuerent, cum ipsi sua praesentia concilium etiam decorare dignati sint.⟩[a]

⟨Archiepiscopus autem **Turritanus** licet eadem sibi placere affirmasset, tamen dixit, non videri sibi, quod propterea aliquid praeiudicium fieret gradui suo et successorum suorum antiquiorum. Quare vellet exprimi, quod totum id, quod sancta synodus ipsis electoribus tribuit, tribuit ex gratia, praemissa etiam protestatione, non generari ex hoc praeiudicium alicui, praesertim antiquioribus.⟩[b]

Antibarensis, Panormitanus, Granatensis ac Calaritanus[c] archiepiscopi, necnon caeteri patres omnes comprobarunt dicta[d] per R^{mum} et Ill^{mum} legatum, praemissa supradicta protestatione de non | generando praeiudicio dignitatibus antiquioribus in tempore, et successoribus ⟨atque absentibus⟩[e]. 94v

Deinde missi sunt ad dictos electores recipiendos RR. DD. archiepiscopi Turritanus et Antibarensis, qui eis acta a sacra congregatione retulerunt. Ipsi vero electores grato ac benevolo animo bonam mentem synodi acceperunt. Postea ingressi sunt ⟨aulam congregationis et ab omnibus patribus honorificentissime alacri vultu excepti fuerunt⟩[e] et assignatus est eis locus supra omnes archiepiscopos in ornatiori etiam et digniori sede ⟨cum maxima eorum (ut videbatur) satisfactione⟩[f].

Deinde dictus R^{mus} et Ill^{mus} **legatus** proposuit[g] patribus ea, quae in quadrimestri praeterito acciderant, a kal. scilicet Maii, in quibus die crastina sessionem habendam esse decretum est et quod eo medio tempore nihil a sacra synodo factum fuerat, et quare id ⟨ita se habuerit, cum omnibus notissimum esset, se non declarare⟩[h]; ⟨praecipuam autem causam fuisse paucitatem praelatorum, qui Tridentum convenerant, tum etiam ob alias rationes, quas etiam patres omnes non ignorabant, ob quietem nempe pacis publicae,⟩[i] cum inimicus noster zizaniam ⟨in agro Domini⟩[e] disseminaverit. Nunc autem (inquit) cum detur bona spes ⟨pariendi fructum aliquem⟩[e], tum ob multa alia, tum ob praesentiam dictorum electorum, quorum exemplo caeteri ⟨tam Germaniae quam aliarum provinciarum praelati⟩[e] allicientur ⟨atque excitabuntur⟩[e] ad veniendum[k] ad concilium, ideo cum Dei benedictione hoc tam sanctum opus halacri animo aggredi possumus ⟨et debemus⟩[e]. Et cum dies crastina sit indicta pro habenda sessione, videtur eam omnino celebrandam esse. Et licet ⟨id, quod in ea faciendum est, nempe prorogatio temporis, etiam in congregatione fieri posset⟩[l], tamen ob dignitatem et existimationem concilii ⟨in ipsa crastina publica sessione faciendum videtur⟩[m]. Quo vero ad futuram sessionem, convenientius ei videri, illam ⟨ad certam diem⟩[e] indicere, | non autem ⟨ad beneplacitum⟩[n], neque etiam ad tempus longum, ne animi Christianorum vilescerent ⟨et spe, quam de hoc sacro concilio conceperunt, deiicerentur⟩[e] et absentes praelati[o] ad veniendum retardarentur. ⟨Quod tamen tempus neque tam breve esse debet, ut in eo materiae in ipsa futura sessione publicandae commode discuti et examinari non possint. Quare ei videri commodum tempus quadraginta dies vel mensis cum dimidio. Rogavitque patres, ut unusquisque diceret, quod sentiret.⟩[p] 95r

R^{mus} et Ill^{mus} D. cardinalis **Tridentinus** laudavit ea, quae per R^{mum} legatum dicta fuerant, quae cum notoria essent, ⟨se ea repetere nolle dixit⟩[q]. ⟨Quidquid autem in praeteritum fuerit,⟩[e] se tamen in futurum bene sperare, cum multa millia virorum adesse

[a] *M om.; iam Massarellus votum Tridentini scripturus erat incipiens cum verbis* card. Tridentinus; *sed impeditus fuit, ut videtur, quominus prosequeretur. Postea, cum votum Turritani scriberet, illa verba delevit.*

[b] *M* Tunc Turritanus dixit, licet sibi videretur praeiudicium generari gradui suo, tamen contentus est cedere in gratiam imperatoris; protestatur se in gratiam facere et sibi non praeiudicari. *C 119 et Th add.* Est enim mos concilii, ut antiquiores in promotionibus alios praecedant.

[c] *M add.* Segobricensis [d] *C 119 et Th add.* et proposita [e] *M om.*

[f] *M om.; C 119 pro* satisfactione *ponit* assensione et gratulatione [g] *C 119 et Th* retulit

[h] *M* processerit, omnes sciunt, propterea non aperit; *C 119 et Th pro* non declarare *ponunt* nunc non recensere

[i] *M* Ipsos autem legatum et praesidentes ideo reputasse, quia pauci affuerunt praelati et id omnes sciunt et non visum procedere ob maiorem quietem; *Th* Praecipue autem ob alias rationes *etc., ut supra.*

[k] *C 119 et Th add.* et ipsi [l] *M* posset differri in congregatione

[m] *M* est facienda in sessione

[n] *C 119 et Th* relinquendam diem incertam, declarandam postea per synodum

[o] *M add.* eo magis

[p] *M* Ideo videtur indicenda ad breve tempus, dum tum possint materiae tractari, ut puta 40 dies vel mensem cum dimidio.

[q] *C 119* non opus esse ea recenseri

sciat, *quae non curvaverunt genua ante Belial*[1]. Igitur quoad proposita placere sibi, die crastina sessionem celebrari et ⟨futuram indici ad diem certum, qui videretur commodus⟩[a] mensis cum dimidio.

Ill. et R. elector **Maguntinus** probavit dicta per R^mum^ legatum, ⟨licet cuperet futuram sessionem indici ad brevius tempus, ut tanto citius concilium absolvatur et ipse possit redire ad suam ecclesiam, quae eius praesentia maxime indiget. Ideo placeret ei praefigi terminum unius mensis tantum.⟩[b]

Ill. et R. elector **Treverensis** comprobavit in omnibus sententiam R. D. Maguntini.

R. D. [archiepiscopus] **Turritanus** inprimis gratias egit Deo de adventu ipsorum electorum et ⟨quod patres bono esse deberent animo et sperare, omnia sibi bene successura.⟩[c] Quo autem ad proposita, placere ei, crastinam sessionem fieri et futuram ad 45. diem indici.

Antibarensis dixit, sibi placere omnia proposita a R^mo^ legato.

Panormitanus idem probavit, et quoad futuram sessionem 40 dies. |

95v **Granatensis** dixit etiam sibi placere cras sessionem celebrari et futuram ad 40 dies indici et interim ⟨non amitti[d] tempus⟩[e].

Calaritanus idem comprobavit eique (ait) maxime placere terminum 40 dierum, cum sit tempus sacratum ⟨a D. N. Iesu Christo⟩[f].

R. D. episcopus **Segobricensis**[g] laudavit dicta per Tridentinum.

Castellimaris[h] ⟨dixit sibi placere⟩[i], sessionem crastinam celebrari, dummodo ponatur in decreto aliquid substantiale, ne videatur ita nudum, sed habeat formam decreti. Quoad futuram placet indici ⟨ad longius tempus⟩[k], puta 50 dies, ⟨ut materiae in ea publicandae commode examinari possint, et ne concilium cogatur aliam prorogationem facere.⟩[f]

Maioricensi placuit sessionem crastinam celebrari et futuram indici ad diem certum, qui sit 40.

Lancianensis laudavit dicta per legatum quoad crastinam, et futura ad 40 dies, et materiae intermissae resumantur.

Algharensis ⟨probavit idem in omnibus.⟩[l]

Misiensis, suffraganeus Maguntinus, monuit patres ad celerem expeditionem concilii, cum multa mala iam orta sint, praesertim in Germania, ⟨quibus mederi per ipsum concilium oportet⟩[f]. Et quoad proposita placere ei, die crastina sessionem fieri et futuram cuperet indici ad brevius tempus, ut puta 30 dies; se autem non improbare terminum 40 dierum.

Siracusanus probavit diem crastinam pro sessione et 40. pro futura, licet magis voluisset indici ad 50 dies. |

96r **Pharensis** idem probavit de die crastina et de termino 50 [dierum] pro futura.

Auriensis dixit sibi placere, sessionem die crastina celebrari, et futuram ad 40 dies.

Pacensis ⟨laudavit, terminum commodum dari ad materias discutiendas, propterea placere ei, futuram sessionem indici ad 50 vel 40 dies.⟩[m]

Oscensis dixit, sibi placere sententiam card. Tridentini.

Solonensis, suffraganeus Herbipolensis, hortatus est ac monuit patres, ut procedere vellent ad expeditionem cum omni diligentia, et ideo ei non placere, ut tempus multum differatur. Placereque, die crastina fieri sessionem et futuram indici ad 40[n].

Calaguritano placet, sessionem crastinam celebrari et aliam ad 40 dies indici; sed cuperet, aliquid in crastina sessione decerni, ne, inquit, frustrari videamur, ⟨et in futurum praeberi aliquid doctoribus examinandum.⟩[o]

[a] *M* de futura placet tempus dari terminatum et sit

[b] *M* sed vellet ad 30. indici futuram sessionem, remittensque [?] gratias egit.

[c] *M* propterea bene sperandum etc. [d] *C 119* admitti [e] *M* fieri aliquid [f] *M om.*

[g] *M* Segorbicensis [h] *M exhibet votum Castellimaris post votum Maioricensis.*

[i] *M* gratias egit Deo de adventu electorum etc.; quoad proposita placet

[k] *M* sed non ad tam breve, ne iterum prorogari conaremur

[l] *M* placet sessio crastina et futura ad 40 dies.

[m] *M* placet crastina die fieri sessionem et de futura placet materias diligenter tractari et indici ad certum diem, quod bonum esse comprobavit et dies sit 40. vel 50.; *C 119 et Th add.* et crastinam etiam celebrari.

[n] *M add.* et interim procedatur.

[o] *M* deinde supplicavit legatum, ut doctoribus aliquid ad studendum detur, ne tempus amittant.

[1] *Rom.* 11, 4; *3 Reg.* 19, 18.

Elnensis ⟨idem comprobavit⟩[a].

Monopolitanus idem de crastina et 40 dies pro futura.

Legionensis[b] ⟨idem comprobavit⟩[c].

Ovetensis[d] idem.

Tudensis[e] idem.

Lacorensis[f], suffraganeus Barchinonensis, probavit sententiam Tridentini.

Guadiscensis dixit sibi placere, quod crastina sessio celebretur; sed futuram sibi non videri esse indicendam, antequam materiae proponantur.

Astoricensis probavit sessionem crastinam et pro futura terminum 40 dierum, et interim materias discuti.

Virdunensis[g] probat, sessionem crastinam fieri et futuram indici infra 40 dies.

Salminensis[h], suffraganeus Maioricensis, probavit, sessionem die crastina celebrari 96r et futuram indici ad 40 dies. Monuit tamen patres, esse habendam rationem diei Iovis, ⟨prout hactenus semper factum fuit⟩[i].

Bossanensi placet sessio crastina et terminus 40 dierum pro futura.

Mutinensis idem comprobavit.

Quibus sententiis absolutis, cum videretur maiori parti patrum, ut futura sessio ad 40 dies indiceretur et dies illa esset 10. Octobris, quae erit in sabbato, et non videretur ⟨ipse dies sabbati congruus ad sessionem celebrandam,⟩[k] R[mus] et Ill[mus] D. legatus interrogavit patres, an magis placeret indici ad 11. dicti mensis Octobris, quae erit dies Dominica.

⟨Rogatis sententiis patrum omnibus placuit, futuram sessionem ad dictam diem 11. Octobris indici, praesertim cum sit vere terminus 40 dierum a crastina sessione, prout tot patres se cupere asseruerunt. Decretumque fuit, die crastina sessionem publicam de more esse celebrandam.⟩[l]

Deinde R[mus] **legatus** dixit, esse eligendos aliquos patres, qui decretum ⟨crastinae sessionis conficerent⟩[m]. ⟨Sed omnes patres[n] remiserunt hanc provinciam ipsi legato et praesidentibus, qui, licet renuerent, tandem coacti sunt votis patrum satisfacere.⟩[o] Rogatique sunt omnes, ut cras hora 12, antequam in ecclesiam iretur, convenire[n]t in eadem aula, ut decretum publicandum[p] intelligerent etc.[q]

Postremo loco R. D. **Sipontinus**, secundus praesidens, dixit patribus, synodum indigere uno promotore, et proposuit D. Ioannem Baptistam Castellium Bononiensem, J. U. doctorem, familiarem R[mi] legati. Qui (rogatis sententiis) ab omnibus approbatus et electus est[1].

Deinde dimissa fuit congregatio hora circiter 22.

[a] *M* placet crastina die fieri sessionem et futura ad 40 dies et interim materiae tractentur
[b] *In M corr. pro* Tudensis
[c] *M* placet sessio crastina et 40 dies pro futura et materiae tractentur statim
[d] *In M corr. pro* Legionensis [e] *In M corr. pro* Ovetensis
[f] *In M corr. pro* Astoricensis, *quod erat antea corr. pro* Guadiscensis. *Votum Lacorensis exhibetur in M ante votum Tudensis.*
[g] *M add.* gratias agendas esse Deo ostendit de adventu DD. electorum
[h] *C 119 et Th* Salaminensis [i] *M* ut sancti patres fecerunt
[k] *M* nisi in die Iovis fieri
[l] *M* Et omnibus placuit, ut ad talem indicatur. Quoad decretum crastina die publicandum probavit dici in eo, quod procedatur in futura sessione de sacramentis et reformatione, quae remansit expedienda in praeteritis sessionibus.
[m] *C 119* in sessione crastina publicandum formarent [n] *C 119 add.* uno ore
[o] *M* Sed cum responderetur a patribus, ut eos [!] eligerent legatum, legatus renuit. Tridentinus probavit eligendos 4, ex qualibet classi unum. Tandem in legatum et praesidentes remissa fuit haec cura, quam acceptarunt.
[p] *M add.* viderent et [q] *M add.* deinde fiet sessio

[1] Cf. supra p. 33 l. 39 sqq. et adn. 2.

SESSIO SECUNDA

sacri oecumenici concilii Tridentini

sub Iulio III pont. max.

anno 1551.

[Sessio XII.]

[1] In Dei nomine. Amen. Anno christianae salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, indictione nona, pontificatus S^{mi} in Christo patris et domini nostri, Domini Iulii divina providentia papae III anno secundo, die vero **kalen. Septembris,** quae fuit dies Martis, Tridenti in ecclesia cathedrali, quae est sub invocatione B. Vigilii, in loco ad sessiones habendas deputato celebrata fuit secunda publica sessio sacrosancti oecumenici et generalis concilii Tridentini sub eodem S^{mo} D. N. Iulio III, praesidentibus in eo R^{mo} et Illmo D. Marcello, tit. S. Marcelli S. R. E. praesbitero cardinale, Crescentio nuncupato, sanctae sedis apostolicae et eiusdem S^{mi} D. N. de latere legato, ac RR. DD. Sebastiano Pighino, archiepiscopo Sipontino, et Aloysio Lippomano, episcopo Veronensi, nunciis apostolicis. Qui convenientes mane hora 14 cum praelatis infrascriptis in dicta ecclesia cathedrali et loco consueto inprimis R. D. archiepiscopus Calaritanus celebravit missam solemnem de Spiritu Sancto, qua absoluta publicata est indulgentia consueta. Oratio autem habita non est [2]. Deinde tam R^{mi} D^{ni} legatus et praesidentes, quam caeteri praelati omnes acceperunt pluvialia et mitras ac alia paramenta consueta. Quo tempore decantabatur a cantoribus *Psalmus* 83: *Quam dilecta tabernacula tua*. Paramentis autem acceptis quisque resedit in loco suo iuxta tempus suarum promotionum hoc ordine, ut primo loco sederet parte dextra altaris R^{mus} D. legatus et post eum immediate R^{mus} cardinalis Tridentinus, deinde etiam immediate secundus et tertius praesidentes, hac tantum inter eos facta differentia, ut locus, quo legatus et Tridentinus sedebant, esset panno aureo ornatus, in quo vero ii praesidentes manebant, panno serico violaceo tegeretur. Et legatus ipse ac Tridentinus mitris sericeis, illi vero e tela linea (quibus mitris lineis omnes alii patres, etiam ipsi electores usi sunt) utebantur. Ab alia autem parte altaris sinistra primi sederunt imperii electores cum suis pluvialibus et mitris; deinde post eos immediate sequebantur oratores imperatoris et ii quatuor in eiusdem qualitatis sedibus et eodem modo ornatis: nempe e panno serico coloris nigri. Post quos (relicto paululo loci spatio) sedebat orator regis Romanorum, episcopus Viennensis, etiam cum pluviali et mitra, eiusque sedes etiam panno serico tecta erat. Deinde in scamnis humilioribus subsequebantur archiepiscopi et alii praelati omnes, quorum sedilia panno laneo diversis coloribus contexto tegebantur. Post quos patres permanebant theologi, nobiles et alii omnes. Conc. 123 162^{r}

Quibus omnibus sic stantibus R^{mus} D. legatus ivit ad altare maius *[etc. cum ritibus, ceremoniis, orationibus, ut supra in prima sessione p. 31 l. 25 — p. 32 l. 40]*.

Deinde RR. DD. archiepiscopus Sipontinus, secundus, et episcopus Veronensis, 163^{r}
tertius praesidentes, recedentes e loco, ubi missam audiverant [a], iverunt et ipsi ad altare maius, ante quod simul sederunt in faldistoriis ibidem ad hoc praeparatis, medium habentes R^{mum} D. legatum et patres respicientes. Caeterisque suis in locis consedentibus ego Angelus Massarellus, sacri concilii secretarius, recitavi nomine ipsorum legati et praesidentium admonitionem seu hortationem ad patres tenoris infrascripti, videlicet:

Admonitio seu hortatio ad patres concilii Tridentini nomine R^{mi} legati et praesidentium lecta in sessione habita kalendis Septembris 1551 [3].

Cum post restitutam huc synodum, patres amplissimi, recens isque peropportunus ac nobis optatissimus duorum clarissimorum Germaniae praesulum et eorundem sacri

[a] *C 123* audiverunt

[1] In tomo *Conc. 146* f. 56^r—58^r invenitur minuta Actorum huius sessionis (= M), exceptis decreto et omnibus scripturis, quae praelectae et praesentatae sunt, quae extant in foliis separatis, ut suis in locis adnotabimus.

[2] Locum enim orationis solitae occupat illa *Admonitio seu hortatio* legati et praesidentium lecta per Massarellum, ut infra l. 39 sqq; sed non lecta fuit post evangelium missae, ut Psalmaeus in diario suo (*Le Plat* VII 2, 72) narrat, sed post evangelium *Luc.* 10, 1 sq.: *Designavit Dominus,* quod cantavit postea diaconus loco in caeremoniis sessionum praescripto, ut supra p. 32 l. 36—40. Cf. Conc. Trid. II 242 l. 20—24.

[3] Huius admonitionis tria prostant exempla in tomo *Conc. 146* f. 61^r—64^v (= M 1); f. 78^r—81^v (= M 2); f. 83^r—85^r (= M 3); quorum duo priora, in pluribus polita et aucta, testimonium faciunt, quanta diligentia haec admonitio exarata fuerit. Ed. *Labbeus* XIV 799—803; *Le Plat* I 170—174.

Romani imperii principum electorum adventus magnam spem attulerit nobis, fore, ut non solum multi eiusdem nationis episcopi, illorum exemplo excitati[a], verum etiam alii quamplurimi variis ex locis propediem hic[b] adsint atque ita sacrum hoc[c] concilium ad Dei omnipotentis honorem prosequi ac peragere liceat, nunc denique nostras esse partes duximus pro loco et persona, quam sustinemus, ut in principio et tamquam limine actionum nostrarum pauca verba vestri simul et nostri hortandi atque admonendi causa faciamus. Etsi enim vos[d] pro vestra pietate et sapientia ac studio[e] salutis animarum in tam gravi christianae rei publicae tempore ac necessitate bonorum sacerdotum et pastorum officio fungi paratos esse minime dubitamus, tamen tanta est earum rerum, quas praeclare inchoatas (Deo adiuvante) prosequi[f] et ad exitum adducere instituimus, magnitudo, ut nulla, quae nos vehementius excitet et officii nostri saepius admoneat, supervacanea videri debeat oratio. Tollendae enim nobis, ut scitis, atque exstirpandae sunt haereses, quibus non sine maxima animarum iactura longe lateque disseminatis et in dies longius serpentibus miserandum in modum ecclesia scissa, lacerata et perturbata est. Corrigenda
163v et reformanda [est] ecclesiastica | disciplina, quae iam diu depravata atque corrupta harum ipsarum haeresum magna ex parte causa origoque extitit. Postremo agendum est de sedandis regum inter se principumque discordiis, quibus effectum est, ut christiana res publica maximas intus et foris calamitates acceperit et impiorum hostium aucta potentia, nostris autem fractis et debilitatis viribus salus iam et libertas Christianorum omnium atque adeo ipsa fides et religio in summum et extremum fere[g] discrimen adducta sit.

Unde autem nostrae hortationis initium aptius duxerimus, quam ut nos tantis et tam arduis rebus non modo perficiendis, sed ne aggrediendis quidem pares[h] esse intelligamus? Quis enim oculos hinc ad tantarum rerum molem inspiciendam attolens, inde eosdem ad humanarum virium exiguitatem considerandam adiiciens[i] hoc non intelligat, nequaquam tanto oneri subeundo ac sustinendo infirmitatem humanam posse sufficere? Nec vero hoc deterrendi vestri causa dicimus, sed ut nostram imbecillitatem agnoscentes ad Dei ⟨Optimi Maximi⟩[k] opem et misericordiam ⟨nobis confugiendum esse statuamus⟩[l]. Ex eo enim omnis, ut inquit Apostolus, sufficientia nostra est[1]. Itaque in illo nostra omnis[m] spes et fiducia collocanda et reponenda est, qui *omnibus,* dummodo in fide postulent, *affluenter dat et non improperat*[2]. Agitur ipsius religionis causa; agitur ecclesiae salus, quam tantopere dilexit, ut eam Filii sui unigeniti sanguine[n] et morte redimendam putaverit. Ut superioribus temporibus illi numquam defuit, ita ne hoc quidem tempore aut in posterum unquam est defuturus. Iacta sunt[o] eo auctore[p] harum rerum fere omnium fundamenta. Profecto cuius impulsu atque auxilio opus iam institutum et coeptum est, eodem quoque vires subministrante ⟨et nobiscum simul operante⟩[q] absolvetur. *Non est abbreviata manus Domini*[3], ut ecclesiae suae opitulari non possit, neque imminuta[r] clementia, ut nolit. ⟨Cuius quidem propitiae voluntatis erga nos tum alia multa, tum hoc non minimum testimonium habemus, quod is duos[s] Germaniae praesules auctoritate, prudentia, pietate praestantissimos in eam mentem impulit, ut tam opportuno tempore, multis et magnis, quibus impediebantur[t], difficultatibus consilio et virtute superatis, ad hanc sacrosanctam synodum accederent.⟩[u] Nos modo contrito et humiliato corde[4] supplices eius opem assidue invocemus[v], quemadmodum paulo ante more et instituto maiorum fecimus. Intimo animi dolore peccata nostra ingemiscamus atque in bonis operibus et dignis poenitentiae fructibus ambulantes[5] animas nostras et corda Spiritui Sancto tamquam sedes ac templa munda praebeamus, memores eius, quod scriptum est: *Mundamini, qui fertis vasa Domini*[6].

Maxima semper (ut vos minime praeterit, patres)[w] generalium conciliorum vis, maxima fuit auctoritas. Neque enim dubium est, quin eis (modo recte et ordine habeantur) Spiritus Sanctus ipse praesideat. ⟨Etenim si Dominus noster, ubicunque duo aut tres in

[a] *M 1, M 3* incitati; *in M 1 corr. pro* excitati [b] *Edd.* huc [c] *Edd. om.*
[d] *In M 1 corr. pro* nos [e] *In M 1 corr. pro* zelo [f] *M 1, M 2, M 3, C 118 et C 119* persequi
[g] *M 1, M 2, M 3* pene [h] *Edd.* impares [i] *M 1, M 2, M 3 et Edd.* deiiciens
[k] *M 1, M 3 om.* [l] *M 1, M 3* confugiamus [m] *Edd. add.* nobis [n] *Edd.* passione
[o] *M 1, M 3 add.* iam [p] *M 1, M 3 add.* et adiutore
[q] *M 1, M 3 om.; M 2 add. in margine* [r] *Edd.* minuta [s] *C 118 et C 123* duorum
[t] *M 1, M 3* afficiebantur [u] *M 1 in margine* [v] *Edd.* imploremus
[w] *M 1 add.* apud reges et populos christianos, *quod est postea del.*

[1] *2 Cor.* 3, 5. [2] *Iac.* 1, 5. [3] *Is.* 59, 1. [4] Cf. *Ps.* 50, 19. [5] Cf. *Luc.* 3, 8. [6] *Is.* 52, 11.

nomine eius fuerint congregati, in medio eorum se futurum esse confirmavit[1], quis eum et Sanctum ipsius Spiritum abesse putet ab huiusmodi plurimorum patrum et sacerdotum conventu iusto atque legi|timo, qui, quemadmodum hic noster, propter causam fidei et 164r religionis, propter correctionem morum, propter pacem denique et tranquillitatem ecclesiae sit coactus?⟩[a] Itaque ⟨talium conciliorum⟩[b] scita non hominum magis quam Dei ipsius existimantur esse decreta. Horum exemplum nobis primis illis ecclesiae temporibus Spiritu Sancto pleni apostoli prodiderunt[2]. Ad hoc remedium maiores nostri deinceps gravissimis ecclesiae temporibus confugerunt. Hoc Arrianam illam sectam toto terrarum orbe diffusam, tam inveteratam, tantis studiis opibusque potentissimorum principum defensam, hoc Macedonii, Nestorii, Eutichetis haeresim innumerabilesque alias sustulerunt; hoc saepe sacerdotum et populi ⟨vitam ac⟩[c] mores reformarunt; hoc seditionibus et discordiis aliquando agitatam ecclesiam in quietum et tranquillum statum redegerunt. Quare magna spe, magno animo, patres, tam pias actiones et tam christiano nomini salutares prosequamur. Hoc munus, hae partes, hoc officium nostrum est, qui hanc ob causam ex tam distantibus ac remotis regionibus in hanc urbem convenimus.

Ac ⟨primum quidem aeterni[d] Dei⟩[e] honor et gloria et sanctissimae eius[f] fidei ac religionis causa[g] nos moveat. Nam cum propter[h] pravos et corruptos mores ⟨Dei venerationem, cultum et charitatem ubique imminutam[i] [videmus], tum vero haeresibus et impietate dogmatum veritatem et synceritatem fidei nusquam fere non contaminatam atque pollutam⟩[k]. Quis autem[l] tam ingratus ac tam immemor divinorum munerum ac beneficiorum erit, ⟨qui non Dei benedicti cultum et gloriam non ceteris modo rebus anteponat, sed vita et anima sua habeat chariorem?⟩[m] Qui (ut reliqua eius[n] ⟨in humanum genus⟩[o] beneficia, quae sunt innumerabilia et longe maxima, omittamus) ⟨tantopere nos figmentum manuum suarum luteum amavit, ut, quamquam inimici ei essemus[3] et eo impie relicto ac repudiato muta et fragilia quaedam simulacra coleremus,⟩[p] ⟨tamen per unigeniti Filii sui mortem crudelissimosque cruciatus nos sibi reconciliaverit⟩[q] et Sathanae dominatu ⟨ac peccatorum mole⟩[r] oppressos aeternisque suppliciis addictos liberarit[s] atque in[r] filios sibi in spem aeternae gloriae et coelestis hereditatis adoptarit[t].

⟨Quodsi eius honori et gloriae fideles omnes tantopere inservire⟩[u] oportet, quanto maiore studio nos, quos ille sibi elegit sacerdotes, eius cultum et religionem tueri, defendere et conservare debemus? ⟨Salus praeterea nos moveat animarum, pro quibus Agnus ille immaculatus, D. N. Iesus Christus, suum in ara crucis sanctissimum et pretiosissimum sanguinem effudit, quae cum fidei et custodiae nostrae commissae et commendatae fuerint, earum incolumitati omni[v] a nobis cura⟩[w] et solicitudine providendum est[x], si officio nostro satisfacere, si nostrae ipsorum saluti consulere volumus. Vae enim iis, qui Dei opus negligenter faciunt![4] Vae nobis, si tam necessario tempore officio ac

[a] *M 1, M 3 om.; M 2 in margine* [b] *M 1, M 3* eorum
[c] *M 1 add. supra lineam* [d] *M 2 add. in margine* [e] *M 1, M 3* Dei quidem inprimis
[f] *M 1, M 2, M 3 et Edd.* ipsius [g] *M 1, M 3* ratio [h] *M 1, M 3* ob [i] *Edd.* imminuta
[k] *M 1 antea habuit* divinum cultum ubique imminutum videmus, tum vero propter haereses impietatemque dogmatum vera religio et fides catholica nunquam [!] fere non polluta et contaminata, apud plurimos vero populos etiam extincta atque sublata est; *postea fuit in fine corr.* . . . nusquam fere non contaminata atque polluta est; *postremo fuit corr.* videmus . . . veram religionem et fidem catholicam nusquam fere non contaminatam atque pollutam. *Quam ultimam recensionem sequitur M 3.*
[l] *M 1, M 2 add.* nostrum, *quod est postea del.*
[m] *M 1, M 2 antea habuerunt* qui Dei cultum et gloriam non vita sua habeat chariorem; *M 1 nunc in fine habet* non vita sua chariorem antiquioremque habeat; *quem sequitur M 3; in M 2 in margine nunc extat textus supra exhibitus.*
[n] *In M 2 corr. pro* illius [o] *M 1, M 3* in nos
[p] *M 1, M 3* tanto in nos amore et charitate extitit, ut cum illi inimici essemus; *M 2 antea habuit* tantopere nos amavit, ut cum illi inimici essemus; *nunc in margine extat textus ut supra.*
[q] *M 1 antea sequebatur textum; pro* sibi reconciliaverit *postea est corr.* redemit; *postremo est corr. in* tamen, ut nobis parceret, unigenito Filio suo non pepercerit [*M 3* pepercit], cuius morte crudelissimoque cruciatu nos . . . liberavit; *quam recensionem sequitur M 3.*
[r] *M 1, M 3 om.* [s] *M 1, M 3* liberavit; *M 2 antea* liberaverit
[t] *M 1, M 3* adoptavit; *M 2 antea* adoptaverit
[u] *M 1, M 3* Ac si fideles omnes honori eius et gloriae servire; *M 1 antea* inservire [v] *Edd. om.*
[w] *In M 2 in margine; antea M 2 sequebatur textum in M 1 et M 3 extantem* Praesertim cum ea res ad dominici gregis ab ipso Deo nostrae fidei custodiaeque commissi salutem pertineat, cui a nobis omni cura; *M 3 verba* ab ipso Deo *om.*
[x] *M 1 in margine et M 2 add.* si officio nostro satisfacere

[1] Cf. *Matth.* 18, 20. [2] Cf. *Act.* 15, 6—29. [3] Cf. *Rom.* 5, 10. [4] Cf. *Ier.* 48, 10.

muneri nostro defuerimus. Quas per Ezechielem minas Dominus pastoribus oves sibi commissas negligentibus intentavit? Quam acriter, quam severe, quam atrociter gregem suum se de eorum manu requisiturum esse denuntiavit?[a] Qui cum primo eorum negligentiam his verbis accusasset: *Quod infirmum fuit, non consolidastis, et quod aegrotum, non sanastis, et quod confractum, non alligastis, et quod abactum*[b], *non reduxistis, et quod perierat, non quaesistis*[1], haec paulo post[c] adiunxit: *Vivo ego*[d], *quod*[e] *pro eo, quod facti sunt greges mei in rapinam et oves meae in devorationem omnium bestiarum agri, ecce* 164v *ego ipse super pastores requiram* | *gregem meum de manu eorum*[2]. Quae eadem fere, quamquam aliis verbis, per Hieremiam minatus est[3]. Utinam vero, patres, (magno haec dicemus[f] cum dolore), utinam haec tam vehemens increpatio in nostra tempora minime conveniret, non tantum ovium numerum desideraremus, non grex Domini tantopere disiectus et laceratus[g] fuisset. Heu quis tantam eius dissipationem — dissipationem autem? — immo vero stragem ac vastitatem satis digne possit deplorare? Superat omnem non orationis modo copiam, sed vim etiam doloris tantae et tam luctuosae cladis magnitudo. Expergiscamur igitur, expergiscamur per viscera misericordiae D. N. Iesu Christi. Et quoniam iis, quae interierunt, ovibus amplius subvenire non possumus, demus saltem operam, ut tum ab ovili dominico abductas recuperemus, tum illas, quae inde non exierunt, diligentius in posterum custodiamus. Non de salute tantum earum[h] agitur; nostra quoque ipsorum salus agitur. Neque perire illae incuria nostra possunt, quin id animabus nostris exitiosum futurum sit. Earum a nobis rationem in tremendo illo iudicio is reposcet, qui illas sanguine suo redemptas nobis pascendas custodiendasque commisit. Hinc nos viventis Dei minae commoveant[i] (cuius in manus incidere horrendum est[4]), si officio nostro defuerimus; inde parata nobis laboris et solicitudinis nostrae[k] merces excitet, si fuerit per nos dominici gregis saluti prospectum atque consultum. Omittimus laudem, quae ab omnibus non huius modo aetatis hominibus, sed ab omni posteritate sacro huic concilio sine dubio maxima tribuetur, et eam omittimus propterea, quod minime decet nos inanem istam et falsam gloriam aucupari[l] aut[m] in ea ullum recte factorum fructum ponere. Quod qui faciunt, ii (ut Dominus in evangelio inquit) mercedem iam suam receperunt[5]. De vera illa et solida et sempiterna gloria loquimur, quae bonis operibus a Christo Domino nostro promissa et praeparata[n] est. Etenim si iis, qui proximum suum esurientem aut sitientem aut nudum cibo, potu, veste aut aliis huiusmodi charitatis officiis iuverint, regnum ab eo coeleste promissum est[6], quanto illud magis sperare is debebit, qui proximi et fratris sui animam ex ipsis Sathanae faucibus eripuerit? Quid qui non de uno aut altero fratre, sed de cuncto fidelium coetu et universa re publica christiana optime fuerit meritus ipsamque Dei religionem consiliis et laboribus suis instauraverit? Quanto maiora ab illo omnium bonorum operum auctore et eodem remuneratore praemia consequetur?

Haec sunt, quae spectare, quae intueri, quae proposita habere et possumus et debemus. ⟨Haec sunt genere ipso ineffabilia, magnitudine infinita, diuturnitate perpetua et sempiterna.⟩[o] Quamobrem incumbamus, patres, toto pectore (ut aiunt) ad sananda christianae rei publicae vulnera; incumbamus ⟨, quanta maxima possumus cura et diligentia,⟩[p] ad eas actiones, ex quibus ad Deum honor, ad ecclesiam salus, ad nos aeterna gloria et felicitas perventura est. Incredibile est, quibus piorum omnium votis expetitum, qua laetitia coeptum, qua expectatione rursus restitutum huc fuerit instauratumque concilium. Persuasum iis est et recte persuasum, hoc unum esse remedium, quo ecclesiae navis iam diu haeresum et discordiarum procellis agitata atque quassata et cum vi tempestatis, tum etiam nautarum negligentia prope obruta, e periculo eripi et tuto in portu possit collocari.

Haecne eorum vota inania, has spes fallaces, hanc voluptatem irritam patiemur 165r evadere? | Quid reliquum erit amplius, quod sperent? Quid supererit, quod exspectent?

[a] *M 1 antea* minavit [b] *Edd.* abiectum, *ut in Vulgata*
[c] *M 1 add.* ira et furore, *quod est postea del.*
[d] *M 1 add.* dicit Dominus Deus, *quod est postea del.* [e] *Edd.* quia, *ut in Vulgata*
[f] *Edd.* diceremus [g] *In M 1 corr. pro* dissipatus [h] *Edd.* eorum
[i] *In M 1 corr. pro* perterreant, *quod habet M 3* [k] *Edd.* futurae
[l] *M 1 antea habuit* quaerere, *postea* sectari, *postremo* aucupari; *M 3* sectari
[m] *M 1, M 3* et [n] *M 1, M 3* parata; *in M 2 corr. ex* parata
[o] *M 1, M 3 om.* [p] *M 3 om.; M 1 add. in margine*

[1] *Ez.* 34, 4. [2] *Ez.* 34, 8 et 10. [5] *Matth.* 6, 2.
[3] *Ier.* 2, 8 sq. [4] *Hebr.* 10, 31. [6] Cf. *Matth.* 25, 34 sqq.

Si ullo umquam tempore bonorum et sapientium sacerdotum ecclesia fidem auxiliumque imploravit, hoc tempore, patres, hoc tempore maxime implorat. Afflicta, vexata[a], lacerata[b], ⟨tot spoliata praesidiis,⟩[c] tot charissimis filiis orbata, supplex ⟨Deo et vobis⟩[d] manus tendit, filios suos e sinu sibi ereptos[e] recuperare pia parens desiderat, et cum eorum desiderio angitur, tum de reliquorum etiam salute est solicita. Quas illa Deo grates aget? Quanta prae laetitia ac voluptate exsultabit, si, quod optat, per vos fuerit consequuta? Quam[f] ea res non huic solum[g], quae in terris est, ⟨verum etiam⟩[h] illi coelesti ecclesiae grata, iucunda optataque accidet? Etenim si vel[i] uno peccatore in terris poenitentiam agente beatae illae mentes tantopere in coelo gaudent[1], quid tot populis ad veritatis lucem et rectam vivendi rationem revocatis futurum esse censemus? Ipsum profecto coelum hac ecclesiae unione et religionis ac disciplinae ecclesiasticae instauratione laetabitur et terra ob factoris sui gloriam iubilabit, ac Domino nobis placato ac propitio laetiores posthac dies, feliciora tempora, uberiores terrae fructus erunt.

Reliquum est, patres amplissimi, ut vos pro officio nostro admoneamus[k] (tametsi gravitas et sapientia[l] vestra minime admonitionem[m] nostram desideret), ut haec, quae pro totius ecclesiae salute agere molimur, in spiritu lenitatis et mansuetudinis, quemadmodum ⟨sancta hac⟩[n] synodo dignum est, agantur. Facessat hinc omnis huius sacrosancti coetus maiestate[o] indigna contentio; facessat omne odium, omnis verborum immoderatio. Sit summa inter nos (ut debet) charitas, summa animorum consensio, summa concordia. Nemo nostrum quae sua sunt quaerat, sed quae Iesu[p] Christi[2]. Denique meminerimus huic conventui Deum ipsum, nostrorum consiliorum et actionum omnium spectatorem ac iudicem, esse affuturum. Cui laus est et honor in saecula saeculorum. Amen.

Qua admonitione lecta, cum paululum omnes quievissent, surrexerunt, et R^{mus} D. legatus capite detecto incepit hymnum *Veni Creator Spiritus*. Quo incepto omnes genuflexerunt et ipse etiam R^{mus} legatus incepto hymno genuflexit omnesque ita genuflexi permanserunt, donec primus versiculus hymni perfectus fuit a cantoribus. Deinde omnes surrexerunt stantes nihilominus capitibus detectis et cantores totum hymnum perfecerunt. Quo completo R^{mus} legatus dixit: *Emitte Spiritum tuum et creabuntur,* cantoresque responderunt: *Et renovabis faciem terrae.* Postea idem R^{mus} legatus legit alta voce infrascriptam orationem, videlicet: *Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.* Et cantores responderunt: *Amen.* Postremo duo ex cantoribus dixerunt: *Benedicamus Domino.* et ab aliis responsum fuit: *Deo gratias.* Quibus omnibus peractis omnes suis in locis resederunt, indictoque silentio R. D. archiepiscopus Calaritanus accedens ad altare maius accepit genuflexus e manibus R^{mi} D. legati decretum, quod in hac sessione publicandum est, ascendensque ambonem legit decretum ipsum clara et intelligibili voce sub forma infrascripta, videlicet:

Decretum publicatum in secunda sessione Tridentina sub Iulio papa III habita kal. Septembris 1551[3]. 165^{v}

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, praesidentibus ⟨in ea⟩[q] eisdem apostolicis[r] legato et nunciis, quae in proxima[s] praeterita sessione sequentem hanc hodie habendam et ad ulteriora procedendum

[a] *M 1 add. supra lineam; M 3 om.*
[b] *M 3 add.* in summum discrimen adducta, *quod est in M 1 del.* [c] *M 1 add. in margine*
[d] *M 1 add. supra lineam primo solum verbum* vobis, *postea etiam* Deo et, *quod ultimum M 3 om.*
[e] *M 1, M 3* abstractos [f] *M 1, M 3* quamquam [g] *M 1, M 3* magis
[h] *M 1, M 3* quam [i] *M 1, M 3 om.* [k] *In M 1 manu Massarelli corr. ex* hortemur
[l] *In M 1 manu Massarelli corr. ex* prudentia
[m] *In M 1 manu Massarelli corr. ex* hortationem [n] *Edd.* sanctae huic
[o] *In M 1 manu Massarelli corr. ex* gravitate [p] *M 1, M 3 om.* [q] *Labbeus om.*
[r] *In C 118 corr. in* s. sedis apostolicae; *sic etiam habent Labbeus et editiones recentiores.*
[s] *C 146 f. 66^{r} et 68^{r}* proxime; *item Labbeus et recentiores.*

[1] *Luc.* 15, 7.
[2] *Phil.* 2, 21.
[3] Copia coaeva *Conc. 146* f. 66 et f. 68^{r}; ed. *Labbeus* XIV 803.

esse decreverat, cum ob inclitae Germanicae nationis (cuius praecipue causa agitur) absentiam ac non magnam caeterorum patrum frequentiam procedere hactenus distulerit, de venerabilium in Christo fratrum et filiorum suorum Maguntini et Treverensis archiepiscoporum ac sacri Romani imperii principum electorum et complurium ipsius aliarumque provinciarum episcoporum sub hanc ipsam diem adventu in Domino exsultans et dignas ipsi omnipotenti Deo agens gratias firmamque spem concipiens, quamplurimos alios[a] tam ipsius Germanicae quam aliarum nationum praelatos et sui officii debito et hoc exemplo commotos propediem esse venturos, futuram sessionem ad quadragesimam diem, quae erit undecima mensis Octobris proxime sequentis, indicit et concilium ipsum in statu, in quo reperitur, prosequendo, cum in praeteritis sessionibus de septem sacramentis novae legis in genere et in specie de baptismate et confirmatione definitum fuerit, statuit et decernit de sanctissimae Eucharistiae sacramento necnon, quod ad reformationem attinet, de reliquis, quae ad faciliorem et commodiorem praelatorum residentiam pertinent, agi et tractari debere, ac monet et hortatur omnes patres, ut interim D. N. Iesu Christi exemplo (quantum tamen humana fragilitas patietur) ieiuniis et orationibus vacent, ut tandem placatus (qui in saecula sit benedictus) Deus corda ad verae suae fidei agnitionem et sanctae matris ecclesiae unitatem ac recte vivendi normam reducere dignetur.

Quo decreto lecto idem R. D. Calaritanus interrogavit patres, an placeret, dicens alta voce haec verba, videlicet: *R^{mi} et Ill^{mi} domini ac R. patres, placentne haec omnia vobis?* Et statim R^{mus} et Ill^{mus} D. legatus ac praesidentes responderunt: *Placent.* Et successive interrogatus quilibet ex patribus singulariter a me secretario praefato una cum Nicolao Driel, ipsius concilii notario, ab omnibus unanimiter responsum est simpliciter per verbum *Placent* ⟨, hoc scilicet ordine, ut post legatum et praesidentes primus responderet cardinalis Tridentinus, deinde electores imperii, postea orator Serenissimi regis Hungariae (cum ipse sederet ut episcopus cum pluviali et mitra; alias enim oratores non habent voces in sessionibus) et successive archiepiscopi et episcopi, quorum unus tantum dixit: «Placent; sed cuperem in titulo addi *universalem ecclesiam repraesentans*», hicque fuit Calaguritanus⟩[b] [1].

Votis autem sic (ut praefertur) collectis et R^{mis} legato et praesidentibus per me secretarium relatis ipse R^{mus} legatus dixit clara voce haec verba, videlicet: *Decretum placet omnibus; gratiae agendae sunt Deo.*

Deinde Ill. D. Hugo comes a Montfort[2], unus ex oratoribus Caroli V imperatoris, exhibuit sacrae synodo mandatum Suae Caes. Maiestatis una cum scriptura quadam,

[a] *Labbeus om.* [b] *M om.*

[1] Etiam in congregatione, quae sessionem mane praecesserat et in qua patres suffragia de decreto promulgando dederant, Calaguritanus postulavit, ut adderentur titulo haec verba. *Psalmaeus* in diario suo apud *Le Plat* VII 2, 72 sq. Iam in concilio prius coacto patres de his verbis vehementissime disceptaverant. Cf. Conc. Trid. I 18 sqq. 374 sqq.; IV 556 l. 2—9, 565 sq.; V 47—50. Calaguritanus etiam in sessione sexta poposcerat, ut titulo decreti haec verba insererentur. *Ibid.* V 802 l. 20 sq.

[2] Hugo comes de Montfort et Rotenfels, consobrino suo Ioanne anno 1529 sine prole mortuo, etiam comitatum de Tettnang obtinuit. Post mortem fratrum suorum Wolfgangi (a. 1540) et Ioannis (a. 1547) unicus dominus comitatuum supradictorum fuit. Ex eius matrimonio cum Magdalena de Schwarzenberg duo filii, Ulricus et Henricus, et una filia, Elisabeth, prodierunt. Confoederationi, ut aiunt, suevicae nomen dedit et contra Ulricum, ducem Virtembergensem, partes Caesaris semper defendit. *H. Günter,* Gerwig Blarer, Abt von Weingarten und Ochsenhausen, Briefe und Akten I (Stuttgart 1914) 210 222 adn. 1 225. De re catholica optime meritus est praedicationique doctrinae Lutheranae, quantum potuit, se opposuit. *Ibid.* 233 238. Cum doctrina Lutherana in regione suevica magis diffunderetur multaeque civitates huius regionis cum Schmalcaldianis se coniungerent, comites et domini suevici, qui fidei catholicae adhaeserunt, inter quos etiam Montfort, novum foedus inierunt. Ad conventum huius foederis mense Martio 1539 in civitate Ueberlingen habitum Montfort commissarius imperatoris missus est; cuius et regis Ferdinandi iussu huius conventus dominos movit, ut foederi principum catholicorum anno praecedenti Norimbergae cum imperatore inito accederent. *Ibid.* 359. Conventui anno 1540 Hagenoae habito et dietae Norimbergensi anno 1542 interfuit. *Ibid.* 379 sq. et 454. Anno 1551 orator imperatoris in concilio Tridentino nominatus hoc munus propter adversam valetudinem recusare cogitabat. Sed Gervico Blarero, abbate Weingartensi, qui tunc temporis apud imperatorem Augustae versabatur, suadente hoc non fecit, quia imperator recusationem aegre tulisset. *Günter* l. c. II (Stuttgart 1921) 261. Advenit Tridentum die 29. Iulii (Conc. Trid. II 240 l. 25 et adn. 1) et biduo post legato concilii mandatum suum exhibuit. Neque latina neque italica lingua utebatur. *Ibid.* II 240 l. 29—32. Mense Martio 1552, cum nuntius de seditione Mauritii, principis electoris Saxoniae, Tridentum allatus fuisset, Oenipontem ad imperatorem se contulit, cum quo die 19. Maii Villacum versus fugit. Sed paulo post ab imperatore in ducatum Virtembergensem missus est, ut exercitum colligeret contra hostes imperatoris. *V. Ernst,* Brief-

in qua dictum mandatum et eius personam admitti petebat. Quod mandatum et scripturam mihi secretario praefato eius nomine | legendam tradidit. Egoque illud et illam legi. 166r
Sunt vero tenoris infrascripti, videlicet:

Mandatum invictissimi Caroli V imperatoris in personam oratorum suorum exhibitum in sessione habita kal. Septembris 1551[1].

Carolus quintus divina favente clementia Romanorum imperator Augustus ac rex Ger- Conc. 89 n. 10
maniae, Hispaniarum, utriusque Siciliae, Hierusalem, Hungariae, Dalmatiae, Croaciae etc., archidux Austriae, dux Burgundiae, Brabantiae etc., comes Habspurgi, Flandriae, Tyrolis etc. Quum beatissimus in Christo pater et dominus, D. Iulius III, divina providentia sanctae Romanae ac universalis ecclesiae pontifex maximus, dominus noster Reverendissimus, sacrum oecumenicum generale concilium per Sanctitatis Suae praedecessorem, foelicis recordationis Paulum papam III indictum et inceptum et aliquandiu intermissum ad tollenda religionis nostrae dissidia, quae in Germania longo tempore maxima totius orbis christiani pertu[r]batione viguerunt, denuo ad civitatem Tridentum revocaverit ac per literas Suae Sanctitatis ad kalendas Maias proxime praeteritas convocaverit: Nos vero cum ob adversam valetudinem, cum qua aliquandiu iam continuo ferme conflictamur, tum aliis negociis impediti, quum eidem concilio, uti cupiebamus, personaliter interesse non possimus, ne tamen muneri nostro in re tam ardua defuisse videamur, operae precium duximus, mandatarios et procuratores nostros eo ablegare[a]. Ac proinde confisi de fide, probitate et rerum experientia ac erga sacrosanctam religionem nostram orthodoxam zelo et pietate venerabilium devotorum ac generosi et nobilium fidelium nobis dilectorum Hugonis comitis a Montfort ⟨et Rotenfels⟩[b], Don Francisci a Toleto[2], prioris monasterii Reconvallensis[c 3], et Guilelmi a Pictavia[4], archidiaconi Campiniae[d], consiliariorum nostrorum, eosdem tam ratione imperialis nostrae dignitatis, quam sustinemus, quam regnorum et provinciarum haereditario iure nobis spectantium, coniunctim et separatim fecimus, creavimus, constituimus et ordinavimus atque ex nunc tenore praesentium ex certa animi nostri scientia et omnibus aliis melioribus modo, via, iure et causa, quibus validius et efficacius possumus et debemus, solenniter facimus, creamus, constituimus et ordinamus nostros veros, certos, legitimos et indubitatos oratores et mandatarios, dantes eis et cuilibet eorum in solidum amplam facultatem et potestatem, ut omnes simul aut tres, duo vel unus ipsorum nomine nostro in dicto concilio oecumenico comparere, in omnibus sessionibus nostrum locum uti oratores et mandatarii nostri habere, res et negocia religionis et fidei et alia quaecunque in praedicto concilio tractanda una cum aliis ⟨statibus reipublicae christianae⟩[e] eorumve legatis, oratoribus et mandatariis consultare, agere et tractare illisque omnibus et per omnia adesse, consilium, votum et decretum nostro nomine dare, impartiri ac interponere, aliaque omnia tractare, procurare, agere, concludere et exercere debeant et possint, quae ad Dei gloriam, fidei unionem et exaltationem et reipublicae christianae honorem, commodum et augmentum pertinere et in eo ipso concilio expedire visa fuerint et quae nos ipsi agere, tractare, procurare et facere possemus, si ⟨praemissis⟩[f] omnibus et singulis personaliter interessemus, etiamsi talia essent[g], quae mandatum exigerent magis speciale, quam praesentibus est expressum,

[a] *C 123* oblegare [b] *Edd. om.* [c] *C 123, C 118, C 119* Rezonvallensis; *Le Plat* Roncevallensis
[d] *Edd.* Campaniae [e] *Edd.* ibidem stantibus rei publicae christianae principibus
[f] *C 123, C 118, C 119* in praedictis [g] *C 123, C 118, C 119* forent

wechsel des Herzogs Christoph von Wirtemberg I (Stuttgart 1899) n. 589. Anno sequenti consiliarius aulicus a Caesare nominatus est. *Ibid.* II (Stuttgart 1900) n. 95 et adn. 4. *K. Lanz,* Correspondenz des Kaisers Karl V, III (Leipzig 1846) 566. *A. v. Druffel,* Briefe und Akten IV (München 1896) 124 adn. 1. Obiit die 21. Novembris 1564. Cf. *J. N. Vanotti,* Geschichte der Grafen von Montfort und von Werdenberg (Bellevue bei Constanz 1845) 146—153.

[1] Invenitur in tomo *Conc. 89* n. 10, or. in perg., quod sequimur; *Conc. 146* f. 71, copia coaeva. Ed. *Raynaldus* ad a. 1551 n. 26 (ad partem tantum); *Labbeus* XIV 796 sq.; *Le Plat* IV 234 sq.

[2] De eo cf. supra p. 23 adn. 5.

[3] Hic in originali et in codicibus intermissum est spatium unius lineae. In margine copiae in *Conc. 146* f. 71r extantis Massarellus hoc loco notavit: *Hic relinquitur spatium unius lineae in albis.* Causa, cur hoc factum sit, fuit, quod Carolus praeter Hugonem a Montfort, qui fuit oratorum primus, et Franciscum a Toleto, qui rerum conciliarium peritissimus fuit, et Guilelmum a Pictavia, qui pro ducatu Burgundiae, Brabantiae, Flandriae missus est, paulisper alium pro regno Hispaniae oratorem ablegare cogitabat. *W. Maurenbrecher,* Karl V. und die deutschen Protestanten (Düsseldorf 1865) 274. Cf. infra p. 96 adn. 5.

[4] Qui tamen non ante diem 7. Septembris Tridentum advenit. Cf. Conc. Trid. II 243 l. 24 sq. et adn. 7.

ponentes idcirco praefatos oratores et mandatarios nostros, quoad praemissa in locum et vicem personae nostrae, promittentes in verbo nostro Caesareo, nos habituros ratum et gratum, quicquid per ipsos oratores et mandatarios nostros aut tres, duo[s] aut unum ipsorum ad modum praenarratum actum, procuratum et gestum fuerit, dolo et fraude penitus semotis, harum testimonio literarum sigilli nostri appensione munitarum. Datum in civitate nostra imperiali Augusta Vindelica, die prima mensis Iulii, anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, imperii nostri trigesimo primo et regnorum nostrorum trigesimo sexto.

Carolus.

⟨V[idi]t C[ancellarius] A[ntonius] Perrenot.⟩[a]

Ad mandatum Caesareae et Catholicae Maiestatis proprium ⟨I[oannes] Obernburger⟩[b][1].

Conc. 123 166v In quo mandato appensum erat sigillum imperiale, videlicet aquila cum duobus capitibus et in medio aquilae insignia regnorum M^{tis} Suae Caes. in cera rubea impressum et cerae[2] coloris crocei annexum et charta membrana sustentatum.

Propositio Illustris comitis a Montfort oratoris imperatoris in praesentatione mandati Caesarei in sessione Tridentina habita kal. Septembris 1551[3].

Postquam intermissum annis aliquot sacrosanctum concilium, Ill^{me} domine, R^{mi} praesules, patres amplissimi, ad fidei et religionis christianae incrementum, haereses extirpandas morumque reformationem non modo utilissimum, verum et necessarium a S^{mo} Patre Iulio III, pontifice maximo, Caesar invictissimus in hac civitate Tridentina prosequendum impetravit, omnes tam imperii Romani, quam regnorum suorum et patrimonialium provinciarum praesules hortari, monere, frequenter etiam orare, ut ad concilium se conferrent[c], non destitit[4]. Quod equidem et praesulum in hoc conventu frequentia et Ill^{morum} S. R. Imperii electorum praesentia vel me tacente attestatur. Nec iis contentus Caesar, quo maiorem testatioremque animi sui erga sanctam synodum propensionem ostenderet, praeter fidelissimum et iamdudum hoc munere fungentem D. Ill^{mum} Franciscum a Toleto, unum ex Hispaniarum regnis et patrimonialibus suis provinciis[5], alterum me quoque, licet indignum, ex Germania ad ipsius vices una cum illis hic gerendas oratorem ac mandatarium constituit. Unde magnum animi Caroli Caesaris invictissimi erga religionem christianam ac Germanicae nationis salutem extat argumentum. Ut vero voluntati clementissimi domini mei morem gererem eiusque iussis obtemperarem, omissis rebus omnibus huc me, quam diligentissime potui, contuli. Quamobrem ego vos, praesules R^{mi} ac patres amplissimi, precor, ut iuxta caesarei mandati tenorem in eius me oratorem recipiatis.

Quibus mandato et propositione lectis interrogati sunt per me secretarium praefatum patres, an placeret responderi iuxta formam ab ipsa synodo alias usitatam. Et cum ab omnibus responsum fuisset *Placet*, ego legi ex scripto dictam sanctae synodi responsionem, quae est tenoris infrascripti, videlicet:

[a] *Non legitur nisi in or.*
[b] *Sic recte legitur in or. et in copia Conc. 146 f. 71v; C 123, C 118, C 119 falso* Io[annes] Bernburger; *edd.* Ioannes Burger [c] *In C 123 corr. ex* conferant

[1] De quo cf. *F. Herrmann,* Die Protokolle des Mainzer Domkapitels seit 1450 III (Paderborn 1932) 491 adn. 2 et saepius.

[2] Hoc verbum *S. Ehses* in Conc. Trid. V 68 l. 30 et adn. 2, ubi Massarellus iisdem fere verbis sigillum mandato Caesaris pro Francisco de Toleto appensum describit, corrigendum esse credidit in *sericis* vel *filis sericis*. Doctum editorem non sequor. Persaepe enim cera rubea sigilli erat annexa vel potius impressa alio orbiculo cerae coloris crocei vel albi. Haud raro factum est, ut postea illa cera rubea, cui impressa erant insignia, se solveret, ita ut solum cera crocea sine aliquo ornamento superesset. Cf. *H. Breßlau,* Handbuch der Urkundenlehre für Deutschland und Italien II² (Berlin-Leipzig 1931) 562. Hoc confirmatur mandato Ferdinandi pro Friderico Nausea et Paulo de Gregoriancz (infra p. 97 sq.), in quo sigillum a Massarello iisdem verbis descriptum bene conservatum est.

[3] Copiae coaevae *Conc. 79* f. 257; *Conc. 146* f. 74r; ed. *Labbeus* XIV 797 sq.; *Le Plat* IV 235 sq.

[4] Vide litteras imperatoris ad archiepiscopos, episcopos principesque sui regni die 23. Martii 1551 datas apud *Le Plat* IV 214 sqq.

[5] Scil. Guilelmum a Pictavia. Cf. supra p. 95 adn. 3. Pro regno Hispaniae litteris principis Philippi die 25. Sept. nomine imperatoris scriptis marchio De Cortes orator nominatus est, qui vero numquam ad concilium venit. *M. Ferrandis,* El concilio de Trento I (Valladolid 1928) 292 et Conc. Trid. XI 651 adn. 2.

Responsum sanctae synodi ad propositionem oratoris imperatoris in praesentatione mandati caesarei[1]. 167r

Illustres domini! Mandatum Caesareae M[tis], quod modo a Dominationibus Vestris exhibitum coram patribus recitatum fuit, huic sanctae synodo iucundissimum nuncium attulit. Quantum enim in hoc, tam universae christianae rei publicae salutari opere de ⟨piissimo huius religiosissimi⟩[a] et potentissimi principis animo ea[b] sibi polliceri possit, facile tum ex ipsius mandati lectione, tum ex illustrium[b] personarum vestrarum destinatione intellexit. Quare et Dominationes Vestras, quas ob singularem earum prudentiam et religionis studium magno sibi adiumento fore sperat, grato et benevolo animo amplectitur et mandatum Suae Caes. M[tis], quantum de iure potest, libentissime admittit. Et cum de iis omnibus sancta synodus Deo benedicto gratias agat[c], simul etiam divinam clementiam pro salute eiusdem Maiestatis et felici rerum ipsius eventu assidue precabitur.

Deinde R. D. ep. Viennensis, unus ex oratoribus Ser[mi] regis Romanorum, exhibuit mandatum eius Regiae M[tis d], quod mihi legendum tradidit, egoque clara voce illud legi. Quod est tenoris, qui sequitur, videlicet:

Mandatum Ser[mi] D. Ferdinandi, regis Romanorum, Hungariae et Bohemiae etc. exhibitum in sessione habita kal. Septembris 1551[2].

Ferdinandus divina favente clementia Romanorum, Hungariae, Bohemiae etc. rex, Conc. 89 n. 28 infans Hispaniarum, archidux Austriae, dux Burgundiae etc., marchio Moraviae etc., comes Tirolis etc. Recognoscimus et notum esse volumus tenore praesentium universis, quod cum beatissimus in Christo pater et dominus, D. Iulius eius nominis tertius, divina providentia sacrosanctae Romanae et universalis ecclesiae pontifex maximus progressum et continuationem sancti oecumenici et universalis concilii alias in civitate Tridentina indicti ad primam diem mensis Septembris proxime futuri reassumpserit, instituerit et publicaverit: Nos vero propter plurimas gravissimasque causas non solum ad regnorum et dominiorum nostrorum christianae fidei et relligionis nostrae hostibus Turcis vicinorum defensionem, sed totius etiam Christianitatis beneficium pertinentes personaliter, quantumvis ad id propensissimi essemus, comparere non possimus, idcirco plenam fiduciam gerentes de singulari doctrina, prudentia et in fidem et relligionem christianam pietate Reverendorum, fidelium, nobis dilectorum Pauli de Gregoriancz[e 3], Zagrabiensis, et Friderici Nauseae[4], Viennensis, episcoporum, consiliariorum nostrorum, eosdem solem-

[a] *Edd.* piissima huius religione [b] *Edd. om.*
[c] *Edd.* aget [d] *M add.* ut Hungariae et Bohemiae regis [e] *C 123* Gregorianez

[1] *Conc. 146* f. 73r, copia manu Massarelli scripta; ed. *Labbeus* XIV 798; *Le Plat* IV 236.

[2] Sequimur tomum *Conc. 89* n. 28, or. in perg. cum sigillo bene conservato; *Conc. 146* f. 75, copia coaeva.

[3] Paulus de Gregoriancz anno 1550 episcopus Zagrabiensis nominatus et die 4. Iulii a pontifice in consistorio confirmatus est. Die 3. Augusti 1554 ad ecclesiam Iauriensem (Raab) translatus est. Mense Iunio 1550 Ferdinando iubente Romam se contulit, ut Iulio III nomine regis et statuum ecclesiasticorum saeculariumque regni Hungarici obedientiam praestaret (Conc. Trid. II 177 l. 28 sq. 178 l. 1—9; cf. etiam *Druffel*, Briefe und Akten I n. 442 adn. 1). Non ante diem 7. Sept. 1551 ad concilium venit (Conc. Trid. II 243 l. 22) ibique usque ad mensem Ianuarium 1552 remansit, quo mense a Ferdinando Romam ire iussus est, ut coram pontifice defenderet causam regis, contra quem propter caedem cardinalis Martinutii procedebatur; Gregoriancz hoc munere felicissime functus est. *Druffel* l. c. II 86—92. Obiit die 21. Octobris 1565. *van Gulik-Eubel* III 232 359.

[4] Fridericus Nausea, episcopus Viennensis 1539—1552, iam ab Hieronymo Martinengo, nuntio apud regem Romanorum, die 31. Ianuarii 1551 ad concilium invitatus est (vide supra p. 10 n. 7). Die 28. Martii papae respondit se propter adversam valetudinem et propter paupertatem suam Tridentum proficisci non posse (supra p. 12 n. 10). Sed iam mense Iulio consilium cepisse videtur adeundi synodum; die 15. Iulii Erasmus Sternberg, canonicus Tridentinus, ei scripsit, se pro eo habitationem non locasse, uti Nausea voluerat, sed eum in domum suam recepturum esse; non autem consulendum esse ante mensem Septembrem Tridentum venire, sed potius exspectandum esse novum de progressu concilii belloque Parmensi nuntium. At paulo post Ferdinandus, rex Romanorum, Nauseam oratorem suum ad concilium mittere constituit eumque, qui primis mensis Augusti diebus ad balneas Abbacenses (prope Ratisbonam) profectus erat, de hac sua voluntate litteris die 9. Augusti datis certiorem fecit. Quia Ferdinandus eum iam die 1. Septembris Tridenti adesse iussit, Nausea statim Viennam reversus est, unde die 16. Augusti iter

niter et ex certa animi nostri sententia[a] ac omnibus melioribus modo, via, iure, causa, forma et ordine, quibus possumus et debemus, commissarios, oratores, nuncios et mandatarios nostros deputavimus, constituimus et ordinavimus ac per praesentes deputamus, constituimus et ordinamus cum plena et omnimoda facultate et potestate eis per nos attributa et concessa, ut pro nobis et nomine nostro tanquam Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae regis archiducisque Austriae in dicto concilio comparere, in omnibus sessionibus nostrum locum obtinere, consultationibus, tractationibus et actibus omnibus, quibus nos ipsi, si praesentes essemus, interesse possemus, adesse et interesse, consilium, suffragium, votum et decretum nomine nostro dare, ferre et interponere aliaque omnia et singula agere, tractare, exercere, concludere et determinare possint et debeant, quae ad constituendam verae fidei et relligionis concordiam et unionem ac christianae reipublicae salutem et conservationem promovendam facere et spectare videbuntur, et quae nos ipsi facere, dicere, agere, tractare, exercere, concludere et determinare possemus, si praemissis omnibus et singulis personaliter interessemus, etiamsi talia forent, quae mandatum exigerent magis speciale, quam praesentibus est expressum, promittentes igitur in verbo nostro regio nos totum id et quicquid per dictos oratores, commissarios[b] et mandatarios nostros modo praemisso actum, dictum, gestum, factum et procuratum fuerit, ratum, gratum, firmum et validum habituros esse, dolo et fraude postpositis penitus et semotis, harum testimonio literarum sigilli nostri appensione et manus nostrae subscriptione munitarum mediante. Datum in civitate nostra Vienna, die decima sexta mensis Augusti, anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, regnorum nostrorum Romani vigesimo primo, aliorum vero vigesimo quinto.

Ferdinandus.

⟨I. Ionas, D., vicecancellarius.⟩[c]

Ad mandatum Sacrae Regiae Maiestatis proprium I. Iordanus.

Conc. 123 167v In quo mandato appensum erat sigillum, in quo aquila cum uno capite et in medio aquilae insignia regnorum Suae Regiae M^{tis} in cera rubea imprimebantur, et cerae croceae annexum membrana charta sustentabatur.

Lecto autem suprascripto mandato ego secretarius praefatus nomine sanctae synodi respondi his verbis, videlicet:

Sacrosancta synodus ad mandatum Ser^{mi} D. regis Romanorum[d] respondet, prout respondit mandato[e] invictissimi D. imperatoris, ita ut mandatum nunc recitatum una cum persona R^{mi} D. oratoris lubenti et grato animo recipit.

[a] *C 123* scientia [b] *C 123, C 118, C 119* consiliarios [c] *Non legitur nisi in or.*
[d] *M add.* Hungariae et Bohemiae [e] *M* oratoribus

Tridentum versus aggressus est. Instructionem et mandatum in itinere recepit variisque periculis superatis die 30. Augusti Tridentum pervenit. Episcopum Zagrabiensem, Paulum de Gregoriancz, alterum Ferdinandi oratorem, cum quo rege iubente Tridentum ingredi debuisset, Bolzani, ubi eum exspectavit, non invenit, quare solus civitatem concilii petiit. Die 31. Augusti praesidentes visitavit exhibens eis litteras credentiales et mandatum et pronuntians coram eis allocutionem, qua de bona regis voluntate erga concilium certiores eos fecit. Itemque oratores caesareos visitavit. Legato suadente congregationi generali hac ipsa die habitae non interfuit, in qua locum ei in sessionibus et congregationibus immediate post oratores caesareos concedi conclusum est. *J. G. Mayer,* Bischof Friedrich Nausea von Wien auf dem Konzil von Trient, in: Histor. Jahrbuch VIII (1887) 3—8. Notandum est, Nauseam et Gregoriancz vice Ferdinandi, regis Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae etc., non autem regis Romanorum functos esse, quia Ferdinando praeter imperatoris oratores alios regis Romanorum concilio interesse debere non videbatur. Cf. Ferdinandi instructionem Nauseae die 16. Augusti datam in Appendice I n. 14. — Iam anno 1542 et iterum a. 1545 Ferdinandus eum nuntium suum apud concilium destinaverat (Conc. Trid. IV 292 adn. 4 et 408 n. 303); sed his annis Tridentum nondum venit, quia Carolo V et Ferdinando concilium adhuc per aliquod tempus differendum esse videbatur (*ibid.* 409 adn. 1). In scriptis Nausea iam pridem de rebus conciliaribus egerat: anno 1538 in lucem prodierunt «Rerum conciliarium libri quinque»; anno 1545 in libello «Super deligendo futurae in Germania synodi loco catacrisis» Coloniam vel Ratisbonam civitates pro concilii celebratione aptas esse ostendit. Hoc anno 1551 paulo post adventum suum praesidentibus litteras dedit, in quibus meliorem et breviorem procedendi modum et ordinem in disputationibus theologorum posthac servandum proposuit (cf. in Appendice I n. 16). De eius vita cf. *J. Metzner,* Friedrich Nausea (Regensburg 1884); *Kirchenlexikon* IX² 50—57; *Hauck,* Realencyklopädie 669—672; *Allg. Deutsche Biographie* XXIII 321—325.

Comparitio nuncii regis Gallorum et praesentatio quarundam litterarum et scripturae nomine ipsius regis[1].

Suprascriptis vero omnibus absolutis comparuit quidam nuntius regis Gallorum, ⟨nomine Iacobus Amiot[2], Gallus⟩[a], qui praesentavit sacrae synodo quasdam litteras nomine ipsius regis una cum quadam scriptura, quam legendi sibi licentiam concedi petiit. Quae litterae cum receptae fuissent a R^{mo} D. legato et mihi secretario praefato legendae traderentur, earum inscriptionem primo legi, in qua, cum non nominaretur haec sancta synodus *concilium*, sed *conventus*[3], patres summopere commoti atque turbati sunt, asserentes alta voce, se nullo modo eas litteras recipere velle, quia ad eos non dirigerentur, cum non diceretur in titulo seu inscriptione, dandas esse patribus Tridentini concilii, sed conventus; Tridenti autem non esse simplicem conventum, sed sacrosanctum, oecumenicum et generale legitimumque et verum concilium. Tandem post multa hinc inde adducta et recitata, cum patres concordare non possent et maior tumultus continuo excitaretur, visum est R^{mo} legato pro maiori quiete et honore ac minori populi astantis scandalo, ut ea res secreto inter ipsos patres solos ageretur. Quare recedentes patres ipsi e loco sessionis secesserunt in sacrarium, ubi re ipsa mature examinata atque discussa placuit omnibus, ut literae praedictae reciperentur et legerentur et scriptura etiam, quam ipse nuntius legere velle proposuerat, audiretur praemissa tamen protestatione infrascripta[4]. Cum igitur

[a] *C 118 add. in margine; C 119 et M om.*

[1] Quae sequuntur usque ad finem sessionis ediderunt *Raynaldus* ad a. 1551 n. 28—32 (= R) et *Le Plat* IV 236—242 (= P). — Regi Galliae, qui timuit, ne concilio generali Protestantes Germaniae ad unitatem ecclesiae reducerentur et inde potestas imperatoris valde augeretur, displicuit pontificis voluntas concilium convocandi, quam tamen palam non renuit, sperans ex discordia principum tantas difficultates orituras esse, ut concilium aperiri non posset. Insuper ipse contra concilium occulte laborabat. Cum autem pontifex mense Decembri 1550 concilium convocasset, rex Galliae mentem pontificis mutare posse credidit eo, quod Octavium Farnesium, ducem Parmensem, qui tunc temporis ab eo auxilium contra pontificem et imperatorem petiit, adiuvaret. Et profecto mense Martio 1551 Octavius Farnesius pactum cum rege Gallo iniit, quo ducatum suum in fidem regis Christianissimi tradidit. Postremo Henricus II, qui hoc pactu pontificis iram maxime incenderat, synodum nationalem convocare minatus est et eodem tempore episcopos sui regni Tridentum ire vetuit. Sed quo magis concilio generali se opposuit, eo firmior voluntas papae reddita est. Postquam mense Iunio bellum quod aiunt Parmense susceptum est, rex Galliae oratorem suum in curia Romana, Paulum a Termis, revocavit, qui ante discessum suum in consistorio die 7. Iulii habito contra bellum et contra concilium protestatus est. *Le Plat* IV 227—231. Quae protestatio non verbis, sed sensu cum ea, quam Iacobus Amiot in concilio praelegit, concordat. Pontifex protestationi a Paulo a Termis factae litteris die 3. Septembris regi Gallo datis respondit. *Ibid.* IV 244—249; *Druffel*, Briefe und Akten I n. 736. De nova protestatione in concilio prolata certior factus Gallorum regi die 12. Sept. iterum litteras dedit, in quibus cardinalem Verallum, ut de pace tractaret, ad regem se missurum annuntiavit. *Ibid.* n. 744. — Patres concilii in hac sessione Iacobo Amiot responsionem non dederunt nec permiserunt, ut de protestatione facta instrumenta conficerentur, nisi addita synodi responsione in proxima sessione edenda. – Optime de hac protestatione iudicat Hugo de Montfort, orator caesareus, scribens die 5. Sept. Gervico Blarero, abbati monasterii Weingartensis, eam potius contra pontificem et imperatorem, quam contra concilium directam esse: «Betrift im grund die bepstlich hayligkait und mit verdegten worten kay. mt. mer dan das concilium.» *H. Günter*, Gerwig Blarer, Briefe und Akten II (Stuttgart 1921) 273 n. 1213.

[2] Iacobus Amiot tunc fuit abbas Bellozanensis. *Gallia Christiana* IV (Lutetiae Parisiorum 1656) 145: «Ibi [Bellosannae] erat abbas Iacobus Amiotus, quando dicavit interpretationem vitarum Plutarchi Henrico II regi 1558.» Postea (1570—1593) fuit episcopus Autissiodorensis. *van Gulik-Eubel* III 139. Mense Augusto 1551 Venetiis morabatur et reditum in patriam iam meditabatur, cum a cardinale Turnonio et ab oratore Gallo rogaretur, ut Tridentum se conferret et litteras regis sui patribus concilii praesentaret. Venetiis die 26. Augusti profectus cum duobus sociis die 30. Augusti Tridentum pervenit ibique delituit, quantum potuit, usque ad horam sessionis. Post sessionem Venetias reversus est, ubi die 8. Sept. Domino de Morvillier, magistro supplicationum, fecit relationem satis diffusam de omnibus, quae in sessione acciderant, et praesertim de iis, quae ipse egerat, insertis etiam documentis, quae tradere sive legere iussus erat. Quas litteras ediderunt *M. le Vassor* 70—101; *Le Plat* IV 249—258.

[3] Inscriptionem vide infra p. 101 l. 34 sq.

[4] Super his omnibus fusius agit Iac. Amiot in litteris supra adn. 2 citatis: Cum litteras regis sui legatis praesentavisset, se interrogatum esse narrat, an etiam mandatum in personam suam haberet; se respondisse negative; nihilominus legatos litteras Massarello dedisse, ut eas coram patribus publice praelegeret; quem, cum litterarum inscriptionem (infra p. 101 l. 34 sq.) legisset, clamore patrum, quin prosequeretur, statim impeditum esse. «Soudain que cette superscription eut été lue et entendue des évêques Espagnols, qui sont en plus grand nombre que les autres, ils commencèrent tous à crier, mesmement un qui s'apelle Auriensis, qui fut le premier de tous à lever cette clameur, disant que ces lettres ne s'adressoient point à eux, pource qu'ils êtoient Concilium generale et legitimum et non point conventus. Et à cette cause ne vouloient point qu'elles fussent ouvertes, ni lues en publique session. Et disoient aucuns: Audiat, qui volet, ego non audiam. Les autres disoient, que j'allasse en leurs maisons privées de chacun, et qu'ils m'écouteroient,

patres in locum sessionis reversi fuissent, promotor sacri concilii protestationem ipsam nomine ipsius sacrae synodi alta voce legit, quae est tenoris infrascripti, videlicet:

168r Protestatio facta a sacra synodo ante lectionem literarum atque scripturae ei praesentatae nomine regis Gallorum in sessione kal. Septembris.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus in Spiritu Sancto legitime congregata interpretando verba literarum Christianissimi regis, ubi illam conventum appellat, in bonam partem, prout de tanto Christ[mo] rege credendum est, ita ut de conventu hoc legitimo oecumenicum et generale concilium faciente intelligantur[a], et protestando, si aliter literae intelligerentur, non esse ad ipsam sanctam synodum directas, passa est, quod literae regis praedictae[b] legantur, et protestatur legi sine aliquo ipsius praeiudicio.

Et statim suprascripta protestatione praemissa ego secretarius praefatus literas ipsas regis Gallorum alta voce legi. Sunt vero tenoris, qui sequitur, videlicet:

Litterae regis Gallorum praesentatae sacrae synodo in secunda sessione Tridentina habita sub Iulio papa III[1].

Conc. 146 87 Henricus ⟨divino beneficio⟩[c] Francorum rex sanctissimis in Christo et observandis summopere patribus Tridentini consessus S. P. D. Hoc in primis visum est convenire tum cuidam singulari observantiae nostrae maiorumque nostrorum in universam ecclesiam, tum egregio praeterea studio erga ordinem vestrum, patres ornatissimi, quod apud vos[d]

[a] *P et R* intelligatur [b] *P et R* praedicti [c] *P* Dei gratia [d] *R* nos

mais là publiquement et en audience judiciale non; et me demandoient à tous coups: Habesne aliud in forma debita mandatum? Je leur répondois que non, et que, sauf leur revérence, cette diction-là conventus est anciens livres latins; ne sonne point si mal, comme l'usage ou l'abus des notaires en leur style, l'avoient depuis rendu odieuse, et que le roi mesme en cette derniere proposition que j'avois à leur lire, appeloit quelquesfois cette assemblée concilium, quelquesfois conventus, quelquefois consessus, et qu'il n'entendoit point aucunement le prendre en mépris, ni contemnement de la compagnie, ainsi qu'ils verroient clairement, s'il leur plaisoit avoir la patience, que les lettres missives fussent ouvertes et lues, et ce que j'avois à leur proposer, fust patiemment oui. Quelque chose que je susse dire, ils s'attachoient opiniatrément à ce conventus.» Postea aliquos ex patribus proposuisse se petere debere, ut legantur litterae sine praeiudicio sanctae synodi, se tamen hoc renuisse, quia a rege suo tantum haberet mandatum praesentandi litteras. Insuper se dixisse patribus, «que, sauf leur correction, ils ne se devroient point arrêter à une inscription, que le secretaire avoit faite, ainsi qu'elle lui sembloit être plus latine. Il y eut un docteur Espagnol, celui mesme qui fit la protestation au nom de l'empereur à Boulogne [Franciscus Vargas], qui me dit, que cette diction concilium n'étoit moins latine que conventus, et en lui alléguant que César appeloit toujours conventus iuridicos, il m'allégua un passage d'une epitre de Cicéron, où il dit: Venimus non in senatum, sed in conventum senatorum. Je lui répondis que cela n'étoit point dit en coutumélie ou mépris de ceux qui étoient là assemblez, mais pour montrer que le tyran César leur avoit ôté la liberté et autorité de senateurs. Je filois le plus doux que je pouvois, me sentant si mal, et assez pour me faire mettre en prison, si j'eusse un peu trop avant parlé. Mesmement qu'il y en avoit un qu'on appele Sacer [Sassari], ce me semble, qui me disoit à tous coups: Venisti ergo, ut protestareris contra hoc concilium? Je ne leur répondois autre chose, si non qu'il leur plust me donner audience et qu'ils entendroient ce que j'étois venu faire et trouveroient toutes choses si sobres, si modérées et si reservées, qu'ils ne se repentiroient point de m'avoir oui. Et afin que vous ne vous imaginiez point que ce soit si grande chose, que vous cuidez à l'aventure, je vous déclare que je ne vous en demande aucune réponse, ni que ceci soit enregitré en vos regitres. Et alors les présidens me répondirent: Etiamsi non petitis responsionem, nos volumus vobis dare.» Se iam paene de missione sua desperasse, cum patres Hispani clamarent: Colligantur vota. Sed legatum patres in sacristiam vocasse, ut ibi inter se deliberarent. *Le Vassor* 75 sqq. — De his, quae in hac congregatione separata acciderunt, Amiot postea ab episcopo Virdunensi certior factus est et ita in litteris suis refert: «Je sus de lui que le légat et ses assistans avoient fort tenu la main, à ce que je fusse oui. Aussi fit le cardinal de Trente, aussi firent les deux electeurs de l'empire, l'archevêque de Mayence et celui de Tréves.... Et me fut dit que l'archevêque de Mayence dit: Si vos non vultis audire litteras regis, quomodo audietis protestantes Germanos, qui nos appellant concilium malignantium? Et le comte de Montfort ambassadeur de l'empereur dit, qu'il protesteroit au nom de son maitre, que je fusse oui, quand on me vouloit dénier audience. Le cardinal aussi de Trente en fit grande remontrance, disant que ce seroit trop irriter un tel prince de ne vouloir pas non seulement donner audience à ses ministres, mais encore ne recevoir pas ses lettres.» *Ibid.* 97.

[1] Sequimur tomum *Conc. 146* f. 87, or. in charta pap. cum sigillo simplici trium liliorum et subscriptum manu propria regis et cancellarii. *Conc. 146* f. 94, copia coaeva. Edidit (praeter eos, de quibus supra p. 99 adn. 1) *Mansi*, Supplementa V 596 sq.

minime ⟨nos quidem⟩[a] dissimulandum duximus, quibus causis quam iustis quamque[b] necessariis non modo adducti vel impulsi, verum etiam coacti simus, nullum episcopum, qui nostrae ditionis esset, Tridentum mittere ad eum conventum celebrandum, qui esset a Beat[mo] Patre papa nostro Iulio indictus nomine publici concilii; eaque de causa perscribenda breviter ad vos omnia curavimus et quae pro nobis exponenda et quae vobis ipsis ista dignitate, ista gravitate hominibus diligenter et attente perpendenda videbantur, praesertim cum nobis dubium non esset, valde alienum a sapientia, prudentia, integritate vestra, sanct[mi] patres, factum aliquod aut nostrum aut alterius cuiusvis temere condemnare, quod perspecta diiudicataque causa vobis facillime probaretur[c]. In iis itaque, quae pro causa nostra scripta mittimus, sunt, quae partim communi omnium, partim quae praecipuo iure aut profitemur ultro aut aspernamur[d] a nobis ac deprecamur necessario quodam et explorato pene iniuriae ac contumeliae metu, quum a nonnullis, si quis a nobis[e] retineatur humanitatis sensus aut benignitatis, nimis vehementer ac praeter modum videamur oppugnari; quibus tamen ne repugnaremus quidem, si liceret nobis ab omni iustitiae atque aequitatis instituto et suscepto semel patrocinio recedere; sed haec omnia, sanct[mi] patres, non secus ac honorarii arbitri comiter et benigne uti audiatis ab eoque recitari patiamini, cui has ipsas litteras ad vos nulla alia de re dedimus. Vos vehementer etiam[f] atque etiam obtestamur eaque sic accipiatis, obsecramus, non tanquam ab ignoto aut alieno aut adversario profecta, sed velut ab eo, qui haereditario nomine[g] maximus aut, sicuti loquimur, primus[h] et ⟨perhibeatur et sit⟩[i] ecclesiae catholicae filius. Quo quidem in domestico ornamento obtinendo et in sustinenda maiorum nostrorum et virtutis et pietatis opinione pollicemur vobis, praestantissimi patres, idque adeo nobis summere [!] audemus, freti benignitate D. N. Iesu Christi, recipimus, spondemus nos mirificam illorum[k] animi magnitudinem, vigilantiam, solicitudinem, fortitudinem, religionem omni genere praestaturos esse studiorum officiorumque nostrorum. Tantum abest, ut, dum factam et illatam ab aliis iniuriam necessario cogimur repellere, aut[l] traditam nobis a maioribus nostris ecclesiae catholicae charitatem deponere queamus aut nostra sponte desinere prosequi, quicquid ab ea pertractatum, decretum, constitutum fuerit, quomodo videlicet[m] ab illa pertractari, decerni, constitui par est, dum ne quid interea sincero atque integro ab hereticorum vecordia principi immerenti atque innocenti aut captiosum comparetur aut contumeliosum. Sit D. N. Iesus Christus ipse, qui author est, custos etiam et conservator, patres ornatissimi, salutis, incolumitatis dignitatisque vestrae. Valete. Ex villa regia, quae Fontis bellae aquae dicitur, ante diem idus Augusti 1551.

Henry

Duthier

Inscriptio autem sic habebat: Sanctissimis et observandis inprimis in Christo patribus conventus Tridentini. Conc. 123 168v

Quibus literis lectis ipse nuncius regis Gallorum legit scripturam quandam, quae erat tenoris infrascripti, videlicet:

Scriptura lecta a nuntio regis Gallorum in sessione secunda Tridentina sub Iulio III pont. opt. max.[1]

Haec sunt, sanctissimi patres, quae post susceptum primum agri Parmensis patrocinium a Christ[mo] rege, post exortam deinde ea de re gravissimam, sed iniustissimam illam quidem querimoniam, post oblatum postremo proximum hunc tumultum et certissimum Conc 146 89r

[a] *P et R om.* [b] *R* quamquam [c] *P et R* probatur [d] *P* aspernantur; *R* sperantur [e] *P* vobis [f] *P et R* oramus [g] *In C 118 corr. pro* iure [h] *In C 118 add. supra lineam* [i] *R* perhibemur esse [k] *P et R* illam [l] *P om.* [m] *P* quidem

[1] Sumpsimus ex originali a rege et cancellario manu propria subscripto, *Conc. 146* f. 89r—91r, quod a Massarello rubricatum est: *Protestatio lecta a nuncio Henrici regis Gallorum in sessione secunda Tridenti habita kal. Sept. 1551.* Fol. 92v hanc habet inscriptionem originalem: *Proposicion protestatoire, que le roy entend estre faicte et prononcee de la part de sa maieste alassemblee convocquee par forme de consille au lieu de Trante. Conc. 78* f. 45r—46v, copia manu Massarelli scripta. Edidit praeter Raynaldum et Le Plat etiam *Mansi,* Suppl. V 597 ad 600.

civilium armorum intestinique belli terrorem ostentatum, rex ipse Christ^{mus} iussit[a] tum Beat^{mo} patri papae Iulio, tum sacro cardinalium collegio profiteri denunciarique, quae totidem prope verbis sunt deinceps[b] exposita.

Cum facta quaedam sua, quae non modo reprehensione nulla, sed summa etiam laude digna essent, trahi tamen atque vocari in invidiam animadverteret idque quorundam hominum iniqua interpretatione fieri eoque dissensionum semina iaci querique materiam armorum, illud inprimis seduloque curavisse, ut, quoad integra res esset, et consilii et facti totius rationem illius Sanctitati collegioque accuratissime redderet Paulus a Termis orator suus, vir equestri dignitate clarissimus[1], idque eo consilio a se factum esse, ut, si qua in animis illorum minus commoda de se opinio insedisset, ingenua illa satisfactione revelleretur, atque ita imminentibus malis, si repudiata pace occasiones armorum cupidius arriperentur, iret ipse obviam et, quoad eius fieri posset, tanto ante refutaret. Itaque primum omnium illud proposuisse id, quod fecisset[c], ut eius propugnationem susciperet, qui in fidem suam quasi in portum aliquem confugisset; se non videre, qua ratione a quoquam iure posset improbari, quippe cum id non magis communis cuiusdam esset humanitatis ad incertos et rerum et temporum casus, quam optimi maximique ac vere regii animi et liberalis officium, nec aequum esse, se deteriori conditione haberi quam caeteros; a se nihil[d] astute actum, nihil subdole cogitatum, nihil commodi alicuius sui causa[e] gestum, sed unius ecclesiae tantummodo habitam esse rationem pro perpetua quadam Francorum regum ac maiorum suorum consuetudine, qui illam ipsam non opibus solum suis exornarint aut armis extulerint, sed corpora etiam sua gravissimis ⟨illis temporibus⟩[f] periculis omnibus opposuerint[g]; idque, quod fieret, illius causa caeptum esse, his conditionibus esse testatissimum, quas ipsas[h] pacis concordiaeque constituendae obtulisset, quae quidem[i] eo semper spectassent[k], uti, qua de re agebatur, ea res ne ecclesiae aliquando vel subriperetur vel eriperetur. quam vellet perpetuo iuris eiusdem ditionisque 89v esse idque unum tantopere contenderet[l] | Quae cum huiusmodi[m] essent, neminem sanae mentis existimare posse, quicquam a se vel actum vel susceptum, quod non maximum generosissimumque regem deceret et hoc loco et hoc animo principem, qui se non modo abstinentissimum praestitisset, sed etiam maximis suis sumptibus ac nonnullo rerum suarum dispendio Italiae pacem, otium libertatemque obtulisset et omni suo studio conatuque ecclesiae dignitatem atque authoritatem procurasset. Se praeterea[n] palam denunciavisse ac testatum esse, si Beat^{mi} papae nostri Sanctitas hanc iustam esse causam armorum decrevisset ac proinde Italiam atque adeo universam pene Europam bello implicavisset[o], ex quo ecclesiae status convelleretur, tum mores, tum religio, tum fidei ipsius causa in ultimum discrimen adduceretur, maxime id quidem suo cum dolore futurum, sed sibi tamen nihil eorum merito imputatum iri, qui omnia ante fecisset, quominus illa acciderent, omnesque propterea conditiones, quae modo et honestae et temporis illius essent, non solum ferre, verum etiam accipere[p] voluisset. Denique concilii, quod nuper indictum esset, solutionem, quam, si ad arma iretur, necesse erat consequi, sibi minime assignati posse.

Orare etiam atque obtestari enixius summi nostri pontificis Sanctitatem, consideraret[q] etiam ⟨atque etiam⟩[r], quanta ex bello semel suscepto[s] damna atque incommoda rei publicae christianae impenderent eaque, ne evenirent, quod pace tuenda facillimum erat, efficeret. Attamen cum haec tot ac tanta ipse pro se per supradictum illum oratorem suum egisset, monuisset, denunciasset, hortatus esset, tantum abesse, ut illis omnibus, quae summopere iure omni divino humanoque niterentur, ullo modo summus Christianorum pontifex moveretur, ut, cum pacem tranquillitatemque tueri deberet, controversias, dissidia, lites, si quae ipsis inter se principibus christianis essent, vel minuere vel funditus tollere, otium atque securitatem omni ratione celebrando concilio parare, Italiae tamen funestissimum bellum concitare, quo totam mox Europam conflagrare necesse esset, nova excitare animorum[t] dissidia, aditus ad concilium omnes praecludere maluisse videretur eamque omni-

[a] *P et R* imperavit [b] *C 118, C 123, P et R* deinde [c] *R* fecimus
[d] *R* nihilominus nil [e] *In or. add. in margine* [f] *Codd.* illius temporibus
[g] *P* exposuerint [h] *P et R* ipse [i] *C 118, C 123, P et R om.* [k] *P et R* spectarunt
[l] *P et R* contenderit [m] *C 118, C 123 et R* eiusmodi [n] *P* propterea
[o] *P et R* implicuisset [p] *P* arripere [q] *P et R* considerans [r] *P et R om.*
[s] *P et R* sumpto [t] *P et R* armorum

[1] Die 7. Iulii orator regis Galli, Paulus a Termis, antequam a domino suo revocatus Roma discederet, in consistorio contra concilium protestatus est. Cf. supra p. 99 adn. 1.

bus suspicionem inducere, istam ipsam concilii Tridentini indictionem non communis universae ecclesiae utilitatis gratia repetitam[a] esse, sed factam potius coitionem[b] cum iis, quorum privatis rationibus ac commodis illic inserviretur, nullo reclamante, nullo repugnante. Videri certe summi pontificis nostri Sanctitatem se excludere ac fructu optatissimi concilii privare voluisse; | 90r id rerum initia, progressus, exitus consiliorum[c] Stis eius videri[d] declarasse, cum illa de causa nec hoc tempore nec hoc authore aut bellum tam perniciosum tanto universae rei publicae periculo suscipi aut tanta eiusdem rei publicae iactura et calamitate geri debuerit. Claros saepenumero admirabili quadam animi magnitudine principes dissimulandis gravioribus iniuriis pacem retinuisse eoque modo restinxisse initia communis incendii; nunc quaesitam videri ultro et adornatam, a quo minime debuit, flammae istius perniciosissimae ac luctuosissimae materiam.

Constituendam fuisse aut revocandam magis exemplo Sanctitatis illius concilio ipso iam indicto veteris ecclesiae severiorem disciplinam ac speciem, non labefactandam aut deformandam eam, quae cum paucissimorum hominum religione nititur, tum pauciorum multo honestate ac moribus agnoscitur, nec spargenda christianis principibus odiorum semina nec obiiciendam Petri principis apostolorum naviculam maioribus prope fluctibus, quam unquam ulla maiorum nostrorum memoria obiecta sit, nec se ab concilio, quod magnopere expetivisset, interclusis itineribus arceri oportuisse[e].

Regem perpetuo suo sensu, non modo nomine Christianissimum, cuius cum tanta maiorum beneficia in ecclesiam exsistant[f], ipse in communi fidei atque religionis causa nec haeserit usquam[g] nec offenderit nec titubarit ullo modo nec animo futurus sit unquam ab ecclesiae catholicae rationibus alieno, se facere non potuisse, quin apud illius Sanctitatem, apud sacrum cardinalium collegium dolorem suum exponeret ac vere et ex animo conquereretur illudque tum querendo tum precando postularet, ne alienum existimarent aut suo aut maiorum suorum more, quod deprecaretur quaedam, hoc est, ut nunc loquimur, protestaretur ipse, quomodo quidem omnino protestatus est, sicut ab ipso sibi iure permissum esse non ignorabat, videlicet, ne sibi[h] gravissimis bellicorum motuum difficultatibus implicato necesse esset, Tridentum ad concilium mittere suae ditionis episcopos, quippe quibus nec liber nec tutus eo pateret accessus, neve id ipsum concilium, a quo excluderetur invitissimus[i], generale totius ecclesiae catholicae aut haberetur aut appellaretur, quin potius privatum existimaretur concilium, quod videretur illud quidem quaesitum et expetitum non reformandae restituendaeque disciplinae nec sectarum comprimendarum studio, sed quibusdam | 90v obsequendi, quorum privatae utilitatis magis quam publicae ratio inita esse videretur.

Denique nec conciliis huiusmodi eorumve decretis aut ipse aut populus Gallicus aut ulli Gallicae[k] ecclesiae[l] ministri in posterum tenerentur. Imo vero se testari palam ac denuntiare ad eadem se remedia ac praesidia descensurum, si necesse videretur, quibus maiores sui Francorum reges in re consimili causaque uti consuevissent, nec sibi quicquam antiquius fore secundum fidei ac religionis integritatem libertate et incolumitate ecclesiae Gallicae[k]. Nihilominus hoc se profiteri tamen, non haec ita a se dici, quasi aut cogitaret ullo modo aut haberet in animo, meritam ac debitam a se sanctae apostolicae sedi observantiam et obediendi conditionem aut excutere aut imminuere, contra operam daturum esse, ut magis ac magis in dies se dignum probaret[m] hoc Christmi regis cognomine, hoc maximi[n] ecclesiae filii[o] elogio. Animi huius sui ac studii propensionem ad feliciora melioraque tempora reservari, cum scilicet hoc humano generi ac praecipue rei publicae christianae, ⟨hoc suis⟩[p] ipsius ac populi totius Gallici[q] votis Dei Optimi Maximi gratia tribuisset, ut honeste depositis armis, quae essent parum modeste illata, et motiones animi componerentur et hoc modo pax ipsa conveniret. Se praeterea supplicare cum ab eius Sanctitate, tum ab ipso sacro collegio postulare, uti ne moleste ferrent, si suam ipse professionem, instationem[r], denuntiationem, deprecationem in acta referri peteret sibique instrumenta his de rebus publice confici[s], quibus, quoties aut tempora aut res suae poposcissent, uti posset ad superiorum omnium fidem, sibique, ut[t] ad singula responderetur, rogare, ut his de rebus omnibus caeteros Christiani nominis principes, populos, civitates liceret certiores facere.

[a] *R* expetitam [b] *P* conditionem [c] *R* consilium [d] *P et R om.* [e] *R* oportuisset
[f] *P* exstant [g] *P et R* unquam [h] *P et R* ipsi [i] *P* invitus; *R* invictissimus
[k] *P* Gallicanae [l] *P add.* praelati et [m] *C 118, C 123, P et R* praeberet [n] *P* maximo
[o] *P add.* ac fidei protectoris [p] *P* summis [q] *Or.* Gallicae [r] *P om.; R* instaurationem
[s] *C 118, C 123 P et R* fieri [t] *R* ne

Nunc itaque, sanct^mi^ patres, cum vobis promptum sit ac facile, nudum[a] Christ^mi^ regis animum et explicatam apertamque facti consiliique sui mentem perspicere, potestis etiam statuere nec hunc ordinis istius conventum ab illo sperni, nec authoritatem gravitatemque non magni fieri, sed praereptam potius huius celebrandi facultatem. Quod vos ita accepturos confidit, ornatissimi patres, ut nec de illius religione dubitare possitis, nec de animo erga vos totamque ecclesiasticam administrationem secus ac commodum est iudicare. | 91r In quo uno vestro iudicio adversus malevolorum et iniquorum hominum sermones satis sibi praesidii esse putat, satis adversus suggillationes[b] argumenti, ut simul acquiescat et innocentiae suae conscientia et recordatione[c] officiorum suorum.

Henry

Duthier

Conc 123 170r Cuius quidem scripturae lectione absoluta statim promotor sacri concilii interposuit infrascriptam protestationem, quam clara et alta voce legit sub tenore, qui sequitur, videlicet:

Protestatio et responsum sanctae synodi ad suprascriptam scripturam.

Sacrosancta, oecumenica et generalis synodus in Spiritu Sancto legitime congregata intendens consulto et mature ac causae cognitione adhibita et publica sessione, prout vos facere elegistis necnon ipsius negocii qualitas requirit, vobis respondere, monet vos, ut ad audiendam et recipiendam responsionem huiusmodi prima proxima futura sessione, quae erit die undecima[d] mensis Octobris proxime venturi, coram ipsa synodo comparere omnino debeatis. Dumque Christianissimus rex vester in suis literis affirmat in civitate Tridentina adesse concilium, acceptat admittitque libenter; personam vero vestram pro legitima et omnia alia per vos dicta non admittit, nisi si et in quantum de iure id facere tenetur, protestans nihilominus, nullum interea ipsi sacrosanctae synodo ac prosecutioni ipsius concilii, etiam per quaecumque per vos acta et gesta, praeiudicium generari. Ac interim prohibet omnibus notariis, ne[e] instrumentum istius actus vobis aut alicui tradant, nisi una cum adiectione suae responsionis, quam die supradicta vobis tradere parata est, ac sine sui notarii subscriptione; alias protestatur de nullitate.

His omnibus peractis R^mus^ D. legatus incepit hymnum *Te Deum laudamus,* quem cantores totum perfecerunt. Deinde ipse R^mus^ legatus benedixit sanctam synodum signo crucis et patres omnes depositis paramentis recesserunt hora 19.

[f]Et quia ego Angelus Massarellus de S. Severino, Camerinensis diocesis, sacri concilii secretarius et prothonotarius apostolicus, praemissis omnibus et singulis interfui et praesens fui eaque in notam sumpsi, ideo hic manu mea propria subscripsi in fidem et testimonium praemissorum.

170v Nomina et cognomina praelatorum, qui interfuerunt secundae sessioni Tridentinae sub Iulio III pont. max[1].

Legatus[g] et praesidentes:

R^mus^ et Ill^mus^ D. Marcellus, tit. S. Marcelli S. R. E. praesbiter cardinalis, Crescentius nuncupatus, sacri concilii legatus et primus praesidens	Romanus
R. D. Sebastianus Pighinus, archiep. Sypontinus, secundus praesidens .	Regiensis
R. D. Aloysius Lippomanus, ep. Veronensis, tertius praesidens . .	Venetus

[a] *P et R* nedum [b] *P et R* sugillatores [c] *P et R* recordationis
[d] *P et R* decima tertia [e] *P et R* ut [f] *Legitur nonnisi in C 123* [g] *C 123* Legati

[1] Huius catalogi prima recensio invenitur in *Conc. 146* f. 96 97 100 (= M). Sed antequam notarii eum conscriberent, in aliis foliis (nunc *Conc. 146* f. 98, 98 bis et 99) nomina aliquorum nobilium separatim collegerunt: f. 98 *Nobiles R^mi^ D. Maguntini;* f. 98 bis *Treverenses;* f. 99 *Li signori ecclesiastici et gentilhomini, che si ritrovorno alla sessione il primo di Settembre 1551.* In quo ultimo folio leguntur nomina ecclesiasticorum Tridentinorum et nobilium et familiarium cardinalis Tridentini; sed aliqua nomina in hoc folio enumerata in ipso catalogo omissa sunt, ut suis in locis adnotabimus.

Cardinalis Tridentinus:

R^{mus} et Ill^{mus} D. Christophorus Madrutius, tit. S. Caesarei in palatio S. R. E. praesbyter cardinalis et ep. Tridentinus ac administrator Brixinensis	Germanus

Sacri imperii principes electores:

R^{mus} et Ill^{mus} D. Sebastianus Heusenstein, archiep. Maguntinus	Germanus
R^{mus} et Ill^{mus} D. Ioannes ab Isemburg, archiep. Treverensis	Germanus

Oratores Caroli V Augusti:

Ill. D. Hugo comes a Montfort et Rothenfels	Germanus
Ill. D. Franciscus a Toleto, prior monasterii Reconvallensis	Hispanus

Orator Ser^{mi} D. Ferdinandi, regis Romanorum:

R. D. Fridericus Nausea, ep. Viennensis	Austriacus

Archiepiscopi:

R. D. Salvator Salapusius, archiep. Turritanus et Sassarensis	Sardus
R. D. Ludovicus Chieregatus, archiep. Antibarensis	Vicentinus
R. D. Petrus Tagliavia de Aragonia, archiep. Panormitanus	Siculus
R. D. Petrus Guerrero, archiep. Granatensis	Hispanus
R. D. Balthassar de Heredia, archiep. Calaritanus	Sardus

Episcopi:

R. D. Gaspar Ioffredus, ep. Segobricensis[a]	Hispanus
R. D. Ioannes Bapt. Campegius, ep. Maioricensis	Bononiensis
R. D. Ioannes Fonseca, ep. Castellimaris	Hispanus
R. D. Ioannes Salazar de Burgos, ep. Lancianensis	Hispanus
R. D. Petrus Vaguer, ep. Algarensis	Hispanus
R. D. Balthassar Vaveman [!][1], ep. Misiensis, suffraganeus Maguntinus	Germanus
R. D. Hieronymus de Bononia, ep. Siracusanus	Siculus
R. D. Marcus Maliperius[2], ep. Pharensis	Venetus
R. D. Franciscus Manrique, ep. Auriensis	Hispanus
R. D. Franciscus de Navarra, ep. Pacensis	Hispanus
R. D. Ioannes Iovis[b], ep. Constantinensis, suffraganeus Barchinonensis	Hispanus
R. D. Petrus de Augustinis, ep. Oscensis	Hispanus |
R. D. Georgius Flach, ep. Solonensis, suffraganeus Herbipolensis	Germanus 171r
R. D. Ioannes Bernardus Diaz, ep. Calaguritanus	Hispanus
R. D. Michael Pugius, ep. Elnensis	Hispanus
R. D. Octavianus Praeconius, ep. Monopolitanus	Siculus
R. D. Ioannes Fernandi [de] Themino, ep. Legionensis	Hispanus
R. D. Christophorus Roscius, ep. Ovetensis	Hispanus
R. D. Ioannes Emilianus, ep. Tudensis	Hispanus
R. D. Antonius Codina, ep. Lacorensis, suffraganeus Barchinonensis	Hispanus
R. D. Martinus Ayala, ep. Guadiscensis	Hispanus
R. D. Petrus de Acugna, ep. Astoricensis	Hispanus
R. D. Nicolaus Psaulme, ep. Virdunensis	Lotharingus
R. D. Franciscus Salazar, ep. Salaminensis	Hispanus
R. D. Vincentius de Leone, ep. Bossanensis	Siculus
R. D. Aegidius Foscararius, ep. Mutinensis	Bononiensis[c]

[a] *C 123* Segorbicensis [b] *M corr. in* Iobinus (*van Gulik-Eubel III 192:* Iubius)
[c] *C 118* Mutinensis; *in M manu Massarelli corr. in* Bononiensis

[1] Cf. supra p. 82 adn. 5. [2] Rectius Maripetrus. *van Gulik-Eubel* III 290.

Sacrae theologiae doctores missi a S^{mo} D. N.:

R. Iacobus Laynes, congregationis Iesu . . . . Hispanus
R. Alphonsus Salmeron, eiusdem congregationis . . . . . . Hispanus

[Sacrae theologiae doctores] missi ab imperatore[1]:

R. Ioannes Arze, clericus saecularis . . . . Hispanus
R. Melchior Canus, ord. Praed. . . . . Hispanus
R. Alphonsus de Castro, ord. Min. de obs. . . . . Hispanus
R. Ioannes de Ortega, ord. Min. de obs. . . . . Hispanus

Clerici saeculares:

Martinus Malo, familiaris R. D. Ovetensis . . . . Hispanus
Iacobus Ferrus, familiaris R. D. Segobricensis[a] . . . . Hispanus
Franciscus de Toro, familiaris R. D. Granatensis . . . . Hispanus
Martinus Olaveus, procurator R^{mi} D. Otthonis, cardinalis Augustensis . Hispanus
Melchior a Vosmediano, familiaris R. D. ep. Pacensis . . . . . Hispanus
Franciscus de Heredia, procurator R. D. ep. Tirasonensis . . . . Hispanus
Antonius Arias, familiaris R. D. Panormitani . . . . Hispanus
Petrus Frago, familiaris R. D. Pacensis . . . . Hispanus
Ioannes Delphinus, familiaris R^{mi} D. Treverensis . . . . . . Germanus |

171v

Clerici regulares ord. Praed.:

Ambrosius Pelargus, familiaris R^{mi} D. Treverensis . . . . . . Germanus
Reginaldus de Genua, prior S. Laurentii Tridentini . . . . . Genuensis
Didacus Chiaves, socius R. patris de Cano . . . . Hispanus
Desiderius de Verona, theologus S. Laurentii Tridentini . . . . Veronensis

[Clerici regulares] ord. Min. de obs.:

Alphonsus de Contrera[b] . . . . Hispanus
Antonius de Veglioa[c] . . . . Hispanus

[Clerici regulares] ord. Min. Convent.:

Sigismundus Phedrius, concionator R^{mi} Tridentini, de Diruta . . . Umber

[Clerici regulares] ord. S. Augustini:

Marianus Feltrinus, prior S. Marci Trident. . . . . Feltrensis
Adeodatus de Senis, theol. familiaris R. D. Panormitani . . . . . Senensis

[Clerici regulares] ord. Carmelitarum:

Desiderius Panormitanus, familiaris R. D. Bossanensis . . . . . Siculus

[Clerici regulares] ord. S. Hieronymi:

Franciscus de Vigliarua, familiaris R. D. Granatensis . . . . . Hispanus

Nobiles et barones:

Ill. D. Franciscus a Castelalto, capitanus generalis comitatus Tirolensis[d] Germanus
Excell. et Generosus D. Franciscus Vargas, consiliarius et fiscalis imperatoris, U. I. D. . . . . Hispanus

[a] *C 123* Segorbicensis [b] *M, C 118, C 119* Contreras [c] *M, C 118, C 119* Uglioa
[d] *C 146 f. 99* capitanio di Trento

[1] Nomina theologorum, quos imperator iam mense Decembri 1550 ad concilium ire iussit, vide in Conc. Trid. XI 607 sq. Summarium responsorum a theologis ad Caesarem datorum *ibid.* 610.

Ill. D. Sylvius comes Porliliarum	Foroiuliensis
Ill. D. Ioannes Henricus comes a Leiningen et Falchenstein et dominus in Apermont[a]	Germanus
Ill. D. Quirinus Gandulphus dominus in Hohengeroltzech et Suls[b]	Germanus
Ill. D. Hieronymus Pignatellus, germanus ducis Montisleonis	Neapolitanus
Nob. Ioannes a Rothenstain[c]	Germanus
Nob. Conradus de Rechberg in Hohenrechberger[d]	Germanus
Nob. Ioannes Christophorus de Morsman	Germanus
Nob. Conradus Geupell a Schelkropen	Germanus
Nob. Dieterus ab Erembergk	Germanus
Nob. Henricus Graschag a Dieporg	Germanus
Nob. Georgius ab Angeloch	Germanus
Nob. Stephanus a Vechenback	Germanus
D. Bartholomeus Fliscus, U. I. D., consiliarius Tridentinus[e]	Genuensis
D. Franciscus Particella, U. I. D., consiliarius Tridentinus[e]	Romandiolensis[f]
D. Hercules Pagnanus, secretarius Tridentinus[g]	Mediolanensis[h]
D. Franciscus ex comitibus Plusasci[i]	Pedemontanus
D. Ioannes Maria de Albertis, secretarius Tridentinus[k]	Pedemontanus
D. Octavius Crescentius	Romanus
D. Antonius Flordibellus, secretarius legati	Mutinensis
D. Galeatius Elephantutius	Bononiensis
D. Thomas Tabarella, miles auratus	Tridentinus
D. Hieremias de Hieremiis, miles auratus	Tridentinus

Viri ecclesiastici:

D. Raverus[l] a Palant, canonicus Treverensis	Germanus
D. Ludovicus Balzanus, canonicus Tridentinus[m]	Tridentinus
D. Martinus Naideg, archidiaconus Tridentinus	Germanus
D. Thomas Marsoner[1], canonicus Tridentinus	Germanus
D. Antonius Picholus, canonicus Tridentinus	Tridentinus
D. Erasmus Strampergher[n][2], canonicus Tridentinus	Germanus
D. Hieronymus Roccabruna, canonicus Tridentinus	Germanus

[a] *In C 146 f. 98 bis. ubi hoc nomen apparet inter Treverenses, add.* ac Dagspurg
[b] *Hoc nomen invenitur etiam in C 146 f. 98 bis inter Treverenses, ubi tamen legitur* Gangulfus
[c] *C 146 f. 98 add. ad hoc nomen* Mareschalcus; *in M, C 118, C 119 ad nomina* Rothenstain *usque ad* Vechenback *adnotatur* cum electore Maguntino
[d] *In C 146 f. 98 rectius* Hohenrechberg; *add.* iunior
[e] *In C 146 f. 99 nominatur lingua italica* consegliero dell Illmo et R^{mo} di Trento
[f] *C 146 f. 99 hic add.* Il magnifico capitanio Francesco Frotta
[g] *In C 146 f. 99 nominatur* camerero del prefato Illmo e R^{mo}
[h] *Quae sequuntur, C 123 om.; in C 146 f. 99 hic add.* Il magnifico messer Camillo Spanochio, Sanese, gentilhuomo del prefato Illmo
[i] *C 146 f. 99 add.* gentilhuomo del prefato [k] *C 146 f. 99* secretario del prefato Illmo
[l] *M* Ramerus [m] *In C 146 f. 99 nominatur* senore canonico [n] *M* Stampergher

[1] De quo cf. Conc. Trid. IV 390 adn. 5.
[2] Rectius Erasmus Strenberger seu Sternberg (Conc. Trid. IV 288 adn. 2 et 390 adn. 4), apud quem Fridericus Nausea habitabat. Cf. supra p. 97 adn. 4.

ACTA SACRI CONCILII TRIDENTINI

post secundam sessionem sub Iulio III pont. opt. max.

[1]Habita[a] secunda sessione sacri concilii Tridentini sub S^{mo} D. N. Iulio III pont. opt. max., die videl. kal. Septembris anni Domini 1551, quoniam in ea decretum fuerat, agi pro dogmate futurae sessionis de sanctissimo Eucharistiae sacramento, R^{mi} et Ill^{mi} DD. legatus et praesidentes iuxta morem hactenus in concilio observatum exhibuerunt articulos desumptos ex libris modernorum haereticorum super ipso sacramento examinandos et discutiendos a theologis minoribus (id est iis, qui non sunt praelati), ut, antequam patribus concilii proponerentur, ipsorum sacrae theologiae magistrorum et doctorum sententiae super eis haberentur. Qui articuli exhibiti sunt ipsis theologis die Mercurii 2. dicti mensis Septembris sub infrascripta forma, videlicet: Conc. 118 118^{r}

Articuli haereticorum super sacramento Eucharistiae per theologos examinandi, an sint haeretici et a sancta synodo damnandi[2].

1. In Eucharistia non esse revera corpus et sanguinem neque divinitatem D. N. Iesu Christi, sed tantum ut in signo.

Hic error est Zvinglii, Oecolampadii et sacramentariorum[3].

[a] *M* Celebrata

[1] Acta congregationum inter secundam et tertiam sessionem habitarum exstant in tomo *Conc. 118* f. 118^{r}—174^{v} (quem sequimur) et *Conc. 119* f. 131^{r} ad 197^{r}. In tomo *Conc. 14* f. 210^{r}—233^{v} legitur eorum prima forma a Massarello in ipsis congregationibus confecta (= M). Ed. *Theiner* I 488—529 (= Th).

[2] Articuli sequentes prostant etiam in tomo *Conc. 10* f. 208^{v}, manu quidem Massarelli scripti, sed sine additamentis de scripturis praecipuis, ubi errores inveniuntur. Articuli iidem sunt ac illi, qui die 3. Februarii 1547 theologis examinandi traditi sunt (Conc. Trid. V 869 sqq.), paucis verbis additis vel omissis et excepto quarto articulo, qui novus accessit, unde, qui fuerat quartus, nunc factus est quintus etc. Numerus tamen denarius remansit, quia vetus decimus: *Non licere, ut quis se ipsum communicet,* nunc est pars finalis articuli sexti. Edd. praeter Theinerum *Raynaldus* ad a. 1551 n. 39; *Le Plat* IV 258—260. Cf. etiam quae *Steph. Ehses* de praeambula quadam forma horum articulorum a Hieronymo Seripando sub fine a. 1546 confecta et de laboribus Alfonsi Salmeronis et Iacobi Lainii in erroribus colligendis scribit in Conc. Trid. V 835 adn. 3. Etiam anno 1551 aliqui theologi a Massarello rogati fuisse videntur, ut errores colligerent. In tomo *Conc. 78* reperitur folium quoddam (f. 49) a Ioanne Arze mense Septembri 1551 Massarello transmissum, in quo leguntur aliqui errores Lutheri et Zwinglii circa Eucharistiam et sacrificium missae ab eodem Arze ex Miscellaneis Cochlaei collecti. Quos errores hic adnectimus: «Ii soli digni communicant, qui tristes, afflictas, perturbatas, confusas et erroneas habent conscientias. Lutherus de Captivitate Babylonica; refertur a Ioanne Cocleo in Miscellaneis f. 123. — Homo christianus in Quadragesima neque confiteatur neque communicet. Idem auctor in eodem loco. — Eucharistiam posse sumi post alios cibos. Et profanis manibus tractanda est seu licet. Idem De abroganda missa. Cocleus ubi supra. — Omnes sacrificos esse idolatras et toties idolatriam perficere quoties sacrificant. De abroganda missa. Cocleus in Miscellaneis ibi. — Non esse elevandum corpus Christi; ex hominibus esse illam elevationem, non ex Christo. Ibidem. — Verba illa: *Hoc est corpus meum,* tantum sunt spiritualiter intelligenda. Zvinglius referente Cocleo in Miscellaneis 123. — Reverende Domine. Haec obiter collegi, ut specimen aliquod prebeam futuri laboris, quod mihi V. D. iniunxit. Quod si placet hic modus colligendi errores, plurimi colligi adhuc possunt et magni momenti; non enim omnes sunt collecti ex variis illorum libris. Quod si non placet aut iam non vacat novos discutere errores, cessabo. Et laborem nostrum boni consulito. Vale in Christo. Arze.» — In tergo huius folii legitur: «Reverendo Domino Angelo Massarello, s. synodi Tridenti a secretis.» Et manu Massarelli additum est: «Quidam articuli admoniti a doctore Arze de sacramento Eucharistiae, 1551 mense Septembri.» Sed in sequentibus congregationibus solummodo errores suprascriptorum articulorum discussi sunt.

[3] Zwinglii et Oecolampadii doctrinam de Eucharistia optime exponit *W. Köhler,* Zwingli und Luther I (Leipzig 1924) 16—137. Zwinglii opera praestantiora de Eucharistia sunt: De vera et falsa religione (1525) c. 18, *Corp. Ref.* XC 773—882; Subsidium sive coronis de Eucharistia (1525), *Corp. Ref.* XCI 458 ad 505; Eine klare Unterrichtung vom Nachtmahl Christi (1526), *ibid.* 789—862, necnon alii libri, quos contra Lutherum scripsit, de quibus cf. *W. Köhler* l. c. 301 sqq. 462—562. Oecolampadii de Eucharistia opus praestantissimum est libellus: De genuina verborum Domini: Hoc est corpus meum iuxta vetustissimos authores expositione liber (Basileae 1525), de quo cf. *W. Köhler* l. c. 117—137. De prioribus duobus articulis mense Septembri 1551 incertus auctor scripsit tractatum, qui editus est in Conc. Trid. XIII 123—130.

2. Exhiberi in Eucharistia Christum, sed spiritualiter tantum, manducandum per fidem, non autem sacramentaliter.

Articulus iste est supradictorum haereticorum, praesertim Oecolampadii in libello, quem fecit de sacramento Eucharistiae cap. 14[a] et in multis aliis locis[1]. Cum enim[b] negent, Christum esse revera in Eucharistia, asserunt, non posse manducari Christum nisi per fidem, sacramentaliter autem ⟨sumi tantum⟩[c] bucellam panis.

3. In Eucharistia esse quidem corpus et sanguinem D. N. Iesu Christi, sed simul
118v cum substantia panis et vini, ita ut non sit transubstantiatio, sed unio hypostatica huma|nitatis et substantiae panis et vini, ita ut verum sit dicere: Hic panis est corpus meum, et: Hoc vinum est sanguis meus.

Martinus Lutherus in suo testamento de altaris sacramento sic ait: «Profiteor, quod in eo veraciter corpus et sanguis Christi in pane et vino corporaliter manducatur et bibitur.»[2] Et in Assertionibus sic scribit: «Postquam vidi, quae esset ecclesia, quae aliter determinasset, nempe Thomistica, id est Aristotelica, audacior factus sum, et qui[d] inter saxum et sacrum haerebam, tandem stabilivi conscientiam meam ⟨sententiae priori⟩[e], esse videlicet verum panem verumque vinum, in quibus Christi vera caro verusque sanguis non aliter nec minus sit, quam ipsi sub accidentibus suis ponunt.»[3] Idemque Lutherus scribens ad regem Angliae sic inquit: «Impius et blasphemus est, qui dicit panem transsubstantiari.»[4]

4. Eucharistiam institutam esse ob solam remissionem peccatorum.

Hic articulus, ut refert Roffensis, est Lutheri[5].

5. Christum in Eucharistia non esse adorandum neque festis venerandum neque in processionibus circumgestandum neque ad infirmos deferendum et eius adoratores esse veros idololatras.

Lutherus ad Valdenses sic ait: «Dicimus, illos non esse damnandos neque de haeresi accusandos, qui sacramentum Eucharistiae non adorant, cum non sit praeceptum neque Christus in hoc ibi adsit; sed tamen ubique vides illam adorationem sacramenti non esse sine periculo, ubi fides et verbum non exercetur; quare tutius forsitan fuerit cum apostolis non adorare.»[6] Idem alio in loco ad eosdem ait: «Nullum festum

[a] *R et P* 13 [b] *Th* non [c] *R et P* accipi [d] *R et P* quid
[e] *R et P* in sententia priori

[1] Cf. adn. praecedentem.

[2] *Vom abendmal Christi Bekendnis Mart. Luther.* Wittemberg 1528. Germanice Lutherus sic ait: «Eben so rede ich auch und bekenne das sacrament des altars, das daselbst warhafftig der leib und blut ym brod und wein werde mündlich gessen und getruncken.» *Ed. Weimariensis* XXVI 506. Cf. Conc. Trid. V 869 et adn. 5.

[3] Haec verba in *Assertione* (*Ed. Weimar.* VII 94—152) non inveniuntur, sed potius in libro *De captivitate Babylonica ecclesiae praeludium*, ubi sic inchoantur: «Postea videns, quae esset» etc. *Ed. Weimar.* VI 508. Cf. Conc. Trid. V 869 et adn. 6.

[4] In libro *Contra Henricum regem Angliae,* qui editus est anno 1522 (non 1521, ut *Ehses* in Conc. Trid. V 869 adn. 7), *Lutherus* longe disserens de transsubstantiatione, in fine ait: «Quare, ne ingratus sim magisterio domini Henrici, nunc muto et transsubstantiare volo meam sententiam et dico: Antea posui nihil referre, sic sive sic sentias de transsubstantiatione, nunc autem visis rationibus et argumentis assertoris sacramentorum pulcherrimis decerno impium esse et blasphemum, si quis dicat panem transsubstantiari, catholicum autem et pium, si quis cum Paulo dicat: Panis, quem frangimus, est corpus Christi.» *Ed. Weimar.* X 2, 208.

[5] *Ioannes Fischer,* Assertionum regis Angliae de fide catholica adversus Lutheri Babylonicam captivitatem defensio c. 5 (Ioannis Fischerii opera, Wirceburgi 1597, col. 180): «Caeterum causa totius erroris est, quod Lutherus Eucharistiam arbitratur sacramentum esse remissionis peccatorum, cum sit revera non remissionis, sed magis unionis cuiusdam sacramentum.» — «Quis iam ex dictis et authoribus et scripturis non luculenter intelligit Eucharistiam unionis esse sacramentum et non remissionis peccatorum? Nam peccata quantum ad culpam per sacramentum absolutionis ante deleantur oportet. Nam et hoc absolutus (ut Lutherus affirmat) omnino credere tenetur. Quod si vere deleta sint peccata, quid opus fuerit iam aliud sacramentum pro culpis redimendis accipere, cum sint per sacramentum absolutionis antea remissae?» Idem auctor in libro *Assertionis Lutheranae confutatio* art. 15 (Opera, Wirceburgi 1597, col. 466) ait: «Sed age quaeso, doce nos, quod verbum promissionis in hoc sacramento sit, cui (quemadmodum tibi placet) confidamus. Respondes in execrando libello tuo de Captivitate Babylonica, ex hoc sacramento promitti remissionem peccatorum.» Etiamsi Roffensis his in locis non expresse loquitur de *sola* remissione peccatorum, tamen Lutherum in hoc sensu intellexisse videtur rogans eum in eodem libro: «Quid ergo post absolutionem ad Eucharistiam accedimus, si praeter peccatorum remissionem, cuius iam potiti sumus, nihil aliud consequeremur?» (col. 468). Ambrosius Pelargus in voto suo die 11. Septembris dato contra hunc articulum dixit, neminem loqui de *sola* remissione peccatorum (infra p. 132 l. 15).

[6] *Lutherus* in libro *Von anbeten des Sacraments des heyligen Leychnams Christi*, quem scripsit «meynen lieben herrn und freunden, den Brudern genant Valdenses ynn Behemen und Mehren»

magis odi quam festum Corporis Christi.»[1] Idemque docetur in Confessione Augustana[2].

6. Non esse reservandam Eucharistiam in sacrario, sed statim consumendam[a] et 119r praesentibus dandam et aliter facientes abuti hoc sacramento. Neque licere, ut quis se ipsum communicet.

Haec habentur in libello reformationis ad Colonienses[3].

7. In hostiis seu particulis consecratis post communionem remanentibus non remanere corpus Domini, sed tantum ibi esse, dum sumitur, non autem ante vel post sumptionem.

⟨Hic articulus est Lutheri, ut refert Cochlaeus in libello contra eum edito⟩[b 4].

8. De iure divino esse sub utraque specie etiam populum et parvulos communicare et propterea peccare eos, qui cogunt populum altera specie uti.

In Confessione Augustana cap. de utraque specie sic habetur: «Hic mos communicandi[c] sub utraque specie habet mandatum Domini, Matth. 26 [27]: *Bibite ex hoc omnes*, ubi manifeste praecepit Christus, ut de poculo omnes bibant.»[5] Item Lutherus de formula missae sic ait: «Si quo casu concilium statuerit, minime omnium vellemus utraque specie potiri; imo tunc primum in despectum concilii vellemus aut una tantum aut neutra et[d] nequaquam utraque potiri ac plane[e] eos anathema habere, quicumque [auctoritate] talis concilii potire[n]tur utraque, cum id habeamus de iure divino.»[6]

9. Non contineri sub altera specie, quantum continetur sub utraque, neque tantum sumere communicantem[f] sub altera specie, quantum sub utraque.

Ioannes Aepius[g] in disputationibus ait: «Laycis sub panis specie (ut ipsi loquuntur) aut cum pane utranque sacramenti partem et corpus et sanguinem porrigi, nugae sunt.»[7] Item Lutherus libro disputationum 1535 sic asserit: «Quid si ego contra sentiam, me non tantum accipere sub altera, quantum sub utraque, quia non totam Christi institutionem, 119v sed dimidiam solum accipio.»[8]

[a] *R et P* comedendam
[b] *C 118 et C 119 et edd.* Hic articulus est Lutheri in libello (ut refert Cochleus) contra eum edito.
[c] *R et P om.* [d] *R et P* aut [e] *R et P* placet [f] *R* communionem [g] *Edd.* Eckius

(*Ed. Weimar.* XI 431—456) sic ait: «Derhalben sagen wyr nu, das man die nicht verdamnen noch ketzer schellten soll, die das sacrament nicht anbeten, denn es ist nicht gepotten, unnd Christus ist nicht drumb da.» L. c. 448. «Aber nichts deste weniger sihestu, das nicht on fahr abgehet anbeten disz sacrament, wo das wortt und der glaube nicht getrieben wirtt, das ich schier achte, es were besser mit den Apostelln nicht anbeten, denn mit uns anbeten.» L. c. 449. Cf. Conc. Trid. V 870 adn. 1.

[1] Haec verba in citato libro non inveniuntur, sed alia, quae eundem fere sensum exhibent: «Alle spotten sie seyn [Christi] mit dem eusserlichen heuchlisschen anbetten. Und szonderlich geschicht solcher spott Christo auff Ostern und auff des heyligen leychnams tag ynn allen Messen unnd ynn dem sacrament hewszlin.» Et alia: «Tzuvor sollt man abethun die sacrament heusser und die procession auff des heyligen leychnams tag, weyl der keyns nott noch nütze ist.» L. c. 445. Cf. Conc. Trid. V 870 adn. 2. Illa verba: «Nullum festum magis odi quam festum corporis Christi», etiam in aliis Martini Lutheri scriptis invenire non potui.

[2] In articulo *De utraque specie:* «Et quia divisio sacramenti non convenit cum institutione Christi, solet apud nos omitti processio, quae hactenus fieri solita est.« *Bekenntnisschriften* 86.

[3] Libellus reformationis ad Colonienses habet auctores Martinum Bucerum et Philippum Melanchthonem, qui eum Bonnae anno 1543 exararunt. Postea ab Hermanno Wied, archiepiscopo Coloniensi, probatus est et eius nomine lingua germanica anno 1543 et 1544, lingua latina anno 1545 in lucem prodiit. Ad nostrum argumentum vide, quae *L. Seckendorf,* Commentarius historicus et apologeticus de Lutheranismo III 446, de doctrina huius libelli circa dispensationem sacramenti Eucharistiae scribit.

[4] Ubi Cochlaeus de hoc articulo agat, invenire non potui, quia non omnia Cochlaei scripta Romae mihi praesto sunt. Cf. ad hoc concordiae Wittenbergensis (1536) cap. 2: «. . . Nam extra usum, cum asservatur Eucharistia in pixide aut ostenditur in processionibus, ut fit a Papistis, sentiunt non adesse corpus Christi». *Corp. Ref.* III 75.

[5] *Bekenntnisschriften* 85.

[6] In libro *Formula missae et communionis pro ecclesia Vvittembergensi* scripto a. 1523 *Lutherus* ait: «Si quo casu concilium id statueret ac permitteret, tunc minime omnium nos velle utraque specie potiri, imo tunc primum in despectum tam concilii quam statuti sui vellemus aut utra tantum aut neutra et nequaquam utraque potiri, ac plane eos anathema habere, quicunque autoritate talis concilii vel statuti utraque potire[n]tur.» *Ed. Weimar.* XII 217.

[7] Ioannes Aepinus die 16. Iunii 1533 coram principe electore Ioanne Friderico praesidente Martino Luthero ad lauream acquirendam una cum Caspare Crocigero et Ioanne Bugenhagen theses de fide, de ecclesia et de traditionibus humanis, quae a Melanchthone propositae erant, defendit. *Ed. Weimar.* XXXIX 2 p. XIV. Quas theses invenis in *Corp. Ref.* XII 517—520; sed thesis supra adducta frustra inter eas quaeritur.

[8] *Disputatio circularis feria sexta contra concilium Constantiense et suos confessores praesidente doctore Martino Luthero 1535,* propositio 53. *Ed. Weimar.* XXXIX 1, 24. Cf. Conc. Trid. V 870 adn. 8.

10. Solam fidem esse sufficientem praeparationem[a] ad sumendam Eucharistiam, neque ad id confessionem esse necessariam, sed liberam, praesertim doctis; neque teneri homines ad communionem in Paschate.

Lutherus, lib. de Captiv. Babylonica sic ait: «Verbum promissionis tantum[b] regnare debet in fide pura, quae est unica et sola sufficiens praeparatio ad sacramenti sumptionem.»[1] Item lib. de Confessione parte 3 inquit: «Fidele consilium meum est, ut homo christianus tempore Quadragesimae et Paschatis nec confiteatur nec ad sacramentum eat.»[2] Idem ipse Lutherus asserit in libello de visitatione Saxonica, cap. de Eucharistia[3].

Modus praefixus theologis in sententiis dicendis.

Sententiae per theologos dicendae deducantur ex sacra scriptura, traditionibus apostolicis, sacris et approbatis conciliis ac constitutionibus et auctoritatibus summorum pontificum et sanctorum patrum ac consensu catholicae ecclesiae. Utantur brevitate et abstineant a superfluis et inutilibus questionibus ac etiam protervis contentionibus[c]. Ordo autem in sententiis dicendis erit talis, ut primo loco dicant missi a S^mo^ D. N., deinde missi ab imperatore, postea clerici saeculares iuxta eorum promotionem et postremo regulares iuxta eorum ordinem.

Conceditur theologis licentia legendi libros prohibitos.

R^mus^ et Ill^mus^ D. legatus ac DD. praesidentes auctoritate apostolica eis concessa largiuntur facultatem et auctoritatem theologis, qui dicturi sunt sententias, ad effectum indagandae veritatis et confutandi et impugnandi falsas opiniones, ut possint apud se habere et legere omnes libros prohibitos[4].

120r Prima congregatio theologorum super examinatione articulorum de sanctissimo Eucharistiae sacramento.

In Dei nomine. Amen. Die Martis 8. mensis **Septembris** anni eiusdem 1551 in festo nativitatis B. Mariae virginis, hora 19, Tridenti in palatio residentiae R^mi^ et Ill^mi^ D. legati, in aula, in qua generales congregationes fieri consueverunt, habita est prima congregatio theologorum ⟨sub Iulio III pont. max. post reditum videl. concilii in hanc civitatem Tridentinam⟩[d]. Quibus propositi sunt examinandi et discutiendi articuli suprascripti, desumpti ex libris haereticorum de sacramento Eucharistiae; qui articuli licet alias hic Tridenti ante translationem concilii ad civitatem Bononiensem coepti fuerint examinari et iterum ab ipsis theologis minoribus discussi fuerint, quia tamen, antequam ea discussio a patribus perficeretur, dicta translatio facta fuit[5] et exinde per quatuor circiter annos

[a] *R om.* [b] *R et P om.* [c] *C 119 et Th* contemptionibus [d] *Th om.*

[1] *Ed. Weimar.* VI 520.

[2] In libro *Von der Beicht ob die der Bapst macht habe zu gepieten* (a. 1521): «Derhalben ist hie weytter meyn trewer rad, das eynn Christen mensch auff die fasten und ostern nit beicht noch tzum sacrament gahe.» *Ed. Weimar.* VIII 172.

[3] *Unterricht der Visitatorn an die Pfarhern ym Kurfurstenthum zu Sachssen* (a. 1528). Ut ex Conc. Trid. V 871 adn. a apparet, Seripandus librum de visitatione Saxonica ad hunc articulum illustrandum allegans cogitavit de illo additamento Lutheri, quod nonnisi in editionibus a. 1538/39 legitur: «Denn ob der Pfarher selbs oder Prediger, so teglich damit umbgehen, on beicht oder verhöre zum Sacrament gehen wil, sol jm hiemit nichts verboten sein. Des gleichen ist auch von andern verstendigen personen, so sich selbs wol berichten wissen oder zu sagen, damit nicht wieder ein newer Bapst zwang oder nötige gewonheit aus solcher Beichte werde, die wir sollen und müssen frey haben.» Confessionem, de qua hic loquitur, potius examen et instructionem de Eucharistia fuisse ex verbis immediate praecedentibus apparet: «Zum andern sol niemand zu dem Sacrament gelassen werden, er sey denn vorhin bey dem Pfarher gewesen, der sol hören, ob er vom Sacrament recht unterrichtet sey, ob er auch sonst rats bedürffte.» Sed id quod in prima articuli parte asseritur, nempe solam fidem sufficientem praeparationem ad sumendam Eucharistiam esse, Lutherus in hoc libro non dicit, immo contrarium claris verbis docet: «Darnach sol man leren, das die allein wol geschickt zum Sacrament sind, die rechte Rew und leid uber yhre sunde tragen und erschrocken gewissen haben, denn rohe forchtlose leute sollen nicht darzu gehen.» *Ed. Weimar.* XXVI 216.

[4] Cf. breve *Quoniam inter caetera* d. d. 4. Iunii 1551, supra p. 66 l. 15 ad 67 l. 19.

[5] Theologi minores in concilio Tridentino prius coacto hos articulos de sacramento Eucharistiae discusserunt a die 3. Februarii usque ad diem 19. Februarii 1547. Conc. Trid. V 872—961. In congregationibus dierum 8. et 9. Martii 37 ex 61 patribus

concilium ipsum suppressum extitit, ⟨et licet etiam idem Bononiae factum fuerit⟩[a], visum est multis rationibus expedire, ut denuo materia ipsa prae manibus resumatur et ab integro examinetur[1], tum quia magnitudo rei, de qua agitur, ita requirere videbatur, tum potissimum, quia nullus aut certe pauci ex praelatis et theologis, qui eo tempore in concilio fuerunt, nunc praesentes Tridenti reperiuntur, ne videlicet, qui super re tam gravi[b] dicturi erant, causa (ut ita dicam) non cognita atque diligenter non[c] examinata iudicarent, tum denique, quoniam tunc nullus fere Germanorum (quorum praecipue causa agitur) ⟨neque etiam Catholicorum⟩[d] in concilio comparuerant, nunc vero quamplures eiusdem nationis adsint, praesertim duo tam illustres et amplissimi DD. S. R. Imperii electores, postremo, ut haeretici maiori cum ratione et eorum opinionibus nonnisi mature et graviter examinatis a sacra synodo damnati inveniantur. ⟨Super articulis igitur propositis cepit primus hodie dicere suam sententiam sacrae theolo|giae magister infrascriptus[e], videlicet:⟩[f] 120v

Jacobus Laynes, Hispanus, ⟨societatis Iesu,⟩[g 2] ⟨missus ad concilium a S[mo] D. N., qui accepit discutiendum primum articulum tantum, quem multis modis haereticum esse ostendit, quorum aliquos ego Angelus Massarellus, sacri concilii secretarius, summatim hic adnotabo, prout, dum ipse suam protulit hodie sententiam, percipere potui. Id quod

[a] *M om.; C 118 in margine* [b] *M add.* sententias [c] *M om.*
[d] *M* neque haereticorum, neque Catholicorum [e] *Th add.* quia a S[mo] D. N. missus
[f] *M* Quod quidem et ab universis patribus summopere probatum fuit. Omnibus itaque tam Ill[mo] D. legato et praesidentibus quam caeteris patribus et theologis ipso in loco convenientibus ipse D legatus rogavit sententias super dictis articulis; incepitque hodie loqui primus sacrae theologiae doctor D.
[g] *M* clericus regularis *et supra lineam* congregationis Iesu

vota sua de articulis dederunt. *Ibid.* V 1010—1013. Recte igitur Massarellus supra scribit, examinationem articulorum Tridenti perfectam non fuisse. Sed post translationem concilii articuli ulterius examinati non sunt, sed die 9. Maii statim patribus canones de hoc sacramento propositi sunt (Conc. Trid. I 650), qui examinabantur a die 12. Maii usque ad kalendas Iunii. *Ibid.* I 658. Sed propter causas satis notas neque canones neque decretum de Eucharistia publicata sunt.

[1] Nova horum articulorum examinatione praesidentes impedire voluisse videntur, ne controversia de validitate translationis et eorum, quae Bononiae acta fuerant, in concilio oriatur. Insuper patres Hispani Bononiensi concilio non intererant.

[2] De Iacobi Lainii vita et de rebus ab eo in concilio sub Iulio III gestis cf. *A. Astrain,* Historia de la Compañía de Jesús en la asistencia de España I (Madrid 1912) 73 sqq. 545—566 et *H. Grisar,* Iacobi Lainez disputationes Tridentinae I (Oeniponte 1886) 17*—30*, ubi p. 23* adn. 1 invenis antiquiores de eius vita scriptores. Cf. etiam *C. Sommervogel,* Bibliothèque de la Compagnie de Jésus IV (Bruxelles-Paris 1893) 1596—1600. Iacobus Lainius aestate anni 1551 Florentiae degebat, cum die 13. Iunii Ignatius ei scriberet, pontificis voluntatem esse, ut ipse et Alphonsus Salmeron ad concilium Tridentinum se conferrent. *Monumenta Ignatiana* ser. I vol. III (Matriti 1905) 551 sq. Die 10. Iulii Florentia Tridentum versus iter aggressi sunt. *Lainii Monumenta,* Epistolae et Acta I (Matriti 1912) 189. Quamquam ducissa Florentiae maluisset Lainium et Salmeronem nomine ducis Florentini ad concilium mitti, tamen id effici non potuit, quia pontifex eos suos theologos elegerat. *A. de Polanco,* Vita Ignatii Loiolae II (Matriti 1894) 249. In itinere collegia societatis Bononiae, Ferrarae, Patavii et Venetiis visitarunt, de quorum statu Ignatio scripserunt. *Lainii Epistolae* I 190 sq. Die 27. Iulii Tridentum pervenerunt legatumque «et alios praecipue auctoritatis viros» visitarunt, «qui (ut scribit Salmeron die sequenti Ignatio) perhumaniter nos exceperunt et qui iam nunc se credere aiunt concilium vere celebrandum, de quo non parum dubitatum est hactenus». *Epistolae Salmeronis* I (Matriti 1906) 92 sq. Sed magnae in hospitio inveniendo difficultates eis subortae sunt, de quibus die 11. Augusti Ignatio scripserunt. *Lainii Epistolae* I 192—196 et *Astrain* I 546 adn. 3. Die 15. Augusti, 29. Augusti et 5. Septembris Ignatius eis scripsit, quomodo cum legato se gerere deberent; itemque eos iussit octavo quoque die de rebus conciliaribus Romam scribere. *Monum. Ignat.* ser. I vol. III 613 sq. 625 633 sq. Persaepe Lainius febribus quartanis vexabatur. Etiam die 7. Septembris hac febri laborabat; nihilominus magna cum audientium satisfactione votum suum suprascriptum de Eucharistia emisit. *Epist. Salmeronis* I 93 sq. Paulo post sanitatis restituendae causa a legato licentiam petiit Veronam vel in alium locum vicinum se conferendi, quae tamen concessa non est, nisi expleta articulorum et doctrinae de Eucharistia examinatione. Die 23. Octobris Rivam petiit, ubi per aliquot dies versatus est. *Polanco* I 250 sqq. Ipso Lainio proponente Ignatius mense Novembri eius loco Hieronymum Natalem ad concilium misisset, nisi Salmeron ei scripsisset Lainii praesentiam in concilio maximi momenti esse. *Polanco* I 253. Cum in aliquibus Germaniae regionibus, in Hispania et inprimis in Gallia concilii auctoritas magni aestimaretur, imo concilium supra papam esse multi crederent, Ignatius opportunum esse duxit societatis approbationem etiam a concilio fieri, ut eo facilius in illis regionibus agnosceretur. Quare Lainio et Salmeroni mandavit, ut scriberent, quid eis de hac re videretur. Sed ambo ex variis causis huiusmodi approbationem dissuaserunt, quod etiam alii episcopi in concilio commorantes et societati Iesu faventes fecerunt. Quamobrem haec approbatio in concilio facta non est. Sed Lainius et Salmeron concilii patres saepe visitantes et cum eis de modo in societate vivendi et de laboribus a societatis patribus susceptis colloquentes multorum erga societatem benevolentiam auxerunt. De his et de Lainii cum Melchiori Cano altercatione cf. *Astrain* I 559—563. Votum Lainii de Eucharistia supra exhibitum ex Theinero edidit *Grisar* II 193—197.

etiam in sententiis aliorum theologorum recitandis faciam, quando satis ad intentionem meam, imo sanctae synodi sit, colligere ex discussione dictorum articulorum, quid in summa ipsi theologi senserint, ut deinde sancta ipsa synodus iuxta eorum iudicium melius dignoscat tum falsitatem articulorum ipsorum, tum veritatem catholicae fidei. Ipse igitur D. Iacobus adduxit primum verba Christi, Matth. 26 [26]: *Hoc est corpus meum,* Marc. 14 [22 sqq.] et Luc. 22 [19 sq.]⟩[a], ac etiam Pauli 1 Cor. 11 [24 sq.] et Io. 6 [52]. ⟨Responditque ad fundamenta adversariorum, qui dicunt, verbum *est* accipi figurative, ex auctoritate Exod. 12[1], cum dicitur:⟩[b] Agnus est transitus Domini, id est *significat.* Et in novo testamento dicitur: *Semen est verbum Dei*[2]. ⟨*Omnia* enim, ut ait Paulus, *in figura contingebant eis*[3]. Et⟩[c] quia scriptura non accipit auctoritatem a verbis inanibus et sine sensu, ⟨ut esset, si interpraetaretur: *Ego sum vitis*[4] et similia. In casu autem nostro *est* accipitur proprie et substantive,⟩[d] prout etiam omnes antiqui patres senserunt. Ille vero sensus, qui tenetur a patribus omnibus, pro catholico est recipiendus, quia credi debet, Spiritum Sanctum eum suggessisse, et secundum quem sensum omnes haereses hactenus damnatae sunt[e]. Praeterea quando verbum potest accipi proprie, non debet accipi figurative. Item quia Christus in institutione sacramentorum loquutus est semper proprie et absque figuris, quod per baptismum: ⟨*Nisi quis renatus fuerit ex aqua*⟩[f 5], et per poenitentiam: ⟨*Quorum* 121r *remiseritis*⟩[f 6], | probavit, ⟨quia vere ex illa lotione pedum quis renascitur⟩[g]. ⟨Unde Augustinus: Quae tanta est virtus huius aquae, ut corpus tangat et cor abluat?[7] Et etiam vere per absolutionem remittuntur peccata.⟩[f] Tantoque magis in Eucharistia Christus loquutus est proprie, ne nobis occasionem daret committendae idololatriae. Item Christus loquens Ioa. 6 [56] commendabat carnem suam esse verum cibum et sanguinem verum potum; quam carnem et sanguinem nobis daturum promisit deditque in Eucharistia, in qua non est dicendum, quod dederit figurative[h] contra suam promissionem. Et licet aliqui intelligant, Ioa. 6 loqui de spirituali tantum manducatione[i], ipse tamen contrarium probavit, loqui scilicet de Eucharistia ⟨et sacramentali manducatione⟩[f], ut doctores omnes asserunt et ecclesiae usus ita recepit, quae in festo Corporis Christi utitur lectione huius capitis Ioa. 6[8]. Et etiam ex ipso textu, cum dicatur de manducatione ⟨et bibitione⟩[f] et de carne et sanguine, praesertim cum ibi allegetur exemplum mannae, quae vere manducabatur. Quibus verbis discipuli scandalizati sunt, qui etiam intellexerunt de vera et propria manducatione. Alias si loquutus fuisset Christus de spirituali, non fuissent admirati ⟨et scandalizati⟩[k]. Praeterea cum dicit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est,* et addit: quam[l] ego dabo *pro mundi vita*[9], id est in cruce. Et eandem[m] carnem, quam promisit dare ad manducandum, dedit in cena, cum dixit: *Hoc est corpus meum* ⟨et *sanguis meus, qui effundetur in remissionem peccatorum*⟩[f 10]. Deinde Paulus 1 Cor. 10 [16] ait: *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Christi*[n] *est?* ⟨Et alibi: Qui manducat indigne, reus est corporis Domini. Et: *Non diiudicans corpus Domini.*⟩[o 11] Idem etiam probavit ⟨per traditiones patrum, adducens⟩[p] concilium Nicenum cap. 14[12], Ephesinum

[a] *M* missus a S^mo D. N. papa oravit primo Deum ad eum inspirandum, ut veritatem eis aggerere velit et auspicatus est a nativitate B. Mariae virginis, accepitque primum articulum, in quo asseritur in Eucharistia non esse verum corpus Christi etc., quem in duas partes divisit, ut prima sit ibi: sanguis et corpus, deinde secunda ibi: neque divinitatem, quas ambas etiam haereticas asseruit, quod probavit per verba evangelii Matth. [26, 26]: Hoc est corpus meum et sanguis meus, et Pauli 1 Cor. 10 [16]

[b] *M* Ex. 12 dicitur «est» pro «significat», ut

[c] *M* Quod videtur esse contra catholicam veritatem huius primi articuli, cum dicitur «esse» (secundum haereticos) i. e. «significat», sed contrarium probavit esse verum

[d] *M* ut ait Paulus [1 Cor. 10, 11], quae verba huiusmodi in scriptura nihil important, sed accipit auctoritatem a vero sensu, qui est, quod «est» denotat essentiam

[e] *M add.* Igitur «est» in verbis Christi est accipiendum proprie, quod etiam coniecturis probavit tribus.

[f] *M om.* [g] *M et Grisar om.*

[h] *M* significative

[i] *M add.* aliqui dicunt non corporarie [!] Christum accipere, sed desiderare eum accipere, i. e. eius gratiam [k] *M om. et add.* ergo non solum in signo, sed in vero cibo et potu

[l] *Sic!* [m] *Th et Grisar* tandem [n] *Grisar* Domini

[o] *M om. et add.* ita ut sit corpus Christi

[p] *M* per 6 concilia generalia, 3 pontifices Romanos et 22 patres antiquos

[1] *Ex.* 12, 27: *Victima transitus Domini est.*

[2] *Luc.* 8, 11. [3] *1 Cor.* 10, 11.

[4] *Io.* 15, 1. [5] *Io.* 3, 5. [6] *Io.* 20, 23.

[7] Tractatus in Ioannem 80, 3. *Migne,* P. lat. XXXV 1840. C. 54 *Detrahe* C. 1 q. 1.

[8] *Io.* 6, 56—59.

[9] *1 Io.* 6, 51. [10] *Matth.* 26, 26 28.

[11] *1 Cor.* 11, 27 29.

[12] Can. 18 concilii Nicaeni I (secundum numerationem Isidori Mercatoris can. 14), ubi diaconi prohibentur iis, qui offerunt, i. e. sacerdotibus, corpus Christi porrigere. *Mansi* II 690.

epistola ad Nestorium[1], septimam synodum in 6. actione[2] ac synodum octavam[a 3], Lateranensem[4] et Florentinam[5]. Item Alexandrum[6] et Ilarium[7] pontifices, B. Andream apostolum in vita sua[8], | epistolam Martialis[9], Dionisium [cap.] 3 ecclesiasticae[b] hierarchiae[10], 121 Ireneum ⟨libro 5 et 4, cap. 34 et 54⟩[c 11], Cyprianum epistola ad Magnum[d 12], Tertullianum libro de idololatria[13], libro 2 ad uxorem suam[14], Ignatium epistola 9[15], Victorinum libro 4 de Trinitate et libro primo[e 16], Hieronymum in epistola ad Theophilum[17] et Theophilum libro ⟨2⟩[f] paschali[g 18], Athanasium libro ⟨de passione imaginis⟩[h 19], Ilarium libro[i] de Trinitate[20], Basilium libro primo de baptismo[21] et epistola 141[22] et libro 2 de baptismo[23] et homilia 44, Gregorium Nazianzenum[k] in oratione in sanctum Pascha[24] et Paulinum epistola ⟨12⟩[l] ad Severum[m 25], Damascenum libro de fide orthodoxa cap. 14[26], B. Ildefonsum in 90. haeresi et in libro contra praedestin[atos][27], Paschasium in libro de corpore

[a] *M add.* ubi approbatur epistola Nicolai [b] *M* celesti [c] *Grisar* adversus haereses
[d] *M* Amandum [e] *M add.* eiusdem libri [f] *M* primo
[g] *M om. et add.* et Hieronymum in [libro ad] Theodoretum
[h] *M* de imaginibus; *Grisar* de passione [i] *M add.* octavo [k] *M* septimum
[l] *Th et Grisar om.* [m] *M* Paulinum

[1] *Mansi* IV 1077/78.

[2] Septima synodus oecumenica a. 787, actio 6. *Mansi* XIII 261—268.

[3] Lainius hic alludit ad epistolam Nicolai papae I ad Michaelem III imperatorem d. d. 25. Septembris 860, quae lecta est in actione 4 concilii Constantinopolitani a. 869/70 et in qua papa loquitur inter alia de corpore et sanguine Christi in Eucharistia. *Mansi* XVI 63.

[4] Oecumenica synodus Lateranensis a. 1215 doctrinam de Eucharistia contra Catharos et Albingenses definivit in cap. *Firmiter*. *Mansi* XXII 982. C. 1 *Firmiter* X de summa Trinitate I 1.

[5] Cf. decreta pro Graecis, pro Armenis, pro Iacobitis ab Eugenio IV in concilio Florentino emissa.

[6] Duae epistolae Alexandri papae I, in quibus de Eucharistia agitur, spuriae sunt. Primam vide apud *P. Hinschius,* Decretales Pseudoisidorianae 94 ad 102, alteram apud *Migne,* P. lat. CXLVI 1410. Cf. c. 8 *Nihil* de consecr. dist. 2.

[7] *Migne,* P. lat. LVIII 31. C. 78 *Ubi pars* de consecr. dist. 2.

[8] De vitis apocryphis S. Andreae apostoli cf. *R. A. Lipsius,* Die apokryphen Apostelgeschichten und Apostellegenden I (Braunschweig 1883) 541 ad 622. In illa recensione, quae presbyterorum et diaconorum Achaiae de martyrio S. Andreae apostoli epistola encyclica esse dicitur, leguntur verba ipsius apostoli de sanctissimo Eucharistiae sacramento; quae recensio apud Catholicos saec. XVI maximae aestimationis fuit (cf. *Lipsius* l. c. 565 adn. 2). Quam edidit saec. XVI *A. Lipomanus,* Sanctorum priscorum patrum vitae I (Venetiis 1551) 23ᵛ—25ᵛ et novissime *M. Bonnet* in: *R. A. Lipsius et M. Bonnet,* Acta apostolorum apocrypha II 1 (Lipsiae 1898) 1—37; locum hic allegatum vide l. c. 13 sqq.

[9] S. Martialis unus ex 72 discipulis Domini fuisse dicitur, qui, ut fertur, a S. Petro ad praedicandam fidem in Galliam missus est. Revera circa annum 250 in Galliam venit et primus episcopus ecclesiae Lemovicensis fuit. *AA. SS.* Iunius V 535—560. Duas epistolas ad Burdegalenses et Tolosanos ei adscriptas iam *R. Bellarminus,* De scriptoribus ecclesiasticis (Romae 1613) 38 sq. spurias esse ostendit. De Eucharistia Pseudo-Martialis in epistola ad Burdegalenses c. 3 loquitur. *M. de la Bigne,* Sacra Bibliotheca sanctorum patrum I (Parisiis 1575) 49.

[10] *Migne,* P. gr. III 423—446.

[11] *Irenaeus,* Adversus haereses l. V c. 2; l. IV c. 18 (num. ant. 34) et c. 33 (num. ant. 57, non 54). *Migne,* P. gr. VII 1123—1128. 1026—1029. 1073.

[12] *Migne,* P. lat. III 1142.

[13] *Migne,* P. lat. I 669.

[14] *Migne,* P. lat. I 1296 1302.

[15] S. Ignatii martyris praecipua testimonia pro veritate Eucharistiae extant in epistola ad Romanos et in epistola ad Philadelphenses, quae ultima in epistolarum S. Ignatii editione, quam *Symphronius Champerius* libro *Dionysii Carthusiani,* Super omnes S. Dionysii Areopagitae libros commentaria (Coloniae 1536) f. 357ʳ—369ᵛ inseruit et 8 epistolis spuriis auxit, nonum locum tenet (f. 362ᵛ—364ʳ). Quare Laynius de hac epistola loqui videtur. *F. X. Funk,* Patres apostolici I² (Tubingae 1901) 267.

[16] Sine dubio hic de 4 Caii Marii Victorini Afri libris contra Arium agitur, qui interdum etiam «De Trinitate» appellantur. *Migne,* P. lat. VIII 1043 1063.

[17] In duabus epistolis ad Theophilum Alexandrinum S. Hieronymus Eucharistiae mentionem facit: in epistola 82 et in epistola 114. *Migne,* P. lat. XXII 737 934.

[18] Theophili Alexandrini tres epistolae paschales S. Hieronymo interprete lingua latina ad nos pervenerunt, quae inter Hieronymi litteras inveniuntur. Epistola secunda anni 402, a S. Hieronymo in epistola 99 ad Theophilum (*Migne,* P. lat. XXII 812) *Liber paschalis* nuncupata, de Eucharistia loquitur. *Ibid.* XXII 801. Epistolarum paschalium textus originalis nonnisi fragmenta supersunt (*Migne,* P. gr. LXV 53—60), inter quae locus hic allegatus non invenitur.

[19] Inter homilias S. Athanasii dubias vel potius spurias inveniuntur plures recensiones homiliae de miraculo imaginis Iesu Christi in civitate Beryto facto, quarum uni est titulus *De passione imaginis Domini nostri Iesu Christi, qualiter crucifixa est in Beryto, Syriae civitate, libellus* (*Migne,* P. gr. XXVIII 813—820). Lecta fuit haec homilia in concilii Nicaeni II (anno 787) actione 4 ad confirmandam imaginum venerationem. *Mansi* XIII 23—32. Locum de Eucharistia vide apud *Migne* l. c. 820.

[20] Lib. VIII c. 14. *Migne,* P. lat. X 247.

[21] De baptismo lib. I c. 3. *Migne,* P. gr. XXXI 1573—1578. Sed liber hic spurius est.

[22] Nunc est epistola 8. *Migne,* P. gr. XXXII 253/54.

[23] De baptismo lib. II quaestio 2 et 3. *Migne,* P. gr. XXXI 1581—1586.

[24] Oratio 45 in sanctum Pascha c. 19. *Migne,* P. gr. XXXVI 649/50.

[25] Nunc est epistola 32 (quae erat in editionibus saec. XVI, ex. gr. in illa, quae Coloniae 1560 comparuit, epistola 12 ad Severum). *Migne,* P. lat. LXI 333 sq.

[26] De fide orthodoxa lib. IV c. 13 (non 14). *Migne,* P. gr. XCIV 1144—1153.

[27] S. Ildefonsus huiusmodi librum non scripsit. Allegare videtur librum aliquando S. Augustino adscriptum «Praedestinatus», cuius liber I continet catalogum 90 haeresum; liber II fusius exponit nonagesimam

Christi[1], Victorem in historia Vandalorum[2], Theodoretum libro 9 historiae tripartitae cap. 30[3]. Idemque comprobavit rationibus. Prima: Si Christus non esset in Eucharistia vere et proprie, dereliquisset ecclesiam in idololatria, quod impium est dicere. Secunda: Ex signis et miraculis, quae, ut patres narrant, contigerunt in hoc sacramento. ⟨Et aliis multis.⟩[a] Respondit deinde ad quasdam obiectiones haereticorum. Primo: Cum adducunt: *Hoc facite in meam commemorationem*[4], quasi non sit verum Christi corpus, sed commemoratio. Solvit per dicta Paschasii, quod vere commemoratio fiat a sacerdote conficiente[b], sed ⟨id, quod ipse conficit,⟩[c] est verum Christi corpus[5]. Praeterea summa commemoratio est una cum re commemorata, ut dicitur[d] de verbo Dei, quod est Pater et Filius et Spiritus Sanctus[6]. Et adduxit tres modos repraesentandi aliquem: primum per verba hystoriae, secundum per comediam in persona aliena ⟨illum repraesentante⟩[b], tertium per ipsummet, qui repraesentatur, ut est de principe civitatem liberante, ⟨cuius tunc proprie esset commemoratio, cum ipsemet id repraesentaret⟩[b 7]. Sic de Christo, cuius passio vere per ipsummet repraesentatur. ⟨Secundo: Cum obiicitur, quod sit typus etc., et quod aliquando apud Paulum vocatur panis etc., hoc esse ob species, quae remanent et suum nomen retinent, ut dicitur de virga Aaronis in colubrem [!] conversa[8] et de aliis huiusmodi.⟩[e] Tertio: Cum adducunt verba Ioa. 6 [64]: *Caro non prodest quicquam* etc., respondit, ⟨ut
122r doctores intelligunt, | quatenus atteratur dentibus et ut in macello lanietur⟩[f]. Quarto: Pauperes semper habebitis[g], me autem non[9]. Respondit, non semper, ut ⟨benefaciatis sicut pauperibus⟩[h]. ⟨Ad illam partem articuli, in qua negatur esse divinitatem in Eucharistia, dixit esse haereticam, quia, si vere est Christus, est cum divinitate, cum ipse dicat: *Qui me manducat*[10] etc.; ergo et divinitatem, quae est in Christo; alias enim ipse Christus privaretur aliquando divinitate, quod dicere impium est. Quod enim semel assumpsit, nunquam dimisit.⟩[i] De aliis articulis uno verbo se absolvit asserens, eos omnes haereticos esse et a sancta synodo damnandos.

Alfonsus Salmeron Hispanus[k 11], eiusdem congregationis, ⟨missus etiam a S^mo^ D. N.⟩[l 12], imprimis omnes priores articulos, a primo scil. usque ad 7^m^, haereticos esse

[a] *M* Tertia: Cum sit tam sublimis haec agnitio, tamen ecclesia semper tenuit hanc veritatem, corpus et sanguinem Christi esse vere et realiter in Eucharistia.
[b] *M om.* [c] *M* Eucharistia [d] *M add.* de imagine, ut
[e] *M* secundo obiicitur, quod sit typus, ut dicebat (aliqui dicunt) Tertullianus, et Gregorius Nazianzenus vocat umbram et Augustinus libro 12 vocat signum et Cesariensis idem. Respondit ita vocari ante consecrationem vel post, id est species sive signa.
[f] *M* Christum non intelligere, quod caro atteratur dentibus, sed spiritu in sacramento
[g] *Grisar* habetis vobiscum
[h] *M* ei benefaciamus, Christum non esse semper nobiscum, prout semper habebimus pauperes
[i] *M* Quoad secundam partem articuli, ibi neque divinitatem esse in Eucharistia et [?] Ioannes Crisostomus hom. 32 de sacramento. Lutherani super hoc loco dixerunt divinitatem non esse in sacramento, sed per concomitantiam; dixit articulum esse haereticum, cum dixerit [Christus]: Ego sum panis vivus, et qui me manducat etc., ergo divinitatem, quae erat in Christo, quia privaretur, si in Eucharistia non esset divinitas. Quod semel assumpsit, nunquam dimisit; aliter dimitteret, si esset corpus Christi in Eucharistia absque divinitate. Item aliter non esset adoranda neque iuvaret accipientibus.
[k] *Th om.* [l] *M om. et add.* primo excusavit, si dicit primo loco, quia ita ei statutum est a legato

haeresim, «quae asserit Dei praedestinatione peccata committi», et liber III hanc haeresim refutat (*Migne,* P. lat. LIII 587—672). In libro III c. 25 et 26 paucis verbis doctrinae de Eucharistia mentio fit (*Ibid.* 667 sq.).

[1] Liber de corpore et sanguine Domini. *Migne,* P. lat. CXX 1267—1350.

[2] *Victor Vitensis,* De persecutione Vandalica lib. III c. 2. *Migne,* P. lat. LVIII 220.

[3] Theodoreti Cyrensis historiam ecclesiasticam M. A. Cassiodorus in historiam tripartitam recepit. Lib. IX c. 30 de S. Ambrosii ad Theodosium imperatorem allocutione agit, in qua Eucharistiae mentio fit. *Migne,* P. lat. LXIX 1145. [4] *Luc.* 22, 19.

[5] Liber de corpore et sanguine Domini c. 9. *Migne,* P. lat. CXX 1293—1297. Cf. c. 71 *Iteratur* de consecr. dist. 2.

[6] Verba haec satis obscura sunt. Massarellus Lainium non bene intellexisse videtur.

[7] Eandem comparationem Lainius adhibet in sermone habito mense Septembri 1561 in disputatione inter Catholicos et haereticos coram Catharina Medicaea, loco Caroli IX filii regnum Galliae administrante. *Grisar* l. c. II 102.

[8] *Ex.* 7, 10 sqq. [9] *Matth.* 26, 11. [10] *Io.* 6, 58.

[11] De Alphonso Salmerone cf. *Astrain* I et II passim; *P. Tacchi Venturi,* Storia della Compagnia di Gesù in Italia I et II (Roma 1910 et 1922) passim; *Sommervogel* VII 478—483. Salmeron a mense Februario 1551 usque ad Pascha Neapoli versabatur. Tunc temporis ab Ignatio propter concilium revocatus est. Sed antequam Tridentum peteret, iussu cardinalis Marcelli Cervini et Ignatii Augubium praedicandi causa se contulit. *Epistolae Salmeronis* I 92 adn. 1. Die 20. Iunii Ignatius Salmeronem Florentiam ire iussit, ut post festum S. Ioannis cum Lainio iter ad concilium aggredi posset. De gestis eius in concilio cf. *Astrain* I 545—566 et supra p. 115 adn. 2.

[12] Recte *Astrain* I 549 sq. contra Ribadeneiram, Orlandinum et alios contendit Lainium se non ex-

asseruit[a]. Accepitque examinandum octavum, in quo dicitur, communionem sub utraque specie quo ad populum, etiam parvulos, esse de iure divino, quem haereticum comprobavit, primo quia est contra ecclesiam ⟨catholicam, quae contrarium tenet et⟩[b] quae errare non potest, cum sit (ut ait Paulus) columna veritatis[1]; et ipsa ecclesia a multis[c] annis unam tantum speciem populo dedit, ⟨licet aliquando etiam duas concesserit, quod facere licuit et potuit iuxta temporum exigentiam⟩[b] [2]. ⟨Praeterea alias ecclesia ipsa errasset in iis, quae sunt fidei, si faceret contra ius divinum, quod impium est.⟩[d] Et etiam concilia universalia errassent in fide, quod nullo modo dici potest. Concilium enim Constantiense sessione 13 contrarium diffinivit[3]. ⟨Insuper hoc sacramentum adimplet figuras mannae et agni paschalis, in quibus de manducatione tantum, non autem de potu mentio fit.⟩[e] Et Luc. 24 [30 sq.] Christus ipse communicavit discipulos altera tantum specie. Ait enim evangelista: Et *cognoverunt eum in fractione panis.* Et sequitur: Et statim *evanuit ab oculis eorum.* ⟨Ergo post porrectionem panis si evanuit, non dedit eis calicem.⟩[b] Quem sensum Augustinus et alii antiqui patres tenent[4]. | Ac etiam Ioa. 6 multo pluries 122v
fit mentio de carne ⟨et manducatione panis quam [de] sanguine, et de vino et calice numquam; imo in fine epilogantur praecedentia et dicitur: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum*[5], quia revera in corpore inest sanguis, et qui corpus tantum sumit, adimplet praeceptum, quia carnem manducat et sanguinem bibit; alias Christus in una tantum specie non esset integer neque vivus, quod falsum et blasphemum est⟩[f]. In Actibus quoque Apostolorum legitur, quod erant perseverantes in fractione panis[6], de potu autem nulla fit mentio. ⟨Quoad traditiones: 6. synodus can. 102, in quo in manu dicitur tradi

[a] *M add.* et incongruum scripturis sacris et sanctis patribus et veritati
[b] *M om.* [c] *M* 300
[d] *M* Et qui cum ecclesia non est, dispergit, et quod ecclesia hac una specie usa sit, omnes auctores tradunt et omnes sciunt, quia ecclesia non potest errare in his, quae sunt fidei; alias erraret in fide, si faceret contra ius divinum, quia tantum continetur sub una, quantum sub utraque, alias ecclesia erraret, quod est absurdum.
[e] *M* item quia non solum ecclesiam a 300 annis, sed multos antea usam fuisse una specie, ut in figura de agno paschali et manna, in quibus non est mentio de potu, quas impletas esse dicendum est.
[f] *M* quam de potu et quia idem effectus est in una quam in duabus

cusavisse apud patres, quia primus ante alios omnes votum suum daret, a legato sic iussus. Nihil profecto de huiusmodi excusatione in Actis legitur. Sed ex adn. l facile intelligitur, quomodo horum scriptorum error oriri potuerit; non Lainius, sed Salmeron hoc humilitatis specimen patribus dedit; Massarellus autem de hac re nihil in Actis postea exaratis narravit, ita ut nullum huius rei certum testimonium extiterit, nisi Massarelli Acta in ipsa congregatione confecta (M), quae tamen illi scriptores non inspexerunt.

[1] *1 Tim.* 3, 15: *columna et firmamentum veritatis.*

[2] Usque ad saeculum XIII communem in ecclesia morem fuisse communicandi sub utraque specie hodie omnibus constat. A primis tamen saeculis communionem etiam sub una tantum specie fidelibus datam fuisse in certis casibus, multorum patrum testimoniis demonstrari potest. A saeculo XIII usus solius panis pro laicis ex variis causis vigere coepit; sed ante concilium Constantiense lege ecclesiastica vetitum non fuit communionem laicis sub utraque distribuere. Initio saeculi XV Iacobellus de Mies, discipulus Ioannis Hus, communionem sub utraque specie ad salutem necessariam esse docuit et Pragae, ubi fuit praedicator, etiam calicem fidelibus porrigere coepit. Abhinc magna populi Bohemici pars utraque specie utebatur. Lutherus in primis scriptis suis reformatoriis communionem sub utraque non declaravit necessariam, licet opportunam. Sed paulo post morem communicandi sub una peccatum esse asseruit et usum calicis anno 1523 Wittembergae introduxit. Doctrina autem eius de hac re non erat semper constans et, ut ex verbis suis in libro De formula missae apparet (supra ad articulum 8, p. 113 l. 16—19), libertatem communicandi sub una vel sub utraque specie fidelibus servare voluit. Qua de causa, quod attinet hanc suam doctrinam, cardinalis Hosius eum *omni Protheo mutabiliorem* nominavit (*S. Hosius,* Dialogus de utriusque speciei communione, Venetiis 1573, f. 306v). Alii huius temporis reformatores, ut Zwinglius, Oecolampadius etc., communionem sub utraque omnes introduxerunt. Cf. *G. Constant,* Concession à l'Allemagne de la communion sous les deux espèces I (Paris 1923) 1—35. *J. Hoffmann,* Geschichte der Laienkommunion bis zum Tridentinum (Speyer 1891) 73—79 184—209.

[3] *Mansi* XXVII 727 sq.

[4] *Augustinus,* De consensu evangelistarum lib. III c. 25 n. 72 (*Migne,* P. lat. XXXIV 1206) et sermo 234 c. 2 (*Ibid.* XXXVIII 1116). — Verba Actorum opinionem afferre possint, Salmeronem Augustinum et alios patres, de quibus Conc. Trid. V 888 l. 17—25, testes communionis sub una tantum specie adducere voluisse. Sed hi patres in locis allegatis solummodo demonstrant Christum in Emaus revera panem consecrasse et Eucharistiam confecisse; de calice tamen nullam expressam mentionem faciunt. Dubitandum non est, quin etiam Salmeron patres recte intellexerit, ut apparet de caetero ex eius voto super eadem re in congregatione d. 10. Iunii 1562 emisso (Conc. Trid. VIII 538 l. 17—19). Conclusionem enim Salmeronis (*Ergo post porrectionem panis* etc., supra l. 13), quam Massarellus in ipsa congregatione votum scribens omnino omisit (cf. supra adn. b ad l. 13), postea in exaratione Actorum addidit et falso quidem loco. Si eam post testimonia patrum addidisset, verba Salmeronis multo clariora essent.

[5] *Io.* 6, 59. [6] *Act.* 2, 42.

Eucharistia⟩[a][1] et can. 52[b], ubi ordinatur sacerdotes graecos debere certis diebus abstinere a sacrificando, et iis diebus utebantur pane consecrato, id est communicabant; de vino autem nihil habetur[2]. Ac concilium Eliberitanum ⟨can. 67[3]. Et in primitiva ecclesia dicebatur communio layca, quam omnes doctores interpraetantur sub una tantum specie⟩[c][4]. Praeterea in multis antiquis canonibus fit mentio de asservatione[d] panis, de vino nullum verbum, quia non erat consuetudo in ecclesia communicandi populum sub utraque. Et Clemens in epist. 2 ad Iacobum dicit, non esse utendam negligentiam in relinquendis fragmentis Eucharistiae; de sanguine nihil dicit[5]. ⟨Pius quoque I instituit panem benedictum loco communionis in locum corporis[6]; nihil autem dicit de vino in locum sanguinis; ergo est argumentum, quod non erat consuetudo nisi sub una communicandi.⟩[e] Et Tertullianus lib. 2 ad uxorem de pane tantum meminit[7]. Cyprianus serm. 5 de lapsis[f][8]; Ambrosius in lib. de obitu fratris[9]; Eusebius eccl. hist. lib. 6 cap. 24 de Serapione[10]. Quibus in locis de Eucharistia tantum mentio habetur. Paulinus in vita Ambrosii refert, eum in obitu accepisse tantum Eucharistiam[11].

Quod autem hoc idem ecclesia semper servaverit, patet etiam rationibus. In mutationibus enim gravibus ecclesiae orti sunt magni[g] tumultus; ⟨numquam autem legitur ecclesiam circa hanc communionem sub una vel sub duabus tumultuasse neque aliquam mutationem fecisse; ergo argumentum est, quod ea una semper usa sit usque ad concilium | 123r Constantiense⟩[h][12]. Item quia vinum non ita servatur et acescit et spargi ac ⟨multis modis⟩[g] effundi potest[i]. Ac etiam qui loquuntur de communione sub altera specie, non adducunt principium huius consuetudinis; ergo semper fuit in ecclesia, cum omnes eam praesupponant, quando de ea mentionem faciunt. ⟨Quod etiam arguit, quia ecclesia aliquando concessit Norvegianis[k], ut in una tantum specie sacrificarent ob defectum vini[13],

[a] *C 118 et C 119 om.; sed omissa videntur haec verba per imprudentiam, quia sine eis sequens can. 52 adnotatione loci, quo inveniri potest, caret. Quod Theinerum impulit, ut ad hunc canonem adderet* apostolorum *(vide adn. sequentem).* [b] *Th add.* apostolorum
[c] *M* can. 66 *[sequuntur aliqua verba, quae legi non possunt]* et in multis aliis locis fit mentio de communione laica tantum, quod sub altera specie esse omnes interpretantur
[d] *C 119 falso* asseveratione
[e] *M* Item Pius II in suis canonibus de pane benedicto in signum corporis, et non instituit aliquid de signo vini, ergo non utebantur.
[f] *M add.* in exemplis quibusdam, quae adducit de corpore tantum [g] *M om.*
[h] *M* et in mutatione istius usus non fit mentio de aliquo tumultu, ergo ecclesia semper idem servavit
[i] *M add.* quae docuerint apostolos et ecclesiam [!], ita faciendum esse [k] *C 119* Novergianis

[1] Synodus quini-sexta sive Trullana can. 101 (non 102). *Mansi* XI 986 sq.; *Hefele* III[2] 343.

[2] Eadem synodus can. 52: «In omnibus sanctae Quadragesimae ieiunii diebus praeterquam sabbato et dominica et sancto annuntiationis die fiat sacrum praesanctificatorum ministerium.» *Mansi* XI 967; *Hefele* III[2] 337.

[3] Concilium Eliberitanum a. 305 sive 306 can. 76 (non 67) praecepit, ut diaconi in peccato mortali detecti post legitimam poenitentiam ad communionem laicam rursus admitterentur. *Mansi* II 18; *Hefele* I[2] 189. Cf. adn. sequentem.

[4] Terminum *communio laica* in antiquis canonibus saepe adhibitum intelligi non posse de communione sub una specie iam ex eo apparet, quod consuetudo communicandi sub utraque usque ad saeculum XIII etiam in ecclesia occidentali generalis erat. Reductio ad communionem laicam erat poena clericorum, qua iuribus clericorum privabantur, ad statum laicalem reiiciebantur communionemque inter laicos percipere cogebantur. Cf. *Lexikon f. Theologie u. Kirche* III 22; *J. Hoffmann* l. c. 77 sqq.

[5] Haec epistula originis est Pseudoisidorianae. *Hinschius* 47 et c. 23 *Tribus gradibus* de consecr. dist. 2.

[6] Can. *Ut de oblationibus* Pio I falso adscriptus. *Mansi* I 680. Est Hincmarii archiepiscopi Remensis. Cf. quae *S. Ehses* de hoc canone scribit in Conc. Trid. V 934 adn. 14.

[7] Ad uxorem lib. II c. 5: «Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes; et si sciverit panem, non illum credit esse qui dicitur.» *Migne,* P. lat. I 1296.

[8] Liber de lapsis c. 26. *Migne,* P. lat. IV 486 sq.

[9] De excessu fratris sui Satyri lib. I c. 43. *Migne,* P. lat. XVI 1304.

[10] Historia eccles. lib. VI c. 44 (non 24). *Migne,* P. gr. XX 630—634. Die griech. christl. Schriftsteller der ersten drei Jahrh., *Eusebius* II 2, 624/25.

[11] *Paulinus,* Vita sancti Ambrosii c. 47. *Migne,* P. lat. XIV 43.

[12] Cf. supra p. 119 adn. 2.

[13] Hoc Innocentium VIII Norvegianis permisisse *Raphael Maffeus* cognomine *Volaterranus* in libro 7 commentariorum rerum urbanarum teste *Raynaldo* ad a. 1490 n. 22 narrat; quod tamen ipse Raynaldus *temere* scriptum dicit, quia, si qua sint de ea re diplomata, ea per famosos illos falsarios *Dominicum Viterbiensem* et *Franciscum Maldentem* confecta credenda essent. Recentiores historiographi omnes cum Raynaldo consentiunt. Cf. *Kirchenlexikon* VI 749; *Pastor* III 317. Salmeron in concilio a. 1562 iterum de usu Eucharistiae disputans hoc argumentum de Norvegianis non amplius protulit (Conc. Trid. VIII 537—541), sed alii theologi eo usi sunt, ut P. *Amans Brixiensis,* qui autoritate Alberti Magni, Innocentii III et Innocentii VIII demonstrare conabatur ecclesiam sacerdotibus consecrationem solius panis permittere posse (*ibid.* VIII 567 l. 11—21), et *Ioannes Viletta,* qui sane de hoc argumento ex Raphaele Volaterrano sumpto valde dubitabat (*ibid.* VIII 588 l. 34 sqq.).

ordinavitque, quod⟩[a] sacerdotes in Parasceve communicarent tantum sub una[1]; ⟨ergo id in eius arbitrio fuit⟩[b].

Quoad obiectiones haereticorum. Primo: *Nisi biberitis*[2] etc. ⟨et: Accipite et *bibite omnes*[3]. Respondit, hoc tantum discipulis dictum fuisse ut sacerdotibus, qui, dum sacrificant, sub utraque conficiunt et sumunt. Et quod dicitur: Praeceptum *enim dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis*[4], intelligitur de lotione pedum et de humilitate. Et ipsemet etiam Christus aliquando sub una communicavit, ut in Emaus[5].⟩[c] Et ad illud Pauli 1 Cor. 11 [23—29] respondit, Corinthiorum ecclesiam esse particularem[d], quae non obligat; ⟨quinimmo eodem tempore ecclesia Hierosolymitana, quae erat prima[e] et praecipua, sub una tantum communicabat, ut legitur in Act. 2 [42]⟩[f]: Erant perseverantes in fractione panis. ⟨Et licet Christus expresse id non dixerit, reliquit tamen multa Spiritui Sancto, ut ecclesia suo tempore id faceret, quod Christus non expressit[6], ut de multis habetur exemplum. Nam baptismus aliquando in nomine Iesu tantum dabatur contra institutionis verba: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*[7]. Item de suffocato et sanguine[8]. Ecclesia igitur, prout expedire cognovit, fecit.⟩[g] Et quod dicitur: *Bibite omnes,* tantum discipulis dictum fuit; alias praeceptum illud non fuisset impletum ea nocte, quod est falsum, cum subsequatur: *Et biberunt ex eo omnes*[9]. Sed dicitur discipulis ut sacerdotibus, quibus etiam dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*[10]. Alias et[b] omnes ⟨conficere teneremur et⟩[b] essemus sacerdotes, quod falsum est. Item quod dicitur: *Bibite ex hoc omnes,* ⟨ideo dixit, quia sanguis totus erat in calice; ideo addit *omnes,* quia oportebat, quod | omnes ex eodem calice biberent, si sanguinem sumere 123v volebant. Non dixit autem *omnes,* quatenus alios omnes ultra ipsos discipulos comprehenderet. Unde cum in corpore non dicitur *omnes,* quia unicuique data est pars per manus Christi⟩[h]. Ad illud Ioa. 6 [54]: *Nisi biberitis* etc. respondit, locum illum non intelligi de manducatione et bibitione, quatenus caro teratur dentibus et sanguis bibatur, sed spiritu ⟨in sacramento⟩[i] sub illis speciebus; alias sequeretur sensus absurdus, et quod Christus omnes omni tempore alligare voluisset, ⟨quod ab omnibus reprobatur. Praeterea quia sumens sub una specie sub utraque sumit, et qui corpus manducat, sanguinem etiam sumit, cum corpus Christi sit integrum et vivum cum sanguine, anima[c] et divinitate, et quia sacramentum non est signum sensibile. Locus igitur Ioa. 6 [54] intelligitur de sacramentali manducatione coniuncta cum spirituali. Et quod ibi dicitur: *Qui credit in me, non sitiet*[11], intelligendum est de fide viva et sensus est, ut sumens Eucharistiam sumat cum fide et credat, ibi esse verum Christi corpus et eum esse nostram redemptionem. Alias si quis sumeret absque fide, iterum sitiret, quia ei non prodesset sumptio illa. Ad quod etiam probandum Roffensis in libro, quem edidit contra Oecolampadium, adducit plurimas sanctorum patrum auctoritates[12].

Parvulis autem hoc sacramentum nullo modo dandum est neque sub duabus neque sub altera specie, cum non habeant fidem neque intelligant, quid faciant, neque possint

[a] *M* Praeterea pontifices concessit [!] alicui genti, ut Norvegianis, quod una tantum utantur specie
[b] *M om.*
[c] *M* et cum Christus de utraque specie mentionem faciat, et argumentantur, quod prout apostolis praecepit Christus, ita et nos [!] faciendum est. Respondit nos non ad omnia Christum obligasse, sed ad ea, quae voluit, et cum loquitur Christus: Exemplum enim dedi vobis, loquitur de lotione pedum tantum et humilitate. Item Christus in Emaus alias communicavit, scil. sub una, ita ecclesia aliquando duabus, aliquando una usa est; item quia apostolis dictum est ut sacerdotibus, qui utraque utuntur, dum celebrant.
[d] *M add.* non generalem [e] *Th om.* [f] *M* et Hierosolymitana communicabat sub una
[g] *M* Et Christus non omnia instituit, sed reliquit multa Spiritui Sancto, qui inspiravit ecclesiam ad ea facienda, quae Christus non expressit. Item ecclesia primitiva aliquando una, aliquando duabus speciebus utebatur. In quo Nicolaus de Cusa tres status ecclesiae considerat et secundum [?] status, ita ecclesia consuevit.
[h] *M* illud «omnes», quia erat sanguis in eodem calice et in corpore, non dicitur «omnes», quia unicuique datum est per manus Christi
[i] *M* sacramentali

[1] Pro missa Praesanctificatorum die Parasceves celebranda saeculo V Eucharistiam sub utraque specie conservatam fuisse ex Sacramentario Gelasiano apparet. Saeculo VIII mos incepit solum panem conservandi et sumendi. In Germania usque ad saeculum XVI etiam populus hac die communicabat. Cf. *L. Eisenhofer,* Handbuch der kathol. Liturgik I (Freiburg i. B. 1932) 530 sq.

[2] *Io.* 6, 54. [3] *Matth.* 26, 27.
[4] *Io.* 13, 15. [5] *Luc.* 24, 30 sq.
[6] *Io.* 16, 12 sq. [7] *Matth.* 28, 19
[8] Cf. *Act.* 15, 29. [9] *Marc.* 14, 23.
[10] *Luc.* 22, 19; *1 Cor.* 11, 24 et 25. [11] *Io.* 6, 35.
[12] *Iohannes Fischer,* De veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia adversus Iohannem Oecolampadium (Coloniae 1527).

se probare, ut Paulus praecipit[1]. Et habetur ex concilio Lateranensi: Cum ad annos discretionis pervenerint[2]. Alios articulos omnes etiam haereticos censet.⟩[a]

Joannes Arze, clericus saec., Hispanus[3], missus ab invict[mo] imperatore, (praemisit, se omnia dicturum sub censura sanctae synodi et summi pontificis, ⟨quam protestationem omnes fecerunt⟩[b]), examinavit primum articulum, quem haereticum comprobavit et esse errorem Capharnaitarum, quam Augustinus [in] Psalm. 54 dicit fuisse primam haeresim, quam ipsemet Christus reprobavit[4], ⟨et est contra evangelium in locis ab aliis allegatis, quorum interpraetationem sequitur⟩[c]. Deinde dedit quasdam regulas, videlicet Christum
124r aliquando loqui in | figura, et aliter elici non posset verus sensus, ut: *Ego sum vitis et vos palmites*[5]. Item de epulone et Lazaro, ⟨ut intingeret digitum in aqua[6] etc.,⟩[d] et *de ⟨consequente eos petra*[7]. Quibus in locis figurative loquitur et intelligitur⟩[e]. Item aliam: Cum de sensu scripturarum inter Catholicos et haereticos differentia est, recurrendum est ad sensum summorum pontificum, conciliorum et sanctorum patrum et totius ecclesiae. Cum igitur haeretici dicant: *Hoc est corpus meum,* illud *est* intelligi significative, et Catholici proprie, ⟨iudex certe pro dirimenda questione adhibendus est, qui non debet neque potest esse nisi ecclesia ipsa universalis, quae semper tenuit, accipi proprie et substantive, cum in omnibus standum sit ecclesiae tanquam *columnae veritatis,* et quae nullo modo errare potest⟩[f]. Et propterea cuperet etiam damnari eos, qui dicunt, ecclesiam in consecratione Eucharistiae uti aliis verbis, quam Christus usus fuerit, quod falsum est, quia ea verba, quae addita videntur[g], habentur ex traditione apostolorum, ut est in quibusdam aliis sacramentis. Deinde probavit locum Ioa. 6 [54] posse intelligi de spirituali manducatione, sed non de ea tantum, sed simul cum sacramentali. Et damnandos censet, qui ⟨locum illum de sola fide intelligunt⟩[h], cum Petrus ibi dixerit, ea esse verba vitae[i] [8]. ⟨Et quod etiam in Eucharistia sit verum Christi corpus, arguit ex verbis Pauli: *Qui indigne manducat, reus est corporis Domini*[9], quia si tantum signum sumeretur, non

[a] *M* sub salute, quod non est verus sensus. Secundus sensus, qui intelligat non omnes obligare, sed omni tempore, et ecclesia potest tempus mutare, qui sensus etiam non est verus. Item quod obligat omni tempore, sed non omnes, ita quod sacerdotes semper sub utraque, layci non, qui etiam non est verus. Igitur ad alios sensus decurrendum est, videl. quod qui sub una specie sumit, sub altera etiam sumit, qui[a] in corpore Christi est etiam sanguis. Contra quod libro 4 cap. 31 Innocentius de sacrificio missae dicit, quod cum corpore non bibatur sanguis, neque sub sanguine tantum comeditur proprie corpus Christi. Quod in sacramentali manducatione non est verum, quia non est signum sensibile sacramentum, igitur cum sumitur corpus, sanguis sumitur et e contra. Aliqui interpretantur per fidem ita sumi, quod est falsum, quum dicat Christus: Qui credit in me, non sitiet, Io. 6 [35], quam auctoritatem [?] intelligendam esse fide viva. Alius sensus est, quod Christus sumatur in Eucharistia, sed etiam fide, ita ut sumens Eucharistiam credat ibi esse Christi corpus, et quod Io. 6 intelligatur de Eucharistia. Roffensis asserit multas auctoritates sanctorum patrum in libro, quem edidit contra Oecolampadium; et quod ultimus [?] sensus sit verus, probat, quia in eo comprehenditur et spiritualis et sacramentalis manducatio et bibitio. Et quia comprehenditur manducatio in voto, scil. spiritualis, et parvulorum in fide ecclesiae et parentum. Ad illud Gelasii [*cod.* Pelagii] de cons. dist. 2 cap. [12 Comperimus] respondet loqui de sacerdotibus vel de superstitiosis, ut ibi loquitur textus. Quo vero ad communionem puerorum dixit etiam esse haereticum 8. articulum, cum verba Christi non dirigantur ad eos, qui non habent fidem et non possunt seipsos probare, ut dicit Paulus requiri ante sumptionem Eucharistiae.   [b] *M om.*

[c] *M* articulum igitur esse hereticum probat scriptura, approbando dicta per praecedentes in locis evangeliorum allegatis ab eis et eorum interpretationes

[d] *M* et a quo refrigerio   [e] *M* petra, quae erat Christus secundum Paulum

[f] *M* recurrendum est ad pontifices et concilia, quae semper proprie esse accipiendum asseruerunt

[g] *M add.* ultra evangelistas

[h] *M* dicunt de sola fide et spirituali manducatione intelligi, non autem de sacramentali

[i] *M add.* ibi, ad quem ibimus etc. et quod etiam verbum «est» non intelligitur significative, sed proprie

[1] *I Cor.* 11, 28.

[2] Cap. *Omnis utriusque sexus* concilii Lateranensis IV a. 1215. *Mansi* XXII 1007 sqq. C. 12 X de poen. et remiss. V 38.

[3] Ioannes Arze (de Arce), canonicus Palentinus (Conc. Trid. XI 608 l. 7), contra Francisci Quignoni breviarium scripsit librum, quem Tridenti kal. Augusti 1551 cardinali Crescentio dedicavit. In cuius peroratione omnes concilii patres et doctores alloquitur, rogans eos, ut abusus et scandala ab eo in hoc libro demonstrata extirpent et tollant responsumque dent poscenti ecclesiae, «hoc est firmissimum aliquod hac de re decretum». Editus est hic liber apud *J. Wickham Legg,* The second Recension of the Quignon Breviary II (London 1912) 136—212, et apud *A. de Roskovány,* Coelibatus et breviarium V (Pestini 1861) 635—720. Cf. etiam *Nic. Ant. Hispalensis,* Bibliotheca Hispana Nova I (Matriti 1783) 637.

[4] *Migne,* P. lat. XXXVI 643 sq.

[5] *Io.* 15, 5.

[6] *Luc.* 16, 24.

[7] *I Cor.* 10, 4.

[8] *Io.* 6, 69.   [9] *I Cor.* 11, 27.

corporis Domini, sed signi corporis reus esset.⟩[a] Alias esset ut manducatio mannae et agni paschalis, in qua non tanta probatio requirebatur, quantam Paulus docet requiri in Eucharistia[b].

Quoad traditiones adduxit, quod, cum sit haeresis aliter sentire, argumentum est, ecclesiam contra sensisse semper. Quod est ecclesiasticae traditionis argumentum. Item habetur, quod et apostoli utebantur hoc sacramento. Erant enim perseverantes in fractione panis[1]. ⟨Quae mensae, quod non fuerint vulgares, apparet, quia electi sunt septem diaconi, qui in eis ministrarent.⟩[c 2] Velletque eos damnari a synodo, qui dictas mensas prophanas fuisse asserunt[d]. ⟨Qui articulus etiam alias damnatus est sub [!] Paschasio[3] et sub Nicolao | et Berengario[e 4], item a concilio Constantiensi[5] et Basileensi[6] ac Florentino[7].⟩[f] 124v
⟨Quoad patres⟩[g] retulit se ad Gratianum, ⟨qui eos numerat⟩[g], de Consecr. Dist. 2, et ad episcopum Veronensem, De vita sanctorum patrum, ⟨quam nuper edidit⟩[g 8]. 2^s articulus etiam haereticus est ratione superioris. 3^s idem et damnatus in cap. *Ad abolendam*[9] et in cap. *Firmiter*[10] et concilio Florentino[11]. 4^s etiam haereticus[h] est, cum hoc sacramentum habeat alios effectus, ⟨quos ponit concilium Florentinum[12], et contra Christi verba: In mei memoriam facietis[13]. Et Pauli⟩[i]: *Mortem Domini annuntiabitis*[14]. 5^s haereticus est[k], quia, cum Christus sit ibi, ut probatum est, ergo adorandus[l], et existente etiam adhuc Christo in mundo, apostoli et alii multi eum adoraverunt. Et traditio apostolica ita habet, ut ⟨Eucharistia adoretur⟩[m]. 6^s etiam damnandus[n] est; est enim contra traditionem ecclesiae et cap. *Statuimus* de Eucharistia cons[ervanda][15], et ultima pars ⟨est contra verba Christi: *Accipite et manducate*[16] etc.⟩[g]. 7^s et 8^s idem, ⟨quia quoad laycos communio sub utraque non est de iure divino⟩[g]. 9^s damnatus est in concilio Florentino[17] et est contra Christi institutionem, qui corpus suum dans vivum corpus dedit; ⟨alias mortuum dedisset, si

[a] *M* Adduxit etiam locum Pauli 1 ad Cor. [11, 27]: Quicumque manducat carnem et bibit sanguinem Domini etc., neque reputarentur rei corporis et sanguinis Christi, si signum tantum esset in Eucharistia, qui indigne sumunt.
[b] *M add.* ergo in Eucharistia non est figura et signum, sed verum corpus Christi
[c] *M* Quod ut intelligatur de sacramento hoc, apparet, quia septem diaconi electi [sunt], ut mensis praefecti essent, quae non erant vulgares.
[d] *M add.* i. e. illas apostolorum, in quibus perseverabantur in fractione panis
[e] *Th* Bonifacio papa
[f] *M* Adduxit praeterea omnes haereses, quae ortae sunt in hoc sacramento, et omnes etiam improbatas, ut puta sub Paschasio et Carolo Magno, item sub Nicolao et Berengario, item sub concilio Constantiensi a Vicleff et nunc ab Oecolampadio; qui articulus est etiam [damnatus] a conciliis, quae adduxit, sed praesertim Constantiensi et Florentino.
[g] *M om.* [h] *M* error
[i] *M* quia confert gratiam et est contra concilium Florentinum et hoc Tridentinum, item quia est etiam commemoratio passionis, ut dicit Christus et Paulus [k] *M add.* et stultus
[l] *M add.* et licet principaliter sit Christus in Eucharistia, ut sumatur, tamen, quia est ibi Christus Deus, est adorandus
[m] *M* semper Christum in Eucharistia adoraverit [n] *M* impius

[1] *Act.* 2, 42.
[2] *Act.* 6, 1—6. Sed hoc loco non agi de mensa Eucharistica omnes recentiores tenent; cf. *A. Steinmann,* Die Apostelgeschichte (Berlin 1913) 44 sq. Vetustiores autem sacrae scripturae expositores etiam de mensa Eucharistica cogitabant, ex. gr. *Cornelius a Lapide,* Commentarius in Acta Apostolorum (Antverpiae 1698) 130 sq.
[3] Tempore Paschasii Radberti, licet aliquae controversiae de Eucharistia ortae sint, tamen nihil de hac re definitum et nulla opinio damnata est ab ecclesia.
[4] In concilio Romano sive Lateranensi sub Nicolao II a. 1059 Berengarius errores suos circa Eucharistiam abiuravit. Cf. *Hefele* IV[2] 826.
[5] In sessione 8 contra Ioannem Wicleff. *Mansi* XXVII 632.
[6] In concilio Basiliensi de veritate Eucharistiae nil decisum est, sed in decreto sessionis 30 de communione sub una specie implicite etiam doctrina ecclesiae de Eucharistia affirmatur. *Mansi* XXIX 158 sq.; *Hefele* VII 657.
[7] In decreto pro Armenis. *Mansi* XXXI 1056 sq.
[8] *A. Lipomanus,* Sanctorum priscorum patrum vitae lib. II (Venetiis 1551).
[9] C. 9 X de haereticis V 7.
[10] C. 1 X de summa Trinitate I 1.
[11] Vide supra adn. 7.
[12] In decreto pro Armenis effectus huius sacramenti hoc modo explicantur: «Huius sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur et membris eius unitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur omnemque effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem: in quo, ut inquit Urbanus papa, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementum.» *Mansi* XXXI 1057.
[13] Cf. *Luc.* 22, 19.
[14] *1 Cor.* 11, 26.
[15] C. 1 X de custodia Eucharistiae III 44.
[16] *1 Cor.* 11, 24.
[17] In decreto pro Armenis: «. . . totus Christus continetur sub specie panis et totus sub specie vini.» *Mansi* XXXI 1057.

non cum sanguine, ut articulus sentit⟩[a]. ⟨Est igitur falsus et quoad sacramentum et quoad gratiam⟩[b]; alias, si quis decem hostias sumeret vel multum vini, plus gratiae acciperet, quod est falsum, quia est idem sacramentum ⟨et idem Christus⟩[c]. 10. articuli prima pars haeretica est, ⟨quia sola fides non est sufficiens praeparatio⟩[d]. ⟨Secunda pars falsa est⟩[e] contra Paulum: *Probet autem*[1] etc., ut doctores et praesertim Augustinus exponunt[f 2]. Item contra Matth. 5 [24]: *Reconciliare fratri tuo,* et contra institutionem Christi, qui ⟨ante lavit pedes discipulorum[3], quae lotio de conscientia et remissione offensarum intelligitur⟩[g]. Chrysostomus item declarat, quae probatio facienda sit, quae habetur in vita ⟨Philogonii martyris⟩[h] apud episcopum Veronensem[4], ⟨licet aliqui contra sentiant, ut Caietanus[5], sed male, quia vera et plena probatio est, cum quem dolet et poenitet de peccatis et satisfacit proximo et sacerdoti confitetur. Alias quem tantum dolet et poenitet, non vere probat se, cum non procedat ad alia remedia necessaria, habita tamen copia confessoris et ubi est peccatum mortale. Quem modum tenet ecclesia, ut habetur in cap. *Omnis utriusque.*⟩[i]

Solviturque congregatio hora 23.

125r

Congregatio theologorum.
Examinantur iidem articuli de sacramento Eucharistiae.

Die Mercurii **9.** eiusdem mensis **Septembris** hora 19 fuit etiam congregatio theologorum, qui prosequuti sunt examinationem eorundem articulorum de sacramento Eucharistiae.

Melchior Cano, ord. Praed., Hispanus[k 6], missus ab ⟨invict[mo]⟩[k] Caesare[l], accepit examinandos tres articulos, videl. 3[m], 8[m] et ⟨10[m]⟩[m]. Quo igitur ad tertium, de transsub-

[a] *M* quod erat cum sanguine, alias non dedisset corpus, quod habebat, quod erat vivum, sed mortuum, quod falsum est

[b] *M* Circa secundam partem articuli est advertendum, quia in uno intellectu non esset falsus, quia de gratia est verus, ut credit, remittit se tamen; sed quoad sumptionem corporis Christi est falsus; improbavit tamen, quod etiam gratia maior non sumitur, quia

[c] *M om.* [d] *M* et est opinio Lutheranorum

[e] *M* Secunda etiam, cum quis est conscius peccati et habet copiam sacerdotis, quae pars secunda est etiam opinio quorundam Catholicorum, ideo maxime perspicienda est. Ipse tamen utramque ut falsam improbavit et sit [f] *C 119 et Th* tenent

[g] *M* antequam communicavit discipulos, lavit pedes, quod significat, ut offensas alternatim remittamus et de lotione conscientiae, et quia omnia mala opera faciunt sumentem indignum [h] *M* eius

[i] *M* secunda pars articuli, licet ab aliquibus catholicus [!] asseratur, est tamen falsa et contra traditionem apostolicam et ecclesiasticam et contra Paulum: Probet autem seipsum homo etc., quae probatio est duplex: plena, quum quem dolet, ut decet de peccatis, et poenitet plene de peccatis, ut satisfaciat proximo et confiteatur sacerdoti etc.; altera est probatio semiplena, cum quem dolet, sed non perfecte et non utitur remediis opportunis, quae requirantur in poenitente vero; et quod probatio plena requirat confessionem, ecclesia catholica semper tenuit una cum sanctis, ut Augustinus in epistola 3 et 11 satis abunde docet locum Pauli suprascriptum. Item contra cap. Omnis utriusque sexus et concilium Lateranense. Imo non solum mortalia, sed venialia confitenda sunt in accedente ad Eucharistiam. [k] *Th om.*

[l] *M add.* implorato divino auxilio submisit, quae dicturus erat, iudicio synodi [m] *M* nonum

[1] *I Cor.* 11, 28.

[2] In libro *De ecclesiasticis dogmatibus* aliquando Augustino adscripto is, qui peccatis mortalibus premitur, ante communionem publica poenitentia satisfacere iubetur. *Migne,* P. lat. XLII 1217 sq. *Augustinus,* Epistola 54 ad Ianuarium c. 3 omnibus permittit quotidie ad Eucharistiam accedere exceptis iis, quorum peccata talia sint, ut iudicentur excommunicandi, i. e. a communione excludendi. *Ibid.* XXXIII 201 sq. Cf. etiam *Augustini* tractatum XXVI in evangelium Ioannis c. 11, ubi accedens ad Eucharistiam iubetur proximo dimittere, ut etiam Dominus dimittat ei peccata. *Ibid.* XXXV 1611. C. 64 *Panem coelestem* de consecr. dist. 2.

[3] *Io.* 13, 5—10.

[4] *Ioannes Chrysostomus,* Homilia in beatum Philogonium (*Migne,* P. gr. XLVIII 753—756), quam *A. Lipomanus,* Sanctorum priscorum patrum vitae II (Venetiis 1551) 176—179 edidit.

[5] Vide infra p. 126 adn. 4.

[6] Melchior Canus, de cuius vita cf. *F. Caballero,* Vida del Il[mo] Melchor Cano (Madrid 1871) et *A. Lang,* Die loci theologici des Melchior Cano und die Methode des dogmatischen Beweises (München 1925) 1—20, tunc temporis celeberrimus regni Hispanici et forse totius orbis christiani theologus fuit. Anno 1546 magistri sui Francisci Victoriae cathedram in universitate Salmanticensi ascenderat. Pater eius filii eruditionem valde aestimans, imperatori Carolo V eum theologum pro concilio Tridentino commendavit (*Caballero* l. c. 470 sq.); imperator eum revera Tridentum ire iussit, et Canus die 25. Ianuarii 1551 se promptum esse respondit. Cum Didaco de Chaves mense Februario itineri se commisit. In prima concilii sessione nondum aderat; sed invenitur nomen eius in Massarelli catalogo patrum et theologorum die 29. Iunii Tridenti commorantium (supra p. 69 l. 2).

stantiatione, eum haereticum esse declaravit. Responditque ad ea, quae in contrarium ab adversariis adducuntur, scil. quod ea sit vox nova in ecclesia[a]. ⟨Quod licet vox videatur nova, in re tamen semper ecclesiae convenit. Neque enim inconveniens est, quod de nova suborta haeresi nova etiam vocabula ad eam damnandam inveniantur[1], ut respondet Augustinus de nomine Donatistarum et non Donatianorum[2], ut etiam de Homusion et de aliis. Quo verbo usum fuit concilium Lateranense[3], et idem sancti patres in sententia asseruerunt, dum dicunt, panem in Christi corpus transmutari vel panem Christi corpus fieri et similia[4]. Monuit tamen, esse advertendum, qua forma iste articulus damnetur, quia, licet in cap. *Firmiter* de ipsa transsubstantiatione fiat mentio, tamen illa non videtur pertinere ad fidem, ut pari modo dicitur de natura angelorum[5]. Et quae habentur in concilio Florentino, non credit, omnia ita astringi ad fidem, ut ea negantes haberi debeant pro haereticis; haereticum autem eum esse credit, qui asserit, panem non converti in corpus Christi. Quod ecclesia semper tenuit et habetur ex traditionibus et ex patribus, ut Gregorio[6] et Cypriano in expositione orationis Dominicae[7]⟩[b]. Quoad 8. articulum dixit, dubitari ab aliquibus, an sit haereticus, quia Martinus V in bulla concilii Constantiensis dicit, hunc articulum sapere haeresim, non autem esse haereticum[8]. Item quia non est haereticum asserere, ecclesiam errare posse in moribus, cum Christus dixerit, se oraturum, ne fides Petri[c] deficeret[9], non autem de moribus. Quod etiam patet, quia ecclesia in referendo aliquem inter sanctos errare potest, qui est error morum, in quibus errare potest ecclesia[10], ut tenet D. Antoninus | et B. Thomas[11]. Idem 125v

[a] *M add.* et nunquam ab apostolis usitata

[b] *M* Item quia (ut ipsi dicunt) in Eucharistia remanet substantia panis vel materia. Item quia, ut Catholici aiunt, panis annihilatur, ergo non transit in aliam substantiam. Difficultatem autem dixit esse, qua forma hic articulus damnetur, quia, licet in cap. Firmiter [dicatur], quod fiat transsubstantiatio, tamen illa non videtur pertinere ad fidem, ut dicitur de natura angelorum, esse corpoream vel incorpoream, quae duo in eodem capite pari modo tractantur, et quemadmodum una eorum non est haeretica, ita et neque altera, cum non sit adhuc definitum. Item quae dicuntur in concilio Florentino, non omnia astringi ad fidem, ut ea negantes habeantur pro haereticis. Dicit tamen eum sentire esse haereticum negare panem converti in corpus Christi. Quod probavit traditionibus, quia ecclesia et patres semper idem tenuerunt, ut D. Gregorius et Cyprianus in expositione orationis Dominicae, et multos alios adduxit. Item B. Thomam. Igitur dixit articulum esse haereticum. Ad argumenta superius posita respondet. Quoad primum de novo verbo dixit: Non refertur novo vocabulo uti, si de re et de eo, quod intelligit, apparet, ut respondet Augustinus de nomine Donatistarum et non Donatianorum. Et ecclesia cogitur ob novas haereses nova nomina imponere, ut de homousia et de aliis exemplis. Ita et in casu nostro. Ad secundum argumentum respondit esse falsum, idem de secundo, quod probavit, quia contrarium ab aliis tenetur. Item respondit ad verbum anihilari, quia [non] est verum, quoniam transmutatur in aliam substantiam, ut in corpus Christi.

[c] *C 118 et C 119* Christi; *Th* Christi (ecclesiae)

[1] Terminus *transsubstantiatio* primum legitur apud *Hildebertum,* archiepiscopum Turonensem, in sermone 93 (*Migne,* P. lat. CLXXI 776), qui tamen forsan auctor huius termini non est. Cf. *Lexikon für Theologie und Kirche* V 29. Verbis *transsubstantiare* et *transsubstantiatio* praeter theologos etiam glossatores Decreti ante concilium Lateranense IV persaepe usos fuisse demonstrat *F. Gillmann,* Zur Geschichte des Gebrauchs der Ausdrücke «transsubstantiare» und «transsubstantiatio», in Katholik LXXXVIII 2 (1908) 417—424 et XCII 2 (1912) 73 ad 76; inde facile intelligi potest patres concilii Lateranensis hunc terminum adaptasse.

[2] Contra Cresconium, qui secundum regulam latinam nomen Donatianorum et non Donatistarum propugnavit, *Augustinus* formam *Donatistae* defendit, quae sit graeca declinatio, uti «ab scandalo scandalistae» nominantur. Contra Cresconium II 1. *Migne,* P. lat. XLIII 467 sq.

[3] Concilium Lateranense IV a. 1215 in cap. *Firmiter. Mansi* XXII 982. C. 1 X de summa Trinitate I 1.

[4] E. gr. *Ambrosius,* De mysteriis lib. IX c. 52 (*Migne,* P. lat. XVI 405 sq.); *Pseudo-Ambrosius,* De sacramentis IV 4 (*ibid.* 439 sq.) et VI 1 (*ibid.* 454) et multi alii, de quibus cf. *B. Bartmann,* Lehrbuch der Dogmatik II[4-5] (Freiburg i. B. 1921) 317 sqq. vel alios theologiae dogmaticae libros.

[5] In locis theologicis (l. V c. 5) Canus fusius demonstrat ea sola decreta conciliorum generalium, etiamsi a summo pontifice approbata sint, infallibilia esse, quae quaestionem aliquam in modo definitivo decidere intendunt. *Lang* l. c. 134. Eiusmodi decretum caput *Firmiter* esse non credit, quia quaestionem de natura angelorum, utrum corporea sit an incorporea (cf. adn. b), non decidat; propterea terminum transsubstantiationis in hoc decreto adhibitum ad fidem pertinere non videri. Sed haud facile intelligi potest, quid affirmet de natura angelorum, cum in cap. *Firmiter* clare distinguatur inter «creaturam spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam».

[6] *Gregorius Magnus,* Homilia 14 in evangelia c. 1 (*Migne,* P. lat. LXXVI 1127) et aliis in locis.

[7] *Migne,* P. lat. IV 531 sq.

[8] Martinus V in bulla *Inter cunctas* die 22. Februarii 1418 data. *Mansi* XXVII 1212.

[9] *Luc.* 22, 32.

[10] Canus in locis theologicis (l. V c. 5 qu. 5) ecclesiam in rebus morum ad salutem necessariis infallibilem tenet, errare autem posse ecclesiam in declarando aliquem sanctum, etiamsi «Deus peculiariter providere credendus est, ne ecclesia in sanctorum canonizatione erret». Cf. *Lang* l. c. 145 sq.

[11] *Antoninus Florentinus,* Summa s. theologiae p. III tit. 12 c. 8 § 2; *S. Thomas Aquinas,* Quodl. 9 qu. 6 art. 16. Ambo tamen credunt Deum in canonizatione non permittere errorem.

dici potest de conferendo hoc sacramento sub utraque. Quo tamen non obstante ipse tenet articulum hunc haereticum; alias enim ecclesia errasset in intelligentia sacrarum scripturarum, quod esse non potest, ⟨cum Spiritus Sanctus semper ei adsit neque permittit etiam circa mores eam errare. Unde⟩[a] Ioa. ultimo dicitur: *Pasce oves meas*[1], et Paulus ait: Quosdam dedit doctores[2] etc. Si enim ecclesia errasset in intelligentia scripturarum, non essent in ea doctores. Et Io. 16 [13] Christus promittit Spiritum, qui docturus sit omnem veritatem. Et si etiam ipse Christus docuit esse faciendum, quod scribae et Pharisaei docebant[3], multo magis, quod sancta mater docet ecclesia, ⟨eius sponsa immaculata⟩[b]. ⟨Articulum 9 etiam falsum declaravit quoad sacramentum, non autem quoad gratiam, quia credit, maiorem fructum accipere sacerdotem communicantem sub utraque quam sub una et plus contineri gratiae sub utraque quam sub una⟩[c], quia est plenior significatio sacramenti. Ad quod satis videtur facere locus Io. 6 [54 sq.], quem ipse intellexit de sumptione sacramentali. Quo vero ad communionem puerorum articulus haereticus est, cum multa requirantur in hac sumptione, quae non possunt praestari a parvulis[d]. ⟨Articuli 10 prima pars haeretica est. Est tamen considerandum, quod dicitur de confessione, cum ea opinio sit etiam Caietani⟩[e][4] et Hadriani papae in 4. sentent.[5], Roffensis in 15. articulo contra Lutherum[6], Petri de Palude[f][7], Riccardi in 4. sentent. dist. ⟨17⟩[g][8], Theophylacti super 1 Cor. ⟨11⟩[h][9], Chrisostomi hom. 18 in cap. 10 ad Cor.[10], Panormitani in cap. [7] *De homine*[i] [X] de celebr. missarum [III 41][11]. Non videtur igitur

[a] *M* quia ecclesia interpretatur locum Ioa. 6 et alios non intelligi de communione sub utraque. Item tenet ipse, quia ecclesia non potest errare etiam in moribus et quia
[b] *M om.*
[c] *M* Ad nonum articulum, quod non tantum contineatur sub una, quantum sub utraque, hoc non videtur ut haereticum damnandum, quia videtur ei, quod maiorem fructum accipiat sacerdos celebrando, quam sumens simpliciter; tamen ecclesia potest id facere, ut iuxta tempus et locum aliqua concedat, aliqua prohibeat. Tenet igitur ipse, quod plus gratiae accipiatur in utraque specie, quam sub una
[d] *M add.* ut multi doctores interpretantur
[e] *M* Quoad 10. articulum, quem vellet maxime considerari, quia asseritur a Caietano
[f] *M add.* in 4. sent. [g] *M* 16 [h] *M* 10 [i] *Codd. falso* De ordine

[1] *Io.* 21, 17. [2] *Eph.* 4, 11. [3] *Matth.* 23, 3.
[4] *Thomas de Vio Caietanus,* Summa de peccatis et novi testamenti ientacula (Romae 1525) fol. 24^r (sub verbo *Communio*) hanc defendit opinionem: «Communio, qua sacramentum Eucharistiae sumitur, ex parte sumentis exigit quattuor, sine quibus peccat communicans. Primum est, ut sit mundus a peccato mortali, hoc est, secundum suam conscientiam, praemissa diligenti contritione et confessione, credat se mundum a peccato mortali. Et sine contritione quidem mortalis peccati cogniti communicans, peccat mortaliter, quia indigne sumit, ac per hoc reus est corporis Domini. . . . Sine confessione autem, si rationabilis subest causa non confitendi, excusatur communicans, quia praeceptum de confessione praemittenda communioni non est de iure divino nec de iure positivo, quum nullibi inveniatur, nisi semel in anno. Si autem commoditas adest confitendi et habens conscientiam peccati mortalis differre vult confessionem et nihilominus communicare, quia oportet ipsum cum aliis communicare aut oportet ipsum celebrare, peccare videtur valde graviter, quia minus digne voluntarius accedit, utpote ad ecclesiasticae unionis sacramentum sine ecclesiastica reconciliatione absque rationabili excusatione accedens. Non damno tamen ipsum peccati mortalis propter rationem dictam.» In eiusdem libri editione «secundum sacrosancti oecumenici et generalis concilii Tridentini et canones et capita castigatissima», quae Venetiis anno 1572 primum in lucem prodiit, Caietani verba supra allegata suppressa atque eorum loco praecepta concilii Tridentini de hac re emissa exhibita sunt.
[5] *Hadriani VI* quaestiones in 4. sent. (Parisiis 1525) f. 19^r–20^r.
[6] *Ioannes Fischer,* Assertionis Lutheranae confutatio (Parisiis 1523) f. 72^r–77^v non requirit expresse confessionem ante Eucharistiae perceptionem, sed tantum conscientiae discussionem, supponit tamen confessionem defendens contra Lutheri assertionem, quod iustificetur homo per fidem, qua credit in Eucharistia se gratiam prosecuturum, sacramenta baptismi et poenitentiae ad iustificationem consequendam.
[7] *Petrus de Palude* in 4. sent. dist. 9 qu. 2 a. 1 contritionem et confessionem peccatori habenti copiam confessoris idonei ante Eucharistiae sumptionem necessariam esse dicit. Idem asserit in 4. sent. dist. 17 qu. 2 a. 5, licet hic in fine primae conclusionis addat: «Non tamen mortaliter peccat suscipiendo vel ministrando aliquod sacramentum, postquam contritus est, quia Deo iam coniunctus est.»
[8] *Richardus a Mediavilla,* etiamsi in 4. sent. dist. 9 a. 2 qu. 2 defendat opinionem, non licere ei, qui peccatum mortale perpetrarit, communicare nisi post confessionem peractam, si habeat confessorem, tempus ad confitendum sufficiens et loquelam liberam, tamen in 4. sent. dist. 17 a. 3 qu. 6 admittit alium casum, quo quis excusatur a confessione ante Eucharistiae susceptionem facienda, si quidem «forte [habito confessore] de propinquo expectet alium, cui devotius et securius confiteatur, sic enim expectans nullo iure, quod ego sciam, communicare prohibetur si vere poenitens». Cf. *I. Lechner,* Die Sakramentenlehre des Richard von Mediavilla (München 1925) 219 sq. 294 adn. 1.
[9] *Theophylactus,* Expositio in epist. 1 ad Cor. 11, 28. *Migne,* P. gr. CXXIV 707/708.
[10] *Ioannes Chrysostomus,* Homilia 28 in cap. 11 primae ad Cor.: «Nec praecipit, ut alter alterum probet, sed ut quisque seipsum, iudicium statuens, quod non sit publicum, et probationem sine testibus.» *Migne,* P. gr. LXI 233.
[11] *Abbas Panormitanus,* Commentaria in tertium decretalium librum (Venetiis 1578) fol. 267^r tenet

iste articulus damnandus ut haereticus; alias omnes supradicti doctores etiam ut haeretici damnarentur, licet ipse dictam Caietani opinionem non teneat[a], quia, quod quis ante sumptionem Eucharistiae debeat confiteri, id habetur ex traditione ecclesiae. Idem tenet Eusebius lib. 6 cap. 25 hist. eccl. de Philippo imperatore[1] et hist. tripart. lib. 16 cap. 25[2], Cyprianus ⟨lib. 3 epist. 3⟩[b] [3] et libello de lapsis[4]. Item libello de dogmatibus ecclesiasticis cap. ⟨13⟩[c] [5]. Et Hugo lib. de sacramentis lib. 2[6]. Damnan|dus igitur est iste articulus. 126r
Quo autem modo vel forma, remittit se iudicio sanctae synodi una cum aliis ab eo dictis.

Ioannes de Ortega[d], ord. Min., ⟨etiam Hispanus et missus ab imperatore⟩[e], quoad primum articulum eum esse haereticum comprobavit ex auctoritatibus ab aliis adductis[f], quia verbum *est*[g] manet proprie ⟨in verbis Domini⟩[h], non autem significative, ut haeretici dicunt. ⟨2. articulus etiam haereticus est, quia, si Christus est in Eucharistia, oportet, quod sacramentaliter manducetur et non spiritualiter tantum. Locumque Io. 6 [54] intelligi de sacramentali sumptione. Et ad id, quod ibi dicitur: *Verba mea spiritus et vita sunt, caro non prodest quicquam*[7], respondit, quasi, quod Christus dixerat, intelligeretur de attritione carnis, ut fit in macello, et sic de bibitione sanguinis, ut omnes doctores interpretantur; sed quod manducetur corpus Christi in sacramento cum fide etc.⟩[i] 3. articuli prima pars est vera, secunda falsa de transubstantiatione, quod probatur auctoritatibus per alios adductis. Et tertia pars est etiam falsa ex secunda, quia non est ibi substantia panis, sed tantum corpus Christi; propterea Christus dixit: *Hoc est corpus meum,* et non dixit: Hic panis est corpus meum. Idem de vino[k]. 4. articulus etiam falsus est, cum alios etiam hoc sacramentum effectus habeat; imo raro fit per illud remissio peccatorum. 5s et 6s haeretici sunt in omnibus suis partibus et contra ecclesiae traditionem ⟨et contra honorem, qui Christo debetur⟩[h]. 7s quoque haereticus est, ⟨quia facta consecratione panis fit corpus Christi⟩[l], et licet dividatur, remanet tamen in omnibus idem corpus et idem sacramentum. 8s etiam ⟨haereticus est⟩[m], quia ecclesia obligatur ad communionem sub utraque[n], sed non quoad omnes, sed tantum in sacerdotibus; ⟨layci autem excluduntur. Parvulis vero neque sub utraque neque sub una danda est⟩[o]. 9s est falsus, quantum ad continentiam corporis Christi, quia in unaquaque specie integrum, totum[h] vivumque Christi corpus continetur. Secunda pars de gratia est vera, quia de ea plus sumitur sub utraque quam sub una, licet non plus de substantia sacramenti. 10. articulus in prima parte, si intelligatur de fide mortua, est | falsus; si de formata[p], est verus. Quoad confessionem: cupit damnari 126v

[a] *M add.* sed monuit patres esse considerandum propter doctores supranominatos
[b] *M* epistola 54 [c] *M* 53; *Th* 5 [d] *Th* Ortiga
[e] *Th om.; M* missus ab imperatore *et add.* submisit se primum iudicio synodi etc.
[f] *M add.* Matth. 26 etc. [g] *M add.* positum [h] *M om.*
[i] *M* Quoad 2. articulum, qui etiam falsus est, quia sacramentaliter Christus sumitur in Eucharistia et non per fidem, ut Christus apud Ioa. 6 [54] dicat: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis etc. Quae verba de sacramento Eucharistiae intelliguntur et non de spirituali manducatione. Et ad verba Ioa. eodem loco: Verba mea spiritus et vita sunt, respondit, quod verba, quae dixerat, nisi manducaveritis, de manducatione intelligi nequaquam actuali carnis carnaliter, et sic de sanguine, ut vinum bibitur [!], sed quod sumitur sacramentaliter cum fide. Quem hereticum non censet, [scil.] esse absolute hereticum, sed suspectum, heresim sapientem
[k] *M add.* Non dixit hoc vinum, sed hic sanguis
[l] *M* quia omnes illae particulae est [!] corpus Christi, qui est in Eucharistia statim post consecrationem et non ut dicit articulus
[m] *M* falsus est in populo, sed in sacerdotibus non [n] *Th add.* specie
[o] *M* Non obligat igitur neque laycos neque parvulos. Articulus igitur, ut iacet, est ut hereticus damnandus [p] *M add.* et vera

sacerdotem debere confiteri, si peccati mortalis conscientia gravatur, etiamsi admittit opinionem glossae ord., sacerdotem posse in casu necessitatis et deficiente copia confessarii sola contritione peracta celebrare.

[1] *Eusebius,* Hist. eccl. lib. VI c. 34. *Migne,* P. gr. XX 595/596. Die griech. christl. Schriftsteller der ersten drei Jahrh., *Eusebius* II 2, 589 sq.

[2] *M. A. Cassiodorus,* Historia tripartita lib. IX c. 30, ubi narratur de Theodosii poenitentia a S. Ambrosio ei imposita. *Migne,* P. lat. LXIX 1145 sq.

[3] *Cyprianus,* Epistola 11 ad plebem c. 2. *Migne,* P. lat. IV 257.

[4] *Cyprianus,* De lapsis c. 15 et 16. *Migne,* P. lat. IV 478 sq.

[5] *Gennadius Massiliensis,* Liber de ecclesiasticis dogmatibus c. 53. *Migne,* P. lat. LVIII 994.

[6] Apud *Hugonem de S. Victore,* De sacramentis christianae fidei lib. II non inveni locum, in quo confessionem ante Eucharistiae sumptionem expresse praeciperet. Sed cf. quae in parte 14 c. 8 eiusdem libri de necessitate confessionis et absolutionis per sacerdotem faciendae pro acquirenda peccatorum remissione scribit. *Migne,* P. lat. CLXXVI 564 ad 570.

[7] *Io.* 6, 64.

ut perniciosus, non ut haereticus. Tertia pars est declaranda, quia, ut quis communicet in Paschate, habetur ex praecepto ecclesiae[1], non autem ex iure divino.

Martinus Malo[2], cler. saecularis, Hispanus, ⟨familiaris R. D. episcopi Ovetensis⟩[a], 1^{m}, 2^{m}, 3^{m}, ⟨4^{m}⟩[b], 5^{m}, 6^{m} et 7^{m} haereticos esse comprobavit auctoritatibus ⟨sacrarum scripturarum⟩[c] et traditionibus; ⟨idem 8^{m}. Etsi enim ecclesia aliquando sub utraque communicavit, id ecclesia facere potuit, ut fecit circa matrimonium, quod in certis casibus aliquando voluit esse, aliquando non. Haec enim et similia ad mores et ad pacem publicam pertinent et ecclesia, prout viderit expedire secundum diversa tempora, modo hoc, modo alio modo statuit. 9^{s} articulus etiam falsus est quoad omnia, quia, cum in unaquaque specie sit totus et integer Christus et idem sit sacramentum, tantum gratiae sumitur sub una, quantum sub utraque. 10^{s} etiam in omnibus haereticus est, quia[d] et sola fides non sufficit et confessio est necessaria. Submittens se etc.⟩[e]

⟨Absolvitur deinde congregatio hora 23. Cui⟩[f] congregationi interfuit primum R. D. Guilhelmus de Pictavia[3], archidiaconus Campiniae, tertius orator ⟨$invict^{mi}$⟩[f] imperatoris, missus ⟨a Sua Caes. M^{te}⟩[f] pro Germania inferiori et provinciis Flandriae. Item interfuit primum R. D. Paulus Gregoriancz[4], ep. Zagabriensis[g], primus orator Ser^{mi} D. Ferdinandi, regis Romanorum ⟨pro regno Hungariae⟩[h]. Fuerunt igitur praesentes in hac congregatione tres oratores Caes. M^{tis}, duo regis Romanorum, duo electores imperii, ⟨5⟩[h] archiepiscopi, 30 episcopi et ultra ⟨30⟩[i] theologi ⟨una cum R^{mis} legato et praesidentibus⟩[h].

Congregatio theologorum super examinatione eorundem articulorum de sanctissimo Eucharistiae sacramento.

Die Iovis **10.** eiusdem mensis **Septembris** hora 19 fuit etiam congregatio theologorum minorum, | 127r quorum infrascripti prosequuti sunt examinationem eorundem articulorum de sacramento Eucharistiae, videlicet

[k]D. **Iacobus Ferrusius**[5], clericus saecularis, ⟨Hispanus, familiaris R. D. episcopi

[a] *Th om.; M add.* submisit se primum iudicio synodi etc.
[b] *M om.* [c] *M om.; Th* sacrae scripturae [d] *Th* quod
[e] *M* et id maxime, quod ecclesia habet auctoritatem mutandi quaedam, quae pertinent ad mores et ad pacem publicam, ut multa fecit et mutavit ecclesia in sacramento matrimonii secundum diversa tempora, super quibus pontifex dispensat et aliquando facit posse esse matrimonium, aliquando non. Ita et ecclesia potuit facere de communione sub utraque specie. Quoad 10. articulum de confessione tenet esse hereticum. Deinde probavit in Eucharistia esse corpus Christi, et commemoratio est mort[is] Christi, quae non est in Eucharistia, sed Christus, contra eos, qui dicunt esse tantum commemorationem. Item probavit nonum esse falsum, quia sub unaquaque specie integer Christus continetur. Quoad plus gratiae sub una quam sub utraque specie: tenet non contineri magis gratiae sub utraque quam sub una, cum semper unum sit sacrificium. Quoad confessionem tenet eam necessariam omnino ante sumptionem Eucharistiae, prout ecclesia semper usa est. Deinde per singulos articulos percurrit comprobans eos esse hereticos, videl. 1., 2., 3., 4., 5., 6., 7. et alii omnes.
[f] *Th om.* [g] *Th* Zagrabiensis [h] *M* 7 [i] *M* 35
[k] *M hoc votum aliis verbis exhibet* D. Iacobus Ferrusius [*corr. ex* Ferrus] clericus secularis, Hispanus, familiaris D. episcopi Segobricensis, primo adduxit locum adversariorum verborum Pauli: Bibebant autem de petra, petra autem erat Christus, quod videlicet consequebatur eos petra, id est Christus, et non est figurative, sed vere consequebatur eos Christus, ut ait Paulus, per fidem. Igitur Christus praefigurabatur in petra, neque propterea infertur [?] quod locum Matth.: Hoc est corpus meum, quia, ut ait Paulus, omnia in figura contingebant illis; non sic Christus nobis fecit. Et quod Matth. 11 dicatur de Helia, in nomine Ioannis Baptistae, hoc est verum, ut ipsimet evangelistae testantur eum venisse in spiritu et virtute Eliae. Accepit deinde locum Pauli 1 Cor. 11: Non diiudicans corpus Domini etc., intelligi de vero corpore Christi. Item accepit locum Pauli: Non diiudicans etc., et qui manducat indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini, et quia in veteri lege omnia contin[g]ebant in figura futurorum bonorum, ergo in lege nova non in figura, sed vere; si igitur in antiqua est Christus in agno, in pane figuratus, in nova lege vere Christus nobis datur, quia figura est adimpleta. Et Exod. 12 ait: Accipite de sanguine fuso agni, qui sanguis figura erat sanguinis Christi, quae figura adimpleta postea est; ergo est verus sanguis etc.; et Augustinus de verbis Domini serm. 20, ubi in Eucharistia vere Christum esse demonstrat, quod allegat

[1] C. 12 *Omnis utriusque sexus* X de poen. et remiss. V 38.
[2] Eius votum de Eucharistia in scriptis datum vide in Appendice II n. 1.
[3] Die 7. Septembris advenerat; cf. supra p. 95 adn. 4.
[4] Qui etiam die 7. Septembris advenerat. Cf. supra p. 97 adn. 3.
[5] Iacobus Ferrusius seu Ferrus, Valentinus, linguae Hebraicae ac sacrae scripturae professor fuit in academia patriae urbis. *Nic. Ant. Hispalensis,* Bibliotheca Hispana Nova I (Matriti 1783) 618. Cf. etiam supra p. 75 adn. 1; eius votum in scriptis datum invenis in Appendice II n. 2.

Segobricensis,〉[a] primum articulum haereticum asseruit; responditque ad oppositiones adversariorum, qui dicunt, verbum *est* apud Matth. 26 [26 et 28] et in aliis locis intelligi figurative, adducentes exemplum legis veteris: *Bibebant de petra*[1] etc., quae, ut Paulus dicit, *erat Christus,* et tamen non erat vere, sed praefigurabat; sed ipse Paulus ibidem respondit, omnia in figura eis contigisse[2]. Praeterea quod dicitur: *consequente eos petra,* non est figura, sed proprie, quia non petra, sed Christus consequebatur. *Petra autem erat Christus,* ait Paulus. Item quod adducitur de Helia et Ioanne Baptista, Matth. 11 [13 sq.], id est Ioannes Baptista Heliam figurabat, hoc verum est et ipsemet evangelista declarat, cum dicit, eum non esse Heliam, sed venisse *in spiritu et virtute Heliae*[3]. Quod autem sit vere Christus in sacramento Eucharistiae, probavit ex ipsis Christi verbis: *Hoc est corpus meum*[4]. Et Paulus ad Cor.: *Non diiudicans corpus Domini*[5], et: *Qui manducat indigne, reus erit corporis Domini*[6]. Alias enim si non Christi corpus, sed signum esset, non diceret Paulus reum corporis Domini, neque tantam probationem requiri doceret. Item in veteri lege omnia in figura contingebant; ergo in lege nova non in figura, sed vere. In veteri igitur agnus paschalis: Christus praefigurabatur; ergo in lege nova Christus in Paschate nostro manducatur, quia iam figura adimpleta est. Et Exod. 12 [7] dicitur: Accipite de sanguine fuso agni. Qui sanguis figura erat sanguinis Christi, quae adimpleta est in vero calice et sanguine Christi. Item ex oratione Dominica: *Da nobis panem supersubstantialem*[7], ut Augustinus de verbis Domini serm. 20 docet[8]. Et quod aliquando Paulus corpus Christi appellet panem, ita appellari ob speciem panis externam, ut Augustinus in loco supradicto exponit, et quia prius panis erat, ut dicitur de virga Aaron in colubrem [!] conversa[9] et de aqua iam vinum facta[10]. 2. articulus etiam haereticus est, cum Matth. 26 [26] dicatur, quod | fregerit et porrexerit illis, et Marc. 14 [23]: *Et biberunt* 127v *ex eo omnes.* Ergo sacramentaliter etiam manducatur Christus, non solum spiritualiter. Pugnat etiam cum usu huius sacramenti. 3. articulus haereticus est etiam; idem de 4° et de 5°, praesertim de adoratione, quia, ubicumque sit Christus, adorandus est; sed est in Eucharistia; ergo ibi adorandus. 6[s] damnatus[b] in concilio Toletano 12, et habetur in cap. *Relatum* de cons. Dist. 2[11]. Alios etiam articulos omnes haereticos esse asseruit.

D. **Franciscus de Toro,** clericus saecularis, 〈Hispanus, familiaris R. D. Granatensis〉[a 12], primum articulum haereticum confirmavit, approbans auctoritates per alios adductas et afferens hanc considerationem, quia, si verbum *est* accipi deberet figurative, vel aliqui ex evangelistis vel apostolis vel patribus vel tandem ecclesia ipsa id declarasset; sed quum omnes contrarium senserint, esse scilicet accipiendum proprie 〈et substantive, assertionem illam omnino falsam esse ostenditur〉[c]. Ita habetur in concilio Vercellensi[13] et Romano sub Nicolao II[14], Lateranensi[d 15] et aliis multis in locis. Quod etiam dicitur de divinitate, falsum est; quod enim semel assumpsit, nunquam dimisit. 2[s] item haereticus; ad hoc enim, ut applicetur hoc sacramentum, oportet quod manducetur; idem denotant verba Io. 6 [54]: *Nisi manducaveritis* etc., et Pauli: *Qui manducat*[16] etc., 〈et ipsa Christi institutio: *Accipite et manducate*〉[d 17]. 3[s] haereticus est; vere enim panis et vinum transsubstantiantur in corpus et sanguinem Christi, neque potest esse unio hypostatica, quia alias accidentia

orationem Dominicam: Da nobis panem supersubstantialem. Item cap. Hoc est de consecr. dist. 2, idem Augustinus. Et quod Paulus aliquando appellet Eucharistiam panem, ut: Qui manducat hunc panem, et alibi: Et sic de pane illo edat etc., respondit vocari sic quoad externam illam formam panis, cum substantia panis sit iam conversa in corpus Domini, ut Augustinus in loco ci[ta]to exponit. Tenet igitur primum articulum esse falsum et hereticum. Quoad 2. articulum etiam hereticum affirmat, cum Christus Matth. [26] habeatur, quod fregerit ac porrexerit illis, et Marc. 14 ait: Et biberunt ex eo omnes; ergo sacramentaliter manducatur Christus, non spiritualiter. Pugnat etiam cum usu ecclesiae. 3. articulus est etiam hereticus, idem de 4° et de 5°, praesertim de adoratione, quia ubicunque est Christus, adorandus est; sed est in Eucharistia; ergo ibi adorandus. 6. articulus: Toletano 12 fuit damnata heresis, quod seipsum non liceat communicare, et habetur de consecr. dist. 2 cap. Relatum, quia, licet Christus in institutione porrexerit, tamen celebrantes debent ipsi ex seipsis sumere, ut apostoli tradiderunt et div. Hieronymus ad Chedibiam dicit, Christum in confectione Eucharistiae fuisse cenam et convivam. [a] *Th om.*
[b] *Th* damnatur [c] *M* ergo est credendum, quod proprie sit intelligenda [!] [d] *M om.*

[1] *I Cor.* 10, 4. [2] *I Cor.* 10, 11. [3] *Luc.* 1, 17. [4] *Matth.* 26, 26. [5] *I Cor.* 11, 29. [6] *Ibid.* 11, 27. [7] *Matth.* 6, 11. [8] *Migne,* P. lat. XXXIX 1908. [9] *Ex.* 7, 12. [10] *Io.* 2, 9. [11] C. 11 *Relatum* de consecr. dist. 2 ex concilio Toletano XII a. 681. [12] Eius votum in scriptis datum in App. II n. 3. [13] Concilium Vercellense a. 1050 sub Leone IX contra Berengarium. *Mansi* XIX 773 sq.; *Hefele* IV² 749—753. [14] Vide supra p. 123 adn. 4. [15] Concilium Lateranense IV a. 1215; cf. supra p. 117 adn. 4. [16] *I Cor.* 11, 29. [17] *Ibid.* 11, 24.

essent sine subsistentia[a], et oporteret, quod aliqua ⟨tertia fieret⟩[b] persona. Et licet aliquando post consecrationem appelletur panis, id est, quia semel fuit panis, ⟨ut Exod. 7 [12] dicitur de virga Aaron⟩[c]; item dicimur cibo nutriri, tamen cum nutrit, non est cibus, sed sanguis; sed dicitur, quia ex cibo factus est. 4[s] haereticus, quia Eucharistia multos alios habet effectus, et quia ⟨hoc sacramentum⟩[d] praesupponit hominem vivum, cui iam sit facta remissio; et tunc augetur gratia, licet aliquando etiam peccata remittat, ut baptismum [!] peccatum actuale. 5[s] haereticus est et contra scripturam: *Dominum* | 128r *Deum tuum adorabis*[1]. Cum igitur Christus sit in Eucharistia, ibi adorandus est. Et quod sit ad infirmos deferendum, ostendit Augustinus cap. 4 lib. de visitatione infirmorum[2]. 6. et 7. articulus etiam haeretici sunt. Christus enim est in Eucharistia ex vi verborum eius, quantumcunque statim vel tarde[e] sumatur et quibuscunque in particulis. ⟨Antequam enim discipuli sumerent, Christus dixerat: *Hoc est corpus meum.* Christus etiam fregit in particulas, quas cum porrexit, dixit: *Hoc est corpus meum.*⟩[f] 8[s] etiam haereticus est ⟨quoad omnes partes⟩[g]. Parvulis enim si esset[h] praeceptum, sequeretur, quod eis non sufficeret baptismus ad salutem contra concilium Carthaginense tertium[3]. Praeterea concilium Lateranense statuit esse sumendum, cum ad annos discretionis pervenitur[4], ⟨ergo non a pueris, qui etiam non sunt capaces aliorum, quae in hac sumptione requiruntur, ut fides, probatio etc.⟩[i] ⟨Quo vero ad laicos adultos etiam falsus est, quibus neque sub utraque neque sub una iure divino debetur, cum Christus solum discipulis dixerit: Facite, accipite, bibite. Non autem dixit: Porrigite.⟩[k] 9[s] etiam haereticus est, quia Christus est in Eucharistia[l] prout in coelo, vivus et integer in qualibet specie. ⟨Et hoc quoad sacramentum. Quo vero ad gratiam non censet articulum haereticum, cum multi doctores teneant, plus gratiae sumi sub utraque quam sub una.⟩[m] 10[s] prima pars de sola fide haeretica est, secunda de confessione non, quia potest esse, quod quis aliquo alio modo sit in gratia, quando accedit ad sacramentum hoc et tunc non indigeret confessione, ut puta, cum quis est vere contritus[n]. Et probatio, quam requirit Paulus[5], potest alio modo fieri, quam per confessionem. Et confessio ipsa non est praecepta nisi in Paschate. Submittit se tamen sanctae synodo.

Martinus Olaveus[6], clericus saecularis, Hispanus, procurator R[mi] D. cardinalis Augustensis[o], primum articulum haereticum confirmavit, ⟨tum ex locis ab aliis allegatis, tum hac ratione,⟩[f] quia Christus et potuit id facere et voluit. Alias enim Iudaei fuissent 128v melioris conditionis quam nos. | Ipsi enim manducaverunt manna coeleste et non ex terra factum; nos autem panem tantum terrenum manducaremus. ⟨Et tamen illis omnia in figuris contingebant[7], nobis non. Nunc ergo figura iam adimpleta realiter Christum manducamus.⟩[p] Quod et Lutherusmet[q] fatetur in epistola ad Argentinos[8], cum se verba

[a] *Th* substantia [b] *M* esset
[c] *M* respondet exemplo Exodi 7 de virga Aaronis, quae conversa in colubrum, vocatur etiam virga, quia ex virga facta est
[d] *M* sumptio Eucharistiae [e] *M* non [f] *M om.* [g] *M* quoad populum et quoad parvulos
[h] *M add.* de iure divino [i] *M* quam non habent parvuli
[k] *M* Et quoad communionem sub utraque sacerdotibus est praeceptum divinum, laycis non. Imo neque est praeceptum divinum laycos communicare sub una, quum ecclesia aliquando communicaverit populum sub utraque et Christus praeceperit discipulis, ut facerent in eius commemorationem, non autem dicit: Porrigite, accipite etc. Item de calice dicitur apud Marc.: Et biberunt (apostoli scilicet) ex eo omnes, neque putat, aliter dicere [?]. [l] *M* sacramento
[m] *M* 2. pars huius articuli est falsa, quoad sacramentum, sed quoad gratiam non putat, quod etiam multi Catholici id tenent, quod datur maior gratia sub utraque.
[n] *M add.* ergo non est simpliciter confessio, et quia non est praecepta confessio nisi in Paschate
[o] *M add.* praemisit se primum iudicio synodi in omnibus dicendis submittere
[p] *M* Quod aliquo modo dicendum non est, cum illi in figura, nos realiter Christum manducamus.
[q] *Th* Lutherus ipsemet

[1] *Matth.* 4, 10; *Deut.* 6, 13.

[2] De visitatione infirmorum lib. II c. 4. *Migne,* P. lat. XL 1154; est opus incerti auctoris.

[3] Concilium Carthaginense III anno 397 habitum canones concilii Hipponensis anno 393 celebrati confirmavit et suos fecit. Forse loquitur de canone 39, qui dicit: «Item placuit de infantibus, quoties certissimi testes non inveniuntur, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt idonei per aetatem de traditis sibi sacramentis respondere, absque ullo scrupulo hos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione privari.» *Mansi* III 925.

[4] Concilium Lateranense IV a. 1215 c. 21 *Omnis utriusque. Mansi* XXII 1007 sq. C. 12 X de poen. et remiss. V 38.

[5] *1 Cor.* 11, 28.

[6] De quo cf. Conc. Trid. II 228 adn. 7 et *Astrain* I 563—566.

[7] *1 Cor.* 10, 11.

[8] Eyn brieff an die Christen zu Straspurg widder den schwermer geyst. Martini Luther. 1524. *Ed. Weimar.* XV 394.

Christi in alium sensum velle accipere et torquere conatum fuisse dicat, neque tamen id potuisse, cum verba ipsa clara sint ⟨nec tergiversari possint⟩[a]. Probavitque, locum Io. 6 [54 sq.] loqui de manducatione sacramentali, non autem spirituali, nisi quatenus concomitatur semper sacramentalem; alias[b] cum quis susciperet spiritualem, non teneretur ad sacramentalem. Sed Augustinus in epist. 107 ad Vitalem[1] et epist. 106[2] scribit, homines teneri ad spiritualem tantum, etiam parvulos; et ita intelligit locum Io. 6, quod advertendum est, quia etiam multi alii idem tenent[c]. Quo vero ad traditiones refert se ad Roffensem, qui lib. 4 contra Oecolampadium ⟨omnes tam veteres quam modernos commemorat[3], qui omnes Christum vere et realiter esse in Eucharistia asseverant. Quodque ecclesia semper eundem sensum tenuerit, ex eo argui potest, quia nunquam eum immutasse reperitur⟩[d][4]. 2. articulus etiam haereticus est cuperetque damnari alium articulum, malos scilicet non suscipere hoc sacramentum, quia et Iudas vere suscepit[e], cui propterea deinde sathanas intravit in cor[5], quia indigne suscepit. 3^{s} etiam est haereticus. 4^{m} nollet damnari[f], quia absque dictione *solam* multi[g] Catholici illum tenent. 5^{s} haereticus est et de reservatione est canon 22 concilii Niceni[h][6]. Idem 6^{s} et 7^{s}. 8^{m} vellet poni post ⟨9^{m}⟩[i]. Quo igitur ad ⟨9^{m}⟩[k] tenet, tantum sumi de gratia sub una, quantum sub utraque[l]; neque plus sumit sacerdos celebrans sub utraque, quam laycus sub una, cum semper idem sit ⟨Christus et idem⟩[a] sacramentum[m]. 8^{s} etiam haereticus est. Decimi prima pars haeretica est; secunda de confessione[n]: Ipse tenet, debere eam praecedere sumptionem Eucharistiae ob diversos abusus, qui occurrunt ob licentiam, quam sibi assumunt contrarium sentientes. Nollet tamen statui id esse necessitatis[o].

⟨Dimittitur deinde congregatio hora 23.⟩[p]

Congregatio theologorum super eadem articulorum de sacramento Eucharistiae examinatione. 129r

Die Veneris **11.** eiusdem mensis **Septembris** hora 19 habetur congregatio theologorum, qui prosecuti sunt examinationem eorundem articulorum de sacramento Eucharistiae, primusque hodie dixit sententiam

Ambrosius Pelargus[7], ord. Praed., ⟨Germanus, familiaris R^{mi} et Ill^{mi} D. electoris

[a] *M om.* [b] *M add.* si quid impleretur in sacramentali, non impleretur in spirituali

[c] *M add.* et nollet ipse id nunc diffiniri

[d] *M* in principio, et hoc est maximum argumentum, quod semper fuerit in ecclesia iste intellectus, quia nunquam invenitur mutatus, sed semper ecclesia eundem sensum tenuit, quod Christus sit vere et realiter in sacramento hoc. Deinde comprobavit libellum Ioannis Beltrami esse hereticum circa hoc sacramentum Eucharistiae

[e] *M add.* ut evangelista dicit [f] *M* agi in synodo de hoc articulo quarto [g] *M* aliqui

[h] *M add.* Cyrillus idem asserit.

[i] *M add.* cum ibi tractetur de contineri tantum sub una quantum sub utraque.

[k] *Th falso* decimum [l] *M add.* de quo nollet agi

[m] *M add.* Ipse sentit tantum gratiae sumi sub una, quantum sub utraque et contrariam opinionem esse periculosam.

[n] *M add.* vellet id diligenter discuti [o] *M add.* semper confiteri ante communionem

[p] *Th om.; M add.* et vocatur in crastinum ad eandem horam 19.

[1] Nunc 217. *Migne,* P. lat. XXXIII 984.

[2] Nunc 186. *Ibid.* 826.

[3] *Iohannes Fischer,* De veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia adversus Iohannem Oecolampadium (Coloniae 1527). In libro IV de consensu patrum agit.

[4] Ioannis Beltrami liber in adn. d adductus, est Ratramni liber de corpore et sanguine Domini, Coloniae 1532 sub Bertrami nomine editus, quem vero multi saeculo XVI Ioannis Oecolampadii esse credebant. Cf. *F. H. Reusch,* Der Index der verbotenen Bücher I (Bonn 1883) 16.

[5] *Io.* 13, 27.

[6] Potius can. 12 (in recensione Isidori Mercatoris). *Mansi* II 690. Cf. etiam c. 6 C. XXVI qu. 6.

[7] Ambrosius Pelargus (Storch), Niddae in Hassia circa annum 1493 natus, in ordinem Praedicatorum ingressus studia sua in universitate Heidelbergensi peregit. Circa annum 1525 munus concionatoris in monasterio fratrum Praedicatorum Basiliensi ei datum est, ubi una cum Augustino Mario, episcopo auxiliari et concionatore in ecclesia cathedrali, contra novas saeculi XVI doctrinas vehementissime colluctatus est. Cum senatus civitatis Basiliensis praedicatores ad exponendam eorum de missa doctrinam sollicitatus esset, praeter Oecolampadium et Augustinum Marium etiam Pelargus libellum de missa edidit. Anno 1528 státus rei catholicae Basileae adeo in peius mutatus est, ut praedicatores de vita sua timentes mense Ianuario 1529 Friburgum Brisgoviae confugerent; Pelargus in hac civitate per quatuor annos remansit et pluribus scriptis contra reformatores fidem catholicam defendit. Ab anno 1533 vixit Treveris. Colloquio

Treverensis⟩[a], qui primum articulum examinavit eumque haereticum esse confirmavit, et locum Io. 6 [54 sq.] intelligi de spirituali manducatione, ut Augustinus intelligit[1], cum ibi dicatur: *Qui credit in me, non sitiet*[2], ⟨et: *Caro non prodest quicquam*⟩[b][3]. Et alibi: Querite cibum, qui non perit[4]: Alias enim[c] hoc sacramentum esset necessitatis et omnes obligaret ⟨ad sacramentalem sumptionem⟩[b], etiam parvulos. Et layci non observarent illud praeceptum, ⟨cum sanguinem non bibant, et tamen ibi pari modo praecipitur manducatio et bibitio⟩[d]: *Nisi biberitis eius sanguinem*, et Matth. 26 [27]: *Bibite ex eo omnes*, et Marc. 14 [23]: *Et biberunt ex eo omnes*[e]. Neque obstat, quod sanguis bibatur in corpore, quia illa non est proprie[f] bibitio[g]. Articulus igitur primus haereticus est, tum ex aliis locis, tum praecipue ex Matth. [26, 26]: *Hoc est corpus meum.* Et improbavit eos, qui dicunt, Christum non consecrasse Eucharistiam verbis, quibus nunc ecclesia ⟨in consecratione⟩[b] utitur, cum vere Christus[h] illis verbis: *Hoc est corpus meum* confecerit hoc sacramentum. Articulus 2 et 3 etiam haeretici sunt. 4[s] falsus est, licet Eucharistia aliquando peccata remittat, ut puta, quae non sumus confessi ob oblivionem, sed eorum nihilominus nos poenitet. Est tamen advertendum, quod haeretici non ponunt dictionem *solam*[5]. Propterea hic articulus posset omitti; si ab aliquo vero asseritur, damnetur. ⟨5[s] et 6[s] etiam haeretici sunt et dependent[i] a primo. Secunda etiam pars sexti haeretica est et damnata in concilio Niceno⟩[k][6]. 7[s] etiam haereticus est; 8[s] idem. Communio enim sub utraque convenit tantum sacerdotibus conficientibus; layci autem sub una tantum communicare debent. ⟨Neque parvulis hoc sacramentum dandum est, qui non possunt discernere corpus Domini neque se probare, licet secundum Augustinum[7] et Cyprianum[8] parvulis aliquando sit datum.⟩[l] | 9. articulus etiam haereticus est, quia ⟨sub qualibet specie est Christus, et⟩[b] ubicunque est Christus, est caro, sanguis, anima, divinitas. Christus enim amplius non moritur[9] etc. Quoad gratiam: unusquisque consequitur integram gratiam, qui digne communicat, tam sub una, quam sub utraque. 10[i] prima pars haeretica est, quia sola fides non vivificat hominem[10], ⟨et homo, cum⟩[m] accedit ad hoc sacramentum, debet

129v

[a] *Th om.* [b] *M om.* [c] *M add.* si intellegeretur de sacramentali [d] *M* cum dicat

[e] *M add.* cum layci non bibant [f] *M* propria

[g] *M add.* Tenet igitur, quod locus Ioa. 6 non loquatur de sacramentali manducatione, sed spirituali.

[h] *M* Deus [i] *Th* dependet

[k] *M* 5[s] est etiam hereticus, quia Christus est adorandus, ubicumque sit. 6[s] etiam, qui articuli dependent a primo; et 2. pars 6[i] etiam est heretica, quia licet, ut quis seipsum communicet, scilicet conficientes, ut probatur in concilio Niceno.

[l] *M* Parvulis autem aliquando datum est hoc sacramentum, ut refert Augustinus et Cyprianus; quod falsum est, quia non possunt habere probationem neque discernere corpus Dominicum; ideo etiam haec pars damnanda est. [m] *M* cum homo, dum

Vormatiensi a. 1540 interfuit iussu archiepiscopi Moguntini, item in colloquio Ratisbonensi a. 1546 aderat. Eodem anno Tridentum ad concilium profectus est et die 20. Maii 1546 mandatum episcopi Trevirensis, Ioannis Ludovici ab Hagen, qui eum procuratorem suum statuerat, in congregatione generali praesentavit (Conc. Trid. I 547 l. 42—548 l. 5; 549 l. 23 sqq.; *ibid.* V 141 sqq.; 149 l. 35—39). In disputationibus super decreto iustificationis saepius locutus est. Paulo post translationem concilii episcopus Trevirensis obiit; Pelargus mandato novi episcopi Ioannis ab Isenburg munitus Bononiam se contulit et die 22. Iunii 1547 iterum in congregationes admissus est (*ibid.* I 664 adn. 6 et 7; 666 l. 26 ad 29). Similiter hac die exhibuit mandatum archiepiscopi Coloniensis. Quia fuit procurator episcopi Trevirensis, votum suum non dedit inter theologos minores, sed post episcopos et ante abbates (*ibid.* I 60 l. 19—25). Quo factum est, ut anno 1547 non emiserit votum super articulis de Eucharistia; nam antequam episcopi vota sua perfecerint, concilium translatum est; Bononiae autem, cum episcopi vota sua darent, propter mortem episcopi sui mandato caruit. Nihilominus in conficiendis super hac re canonibus collaboravit proponens 12 canones, qui manu Seripandi scripti in Bibl. Nation. Neapoli (*IX A 50* f. 71 sq.) asservantur. Sed mense Augusto 1547 a suo episcopo revocatus ad comitia Augustana, ubi ipse episcopus praesens fuit, profectus est (*ibid.* I 686 l. 16—19). Die 17. Augusti 1551 iterum Tridentum pervenit (*ibid.* II 241 l. 16 sq.). Mortuus est die 5. Iulii 1561. Cf. de eo *N. Paulus,* Die deutschen Dominikaner im Kampfe gegen Luther (Freiburg i. Br. 1903) 190—212. *S. Ehses,* A. Pelargus auf dem Konzil von Trient, in: Pastor bonus IX (1897) 322 ad 328; 561—567. *Hurter,* Nomenclator II² 1428 sqq.

[1] Forse cogitat de *Augustini* verbo in tractatu 25 in evangelium Ioannis c. 12: «Ut quid paras dentes et ventrem? Crede et manducasti» (*Migne,* P. lat. XXXV 1602), et de alio in tractatu 27 c. 5: «Accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit caritas ad scientiam, et prodest plurimum» (*ibid.* 1617).

[2] *Io.* 6, 35. [3] *Io.* 6, 64. [4] *Io.* 6, 27.

[5] Cf. supra p. 112 adn. 5.

[6] Can. 14 (in recensione Isidori Mercatoris) concilii Nicaeni I permittit diaconis absente episcopo et presbytero Eucharistiam proferre et edere. *Mansi* II 690.

[7] *Augustinus,* De peccatorum meritis et remissione lib. I c. 20 et 23 (*Migne,* P. lat. XLIV 123 129) Eucharistiae sumptionem parvulis necessariam docet. Alia Augustini de hac re testimonia vide in Conc. Trid. V 919 l. 12—31.

[8] *Cyprianus,* Liber de lapsis c. 25 et 26. *Migne,* P. lat. IV 485 sq.

[9] *Rom.* 6, 9.

[10] Cf. Concilium Tridentinum sessio 6 cap. 9 et can. 9. Conc. Trid. V 794 798.

vivere. Non enim est mortuorum, sed vivorum cibus. ⟨Secunda pars falsa est, quia, cum quis accedere vult ad Eucharistiam, debet confiteri habita copia confessoris; deberet igitur in articulo exprimi *habita copia confessoris.*⟩[a] Tertia pars est schismatica, cum sit praeceptum ecclesiae, non divinum, quod dicitur de tempore.

Melchior a Vosmediano[1], cler. saecularis, ⟨Hispanus, familiaris R. D. ep. Pacensis⟩[b], primum articulum haereticum esse declaravit ex auctoritatibus alias adductis. 2[s] est contra Christi institutionem et consuetudinem ecclesiae. 3[s] etiam est haereticus. Alias enim in Christo essent tres naturae, una divinitatis, alia humanitatis, tertia panis, quod falsum est[2], ut omnia concilia et ecclesia ipsa semper tenuit, duas scilicet naturas tantum in Christo esse. ⟨Praeterea alias non idem corpus cruci affixum esset, quod fuit in cena discipulis traditum, contra verba Christi: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*[3], et: *sanguis, qui in remissionem peccatorum effundetur*[4]⟩[c]. 4. articulus ⟨est haereticus, quatenus alios effectus excludit⟩[d]. 5[s] etiam haereticus est[e]. ⟨De processionibus autem (licet non hac corporis Christi) meminerunt concilia Laodicense cap. 17[5] et Gangrense cap. 7[6]⟩[f]. Articuli 6 et 7 haeretici quoque sunt ac etiam 8[s] ⟨quoad laycos⟩[g] et damnatus[h] in concilio Constantiensi[7]. Deinde probavit ⟨Ioa. 6 [54 sq.]⟩[i] intelligendum de spirituali manducatione, quia alias omnes obligarentur necessario ad sumendam Eucharistiam sacramentaliter[k], quod falsum est, cum sufficiat communio spiritualis per fidem. Articulus 9 ⟨ex vi verborum intellectus⟩[l] est verus, alias non. De fructu autem tantum sub una, quantum sub utraque sumitur. ⟨10[i] prima pars haeretica est, secunda falsa, quia confessio omnino necessaria | est⟩[m], licet contrarium asseratur a Caietano cardinali[8], contra 130r quem Augustinus[9], Chrisostomus de missa[n][10] et hom. 28 Chrisostomus[o] [in] 1 ad Cor. cap. 11[11];

[a] *M* Quo vero ad confessionem tenet, quod habita copia sacerdotis teneatur quis confiteri, dum vult accipere hoc sacramentum, ut statuitur in concilio Constantiensi; cuperet igitur intelligi et exprimi «habita copia sacerdotis idonei». [b] *Th om.*
[c] *M* Adduxitque quosdam auctores hebraeos, qui ante adventum Christi de sacramento altaris et de transubstantiatione verba faciant.
[d] *M* videtur ei damnandus in verbis, quae excludant sacramentum hoc ad nihil aliud esse institutum, alias non esset falsus
[e] *M add.* in omnibus eius partibus
[f] *M* In concilio Laydiceno [!] cap. 17 et concilio Gangrensi cap. 7 praecipitur processio, licet non fecerit mentionem corporis Christi, sed de processionibus in genere.
[g] *M om.* [h] *M* antiquus [i] *Th* Ioa. 17 [k] *M* ad salutem
[l] *M* si intelligatur ex vi verborum, id est conversionis
[m] *M* 10. articulus in sola nuda fide est hereticus, in viva est falsus; quoad confessionem ante sumptionem huius sacramenti tenet esse necessariam
[n] *M add.* eam necessariam comprobat [o] *Th om.; codd. add.* et

[1] Cf. supra p. 69 adn. 1. Iam die 16. Februarii 1547 votum super iisdem articulis emiserat. Conc. Trid. V 931 l. 44—932 l. 19.
[2] In voto suo die 16. Febr. 1547 dato quatuor naturas enumerat, scil. divinam, humanam, naturam substantiae panis et vini. *Ibid.* 932 l. 1 sq.
[3] *1 Cor.* 11, 24. [4] *Matth.* 26, 28.
[5] Synodi Laodicensis, quae habita est inter annos 343 et 381 (*Hefele* I² 749), can. 17 in interpretatione Isidori Mercatoris: «In processionibus non connectere, id est ex diversis versibus et sensibus libri unum canticum minime coniungere, sed singulorum psalmorum ordinabiliter de medio debere fieri lectionem.» *Mansi* II 586. In originali graeco autem de processionibus nihil legitur. *Ibid.* 567.
[6] Nullum inveni synodi Gangrensis etiam saeculo IV habitae canonem, qui processionum mentionem faceret.
[7] Concilium Constantiense sessio 13. *Mansi* XXVII 727 sq.
[8] Cf. supra p. 126 adn. 4.
[9] Secundum Augustini doctrinam omnium contra cupiditates certaminum, omnium poenitentiae operum omniumque virtutum solus finis est, ut homines dignos se faciant mensae eucharisticae. Cf. *K. Adam*, Die Eucharistielehre des hl. Augustin (Paderborn 1908) 87 sqq. Eum autem, qui peccatis manifestis gravatur, reiiciendum esse a participatione corporis et sanguinis Domini, multis in locis docet. «Nam quosdam quorum crimina manifesta sunt, a vestra severitate liberatos, a societate tamen removemus altaris, ut poenitendo placare possint quem peccando contempserant, seque ipsos puniendo» (Epist. 153 c. 3. *Migne*, P. lat. XXXIII 655). «In hoc paradiso, id est ecclesia, solent a sacramentis altaris visibilibus homines disciplina ecclesiastica removeri» (De Genesi ad litteram l. XI c. 40. *Ibid.* XXXIV 451). «Postremo ab ipsa mente talis sententia profertur, ut se indignum homo iudicet participatione corporis et sanguinis Domini, ut, qui separari a regno coelorum timet per ultimam sententiam summi iudicis, per ecclesiasticam disciplinam a sacramento coelestis panis interim separetur» (Sermo 351 c. 4. *Ibid.* XXXIX 1542 sq.). Sed Augustinum his in locis de confessione et poenitentia sacramentali loqui mihi non liquet.
[10] Loqui videtur de liturgia Chrysostomo attributa, cui in versione Erasmi Roterodami titulus erat: *Sancti Ioannis Chrysostomi sancta missa,* et quae his verbis incipit: «Sacerdos divinum mysterium peracturus ante omnia confessus (ἐξωμολογημένος) et cum omnibus reconciliatus, cor etiam pro viribus purum conservare debet a pravis cogitationibus» etc. *Migne*, P. gr. LXIII 901.
[11] Cf. supra p. 126 adn. 10. Sed Melchior Canus hunc Chrysostomi locum pro contraria opinione adducit.

D. Thomas 4. sent. art. 4 dist. 9[1] et Hugo de S. Victore[2] ⟨et alii omnes, et consuetudo etiam ecclesiae⟩[a]. Quemadmodum enim reconciliatio requiritur apud Deum per contritionem, eodem modo requiritur reconciliatio ecclesiae per confessionem. Damnandus igitur est articulus ⟨in ea parte⟩[a], sed quibus verbis ⟨advertendum est⟩[b], ne ⟨ii doctores⟩[c], qui contra sentiunt, damnentur ut haeretici.

D. **Franciscus de Heredia**[3], clericus saecularis, ⟨Hispanus, procurator R. D. episcopi Tirasonensis absentis⟩[d], primum articulum haereticum esse confirmavit, tum ex aliis locis evangelistarum, tum ex Ioa. 6 [51 53 sqq.], quia Christus pollicitus est, ⟨se daturum nobis ad manducandum⟩[a], dicens primo: *Panem, quem ego dabo, caro mea est.* Item: *Qui manducat meam carnem.* Item: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis.* Item: *Caro mea vere est cibus,* addens etiam: *Amen, amen,* quod dicunt doctores esse maximae affirmationis et habere vim iuramenti. Quibus locis semper per verba propria et non per figuram loquitur. Dedit autem suum corpus in cena. Et tunc etiam per verba propria loquutus est: *Hoc est corpus meum.* Si enim verba illa intelligerentur figurative[e], sequeretur, quod ipse Christus loquutus fuisset falsum, ⟨tam in promissione quam in adimpletione⟩[a], cum dicat: *Hoc est corpus meum,* et tamen non esset, sed significaret. Item falsa loquuti fuissent evangelistae, item falsa Paulus, ⟨falsa apostoli et tot sancti patres⟩[a], et denique ecclesia tota catholica falsum semper tenuisset et credidisset, quod absurdum, impium[a], blasphemum et abhominabile est. ⟨Ecclesia enim regitur a Spiritu Sancto et est *columna veritatis*[4], et pro eius fide oravit Christus, ne deficeret[5]⟩[a]. Praeterea quare creditur articulis fidei et aliis multis, ⟨quae sunt in ecclesia⟩[f]? Quia scil. Deus revelavit. Sed cui? Certe ecclesiae. Alias enim, ut inquit Augustinus, evangelio non crederetur,
130v nisi esset auctoritas ecclesiae[6]. Ecclesia | igitur sic tenet. Et quis est, qui audeat contra ex proprio sensu interpraetari? Haereticus. An ei magis quam ecclesiae credendum est? ⟨Quis hoc tam fatuum diceret?⟩[g] Praeterea Augustinus lib. 10 cap. 20 de civit. Dei ostendit, ut est verum, qualiter per sacrificium altaris cessaverunt omnia sacrificia et umbrae antiquae legis[7]; ergo in nova lege non figurae tractantur, sed res ipsa, ita ut non amplius agnus ⟨paschalis Christum⟩[h], panis azymus Eucharistiam significant, sed revera res iam figurata offertur, nempe verum Christi corpus. 3. articulus etiam haereticus est, cum alias in Christo ultra deitatem et humanitatem esset panis et vinum et sic tres naturae, quod absurdum est ⟨et toties damnatum⟩[i]. Augustinus etiam de Davide, qui seipsum in manibus suis portabat, interpretatur de Christo, qui tunc vere se ipsum portavit suis manibus, ⟨cum discipulos communicavit⟩[a][8]. 4[s], 5[s], ⟨6[s]⟩[k] etiam haeretici sunt, item 8[s] et 9[s]. 10[s] quoad primam partem de sola fide[l] etiam haereticus est et contra Paulum: *Probet autem seipsum homo*[9]. Quae non de sola fide intelliguntur, sed de aliis actionibus, ut est confessio. Et inter alios Chrisostomus homil. 60 dicit, nihil prodesse, aureis calicibus et gemmatis offerre sacrificium Eucharistiae, viduis et pupillis expilatis[m][10]. ⟨Subiiciens dicta per eum iudicio sanctae synodi etc.⟩[a]

D. **Antonius Arias**[11], cler. saecularis, ⟨Hispanus, cum R. D. archiep. Panormitano⟩[n], accepit examinandum primum articulum, quem haereticum esse ostendit ⟨ex auctoritati-

[a] *M om.* [b] *M* remittit se ad patres [c] *M* tot auctores
[d] *Th om.; M add.* submisit primo dicenda per eum sacrae synodo
[e] *M add.* illud scilicet verbum «est» [f] *M* a Christianis [g] *M* Non certe.
[h] *M* per umbram [i] *M om.; Th* damnatur [k] *M add.* septimus
[l] *M add.* scilicet mortua [m] *M add.* et alia mala facere. [n] *Th om.*

[1] *Thomas Aquinas,* In IV. sent. dist. 9 qu. 1 art. 4 quaestiunc. 2 et 3. [2] Cf. supra p. 127 adn. 6.

[3] Franciscus de Heredia, Aragonus, doctor theologiae, eleemosinarius et concionator ecclesiae cathedralis Tirasonensis fuit. *Nic. Ant. Hispalensis,* Bibliotheca Hispana Nova I (Matriti 1783) 432. Eius votum in scriptis datum vide in Appendice II n. 4.

[4] *1 Tim.* 3, 15. [5] *Luc.* 22, 32.

[6] *Augustinus,* Contra epistolam Manichaei quam vocant Fundamenti c. 5. *Migne,* P. lat. XLII 176.

[7] *Migne,* P. lat. XLI 298.

[8] *Augustinus,* Enarratio in Ps. 33 c. 10 interpretatur de Christo textum 1 Reg. 21, 12 sq., qui tamen in versione ab ipso adhibita, quae manavit e versione Septuaginta, non concordat cum textu editionis Vulgatae et sic legitur: *[David] mutavit vultum suum coram ipsis et affectabat et tympanizabat ad ostia civitatis et ferebatur in manibus suis* [Septuaginta: καὶ παρεφέρετο ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ; Vulg.: *et collabebatur inter manus eorum*] *et procidebat ad ostia portae et salivae discurrebant super barbam eius. Migne,* P. lat. XXXVI 306. Cf. c. 92 *Accesserunt* de consecr. dist. 2.

[9] *1 Cor.* 11, 28.

[10] *Chrysostomus,* Homilia 60 ad populum Antiochenum (nunc homilia 82 in Matthaeum) de digna Eucharistiae sumptione agit, sed verba supra allegata non inveniuntur. *Migne,* P. gr. LVIII 737—746. In homilia 70 in Ioannem de conscientiae purgatione per lotionem pedum a Christo apostolis factam praefigurata loquitur et in fine curam viduarum et pupillorum habendam esse docet. *Ibid.* LIX 381—386.

[11] Cuius votum de Eucharistia in scriptis datum vide infra in Appendice II n. 5.

bus et locis a superioribus allegatis⟩[a], deploratusque est ecclesiam, qui[a] hac tempestate indiget alia auctoritate, quam sua, ut ⟨adhibeatur fides iis, quae ab ea dicuntur⟩[b], cum ⟨aliis temporibus⟩[c] ei ut *columnae veritatis* indubie in omnibus fidei questionibus[d] crederetur. ⟨Et nihil nisi quod ecclesia determinasset, recipiebatur⟩[a]. Nunc autem haeretici nostri temporis in nullo cum ecclesia catholica convenire volunt ⟨et nihil antiquius habent, quam ut ab ea dissentiant⟩[a] eiusque auctoritatem reiiciant. Alios etiam articulos haereticos esse asseruit[e].

Dimittitur deinde congregatio hora 23[f].

Congregatio theologorum. 131r
Examinantur iidem articuli de sanctissimo Eucharistiae sacramento.

Die sabbati **12.** eiusdem mensis **Septembris** hora 19 habita est congregatio theologorum super discussione eorundem articulorum de sacramento Eucharistiae.

Petrus Frago[1], cler. saecularis, ⟨Hispanus, familiaris R. D. episcopi Pacensis⟩[g], examinavit primum articulum, quem haereticum comprobavit tum ex Matth. 26 [26 28], Marc. 14 [22 sqq.], Luc. 22 [19 sq.], Ioa. 6 [51—59] et 1 ad Cor. 11 [24 sqq.], tum ex traditione ecclesiae, tum denique ex Vercellensi[2], Turonensi[3] et Romano sub Nicolao II conciliis[4], ⟨caputque Ioa. 6 intelligi de manducatione sacramentali coniuncta cum spirituali, ut cum quis fide credit et cum praeparat se ad accipiendum sacramentaliter, praesertim cum ibi Christus multoties carnem suam appellet panem, et panem, quem se daturum promittit, carnem suam futuram⟩[h], addito etiam verbo efficaciae *Amen* ⟨eoque bis⟩[a] repetito. Ireneus epist. 14 ad Romanos[5]; Dionisius ⟨3. cap. 2. pars⟩[i][6]. Probato igitur, quod Christus[k] sit in sacramento realiter[a], ergo est et divinitas; alias enim Christus non esset Deus. Articulus 2 etiam haereticus est[l], 3[s] idem, quia eo modo, quo natus est, quo vixit in mundo, quo crucifixus est, quo ascendit in coelum et sedet ad dexteram Patris, eo modo Christus est in Eucharistia. Alias enim panis et vinum ⟨crucifixum esset et nunc⟩[a] sederet ad dexteram Patris, ⟨cum ipse dicat: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur* etc.⟩[m] Quod dicere blasphemum et impium est. Articulus 4 etiam est haereticus. Deinde ex quodam accessorio examinavit secundam partem 10. articuli de confessione, quam de iure divino esse comprobavit et necessariam ante perceptionem huius sacramenti, cum quis est in peccato mortali[7]. Et de hac probatione intellexisse Paulum. 5[s], 6[s], 7[s] et 8[s] etiam haeretici sunt; communio enim sub utraque quoad laycos non est de iure divino, ⟨cum ad discipulos tantum dixerit: *Bibite* etc. Imo et Christum aliquando sub una tantum communicasse legitur, ut in Emaus[8], ubi de calice nulla fit mentio⟩[n]. Item Act. [2, 42]: Erant perseverantes in fractione panis. 9[s] etiam haereticus est ⟨et quoad

[a] *M om.* [b] *M* ei credatur [c] *M* alias [d] *M add.* soli [e] *M* una cum aliis theologis sentit

[f] *M add.* cui interfuerunt R[mi] legatus et praesidentes, electores duo, oratores imperatoris duo, regis Romanorum duo, archiepiscopi 5, episcopi 32 et theologi 30. Vocanturque in diem crastinum eadem hora.

[g] *Th om.; M add.* Praemisit se submittere per eum dicenda iudicio sanctae synodi

[h] *M* praesertim cum Ioa. 6 primo dicat Christus: Panis vivus, et: Ego sum panis, qui de coelo etc. Deinde eundem panem appellat carnem multis locis et modis

[i] *Th om.* [k] *M* Christi corpus

[l] *M add.* neque locus Ioa. 6 de spirituali manducatione sola intelligitur; et tunc sumitur spiritualiter, cum quis praeparatur ad accipiendam Eucharistiam sacramentaliter

[m] *M* et cum Christo

[n] *M* quia tantum discipulos communicavit sub utraque in cena. Imo cum iret in Emaus, tantum de fractione panis fit mentio

[1] Petrus Fragus, Aragonus, una cum Melchiore a Vosmediano Parisiis studia perfecit. Die 6. Nov. 1562 episcopus Ussellensis in Sardinia nominatus anno sequenti synodo Tridentinae iterum interfuit. Die 20. Dec. 1566 ad ecclesiam Algarensem, die 26. Nov. 1572 ad Iaccensem et die 11. Sept. 1577 ad Oscensem translatus est; die 2. Febr. 1584 obiit. *Nic. Ant. Hispalensis,* Bibliotheca Hispana Nova II (Matriti 1788) 194. *van Gulik-Eubel* III 117 231 281 344. Eius votum in scriptis datum vide in Appendice II n. 6.

[2] Cf. p. 129 adn. 12.

[3] Synodus Turonensis a. 1054/55 contra Berengarium. *Hefele* IV² 777—780. [4] Cf. p. 123 adn. 4.

[5] Rectius *Ignatius,* Epistola 4 ad Romanos c. 7. *Migne,* P. gr. V 694.

[6] *Pseudo-Dionysius,* De ecclesiastica hierarchia c. 3 n. 2. *Migne,* P. gr. III 426 sq.

[7] In voto scripto haereticam non putat opinionem eorum, qui existimant «exclusa necessitate habitaque confessoris copia aliquem cum conscientia peccati mortalis nec confessum, licet doleat et ingemiscat de delicto, tuto ad Eucharistiam posse accedere».

[8] *Luc.* 24, 30 sq.

131v sacramentum et quoad gratiam⟩[a]. | Christus enim, ubicunque sit, integer est et totus[b]. ⟨Et gratia aequalis sub qualibet specie sumitur, si aequalis est dispositio in sumente.⟩[c]

Ioannes Delphius[1], clericus saecularis, ⟨Germanus, familiaris D. electoris Treverensis⟩[d], omnes articulos propositos haereticos esse censet, tum ex sacra scriptura toties allegata, tum ecclesiae sensu, qui necesse est ut ⟨ab omnibus⟩[a] teneatur iuxta Matth. 18 [17]: *Qui ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus* etc. Et Paulus 1 ad Tim. [3, 15] vocat eam *domum Dei* (ergo Deus in ea habitat) et *columnam veritatis;* ergo errare non potest. Et 1 ad Cor. [3, 11]: Nemo potest ponere aliud fundamentum etc. Et Christus ipse ait: Mittam ad vos *Spiritum veritatis,* qui *docebit vos omnem veritatem*[e] [2]. Primum igitur articulum haereticum confirmavit; sed ostendit, locum Ioa. 6 [54] intelligi debere de manducatione spirituali, cum Christus ibi dicat: *Panis, quem ego dabo, caro mea est,* quam dabo *pro mundi vita*[3], id est corpus meum[f] in cruce. Alias[g] panis et vinum[h] esset oblatum. Et cum dicit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis* etc., ⟨omnes ad sumendum obligat. Quod verum est spiritualiter, sacramentaliter autem falsum est⟩[i]. Item cum inquit: Qui credit in me, non sitiet ⟨neque exuriet⟩[a] [4]. Quae verba sacramentalem manducationem excludunt. Ac etiam cum dicit: *Verba,* quae ego loquor, *spiritus et vita sunt*[5]. Praeterea dum ei, qui manducat, promittit vitam aeternam et resurrectionem in novissimo die, quod idem promittitur credenti in eodem capite[k]; ergo prima et secunda verba de fide et spiritu intelligenda sunt. Articulum igitur primum ⟨non ex Ioa. 6, sed⟩[a] Matth. 26 et aliis evangelistis haereticum esse probavit[l], sed praecipue ex auctoritate sanctae Romanae ecclesiae, quae contrarium tenet, cui esse standum multis rationibus ostendit. ⟨Comprobavitque, Christum non esse in Eucharistia ut in signo, quia alias et signum in cruce passum fuisset, et non verum et reale Christi corpus, cum ipse dicat: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*[6], et *sanguis, qui in remissionem*
132r *peccatorum* | *effundetur*[7].⟩[m] 2. articulus etiam falsus est, quia, cum Christus sit re vera in Eucharistia, ergo sacramentaliter est suscipiendus. ⟨Ex quo etiam sequitur falsitas 3^{i}, cum panis et vinum in Christi corpus et sanguinem transubstantientur.⟩[a] 4^{s} etiam haereticus est, licet non ei videatur, illam dictionem *solam* asseri ab haereticis; sed etiam absque ea falsus est, quia hoc sacramentum datur vivis et iam membra[n] Christi per poenitentiam factis. Datur autem ad alimentum et gratiam augendam. 5^{s} et 6^{s} etiam sunt haeretici; idem de 7°, cum Christus dixerit ante communionem: *Hoc est corpus meum.* 8^{s}: Tenet, communionem sub utraque non esse de iure divino quoad laycos, nisi quoad ⟨sacerdotes celebrantes⟩[o]. 9^{s} etiam haereticus est, quia tantum sub una, quantum sub utraque continetur et sub qualibet[p] est integer Christus cum[q] carne et sanguine et deitate ⟨et sub qualibet tantum sumitur⟩[r]. 10^{s} est etiam haereticus, quia sola fides non sufficit; alias homo mortuus acciperet[s] hoc sacramentum, quod tamen mortuis (id est in peccato existentibus) non prodest. Est igitur etiam necessaria confessio, quam de iure divino esse ostendit, Matth. 3 [6]: *Confitentes peccata sua,* et Ioa.[t] 20 [23]: *Quorum remiseritis* etc., cum peccata remitti vel relaxari non possint, nisi, quae sint, audiantur et diiudicari possint. ⟨Submittens se iudicio sanctae synodi etc.⟩[a]

[a] *M om.* [b] *M* vivus

[c] *M* Quo vero ad gratiam consequenter tenet tantum gratiae accipi sub una, quantum sub utraque, quia, qui accipit unam et qui accipit utramque, est in eadem gratia, si digne accedit ad sacramentum.

[d] *Th om.*

[e] *M add.* multaque dixit in laudem catholicae apostolicae et Romanae ecclesiae auctoritatemque, hereticosque improbavit elegantissime, qui ei non adhaerent, deploravitque tempora praesentia in Germania, quae [*cod.* qui] irreprehensibilia sunt et incorrigibilia

[f] *M add.* in passione [g] *M add.* in cruce [h] *M add.* sacramentaliter in Christo

[i] *M* quod omnes tangit, quod non facit sacramentaliter

[k] *M add.* Qui credit in me etc. [l] *M add.* ut alii omnes dixerunt

[m] *M* Item ex iis verbis optime ostendit, non esse ut in signo Christum in Eucharistia, cum hic sanguis, qui pro vobis effundetur, ergo secundum haereticos signum sanguinis pro multis effusum esset, non sanguis verus, si «est» intelligitur pro signo, cum dicat: Hic est calix sanguinis mei, qui pro multis effundetur etc.

[n] *Th* membris [o] *M* conficientes [p] *M* una [q] *M* et totus in

[r] *M* quaecunque ea species sit sive panis sive vini [s] *M* iret ad accedendum

[t] *Codd. et Th falso* Matth.

[1] Eius votum in scriptis datum vide infra in Appendice II n. 7.

[2] *Io.* 16, 13; cf. *ibid.* 14, 16 26; 15, 26.

[3] *Io.* 6, 52.

[4] Cf. *Io.* 6, 35.

[5] *Io.* 6, 64.

[6] *1 Cor.* 11, 24.

[7] *Matth.* 26, 28.

P. **Reginaldus de Genua**[1], ord. Praed., ⟨prior S. Laurentii extra muros Tridentinos⟩[a], primum articulum haereticum confirmavit, et locum Ioa. 6 [54] loqui de sacramentali et spirituali manducatione[b], quia alias spiritualis sufficeret et non esset opus sacramentali, quod falsum est, quia etiam sacramentalis necessaria est[c], ad quod D. Thomas allegat dictum locum Ioa. 6 [54] in ⟨qu. 80 art. 11 et⟩[d] qu. ⟨85⟩[e] art. 4 in responso ad 2[f] [2]. Deinde accepit 4. articulum, quem non haereticum, sed suspectum de fide esse censuit, quia absque dictione *solam* catholicus esset. 10. articulus: De confessione defendit opinionem Caietani[3], ⟨quia non semper necessaria est, dum hoc sacramentum sumitur, sed sufficit contritio etc.⟩[d] Alios articulos omnes haereticos esse affirmavit. ⟨Subiiciens se etc.⟩[d]

Et absolvitur congregatio hora 23 ⟨cum dimidia⟩[d].

Congregatio theologorum super eadem examinatione articulorum de sacramento Eucharistiae. 132v

Die lunae **14.** dicti mensis **Septembris** hora 19 theologi prosecuti sunt eandem examinationem articulorum de sacramento Eucharistiae dixitque hodie primus sententiam

P. **Desiderius de Verona**, ord. Praed. Praemissa solita testatione submissionis etc., accepit primum articulum, quem haereticum asseruit ex locis toties allegatis sacrae scripturae: *Hoc est corpus meum*[4], et: *quod pro vobis tradetur*[5]. Si autem vere in Eucharistia non esset corpus Christi, neque vere Christi corpus esset oblatum in cruce, sed tantum[g] signum, ⟨ut dicunt adversarii, quia idem corpus, quod Christus in cena dedit manducandum, in cruce oblatum est⟩[h]. Ait enim: *Corpus, quod pro vobis tradetur*[i] [5]. Idem de deitate, quia, ubi Christus est, est deitas[k]. Eadem ratione probavit, 3. articulum esse haereticum ⟨de negatione transsubstantiationis⟩[l], quae necessaria fit, cum panis et vini substantia in Christi corpus convertitur. Et Ambrosius lib. 4 de sacramentis de hac transsubstantiatione in virtute loquitur[6]. Et Damascenus lib. 14 cap. 4 orthodoxae fidei[7]. ⟨2^{s}⟩[m], 4^{s}, 5^{s} et 6^{s} ac 7^{s} etiam haeretici sunt, quum Christus sit totus in tota hostia et totus in qualibet parte, nedum factis particulis, sed integra existente hostia; alias enim Christus esset in hostia localiter, quod falsum est. 8. articulus haereticus etiam est, praesertim de parvulis, qui nec accipere nec manducare ⟨nec probare se⟩[d] possunt, ⟨quae omnia in communicante requiruntur⟩[n]. 9^{s} etiam est haereticus, 10^{s} idem.

⟨P. **Alfonsus de Contreras**⟩[o] [8], ord. Min. de obs., Hispanas[a], accepit 2. articulum, quem in utroque sensu et parte haereticum esse probavit, ac Ioa. 6 [54] loqui de sacramentali manducatione, coniuncta tamen cum spirituali, ut intelligit Augustinus in lib. de

[a] *Th om.* [b] *M add.* ad quod allegavit Thomam in qu. 80 art. 11
[c] *M add.* saltem voto unito spirituali [d] *M om.*
[e] *Th* 81 [f] *M add.* eundem locum Ioa. ad id probare adducit
[g] *C 119 et Th add.* ut [h] *M* corporis Christi
[i] *M add.* id scilicet, quod discipulis porrigebat, id est panem in signum corporis Christi secundum haereticos, quod impium et blasphemum est
[k] *M* divinitas [l] *M* de transubstantiatione [m] *M add.* tertius
[n] *M* et tamen Christus dixit: Accipite etc.
[o] *In M est corr. pro* Antonius de Uglioa; *Th* Contreros

[1] Reginaldus de Genua, ord. Praed., Ligur, celebris theologus fuisse dicitur. *A. Oldoinus*, Athenaeum ligusticum (Perusiae 1680) 489 eum multa de Eucharistia et de confessione circa canones et doctrinam de illis sacramentis in concilio edendos scripsisse asserit; quae vota autem omnia desiderantur. Cf. etiam *I. Quétif-I. Echard*, Scriptores ordinis Praed. II (Lutetiae Parisiorum 1721) 143.

[2] *Thomas Aquinas*, Summa theol. p. III q. 80 art. 11 et q. 83 art. 4 in responsione ad n. 2.

[3] Cf. supra p. 126 adn. 4.

[4] *Matth.* 26, 26.

[5] *1 Cor.* 11, 24.

[6] *Pseudo-Ambrosius*, De sacramentis lib. IV c. 4. *Migne*, P. lat. XV 1439 sqq. Cf. supra p. 125 adn. 4.

[7] *Ioannes Damascenus*, De fide orthodoxa lib. IV c. 13: «Panis ipse et vinum in corpus et sanguinem Dei transmutantur (μεταποιοῦνται).» Similiter in aliis locis. *Migne*, P. gr. XCIV 1145/46.

[8] Alphonsus Contreras, ord. Min. de observ., insignis eruditionis theologus, Francisci ducis Albae, Belgarum gubernatoris, confessarius fuit. In curia regis Hispaniae ordinis sui commissarius existens iterum ad concilium sub Pio IV congregatum a Philippo II missus est ibique die 12. Iunii 1562 de usu Eucharistiae votum suum dedit. Conc. Trid. VIII 500 l. 37; 549 l. 34 sqq. Mortuus est die 7. Dec. 1569. *L. Waddingus*, Scriptores ordinis Minorum (Romae 1906) 12. *Nic. Ant. Hispalensis*, Bibliotheca Hispana Nova I (Matriti 1783) 20.

baptismo parvulorum cap. 20[1] et[a] in id[em] cap. Ioa. 6 idem affirmat[2]. Chrisostomus hom. 40 in Ioannem[3]. 4. articulum etiam falsum ostendit, cum non sit institutum hoc sacramentum ad remissionem peccatorum, neque peccata remittere nisi venialia, et multos
133r alios effectus producit. Alias enim, qui bene contritus et | confessus accederet ad hoc sacramentum, nihil ei prodesset. Accepit deinde 10. articulum, quem etiam haereticum ostendit in prima parte de sola fide; secunda autem sapit haeresim, quod etiam multis rationibus confirmavit, ⟨non sufficienter scil. quemlibet praeparari ad sumendam Eucharistiam absque confessione⟩[b]. Idem de tertia parte de communione in Paschate, ⟨de iure tamen ecclesiastico quoad tempus, ut habetur in concilio Lateranensi⟩[c4]. Institutio autem est iuris divini. Omnesque alios articulos haereticos esse dixit, licet eos non examinaverit.

⟨P. **Antonius de Uglioa**⟩[d], eiusdem ordinis Min., Hispanus[e], submittens se etc. Primum articulum haereticum esse ostendit[f], et locum Ioa. 6 [54] loqui de utraque sumptione, ut simul coniuncta intelligatur. Si vero aliquis ob aliqua impedimenta sumere non posset sacramentaliter, ⟨tunc sufficeret ei spiritualiter⟩[g]. Et hac ratione probavit, communionem sub utraque non esse de iure divino quoad laycos, sed esse in potestate summi pontificis et ecclesiae secundum tempora unam vel duas species populo distribuere. 3. articulus etiam haereticus est, 4s etiam et est error Lutheri, ut Roffensis refert in articulis Martini ⟨art. 15⟩[h5]. Probavitque Eucharistiam aliquando remittere peccata, ut in eo, qui ⟨alicuius peccati⟩[b] non est contritus neque confessus, non quia noluerit, [sed] quia ignorat, se ⟨in eo⟩[b] peccasse. Ille igitur non indigne accederet; ergo acciperet gratiam, id est, primam remissionem peccatorum. Deinde alios articulos etiam esse haereticos asseruit. In 9. articulo tenet, accipi plus gratiae sub utraque specie, quam sub una, cum sacerdotes maioris sint dignitatis et conficiant et ex praecepto sub utraque accipere tenentur; ideo ⟨plus adimplent et⟩[b] plus merentur quam layci, ⟨qui[i] et ad unam tantum tenentur et unam accipiunt⟩[b]. ⟨10s in utraque parte falsus est. Confessionem enim praemittendam omnino esse confirmavit. Quod etiam sentit concilium Lateranense, cum dicit, omnes teneri ad communicandum in Paschate, nisi sacerdoti abstinendum visum fuerit[c].⟩[k] Quomodo igitur sacerdos posset id iudicare, ⟨si illius talis peccata non audierit⟩[l]?

Sigismundus Phedrius de Diruta[7], Umber, ord. Min. Conv., ⟨concionator Illmi
133v Tridentini⟩[m], | articulum primum haereticum confirmavit, tum ex scripturis ⟨evangelii allegatis⟩[b], tum auctoritate ecclesiae, quae est sponsa Christi et *columna veritatis*[8], ad quam semper omnes doctores pro interpretatione sensus scripturarum confugerunt. Et quod Christus in illis verbis: *Hoc est corpus meum,* non loqueretur per figuram, patet, quia loquebatur cum discipulis, cum quibus non erat solitus loqui in parabolis ⟨neque [in] figuris⟩[b], imo ipsemet testatur: Vobis datum est noscere verbum Dei etc.[n9] ⟨Et cum semper cum eis loquutus fuisset proprie, absurdum est, quod in hoc sacramento tam mirabili et omnium praecipuo loqueretur improprie et per tropum.⟩[o] Et Ioa. 6 loqui de utraque manducatione, propterea 2. articulus haereticus etiam est, et 3s, 4s, 5s, 6s, 7s et 8s etiam

[a] *M add.* Cyrillus [b] *M om.*
[c] *M* si de iure ecclesiastico, si de iure divino articulus verus est, quia a concilio Lateranensi id institutum est quoad tempus
[d] *In M corr. pro* Alfonsus de Contreras [e] *Th om.* [f] *M add.* secundum etiam
[g] *M* sumere potest spiritualiter tantum, alias non
[h] *M* art. 25 *et add.* qui articulus est etiam haereticus; *Th om.* [i] *C 118, C 119 et Th* quia
[k] *M* 10. articulus est etiam haereticus de sola fide, et de confessione ante sumptionem Eucharistiae tenet eam esse necessariam, quod innuit cap. Omnis utriusque sexus concilii Lateranensis, cum dicit: et in Paschate recipiat Eucharistiam, si proprio sacerdoti abstinendum esse non iudicaverit [!].
[l] *M* si debet accipi ab aliquo, nisi audiantur eius peccata [m] *M et Th om.*
[n] *M add.* et non loqui in parabolis
[o] *M* Alias Christus semper in rebus non ita arduis loquutus fuisset sine tropis et figuris, excepta in cena, quod absurdissimum est, cum ageretur de summa rerum, cum de hoc sacramento ageretur.

[1] *Augustinus,* De peccatorum meritis et remissione et de baptismo parvulorum ad Marcellinum lib. I c. 20. *Migne,* P. lat. XLIV 124.
[2] *Augustinus,* Tractatus 26 in Ioannis evangelium. *Migne,* P. lat. XXXV 1613 sqq. Secundum adn. a non Augustinus citatur, sed *Cyrillus,* Commentarius in evangelium Ioannis lib. IV c. 2. *Migne,* P. gr. LXXIII 575—586.
[3] *Chrysostomus,* Homilia 47 in Ioannem. *Migne,* P. gr. LIX 261—270.
[4] C. 12 *Omnis utriusque* X de poen. et remiss. V 38.
[5] *Ioannes Fischer,* Assertionis Lutheranae confutatio (Parisiis 1523) f. 72r—77v.
[6] Cf. supra adn. 4.
[7] De quo cf. supra p. 35 adn. 1; eius votum in scriptis datum vide infra in Appendice II n. 8.
[8] *1 Tim.* 3, 15
[9] *Matth.* 13, 11 et parall.

haeretici sunt. Et licet ecclesia aliquando sub utraque laycos[a] communicaverit, nunquam tamen ab ea lex lata est ⟨super hoc, sed modo utraque, modo una usa est, prout tempora exigere videbantur⟩[b]. Imo et Christus aliquando discipulos[c] sub una communicavit, ut in Emaus[1], ut doctores tenent. Et Act. [2, 42]: Erant perseverantes in fractione panis etc. ⟨9^{i} prima [pars] de sacramento falsa est; sed secunda de gratia est vera, quia plus sumitur gratiae a sacerdotibus sub utraque, quam a laycis sub una.⟩[d] 10^{s} etiam haereticus est etc.[e]

Congregatio theologorum super examinatione eorundem articulorum de sacramento Eucharistiae.

Die Martis **15.** eiusdem mensis **Septembris** hora 19 fuit etiam congregatio theologorum, quorum infrascripti prosequuti sunt examinationem eorundem articulorum sacramenti Eucharistiae.

P. **Marianus Feltrinus**[2], ord. S. Aug., ⟨Italus, prior S. Marci Tridentini⟩[e], primum articulum haereticum asseruit; adduxit quemdam Rupertum Tuicensem[f 3], qui hanc rem optime discutiat, declaravitque Ioa. 6 singula verba loqui de hoc sacramento[g]. Et adduxit exemplum de manna, quae etiam ⟨spiritualiter et realiter⟩[h] manducabatur, imo, qui eam spiritualiter non manducarunt[i], mortui sunt. Et hoc sacramentum omnes obligat ⟨ad sumptionem spiritualem⟩[k], etiam parvulos, ⟨qui in fide parentum et ecclesiae suscipiunt, ut dicitur de eorum baptismo⟩[l]. 2^{s}, 3^{s}, 4^{s}, 5^{s}, 6^{s} et 7^{s} etiam haeretici sunt; ⟨8^{s} et⟩[m] 9^{s} idem quoad sacramentum; ⟨de gratia autem plus tenet accipi sub utraque quam sub una⟩[n], | si par est dispositio in utroque accipiente. 10. articulus etiam haereticus est et 134r quoad primam et quoad secundam partem, quia conscius de peccato mortali tenetur omnino confiteri ante sumptionem Eucharistiae etc.[o]

P. **Adeodatus Senensis**[4], ord. S. Aug., ⟨familiaris R. D. Panormitani⟩[p], articulum primum haereticum confirmavit ex locis suprascriptis. Et quia Melchisedech obtulit panem et vinum[5] in figura huius sacramenti, Christus autem verus sacerdos non amplius figuram, sed figuratum, id est ⟨corpus suum vere⟩[q] obtulit; alias Melchisedech fuisset aequalis Christo et ⟨in sacrificio et in sacerdotio⟩[r], si uterque panem et vinum solum obtulisset,

a *M* aliquos aliquo tempore
b *M* universalis, ut layci sub utraque communicarent, sed fecit prout tempora distributa erant
c *Th om.*
d *M* 9^{s} etiam, quia tantum sub una quantum sub utraque continetur quoad sacramentum, sed de gratia plus accipi gratiae a sacerdotibus communicantibus sub utraque.
e *M add.* cum sola fides non sit sufficiens praeparatio ad hoc sacramentum. Absolvitur deinde congregatio hora circiter 24.
f *M add.* in libello de verbis Dei
g *M add.* et Augustinum in eodem loco, qui de utraque manducatione spirituali scilicet et sacramentali locum illum Ioa. 6 loqui asserit
h *M* utroque modo i *M add.* cum ipsa materia k *M om.*
l *M* spiritualiter scilicet, et si autem parvuli non habent usum, suscipiunt autem in fide parentum et ecclesiae, ut dicitur de baptismo ipsorum parvulorum
m *M* 8^{s} de communione sub utraque etiam esse haereticum quoad laycos ex locis ab aliis allegatis
n *M* sed quoad gratiam tenet quod maior accipiatur sub utraque quam sub una
o *M add.* Et ad cap. Omnis utriusque respondet illud esse ordinarie, alias autem semper, quod vult accipere quis Eucharistiam, debet confiteri. Subiiciens se iudicio synodi.
p *M et Th om.* q *M* seipsum in carne vera et vero sanguine
r *M* sacrificium Melchisedech fuisset idem cum sacrificio Christi

1 *Luc.* 24, 30 sq.
2 Eius votum in scriptis datum vide infra in Appendice II n. 9.
3 Feltrinum hoc loco alludere ad librum *Ruperti Tuitiensis,* De victoria verbi Dei lib. XII c. 12, ex eius voto in scriptis dato apparet. *Migne,* P. lat. CLXIX 1472 sq.
4 Adeodatus Senensis, ord. Erem. S. Aug., anno 1544 regens studii Panhormi, nondum ad magisterium s. theologiae tunc temporis promotus fuit, quia de haeresi suspectus coram inquisitoribus apparere debuit. Litterae H. Seripandi M. Vincentio Florentino die 27. Febr. 1544 datae. Romae, Arch. ord. Erem. S. Aug. *Dd 20* fol. 147r. Quae accusatio tamen nullius momenti fuisse videtur; sequentibus enim annis s. theologiae magister et professor in gymnasio Senensi nominatus et provincialis Senarum Siciliaeque electus est. Anno 1555 visitator conventuum ordinis sui in Germaniam et Bavariam missus est. In aula regia Viennae a cancellario A. Widmanstetter libenter receptus de reformatione monasteriorum coram imperatore Ferdinando orationem pronuntiavit, quae typis excusa est. Vide eius litteras H. Seripando Viennae die 30. Nov. 1555 datas apud *A. Druffel* et *K. Brandi,* Briefe und Akten IV 755 n. 683 et *I. F. Ossinger,* Bibliotheca Augustiniana (Ingolstadii et Augustae Vind. 1768) 826.
5 *Gen.* 14, 18.

quod impium est. Item sequeretur, quod lex[a] Christianorum esset etiam lex umbratica et figurata et non vera, ergo non novum testamentum, sed idem cum veteri contra ⟨verba Christi et Pauli et veritatem⟩[b]. *Omnia* enim *in figura contingebant eis*[1]. Et in consecratione Christus dixit: Hic est calix novi et aeterni testamenti[2] etc. Praeterea in oratione Dominica docuit nos Christus petere *panem supersubstantialem*[3], quem omnes de Eucharistia intelligunt, de quo idem Christus ait: *Ego sum panis, qui de coelo descendi*[4]. Si autem in Eucharistia non esset verum Christi corpus, non traderetur panis supersubstantialis ⟨neque coelestis⟩[c], sed triticeus et naturalis ⟨contra Christi promissionem, quod nephandum est⟩[d]. 2. articulus etiam haereticus est, cum Christus praeceperit confici et accipi, ut ipse fecerat, qui manducandum suum corpus realiter et non spiritualiter tradidit. Et quod aliquando nominetur panis post consecrationem, est, quia accidentia panis videntur et manent, ut dicitur de angelis, qui multoties in scriptura viri nominantur, cum in forma[e] virorum apparerent, ut in ascensione Domini: *Duo viri astiterunt*[5] etc. Item Abraam tres angelos vidit et eos viros in hospitio accepit[6] etc.[f] Item de Tobia[7] et Jacob[8] et de virga Aaron in colubrem [!] conversa[9]. Et deinde locum Ioa. 6 [54] loqui de sacramentali manducatione comprobavit tum ex verbis illis, tum ex scandalo Phariseorum, qui de reali[g] manducatione intellexerunt. Ita autem de sacramentali intelligitur, ut sit cum spirituali coniuncta. Si vero sacramentalis excluderetur, ⟨ut in 2. articulo⟩[c],
134v seque|retur, quod hoc non esset sacramentum ⟨et non haberet usum neque esset iustrumentum tangibile, ut omnia sacramenta sunt etc.⟩[h] Et tertia synodus hanc manducationem sacramentalem astruit[10]. ⟨Et hoc modo locum Ioa. intellexit Augustinus⟩[i] tract. 26 super Joannem[k][11]. Subiiciens se etc.

Absolvitur deinde congregatio hora ⟨circiter 24⟩[l].

Congregatio theologorum super examinatione eorundem articulorum de sacramento Eucharistiae, quae absolvitur quoad ipsos theologos.

Die Mercurii **16.** dicti mensis **Septembris** hora eadem 19 habita quoque fuit congregatio theologorum super eisdem articulis examinandis; loquiturque hodie primus

P. **Desiderius Panormitanus,** ord. Carmel., ⟨Siculus, cum R. D. Bossanensi⟩[m]. Primum articulum haereticum confirmavit ex locis totiens allegatis; et Ioa. 6 [56] ait Christus: *Caro mea vere est cibus,* qui vere et non improprie loquitur, praeterea cum dicit: *Qui manducat me, vivet propter me*[12]. Dicit enim: *Manducat me,* et non figuram. Ergo revera Christus est in sacramento Eucharistiae. ⟨2s, 3s, 4s, 5s, 6s, 7s, 8s et 9s etiam haeretici sunt. 10s etiam, cum sint verba haereticorum, qui ita loquuntur⟩[n], ut sacramentum poenitentiae et confessionis fugiant, et volunt sola fide omnia compleri. Et tenet, Caietanum hoc in loco errare[13], quia, si contritio esset sufficiens, non esset necessaria confessio, quod falsum est. Alias enim ad quid Christus dixisset: *Quorum remiseritis*[14] etc., si a sacerdotibus nunquam necessario[c] peccata audirentur et ex consequenti nunquam ab eis remitterentur?

[a] *M add.* nostra [b] *M* Ioannem et Paulum [c] *M om.* [d] *M* quod falsum est
[e] *M* specie [f] *M* et viros nominat [g] *M* vera
[h] *M* quia sacramenta omnia sunt instrumenta et instrumentum debet tangi, quod non fieret, si tantum spiritualiter manducaretur; ut igitur applicetur, oportet, ut manducetur actu, uti instrumento
[i] *M* Et quod Christus manducetur sacramentaliter, in Ioa. 6 adduxit Augustinum
[k] *M add* Quam manducationem sacramentalem multis rationibus et argumentis comprobavit etiam ex ipso loco Ioa. 6, coniunctam tamen cum spirituali.
[l] *M* 23 [m] *M et Th om.*
[n] *M* Responditque ad argumenta adversariorum, quae adducuntur a Calvino haeretico. 2. articulus etiam haereticus est et allegavit magistrum sententiarum dist. 9 et multa alia. 3. articulus est etiam haereticus. 4. articulus etiam est haereticus, 5s idem, 6s et 7s idem, 8s et 9s etiam haeretici sunt. 10s etiam haereticus est, ut iacet, quia heretici illum asserunt

[1] *1 Cor.* 10, 11.
[2] Cf. *Luc.* 22, 20; *1 Cor.* 11, 25.
[3] *Matth.* 6, 11. [4] *Io.* 6, 51.
[5] *Act.* 1, 10. [6] *Gen.* 18, 2.
[7] *Tob.* 5, 5 sq. 13.
[8] *Gen.* 32, 24.
[9] *Ex.* 7, 12.
[10] Epistola Cyrilli ad Nestorium a synodo Ephesina a. 431 approbata. *Mansi* IV 1078.
[11] *Migne,* P. lat. XXXV 1606—1615.
[12] *Io.* 6, 58. [13] Cf. supra p. 126 adn. 4.
[14] *Io.* 20, 23.

P. **Franciscus de** ⟨**Villarua**[1], ord. S. Hieronymi⟩[a], ⟨Hispanus, familiaris R. D. Granatensis⟩[b], primum articulum haereticum esse ex auctoritatibus sacrae scripturae et conciliorum comprobavit. Praeterea Christus promisit, daturum se carnem suam ad manducandum; si autem corpus suum in Eucharistia non dedisset, promissa non implevisset, quod impium est. Dicit enim: *Panis*[c]*, quem ego dabo, caro mea est*[2]. Cum igitur dedit in cena panem illum consecratum, iam non erat panis, sed eius corpus. Et locum Ioa. 6 [54] non intelligi de | spirituali manducatione tantum, sed etiam [de] sacramentali, ut 135r etiam intellexit prima synodus Ephesina contra Nestorium[d], quae allegat hunc eundem locum Ioa. [6, 54][3]. Intelligitur tamen de ⟨sacramentali cum spirituali coniuncta⟩[e]. Praeterea Christus dixit: *Panis*[c]*, quem ego dabo;* alias, si intelligeretur de sola spirituali, ⟨eodem modo, quo nos⟩[f] manducassent sancti[g] patres Christum, cum Paulus dicat: *Omnes eandem escam spiritualem manducaverunt*[4], quod falsum est, quia idem Paulus ait: *Omnia in figura contingebant illis*[5]. Imo Christus dixit, quod manna non erat panis de coelo, sed panis, quem se daturum promisit, panis de coelo erat[6]; ergo aliter antiqui patres manducaverunt Christum, aliter nos manducamus: ⟨ipsi scilicet in figura et spiritu, nos vere et realiter⟩[h]. 2., 3., 4., 5., 6., 7., 8. et 9. articuli etiam haeretici sunt. 10s etiam ⟨quoad primam et secundam partem⟩[h] et iam damnatus per Leonem X[7]. Quo vero ad confessionem tenet non esse de iure divino, quod ⟨praemitti debeat ante communionem⟩[i]. Neque Paulus de confessione intelligit, cum nullus doctorum ad probandam confessionem locum illum Pauli 1 ad Cor. 11 [28] alleget; ergo nullus sensit, Paulum loqui de hac confessione sacramentali[k]. Aliquando enim sufficit contritio, vera tamen et formata[l]. ⟨Praeterea cum pontifices meminerunt de sumptione Eucharistiae, nullam fecerunt mentionem⟩[m] de confessione; ergo non censuerunt illam necessariam ante sumptionem huius sacramenti. ⟨Tenet tamen, quod, quotiescunque quis accedit ad accipiendam Eucharistiam et non confitetur, peccat mortaliter; non facit propterea⟩[n] contra ius divinum, sed contra laudabilem consuetudinem ecclesiae.

D. **Ioannes Caballos**[o][8], Hispanus, cler. saecularis, ⟨familiaris R. D. ep. Auriensis⟩[p], articulum primum haereticum probavit ex sacra scriptura, traditionibus et conciliis et sanctorum patrum auctoritatibus, etiam ex loco Ioa. 6 ab aliis allegatis; aliosque omnes articulos haereticos confirmavit etc.

Et cum nemo alius loqui vellet, perficitur examinatio suprascriptorum articulorum de sacramento Eucharistiae quoad ipsos theologos, quod a me secretario ipsis alta voce denunciatum fuit[9].

Articuli de sacramento Eucharistiae cum iudicio theologorum minorum[10]. 136r

Absolutis igitur discussionibus et examinationibus suprascriptorum articulorum per ⟨RR. DD. sacrae theologiae doctores et magistros⟩[q] et collectis eorum sententiis, datum fuit omnibus patribus exemplum ipsorum articulorum cum adnotationibus et iudicio dic-

[a] *M* Vigliarva, ord. S. Antonii de Paula [!] [b] *Th om.*
[c] *C 118, C 119 et Th falso* panem [d] *M add.* in epistola ad eum
[e] *M* de utraque simul manducatione [f] *M* idem [g] *M add.* antiqui
[h] *M om.* [i] *M* quis accedat ad Eucharistiam praevia confessione
[k] *M add.* Alias nunquam liceret accedere ad Eucharistiam sine confessione, si Paulus de ea loqueretur, cum dicantur verba omnibus: Probet autem se ipsum homo etc., quod falsum est, quia
[l] *M add.* absque confessione sacramentali
[m] *M* Praeterea cum concilia et pontifices faciunt mentionem de hoc sacramento et quod illud homines acciperent, non meminerunt
[n] *M* Peccat tamen, qui habet copiam confessoris, cum vult accipere Eucharistiam et non confiteatur, tenet, quod peccat mortaliter, non quia facit
[o] *C 119 et Th* Zaballos; *M* Cavallos
[p] *Th om.; in C 118 corr. ex* Aurianensis, *uti legitur in M.* [q] *Th* theologos minores

[1] Eius votum in scriptis datum infra in Appendice II n. 10. [2] *Io.* 6, 52.
[3] Cf. supra p. 140 adn. 10. [4] *1 Cor.* 10, 3.
[5] *1 Cor.* 10, 11. [6] *Io.* 6, 49 sq.
[7] In bulla *Exsurge Domine* a. 1520, n. 15. *Bullarium Romanum* V (Augustae Taurinorum 1860) 750 sq.
[8] Eius votum in scriptis datum exhibemus in Appendice II n. 11.
[9] In Massarelli Actis sequuntur in f. 135v theologorum, qui examinarunt suprascriptos articulos, nomina, quae nos vero, quia concordant cum iis, quae in praecedentibus congregationibus enumerata sunt, praeterire possumus.
[10] Qui articuli prostant etiam in *Conc. 14* f. 49r—50r (= M 1); f. 234r—235v, manu Massarelli scripti (= M 2).

torum theologorum, ut ab ipsis patribus etiam examinarentur et discuterentur sub infrascripta forma, videlicet:

Articuli, qui ab omnibus theologis iudicantur damnandi simpliciter[1]:

1. In Eucharistia non esse revera corpus et sanguinem neque divinitatem D. N. Iesu Christi, sed tantum ut in signo.

3. In Eucharistia esse quidem corpus et sanguinem D. N. Iesu Christi, sed simul cum substantia panis et vini, ita ut non sit transubstantiatio, sed unio hypostatica humanitatis et substantiae panis et vini, ita ut verum sit dicere: Hic panis est corpus meum, et: Hoc vinum est sanguis meus.

5. Christum in Eucharistia non esse adorandum neque festis venerandum neque in processionibus circumgestandum neque ad infirmos deferendum; et eius adoratores esse veros idololatras.

6. Non esse reservandam Eucharistiam in sacrario, sed statim consumendam et praesentibus dandam et aliter facientes abuti hoc sacramento.

7. In hostiis seu particulis consecratis post communionem remanentibus non remanere corpus Domini, sed tantum ibi esse, dum sumitur, non autem ante vel post sumptionem.

8. De iure divino esse sub utraque specie etiam populum et parvulos communicare et propterea peccare[a] eos, qui cogunt populum altera specie uti. |

136v
Articuli, qui aliquibus theologis damnandi quidem videntur, sed cum aliqua declaratione[2].

2. Exhiberi in Eucharistia Christum, sed spiritualiter tantum, manducandum per fidem, non autem sacramentaliter.

Iste articulus videtur fere omnibus ut superfluus omittendus, tum quia continetur in primo articulo, tum quia sacramentalis sumptio a nemine haereticorum negatur. Quidam etiam admonuit hunc articulum esse haereticum et ⟨damnari debere sub[b] his verbis⟩[c]: Non exhiberi Christum sacramentaliter, nisi exhibeatur spiritualiter; et[d] dicit[e] habere auctorem Oecolampadium.

4. Eucharistiam institutam esse ob solam remissionem peccatorum.

Quia, ut aliqui dicunt, illa dictio *solam* non asseritur ab haereticis et absque ea dictione[f] articulus iste esset catholicus, cuperent[g] ⟨illum silentio praeteriri a synodo⟩[h]. ⟨Multi vero contra senserunt⟩[i] et vellent eum omnino damnari remanente dictione *solam* ⟨sive *praecipue*⟩[k].

6. Non licere, ut quis se ipsum communicet.

Haec ultima pars sexti articuli placeret aliquibus damnari sub hac forma: In nullo casu, etiam necessitatis, etiam sacerdoti celebranti licere, ut quis se ipsum communicet. Quidam etiam admonuit esse considerandum, quod aliqui doctores dicunt, non licere layco, etiam in casu necessitatis, seipsum communicare, sed[l] tutius esse abstinere et sumere Eucharistiam in voto.

9. Non contineri sub altera specie, quantum continetur sub utraque neque tantum sumere communicantem sub una specie, quantum sub utraque.

Prima pars huius articuli ab omnibus iudicatur damnanda, intelligendo eam quoad sacramentum. Secunda vero pars ab aliquibus non censetur haeretica, intelligendo eam de gratia, cuius plus aiunt percipi a communicante sub utraque[m] quam sub una. Quam-

[a] *M 1 et M 2* errare [b] *M 1* cum [c] *M 2* esse quidem damnandum, sed his verbis
[d] *M 1* quia [e] *M 2* hoc modo retulit [f] *M 1 add.* solam [g] *Th* cupiunt
[h] *M 2* ut sancta synodus illum silentio praetermitteret
[i] *M 2* Alii quamplures contrarium censuerunt
[k] *M 2* seu quod eius loco reponeretur «praecipue», quia dicunt eam esse assertionem haereticorum
[l] *M 1 et M 2* et [m] *C 119 et Th add.* specie

[1] Iidem articuli etiam anno 1547 a theologis simpliciter damnati sunt, ut vides in Conc. Trid. V 1007 sq.

[2] Excepto 4. articulo, qui tunc non est discussus, iidem articuli anno 1547 cum aliqua declaratione tantum damnandi habiti sunt. Conc. Trid. V 1008 l. 6 sqq. Emendationum et declarationum anno 1547 propositarum ad partem tantum ratio habita est, cum theologis anno 1551 de novo hi articuli proponerentur, ut ex. gr. in articulo secundo.

plures contra | senserunt. Aliqui cuperent ita formari articulum, ut in eo non fieret mentio de gratia, sed tantum de sacramento, ut scholasticae disputationes fugiantur. 137r

10. Solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendam Eucharistiam neque ad id confessionem esse necessariam, sed superfluam[a], praesertim doctis, neque teneri homines ad communionem in Paschate.

Prima et tertia pars huius articuli fuit ab omnibus simpliciter damnata, secunda vero sub dubitatione dimissa, quoniam quidam dicebant, confessionem non esse necessariam ad dignam Eucharistiae sumptionem[b] habita copia confessoris, ubi esset conscientia peccati mortalis; sed sufficere contritionem cum voto confessionis faciendae tempore suo. Et ideo ⟨non esse damnandam partem huiusmodi⟩[c]. Alii autem dicebant confessionem simpliciter necessariam ac per hoc partem illam esse ut haereticam damnandam. Tertii vero ut erroneam, scandalosam et ad manifestum animarum interitum perducentem[d] (ut quotidiana probant exempla) eam damnandam[e] asserebant.

Incipient patres dicere suas sententias die lunae proxime ventura hora 19, an scil. iudicium theologorum eis probetur, et si quid praeterea admonendum censuerint, sint contenti esse breves, tum quia materia ipsa iam satis abunde examinata est a theologis, tum quia angustia temporis nos urget.

⟨Quorum articulorum ita adnotatorum exemplum datum fuit patribus die Iovis 17. suprascripti mensis Septembris⟩[f].

Prima congregatio generalis post sessionem habitam kal. Septembris 1551 super examinatione articulorum de sacramento Eucharistiae cum iudicio theologorum etc. 137v

Die lunae **21.** suprascripti mensis **Septembris** hora 19 ⟨in aula consueta⟩[g] habita fuit congregatio generalis prima post[h] sessionem ⟨habitam kal. Septembris 1551⟩[i], in qua patres coeperunt dicere sententias super articulis de sacramento Eucharistiae secundum iudicium theologorum ⟨de quibus supra⟩[k]. Igitur ⟨post lectam solitam orationem de Spiritu Sancto per R[mum] et Ill[mum] D. legatum⟩[i] ⟨rogatae sunt sententiae patrum, qui antequam loqui inciperent⟩[g], **ipse legatus** monuit eos, ut breviter dicere vellent sententias suas, cum iam haec materia satis discussa sit et angustia temporis nos urgeat, cum tantum 20 dies supersint usque ad futuram sessionem et multa sint agenda, tum circa discussionem horum articulorum, tum canonum super eis formandorum. Item et canones de reformatione. Tum denique, quia materia, de qua agitur, iam damnata toties sit a sacris conciliis, quae nobis (ait) laborem demerunt. Sed quia noviter articuli isti pullularunt[l], nova indigent damnatione. Quare iterum brevitatem sententiarum expostulavit. Deinde quoad ipsos articulos ⟨quaedam sibi dicenda esse admonuit ad conscientiae suae serenitatem⟩[g].

Et primo quoad 9. articulum, in quo orta est quaestio, an plus gratiae sumatur a communicante sub utraque quam sub una specie, dixit, quaestionem ipsam non videri ei determinandam esse, quia multi[m] doctores, qui id tenent, damnandi venirent, et concilium satis est, ut haereses damnet, ⟨in quo plurimum elaborandum restat, non autem omnes scholasticas disputationes decidat⟩[g], et ne etiam layci excitentur contra clericos, quasi ipsi defraudentur gratia Christi, cum una tantum species eis tribuatur. Item circa 10. articulum, an confessio sit necessaria ante sumptionem Eucharistiae: cum sint doctores et scriptores multi ⟨et gravissimi⟩[g] pro | utraque parte, videretur ei, quod nunc simpliciter 138r damnaretur assertio illa, et statueretur, ut quisque ante sumptionem Eucharistiae omnino confiteri teneatur, quia contrarium esset valde periculosum, neque addendum ei videtur *habita copia confessoris,* quia in casu necessitatis possumus etiam layco et mulieribus con-

[a] *M 1 et M 2* liberam [b] *M 2 add.* etiam
[c] *M 2* dictam partem nullo modo damnandam esse arbitrabantur
[d] *M 1 et M 2 add.* ac indignae sumptioni Eucharistiae ostium aperientem
[e] *M 2 add.* atque anathematizandam
[f] *M 1 et M 2 om.* [g] *M om.*
[h] *Th add.* secundam [i] *Th om.*
[k] *M* quorum articulorum die Iovis praeterita exemplum eis datum fuerat
[l] *M* orti sunt [m] *M add.* graves

fiteri[1]. Vellet igitur, ut ille 10. articulus damnaretur in ea parte, ⟨ubi agitur de confessione⟩[a], simpliciter ut scandalosus et [non ut] haereticus. ⟨Non dubitare tamen, quin patres eam capturi essent deliberationem, quae magis rei publicae christianae expedire videatur, cum Spiritum Sanctum in eis adesse non dubitet. Postea patrum ipsorum sententias rogavit⟩[b].

R[mus] et Ill[mus] D. cardinalis **Tridentinus**[2] brevitatem commendavit, et quoad se malle hoc sanctissimum sacramentum adorare, quam de eo disputare, cum praesertim ⟨de re tam clara et ab ecclesia semper recepta agatur⟩[c], ⟨legitque ex scripto suam sententiam⟩[d]. Quoad priores articulos a theologis damnatos[e] et ipse iudicat, ut damnentur tamquam haeretici in omnibus, cum sint contra sacram scripturam, ⟨concilia, patres et ecclesiae sensum⟩[f]. Cuperet tamen, communionem sub utraque specie non denegari Germanis, etiam catholicis, qui eam ⟨tam enixe et tantopere exoptant⟩[g], dum tamen ii confiterentur, esse integrum ⟨Christum et⟩[f] sacramentum sub unaquaque specie; ⟨possetque cum eis dispensari, ut fecit concilium Constantiense cum Bohemis[3], ita cum Germanis haec communio sub utraque toleraretur⟩[h]. 2. articulum vellet damnari sub forma secundo loco tradita ⟨in notationibus theologorum⟩[i]. Ultima pars 6. articuli videtur ei[k] simpliciter damnanda, ut stat, sine ulla additione. 9. articulum vellet damnari suppresso gratiae nomine ⟨seu mentione⟩[f]. 10. articuli prima pars damnetur simpliciter; ubi autem agitur de confessione, addatur *habita copia confessoris* vel *saltem in voto*. ⟨Quod vero dixit de concessione
138v communionis sub utraque facienda Germanis, | protestatus est, se nulla alia ratione dixisse, nisi ob publicam quietem et pacem, et quia scit, quanto facilius Germania ipsa pacaretur et ad unionem ecclesiae[l] reduceretur, si huiusmodi concessio ei fieret⟩[f].

R[dus] et Ill. D. archiep. **Maguntinus**[4] elector[l] praemisit, se omnia ab eo dicenda iudicio sanctae synodi submittere neque aliter intelligere, quam[m] ecclesia catholica intelligat. Deinde dixit, se probare iudicium theologorum in primis articulis, quos omnes et ipse ut haereticos damnari cupit, videl. ⟨1[m], 3[m], 5[m], 6[m], 7[m] et 8[m]⟩[n], qui adversantur sacrae scripturae. Et locum Ioa. 6 [54] intelligit loqui de utraque manducatione. Circa 2. articulum adnotatum remitti se iudicio dominorum, si omittendus [sit] ut superfluus ex veritate primi. 3. articulum haereticum putat et damnandum ut iacet. 4. articulus: Non meminit se legisse in libris haereticorum ⟨dictionem illam *solam*⟩[f 5] et cuperet ⟨damnari in propriis verbis ipsorum haereticorum, licet absque ea dictione *solam* teneat etiam eum esse haereticum, cum hoc sacramentum⟩[o] non sit institutum ad remissionem peccatorum principaliter. Verum si ab haereticis non ponitur, vellet silentio praeteriri. 5. articulus est etiam haereticus, quia in sacramento hoc est vere Christus, ergo adorandus et ⟨omnibus modis⟩[f] venerandus. 6[s] et 7[s] etiam haeretici et abhominabiles sunt. 8[s] etiam placet ut damnetur, quia communio sub utraque specie quoad laycos non est de iure divino; ecclesia tamen posset dispensare et pro tranquillitate ecclesiae posset circa hoc aliquid Germanis concedi, dummodo ipsi reciperent concilium in aliis. Quae sane concessio non ita de facili facienda esset ob detractiones adversariorum, quia illi nollent acquiescere iudicio sacrae synodi, ut fateantur, ecclesiam in praeteritum non errasse aliter faciendo et tantum sub una, quantum sub utraque contineri. Pars 6. articuli adnotata: De laycis

[a] *M* confessionis ante sumptionem Eucharistiae
[b] *M* Haec dixit se dixisse ad suae conscientiae exonerationem etc. [c] *M* res iam clara sit
[d] *M* in scriptisque suam attulit sententiam, quam alta voce legit [e] *M* iudicati damnandos
[f] *M om.* [g] *M* magnopere desiderant
[h] *M* prout fecit concilium Constantiense, ut concilium nunc in Germania eam sub utraque toleraret
[i] *M* videlicet: Non exhiberi Christum sacramentaliter, nisi exhibeatur spiritualiter
[k] *Th* et [l] *Th om.* [m] *Th* quod [n] *Th* 1—8; *C 119 post* primum *add.* secundum
[o] *M* poni verba hereticorum et vellet damnari etiam absque dictione sola [!], quia

[1] Quam opinionem defendit auctor incertus tractatus «De vera et falsa poenitentia» c. 10 saeculo XI compositi (*Migne,* P. lat. XL 1122 sq.); quia tractatus ille tempore medii aevi S. Augustino adscribebatur, omnes fere theologi huius temporis hanc quoque opinionem defenderunt, inter alios *Thomas Aquinas,* Summa theol. suppl. partis III, qu. 8 art. 2. Cf. *B. Poschmann,* Die abendländische Kirchenbuße im frühen Mittelalter (Breslau 1930) 193—197.

[2] De quo cf. p. 23 adn. 8.

[3] Rectius concilium Basiliense in illis articulis, quos Compactata Pragensia vocant. *Hefele* VII 2, 572 sq.

[4] Sebastianus ab Heussenstamm electus fuit anno 1545 archiepiscopus Maguntinus, Philippo de Hassia huius electioni insistente, contra imperatoris et summi pontificis voluntatem. Sebastianus enim, quamvis fuerit vir doctus et catholicus, animi fortitudine caruit; propterea Protestantes sperabant fore, ut consiliariorum suorum, inter quos erant Lutherani, persuasionibus motus eorum rebus esset fauturus. Cf. *Massarelli* diarium I ad diem 27. Octobris 1545 in Conc. Trid. I 299—301. *Nuntiaturberichte* I. Abt. VIII 60 385 sqq. *Pastor* V 557. Sed eorum spem fefellit. Cf. de eo etiam *S. Merkle* in Conc. Trid. II 241 adn. 3. *van Gulik-Eubel* III 249.

[5] Cf. supra p. 132 l. 15 et p. 112 adn. 5.

non est controversia; de sacerdotibus autem est falsus [!] et damnandus et iam condemnatus in concilio | Toletano ⟨12⟩[a] [1], et propterea vellet eum omnino damnari. In 9. arti- 139^{r}
culo cuperet omitti quaestionem de gratia et scholis relinqui. Quoad 10^{m} ⟨de confessione⟩[b] probat dicta per R^{mum} legatum, ⟨ut scil. omnino damnetur⟩[c], praesertim habita copia confessoris.

R^{dus} et Ill. D. archiep. **Treverensis**[2] elector probat in omnibus iudicium theologorum et adhaeret sententiae R. D. Maguntini.

R. D. episcopus **Zagabriensis**[3], ⟨primus orator Ser^{mi} regis Romanorum⟩[d], articulos per theologos damnatos damnat; ⟨dixit nihilominus circa omnes sententiam suam⟩[e]. Primum articulum[f] haereticum censet et contra sacram scripturam, concilia ⟨et ecclesiam⟩[c]. 2^{s} non videtur, quod contineatur in primo; propterea non videtur ei superfluus, sed damnandus ut iacet, sub forma scil., qua primo loco datus est examinandus theologis. 3^{s} etiam haereticus est. 4^{s}: Est in sententia D. Maguntini, ut non ponatur ab haereticis cum illa dictione *solam*[g], licet omitti etiam posset; neque ei placet, quod quidam dixerunt, hoc sacramentum non esse institutum ⟨neque conferre semper⟩[h] remissionem peccatorum, etiam absque dictione *solam,* quia una cum aliis fructibus datur etiam in hoc sacramento remissio peccatorum, et qui eam negat, haereticus est. 5. articulus etiam est haereticus. 6^{s} tam in prima quam in secunda parte haereticus est ⟨et damnandus⟩[c], tertia placet, ut dixit Maguntinus[i]. 7^{s} etiam damnandus [est] ut haereticus. Circa 8. articulum ⟨de communione sub utraque specie praemisit, se tenuisse, tenere et in futurum tenere velle, quod tenet ecclesia⟩[k]; sed nihilominus videri ei, quod communio sub utraque specie sit de iure divino, etiam quoad laycos, quia institutio huius sacramenti conprehendit tam laycos quam sacerdotes, et ipse Christus aequaliter pro omnibus mortuus est, ⟨et omnes de passione Christi aequaliter participare debent et aequaliter memoriam facere⟩[l], cum dicat praesertim Christus: Accipite et bibite[4], et alibi: *Et biberunt ex eo omnes*[5], item cum dicit: Sanguis, qui pro vobis et pro multis effundetur[6], quae verba non diriguntur tan-
tum | discipulis. Item in nascenti ecclesia multo tempore sub utraque, ut Corinthii fece- 139^{v}
runt, communicarunt. Et Ioa. 6 [54]: *Nisi biberitis eius sanguinem* etc., verba illa ad omnes dicta sunt, non tantum ad discipulos, etiam cum comminatione interitus aeterni. Et Paulus ad Corinthios non solum sacerdotibus, sed etiam laycis ait: Quod *accepi a Domino, tradidi vobis*[7], scil. communicare sub utraque specie, ut eius verba clare testantur. Item de figura sacrificii[c] Melchisedech, qui panem et vinum obtulit in figura Christi[8]. Et idem probatur de manna et petrae aqua[9], quae figurae sumptionem sub utraque specie denotabant in omnibus, non autem in sacerdotibus tantum; item quia non modo Graeci, sed Latini aliquando ⟨sub utraque⟩[c] communicarunt[10], ut habetur ex tripart. historia[11], quod idem videtur inferre concilium Constantiense[12] et Basiliense[13]. Sed tamen integrum corpus et integer Christus sub qualibet specie continetur. Et licet legatur Christum aliquando fregisse panem solum, ut in Emaus[14], et legitur in Act. Apost. [2,42], ⟨id tamen non arguit non sumpsisse etiam potum, cum etiam ibi praetermittantur etiam alia verba, quae in institutione huius sacramenti habentur. Et quod dicitur in Act. Apost.⟩[m], intelligitur de mensa prophana, et quia manducatio panis non excludit potum. Nec propterea censet esse erratum ⟨ab ecclesia⟩[c] aut fuisse impium, quod concilium Constantiense[12] statuit de

[a] *Th* 7 [b] *M* vellet damnari opinionem de confessione non necessaria et [c] *M om.*
[d] *Th om.* [e] *M* legitque ex scripto suam sententiam
[f] *M add.* de assistentia corporis Christi in sacramento
[g] *M add.* ideo cuperet declarari [h] *M* ad [i] *M add.* damnari
[k] *M* tenet id quod hactenus tenuit et tenet ecclesia
[l] *M* quarum passionum omnes equaliter memoriam facere debent [m] *C 119 et Th om.*

[1] Concilium Toletanum XII, a. 681, c. 5, in quo praecipitur sacerdotibus, ut in quavis missa, quam celebrant, communicent. *Mansi* XI 1033. C. 11 *Relatum est nobis* de consecr. dist. 2.

[2] Ioannes de Isenburg, 1547—1556 archiepiscopus Trevirensis, de quo cf. Conc. Trid. II 241 adn. 4. *van Gulik-Eubel* III 337.

[3] Cf. supra p. 97 adn. 3. Cuius votum in scriptis datum vide in Appendice II n. 12.

[4] Sic in canone missae; *Matth.* 26, 27: *Bibite ex hoc omnes.*

[5] *Marc.* 14, 23.

[6] Sic in canone missae; *Matth.* 26, 28 et *Marc.* 14, 24: *qui pro multis effundetur; Luc.* 22, 20: *qui pro vobis fundetur.*

[7] *1 Cor.* 11, 23.

[8] *Gen.* 14, 18; *Hebr.* 7.

[9] *Ex.* 16, 13—36; 17, 1—7.

[10] Cf. supra p. 119 adn. 2.

[11] In allocutione S. Ambrosii ad Theodosium post caedem Thessalonicae factam. *Migne,* P. lat. LXIX 1145.

[12] Decr. *Cum in nonnullis* sessionis 13. *Mansi* XXVII 727 sq.

[13] Decr. *Ut lucidius* sessionis 30. *Mansi* XXIX 158.

[14] *Luc.* 24, 30.

hac communione sub utraque. Haec vero ita dicere, ut sancta synodus bene consideret ⟨et animadvertat, quid super hac communione statuat⟩[a]. Probatque dicta per R^{mum} Tridentinum, ut Germanis, Hungaris et Bohemis concedatur, cum eam[b] tantopere desiderent, et posset cum dispensatione id fieri. Dixitque, hanc suam sententiam esse communem cum episcopo Viennensi, collega suo. Quam suam sententiam ut obedientissimus filius ecclesiae protulit et iudicio synodi se submittit. 9. articulus quoad substantiam sacramenti damnandus est; quo vero ad gratiam vellet eum omitti. 10. articulus etiam haereti- 140^{r} cus est et damnandus in omnibus, etiam | de confessione, si habuerit quis copiam sacerdotis. Omnia autem sub censura sanctae synodi se dixisse protestatus est, praesertim circa 8. articulum.

Viennensis[1], secundus[c] orator Ser^{mi} regis Romanorum, praefatus est, se iam multis annis in publicis concionibus ⟨coram principibus ecclesiasticis et secularibus diversi ordinis⟩[a] detestatum fuisse articulos omnes propositos, ⟨quos etiam nunc detestatur et damnat⟩[a]. Monuit tamen patres, ut cum matura deliberatione procedant in articulo communionis sub utraque specie, et cuperet consuli conscientiis piorum multorum, qui catholice eam expetunt in Germania et in aliis provinciis. Probatque dicta per R^{mum} Tridentinum[d].

R. D. archiep. **Turritanus**[2] probat sententiam theologorum quoad primos articulos, nempe 1^{m}, 3^{m}, 5^{m}, 6^{m}, 7^{m} et 8^{m}. ⟨Quo vero ad notationes etiam eorum iudicium ei non[e] displicet. Sed ante omnia admonuit, esse considerandum ordinem ipsorum articulorum, quia propositus non videtur ei, quod bene maneat⟩[e], sed vellet ita aptari, ut 6° addatur communio in Paschate; 5^{s} ponatur post ⟨7^{m}⟩[f]. Item 9^{s} et 8^{s} ponantur sub eadem[g] forma; 10^{s} autem ponatur in verbis propriis haereticorum, in quo non cuperet fieri mentionem de confessione, et nollet eam positionem damnari ut haereticam, et differatur eius tractatio, cum agetur proprie de confessione vel de abusibus ministrorum huius sacramenti Eucharistiae, praesertim cum concilium non sit congregatum ad damnandas et dirimendas ⟨scholasticas disputationes⟩[h], sed tantum haereses. Circa autem ipsas adnotationes theologorum 2. articulus non videtur superfluus, igitur ponendus et damnandus. ⟨Item quia iste articulus videtur contrariari sibi ipsi, cum ponat, Christum exhiberi in sacramento, et tamen non manducari sacramentaliter, quod falsum est, quoniam utroque modo in ipso 140^{v} sacramento manducatur⟩[i]. Item damnandus etiam est sensus ultimo loco datus | ex sententia Oecolampadii. 4. articulus etiam haereticus est et damnandus, non quia non deleat peccata hoc sacramentum, sed quia ad id principaliter institutum non est, sed ut gratia augeatur, et eo vivamus tanquam spirituali cibo[k]. Est igitur falsus hic articulus etiam absque dictione *solam*. 6. articuli ultima pars est etiam haeretica, et cuperet, eam damnari sub his verbis: *Nulli licere, etiam sacerdoti celebranti, seipsum communicare.* 9. articuli prima pars est haeretica. ⟨Quoad gratiam tenet ipse, plus accipi sub utraque specie quam sub una; de qua gratia nollet haberi mentionem a synodo; posset tamen dici aliquid de fructu propter laycos, ne putent aliquo fructu defraudari, cum eis una tantum species datur. Placeret item dici aliquid de sacrificio Eucharistiae. Submittens se etc.⟩[l].

[a] *M om.* [b] *Th* iam [c] *C 119 et Th om.*
[d] *M add.* Alios articulos omnes haereticos censet
[e] *M* Quo vero ad notationes theologorum ex scripto legit sententiam suam adduxitque quosdam novos articulos, videlicet Oecolampadii, in cena novissima Christum non tradidisse corpus suum, sed panem consecratum; sacramentum non vere confici nisi coram tota civitate; et circa ordinem articulorum non placet propositus
[f] *M add.* et quod hoc sacramentum debeat adorari, legitur in sexta synodo cap. 101
[g] *M* una [h] *M* quasque quaestiones
[i] *M* Et 2. iste articulus est advertendus, quia contendit, quod contrarietur, esse in sacramento Christum et spiritualiter manducari, ut aiunt haeretici, quia tunc manducatur realiter, non autem spiritualiter, quod improbavit, cum utroque modo manducetur.
[k] *M add.* licet Lutherus alibi dicat, quod hoc sacramentum non delet peccata, sed tantum mors Christi
[l] *M* et damnanda quoad efficaciam sacramenti, quo vero ad significantiam non est falsus et etiam quoad gratiam. Et locum Ioa. intelligit de spirituali manducatione. Quo vero ad gratiam cuperet de ea non fieri mentionem, ipse autem tenet plus accipi sub utraque quam sub una de gratia; cuperet fieri mentio[nem] de fructu vel quod simile propter laicos, ne putent se sacramenti fructu defraudari, cum una eis datur. Placeret aliquid de sacrificio huius sacramenti in hac sessione dici.

[1] Eius votum in scriptis datum in App. II n. 13.
[2] Salvator Salapusius, 1524—1568 archiepiscopus Turritanus, in concilio primum congregato aderat eiusque translationi strenue se opposuerat. Conc. Trid. V 1033 l. 2—20. Super articulis de Eucharistia votum tunc non dederat, quia cupiebat primum canones formari et deinde vota exquiri. *Ibid.* V 1010 l. 30. Eius votum in scriptis datum infra in Appendice II n. 14.

Panormitanus[1] omnes articulos propositos haereticos censet, ⟨ad idque probandum loca toties allegata adduxit⟩[a]. Quo vero ad 9. articulum de gratia tenet, tantum sumi sub una quantum sub utraque, cum semper in unaquaque sit totus ⟨et integer⟩[b] Christus; et tantum sacerdos quantum laycus sumit. 10^{s}: Tenet, confessionem ⟨ante sumptionem Eucharistiae⟩[b] esse necessariam, si habetur copia sacerdotis; alias sufficeret votum et contritio. Circa 2^{m} et 4^{m} remisit se iudicio patrum. 6^{m} vellet ita formari: *Non licere, ut quis seipsum communicet, etiam si sit sacerdos communicans vel sacra faciens.*

Granatensis[2] admonuit primum esse advertendum, concilium congregari, ut haereses damnet, non ut ⟨omnes scholasticas disputationes decidat⟩[c]. Deinde longa doctaque[b] oratione comprobavit, in Eucharistia esse ⟨vere et realiter⟩[d] corpus Christi, ⟨tum ex sacra scriptura, tum conciliis et auctoritatibus sanctorum patrum. Circa vero notationes theologorum:⟩[b] 2. articulus videtur haereticus et damnandus[e], 4^{s} idem, licet haeretici non utantur *solam*[f], ut est Melanchthon in confessione Augustana[3] et in libro de locis communibus cap. de cena Domini[4], et | Brentius hom. 6 de paenitentia[5]. Et id asserunt, 141r
quia negant, sacramenta conferre gratiam neque auctionem gratiae[6]; ⟨cuius contrarium determinatum est in hoc sacro concilio⟩[b 7]. 5. articulus etiam ut haereticus damnandus est[g], 6^{s} idem, etiam in ultima parte, cum haeretici sentiant, non licere neque layco neque sacerdoti. 7^{s} etiam haereticus est, idem de 8°, quia integer et totus Christus est sub qualibet specie; neque videtur concedenda utraque laycis absque maxima consideratione. 9^{s} etiam haereticus est, sed[h] considerandum, quomodo damnetur, quia ipse tenet, plus gratiae sumi sub utraque quam sub una. 10^{s} etiam haereticus est ⟨in omnibus, etiam quoad confessionem, quam necessariam comprobavit, habito confessore, et ubi est peccatum mortale⟩[i]. Ultima vero pars non est de iure divino ⟨quoad tempus⟩[b], sed praeceptum ecclesiae. Quod autem dicitur de confessione, vellet damnari ⟨ut scandalosum, non ut haereticum, cum id non habeatur de iure divino, scil. quod quis confiteatur ante sumptionem Eucharistiae. Submittens se etc.⟩[k]

Deinde, cum esset iam pulsata hora 23, dimittitur congregatio, cui ultra supradictos ⟨8⟩[l] patres, qui dixerunt sententias, interfuerunt tres oratores imperatoris[m] et 30 alii praelati etc.[n 8]

[a] *M* et ex scripto legit suam sententiam adducens ad id probandum rationes [b] *M om.*
[c] *M* omnes quaestiones scholasticae damnentur [d] *M* verum
[e] *M add.* 3^{s} idem, cum fiat vera transubstantiatio in Eucharistia
[f] *M add.* sed idem sentiunt, ideo damnandus est
[g] *M add.* quia Christus revera est in hoc sacramento [h] *M add.* de gratia
[i] *M* quod autem dicitur de confessione tenet eam esse necessariam, cum quis est conscius peccati mortalis et habet copiam confessoris
[k] *M* sed non tanquam id esse [!] de iure divino, sed scandalosum [l] *Th. om.*
[m] *Th* caesarei [n] *M add.* qui omnes vocantur ad diem crastinum eadem hora 19.

[1] Petrus Tagliavia de Aragonia, 1537 ad 1544 episcopus Agrigentinus, 1544—1558 archiepiscopus Panormitanus, anno 1553 a Iulio III cardinalis nominatus est. Interfuit concilio Tridentino etiam sub Paulo III. Cf. de eo *S. Merkle* in Conc. Trid. I 229 adn. 1 et *ibid.* II 502 adn. 1; *Massarelli* diarium 7 ad diem 5. Aug. 1558 in Conc. Trid. II 325 l. 29—326 l. 4; *van Gulik-Eubel* III 36 111 286. Eius votum in scriptis datum vide infra in Appendice II n. 15.

[2] Petrus Guerrerus de Logrono, 1546 ad 1576 archiepiscopus Granatensis, vir fuit eximiae eruditionis, qui postea sub Pio IV in concilio caput est factus praelatorum Hispanorum legatis et curiae Romanae se opponentium. De scripturis conciliaribus Guerreri agit *S. Merkle* in Conc. Trid. I p. XXVI l. 3—32. Cf. etiam Conc. Trid. II 810 adn. 1; *ibid.* VIII et IX passim. *van Gulik-Eubel* III 221. Eius votum in scriptis datum exhibemus in Appendice II n. 16.

[3] *Bekenntnisschriften* 91 sq. 94. Clarius de Eucharistiae institutione ad remissionem peccatorum Melanchthon loquitur in apologia confessionis Augustanae. *Ibid.* 364 et 374: «Certum est coenam Domini institutam esse propter remissionem culpae.»

[4] In secunda locorum communium theologicorum recensione anno 1535 primum edita *Melanchthon* dicit: «Principalis igitur finis huius ceremoniae [i. e. Eucharistiae] est, ut testetur nobis exhiberi res in evangelio promissas, scilicet remissionem peccatorum et iustificationem propter Christum.» *Corp. Ref.* XXI 302. Similiter in posterioribus editionibus.

[5] *Ioannes Brentius,* De poenitentia et iis, quae ad poenitentiam agendam necessaria sunt homiliae viginti quinque (Halae Suevorum 1544). Annis 1545, 1550 et 1557 iterum in lucem prodiit. Cf. *W. Köhler,* Bibliographia Brentiana (Berlin 1904) 53 60 76 151. Liber ipse Romae mihi praesto non est.

[6] Cf. Conc. Trid. V 836 l. 2—6.

[7] Sessio 7 can. 6—8. Conc. Trid. V 995 l. 19 ad 26.

[8] Nescio, cur omiserit Massarellus in Actis huius congregationis votum Ludovici Chieregati, archiepiscopi Antibarensis, qui etiam hac die de Eucharistia locutus est, ut apparet ex eius voto in scriptis dato, in cuius margine superiori ipse Massarellus adnotavit: «Antibarensis super articulis de sacramento Eucharistiae die 21. Septembris 1551.» Cf. Appendicem II n. 17.

Congregatio generalis super examinatione eorundem articulorum de sacramento Eucharistiae.

Die Martis 22. eiusdem mensis **Septembris** hora 19 fuit etiam congregatio generalis, in qua post lectam solitam Spiritus Sancti lectionem patres infrascripti prosequuti sunt examinationem suprascriptorum articulorum de sacramento Eucharistiae, loquiturque hodie primus

R. D. archiep. **Calaritanus**[a 1]. Quoad priores articulos probat iudicium theologorum, ut omnes tanquam haeretici damnentur. Examinavit nihilominus eos per singula capita. Primus igitur articulus haereticus est, quia revera Christus est in Eucharistia. 3. articulus idem, cum vere fiat transsubstantiatio panis et vini in corpus et sanguinem Christi. 5[s], 6[s] 141v et 7[s] etiam haeretici sunt | et damnandi. 8. articulus etiam haereticus est; et probavit ⟨multis rationibus⟩[b], communionem sub utraque specie quoad laycos non esse de iure divino contra id, quod heri dixerat ep. Zagabriensis[c], respondens ad allegata in contrarium, et locum Luc. [24, 30 sq.] in Emaus intelligi a Hieronymo[2], Theophylacto[3], Chrisostomo[4] et aliis doctoribus de communione[d] Eucharistiae [!] tantum et non de utraque, ut heri adducebatur ex sententia Zvinglii, Oecolampadii, Lutheri[e], Melanchthonis et Buceri haeresiarcharum[b], quibus minus est credendum quam tam piis ⟨et sanctis⟩[b] patribus. ⟨Ad auctoritatem Ioa. 6 [54]: *Nisi biberitis eius sanguinem* etc. respondit dupliciter: primo quod intelligatur spiritualiter, ut tot scriptores tenent; secundo dato etiam, quod intelligi debeat de sacramentali sumptione, non obstat, quia sub unaquaque specie totum et integrum Christi corpus continetur, et quis manducando Eucharistiam sub specie panis tantum non solum manducat carnem Christi, sed bibit eius sanguinem, quia in ea specie est et caro et sanguis et anima et divinitas Christi, praesertim cum hoc sacramentum (ut doctores dicunt) non consistat in materia, sed in usu.⟩[f] Ad verba Pauli 1 Cor. 11 [23 sqq.][g] respondit, quod Paulus ibi nullum praeceptum novum dat, sed refert, quod ⟨accepit a Domino et quod⟩[b] Christus instituit; ⟨igitur ad veram institutionem recurrendum est, in qua Christus [a] solis sacerdotibus sub utraque sumi et confici iussit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*[5], quae verba referuntur tantum ad discipulos, cum quibus tunc loquebatur.⟩[h] Et notandum, quod Paulus dicit: *quotiescunque biberitis*, quasi non semper, ⟨sed aliquando et aliqui, ut sacerdotes, bibituri essent⟩[i]. Praeterea ita tenuit

[a] *M add.* commendavit brevitatem, cum iam multa adducta sint tum a theologis, tum a patribus etc.
[b] *M om.*
[c] *M add.* et in primis dixit considerandum, quod sacramentum, quatenus est praeceptum, omnes comprehendit; igitur si est de iure divino, tam Germanos, quam Italos et Hispanos comprehendit, contra id quod dixerunt heri quidam patres, esse Germanis eam communionem concedendam. Sed contrarium tenet esse verum. Praeterea praeceptum est affirmativum, quod semper, sed non ad semper obligat; obligat igitur omnes, sed non singulos
[d] *M* sumptione [e] *C 119 et Th om.*
[f] *M* Ad auctoritatem Ioa. 6 [54] et Pauli [1] ad Cor. [11, 23—29], qui praecipit Corinthiis sub utraque communionem tam laycis quam sacerdotibus, respondit: Nisi manducaveritis et biberitis etc. intelligi de spirituali manducatione, ut tot doctores tenent; sed licet intelligantur de sacramentali, non obstat, quia alias sub una specie non tantum, quantum sub utraque contineretur. Respondet igitur formaliter, quod quis sub utraque specie manducat, etiam manducando Eucharistiam tantum, quia est ibi verus et integer Christus cum sanguine, anima et divinitate, et praesertim, quia non in materia, sed in usu consistit hoc sacramentum, ut doctores aiunt.
[g] *M add.* Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis etc.
[h] *M* sed Christus iussit tantum sacerdotibus sub utraque confici [!] et accipi [!], cum dixit: Hoc facite in meam commemorationem, quae verba sacerdotes, cum quibus loquebatur, tantum tangit [!].
[i] *M* essent bibituri, sed tantum sacerdotes, quasi dicat, quando sacerdotes celebrant

[1] Balthasar de Heredia, 1536—1541 episcopus Cyrenensis (Cypri), 1541—1548 episcopus Bosanensis, 1548—1558 archiepiscopus Calaritanus. Die 9. Martii 1547 de his articulis votum pronuntiaverat, cuius brevissimum summarium prostat in Conc. Trid. V 1012 l. 25—29. Sub Paulo III anno 1545 contra eum processus institutus est, ipseque Romam citatus est «ad purgandum se de criminibus» (*van Gulik-Eubel* III 152 adn. 5). De novo sub Paulo IV contra eum procedebatur; propterea die 21. Octobris 1558 resignationem proposuisse videtur; sed res dilata est ad proximum consistorium. Interdum Balthasar mortuus est (*ibid.* 161 adn. 7).

[2] *Hieronymus,* Contra Ioannem Hierosolymitanum c. 34 et 35. *Migne,* P. lat. XXIII 387.

[3] *Theophylactus,* Enarratio in evangelium Lucae c. 24. *Migne,* P. gr. CXXIII 1119.

[4] *Chrysostomus,* In ascensionem Domini homilia c. 10. *Migne,* P. gr. LII 783. — Sed Chrysostomus et alii patres, de quibus in adn. praecedentibus, locum *Luc.* 24, 30 sq. exponentes, discipulos Dominum in fractione panis cognovisse dicunt, Christum autem in Emaus calicis porrectionem omisisse expresse non asserunt.

[5] *1 Cor.* 11, 25.

et tenet ecclesia, ⟨quae, si aliquando permisit, ut aliqui populi communicarent sub utraque, id facere potuit et etiam hodie posset⟩[a]. Quo vero ad concessionem, quam aliqui faciendam censuerunt Germanis, ⟨respondit, id non debere nunc tractari, nisi ipsi peterent et nisi ipsi Germani in aliis cum concilio convenirent, quod impossibile est, cum nihil aliud profiteantur quam discessionem a catholica | [142r] ecclesia. Ideo relinquendi sunt in eorum pertinacia.⟩[b] Quoad notationes theologorum: 2. articulum cuperet damnari ⟨in verbis haereticorum⟩[c]. 4^{s} etiam haereticus est absque illa dictione *solam,* quare vellet in utroque sensu eum damnari. ⟨6^{s} etiam, quia Christus dixit sacerdotibus⟩[d]: Accipite et bibite[1]. 9. articulus ⟨etiam falsus quoad utranque partem, quia non plus sacramenti neque plus gratiae sumitur sub utraque quam sub una⟩[e]; cuperet tamen hanc quaestionem dimitti, licet daretur forsan haereticis materia murmurandi, qui dicent, in concilio esse actum de hac quaestione, sed non ausum fuisse eam determinare. Magis tamen videtur conducere, ⟨ut relinquatur scholasticis disputanda⟩[f]. 10^{s}: De confessione ante sumptionem Eucharistiae tenet, eam esse omnino necessariam, et damnari articulum cupit, ut iacet, etsi damnandus veniat cardinalis Caietanus[2], cum omnes alii scribentes ⟨et cardinales et piissimi patres⟩[g] contrarium sentiant; sed nollet, ut damnaretur tanquam haeretica, sed scandalosa. Submittens se etc.

R. D. ep. **Feltrensis**[3]. Primus articulus haereticus est et damnandus, licet alias damnatus[h] sit, quia, cum Christus sit ipsa[g] veritas et dixerit: *Hoc est corpus meum*[i], mentiri non potuit. Detestatusque est, quod ea verba intelligantur de figura, quia Ioa. 6 [56] dicitur: *Caro mea vere*[k] *est cibus*[l]*;* neque discipuli scandalizati essent, cum dixerunt: *Durus est hic sermo*[4]. ⟨Et Paulus non tantum detestatus fuisset indignam sumptionem⟩[g][5], atque etiam oblatio Melchisedech[6] alias fuisset figura figurae, quod falsum est. Item concilia Ephesinum[7], Lateranense[8], Florentinum[9], Constantiense[g][10] et alia multa id etiam damnarunt et ⟨omnes sanctissimi patres, quorum plures⟩[m] referuntur de consecr. dist. 2; sed Damascenus lib. 4 cap. 14 id optime et in terminis explanat[11]. 3. articulus etiam haereticus est; ⟨sed quia continetur in primo, cuperet eum dimitti⟩[n]. 6^{s} etiam est haereticus. Idem 7^{s}; sed haec assertio non videtur digna, ut a sacro concilio damnetur; propterea omittatur. 8. articulus ⟨haereticus etiam est, et ipse tenet, neque communionem sub utraque neque sub una esse de iure divino quoad laycos⟩[o] et | [142v] ecclesia aliquando unam, aliquando utranque populo dedit, quod facere potuit iuxta temporis exigentiam.

[a] *M* et si aliquando communicavit aliquis populorum sub utraque, id permisit et facere etiam hodie ecclesia posset
[b] *M* si ipsi in aliis convenirent, hoc posset concedi. Sed quia ipsi heretici in nullo nobiscum convenire volunt, relinquendi sunt in eorum pertinacia. Et de hac re non debet nunc agi.
[c] *M* verba hereticorum, quomodo ab eis proferuntur
[d] *M* 6. articuli ultima pars, quia praecepta est sumptio sacerdotibus per seipsos. Dixit enim Christus
[e] *M* quoad plus gratiae sub utraque quam sub una
[f] *M* ut omittatur tenetque ipse non plus gratiae percipi sub utraque quam sub una
[g] *M om.* [h] *M add.* ab ecclesia
[i] *M add.* intelligendum est eum dixisse veritatem, quia [k] *M* verus
[l] *M add.* et Paulus alias non tantum detestaretur indignam sumptionem
[m] *M* tot alii doctores, qui
[n] *M* cum vere fiat transubstantiatio et non unio hypostatica. 5. articulus: Cuperet dimitti, quia sat est, quod damnetur haec assertio in primo articulo, quae tamen heretica est.
[o] *M* tenet non esse de iure divino neque sub utraque neque sub una specie quoad laycos

[1] Sic in canone missae.
[2] Cf. supra p. 126 adn. 4.
[3] Thomas Campegius, 1520—1559 episcopus Feltrensis, qui tamen anno 1546 nepotem suum Philippum Mariam Campegium in coadiutorem accepit. Cf. Conc. Trid. X 395 adn. 2. E nobili familia Bononiensi ortus anno 1505 laurea philosophiae et anno 1512 laurea utriusque iuris insignitus est. Annis 1523—1526 nuntium apostolicum Venetiis egit. Fratrem suum Laurentium anno 1530 ad dietam imperialem Augustanam comitatus est. Paulus III eum nuntium suum ad colloquium Vormatiense misit, quo munere haud feliciter functus est. Postea in commissionibus pro praeparando concilio Tridentino institutis collaboravit. Concilio ipso interfuit et die 8. Martii 1547 super articulis de Eucharistia votum pronuntiavit (Conc. Trid. V 1011 l. 19—26). De hoc viro eiusque scripturis cf. *G. Fantuzzi,* Notizie degli scrittori Bolognesi III (Bologna 1783) 65—69; IX (Bologna 1794) 78 sqq. et *F. Lauchert,* Die italienischen literarischen Gegner Luthers (Freiburg i. Br. 1912) 614—619. Conc. Trid. I, II, IV, V, X et XII passim. *Lexikon für Theologie u. Kirche* II 723 sq. *Pastor* V passim.
[4] *Io.* 6, 61. [5] *1 Cor.* 11, 27 sqq.
[6] *Gen.* 14, 18 sq. [7] Cf. supra p. 117 adn. 1.
[8] Cf. supra p. 117 adn. 4.
[9] Cf. supra p. 117 adn. 5.
[10] Cf. supra p. 123 adn. 5.
[11] *Ioannes Damascenus,* De fide orthodoxa lib. IV c. 13: «Nec vero panis et vinum Christi corporis et sanguinis figura sunt (absit), sed ipsum Domini corpus deitate dotatum» etc. *Migne,* P. gr. XCIV 1147 sq.

10s ⟨de confessione: Tenet eam esse omnino necessariam; sed nollet de ea fieri mentionem, tum ne aliqui doctores, qui contrarium sentiunt, damnentur, tum vero, ne novum onus sacerdotibus imponatur et maiori scrupulo eorum conscientiae onerentur⟩[a]. Remittit se tamen et submittit iudicio synodi.

Segobricensis[1] probat iudicium theologorum in prioribus articulis. Quoad notationes: 2. articulus damnetur, si ab aliquo asseritur. 4s etiam, si habet auctorem; alias ii duo articuli omitti possent. 6s damnetur ut iacet sine aliqua additione; 9s damnetur quoad sacramentum; sed de gratia non fiat mentio. 10s: ⟨Non cuperet damnari aliquam opinionem de confessione; sed synodus monere posset omnes sacerdotes, ut, antequam celebrent, bene se praeparent et peccata sua confiteantur.⟩[b]

Maioricensis[2] probat sententiam theologorum circa priores articulos; circa alios[c]: 2s omittatur, si ab aliquo non asseritur; alias damnetur. 4s damnetur omnino[d], cum non ad id solum hoc sacramentum sit institutum, et est falsus etiam absque dictione *solam*. 6. articuli ultima pars damnetur ut iacet. 9. articulus ⟨damnetur etiam, quia plus gratiae non accipitur sub utraque quam sub una, quod vellet omnino a synodo determinari, ut populus acquiesceret solae communioni sub una, cum tantum se percipere et de sacramento et de gratia intelligerent [!]⟩[e]. 10s ⟨damnetur etiam de confessione, quam necessariam iudicat habita copia confessoris, et ubi quis est conscius peccati mortalis⟩[f]. Submittens se etc.

Castellimaris[3] praemisit se dicturum omnia sub censura sanctae synodi etc. Primum articulum esse haereticum comprobavit ex sacra scriptura, conciliis, traditionibus et sanctis patribus toties allegatis; sed quod dicitur de divinitate, posset omitti, quia dato,
143r quod ibi sit ⟨verus Christus⟩[g], est etiam | divinitas. Quod semel assumpsit, nunquam dimisit. 3. articulus etiam haereticus est de transsubstantiatione, quia est contra orationem Dominicam: *Da nobis panem supersubstantialem*[4]; et de unione hypostatica etiam falsus est, quia humanitas Christi ⟨in Eucharistia⟩[h] non est suppositum, sed suppositata. 5. articulus quoad omnes partes etiam haereticus est; ⟨quoad adorationem, cum sit ibi Christus, ergo adorandus⟩[h]. Augustinus Ps. 88[5] et 121: Et adoraverunt eum omnes principes[i] terrae[k] [6]. Idem de veneratione et circumgestatione exemplo archae foederis, et tanto magis hoc sacramentum. 6. articulus etiam falsus[l] est tum exemplo dictae archae foederis, quae Exod. 12[7] praecipitur ut conservetur, tum ob necessitatem, ⟨quod etiam a conciliis determinatum est⟩[h]. 7. articulus etiam haereticus est[m], cum sit contra institutionem Christi, quocumque in casu intelligatur. 8s de communione sub utraque tenet eam non esse de iure divino ⟨quoad laycos, quod multis modis comprobavit⟩[h]. Responditque ad obiectiones adversariorum, quia, cum dicitur: *Bibite,* refertur[n] tantum ad discipulos, ⟨cum quibus et loque-

[a] *M* tenet sacerdotem debere omnino confiteri ante sumptionem Eucharistiae; non propterea censet articulum damnandum, cum pauci, videlicet unus tantum Caietanus eum asserat. Et concilium debet tantum hereses damnare. Quare non cuperet de ea confessione fieri mentionem, cum esset inducere novum vinculum sacerdotibus et novum scrupulum.

[b] *M* moneat synodus, ut accedentes ad hoc sacramentum confiteantur, et non damnare aliquam opinionem

[c] *M add.* in quibus est controversia [d] *M* ut hereticus

[e] *M* formetur, ita ut de gratia mentio non fiat, sed tantum de sacramento. Tenet autem ipse tantum fructus sub una quantum sub utraque percipi, quod vellet a synodo determinari, quo fieret, ut populus acquiesceret, qui utramque speciem expetit.

[f] *M* de confessione tenet esse necessariam habita copia sacerdotis, et peccati mortalis quis conscius sit. Ideo censet hunc articulum damnari.

[g] *M* verum corpus Christi [h] *M om.* [i] *sic; Vulgata* pingues

[k] *M add.* et si est ibi Christus verus, ergo adorandus est [l] *M* hereticus

[m] *M add.* et damnandus, quod multis rationibus comprobavit [n] *M* loquebatur

[1] Gasparus Jofre de Borgia anno 1530 a Caesare nominatus est episcopus Segobricensis. Vixit usque ad annum 1556. *van Gulik-Eubel* III 315. Eius votum in scriptis datum vide in Appendice II n. 18.

[2] Ioannes Bapt. Campegius, Laurentii cardinalis Campegii filius, anno 1532 a Caesare est praesentatus pro ecclesia Maioricensi, quam usque ad resignationem a. 1558 retinuit. Concilio Tridentino sub Paulo III congregato usque ad mensem Iulium 1546 interfuit. De quo cf. Conc. Trid. I 178 adn. 2; *van Gulik-Eubel* III 250.

[3] Ioannes Fonseca, episcopus Castellimaris seu Stabiensis, iam concilio prius congregato interfuerat. De quo cf. *S. Merkle* in Conc. Trid. I 199 adn. 1 et *van Gulik-Eubel* III 322. Eius votum in scriptis datum exhibemus in Appendice II n. 19.

[4] *Matth.* 6, 11.

[5] *Augustinus,* Enarratio in Ps. 98 (non 88): «Nemo autem illam carnem manducat nisi prius adoraverit.» *Migne,* P. lat. XXXVII 1264.

[6] *Ps.* 21, 30 (non 121). *Augustinus,* Enarratio 1 in Ps. 21. *Migne,* P. lat. XXXVI 170. Cf. *K. Adam,* Die Eucharistielehre des hl. Augustin (Paderborn 1908) 85.

[7] *Ex.* 16, 32, ut in voto scripto.

batur et cenabat⟩[a], ut Marc. 14 [22] dicitur: Cenantibus illis scil. discipulis. Et Ioa. 6[b] numquam ibi fit mentio de calice[c], sed tantum de carne et sanguine Christi[a], quae duo sunt in vero Christi corpore; ⟨ergo qui corpus sumit, adimplet praeceptum, quia in corpore et sanguinem bibit;⟩[a] qui sensus est Cyrilli[1], Cypriani[2], Chrisostomi[3], Augustini[4], Hieronymi[5] et aliorum, ut de utraque[d] sumptione intelligatur. ⟨Et dum in Emaus cognoverunt eum in fractione panis, doctores omnes intelligunt de illa sola specie tantum. Idem Act. [2, 42]: Perseverantes in fractione panis. Item ecclesia primitiva appellat communionem sub una communionem laycam[6]. Et ipsa ecclesia potuit et potest sub una et duabus laycis dare, prout videret expedire.⟩[e] Secunda pars istius articuli etiam est haeretica[f], quia ecclesia errare non potest. Quoad concessionem, quae petitur facienda a Germanis[g]: si ipsi prius confiterentur, ecclesiam recte prohibuisse et prohibere eam populo, et quod prohibere id potest, et quod tantum sub una quantum sub utraque continetur, et eam Germani ipsi peterent, concedi posset; ⟨aliter nullo modo concedenda esset⟩[a]. Quoad notationes theo-| logorum: 4. articulus videtur damnandus etiam absque dictione *solam*. Et est contra con- 143v cilium Florentinum, quod in enarratione effectuum huius sacramenti non numerat remissionem peccatorum[7]. ⟨2[s]⟩[h] est etiam omnino damnandus. 9. articulus etiam haereticus est quoad sacramentum, quia in qualibet specie est integer Christus. Et quoad gratiam est etiam falsus ex vi sacramenti; ideo eum in utroque sensu damnandum censet. Alias ecclesia male ⟨fecisset et⟩[a] faceret privando populum[i] integra gratia, si plus esset sub utraque quam sub una; et D. Thomas ait, nullum detrimentum accipere populum communicantem sub una[8]. 10. articuli prima pars est haeretica de sola fide contra Exod. 12 [1—11] de praeparatione ⟨ante manducationem⟩[k] agni paschalis, et contra Paulum: *Probet autem*[9] etc. et Cypriani sermonem 5 de lapsis[10]. D. Hieronymus super 28 Matth. de involutione corporis Christi in sindone munda[11], de lotione pedum in cena[12]; ideo tenet, confessionem ante sumptionem Eucharistiae esse omnino necessariam, ⟨et articulum etiam in hac parte debere damnari. Submittens se iudicio sanctae synodi etc.⟩[l].

[m]Absolviturque congregatio hora 23, cui interfuerunt omnes ⟨praesidentes, electores,⟩[a] oratores et praelati, ⟨qui Tridenti praesentes sunt. Vocaturque futura congregatio ad diem crastinum⟩[a].

Congregatio generalis super examinatione eorundem articulorum de sacramento Eucharistiae.

Die Mercurii 23. eiusdem mensis Septembris eadem hora 19 habita fuit congregatio generalis super examinatione eorundem articulorum de sacramento Eucharistiae. Hodie igitur post lectam per R[mum] et Ill[mum] D. legatum consuetam orationem cepit primum dicere suam sententiam

[a] *M om.* [b] *M add.* non extenditur nisi ad corpus Christi [c] *M add.* neque de vino
[d] *M* sacramentali et spirituali
[e] *M* Et in Emaus tantum in una communicarunt, ut doctores omnes tenent: Et cognoverunt eum in fractione panis. In ecclesia primitiva appellatur communio layca; quae ecclesia aliquando una, aliquando duobus usa est.
[f] *M add.* quia ecclesia erraverit dans sub una populo unam speciem
[g] *M add.* de hac communione sub utraque [h] *Th* septimus
[i] *M* laycos [k] *M* ad sumptionem [l] *M* ex locis allegatis
[m] *Th quae sequuntur om.*

[1] *Cyrillus Alex.*, Commentarius in Ioannis evangelium lib. IV c. 2. *Migne*, P. gr. LXXIII 560—586. Cf. *A. Struckmann*, Die Eucharistielehre des hl. Cyrill von Alexandrien (Paderborn 1910) 55—70 142 ad 145.

[2] *Cyprianus*, Liber de oratione dominica c. 18. *Migne*, P. lat. IV 531 sq. Cf. *K. Adam*, Die Eucharistielehre des hl. Augustin (Paderborn 1908) 28 sq.

[3] *Chrysostomus*, In Ioannis evangelium hom. 46 et 47. *Migne*, P. gr. LIX 257—270. Cf *A. Naegle*, Die Eucharistielehre des hl. Iohannes Chrysostomus (Freiburg i. Br. 1900) 36—47.

[4] Cf. supra p. 138 adn. 1 et 2.

[5] Ad quem Hieronymi locum hic alludat, non inveni.

[6] Cf. supra p. 120 adn. 4.

[7] Cf. supra p. 123 adn. 12.

[8] *Thomas Aquinas*, Summa theol. pars III qu. 80 art. 12.

[9] *I Cor.* 11, 28.

[10] *Cyprianus*, Liber de lapsis c. 16. *Migne*, P. lat. IV 479 sq.

[11] *Hieronymus*, Commentarius in evangelium Matth. 27, 59. *Ibid.* XXVI 215.

[12] *Hieronymus*, Epistola 18 ad Damasum papam c. 12. *Ibid.* XXII 368 sq.

R. D. ep. **Lancianensis**[1]. Praemisit se omnia dicturum cum censura sanctae synodi et absque alicuius iniuria, si qua contra opinionem alicuius dicet. Primum articulum 144r haereticum esse | comprobavit ex locis ⟨sacrae scripturae⟩[a] ab aliis allegatis. Et verba Matth. 26 [26]: *Hoc est corpus meum* non posse nisi proprie intelligi. Unde ipse Christus Ioa. 6 [56] dicebat: *Caro mea vere est cibus.* Qui locus de utraque manducatione[b] intelligendus est[c], quod vellet etiam a sancta synodo declarari ⟨ob diversa scandala, quae ex alia interpretatione oriuntur⟩[a]. Et quod intelligatur de sacramentali, patet ex institutione festivitatis corporis Christi[d], quo in festo ecclesia utitur eo loco pro evangelio[e 2]. Praeterea alias Ioannes non fecisset mentionem huius sacramenti, ⟨prout alii tres evangelistae fecerunt⟩[a], quod dicendum non est, cum sit quoddam substantiale fidei nostrae. Qui sensus tenetur etiam ab omnibus fere doctoribus. Chrysostomus enim hom. 46 super Ioa. id optime declarat[3]. Item concilium Ephesinum epistola ad Nestorium[f 4]. Articulus 3 etiam haereticus est quoad omnes partes. 5s idem, sed damnandus in verbis haereticorum. 6s et 7s etiam haeretici sunt et damnandi. Quo vero ad octavum de communione sub utraque tenet, eam quoad laycos non esse de iure divino. Responditque ad obiectiones haereticorum[g], primo ad id: *Bibite ex eo omnes*[5]; intelligitur quoad apostolos tantum, ⟨quibus verba illa diriguntur⟩[a], quibus tamen non sumptio, sed factio huius sacramenti praecipitur. Et Ioa. 6 [59], ⟨qui generaliter loquitur⟩[a], post multa repilogat [!] ⟨dicta per eum in superioribus et facit mentionem tantum de corpore⟩[a] inquiens: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum,* nulla facta mentione calicis vel sanguinis ⟨aut vini⟩[a]. Et tunc tantum Capharnaitis[a] laycis loquebatur. ⟨Quo vero ad parvulos articulus etiam haereticus est, quia non habent fidem neque probationem; et propter multas alias incapacitates sub nulla specie sumere debent⟩[h]. Quibus parvulis sufficit ad salutem baptismus[i]. Circa vero concessionem, quae petitur facienda Germanis communionis sub utraque, non censet expedire, ut fiat, quia aliae nationes eam etiam peterent et crederent, ecclesiam hactenus errasse, quae unam tantum eis dedit. Quoad notationes theologorum: 2. articulus 144v damnetur, neque est superfluus, cum ponatur a Luthero, ut refert Roffensis[6], | neque continetur in primo. 4. articulus ⟨etiam damnetur dempta quoque dictione *solam*⟩[k], quia, licet ⟨hoc sacramentum aliquando⟩[a] remittat peccata, tamen non est ad id institutum, sed sacramentum poenitentiae. Pars [!] sexta etiam damnetur. 9s idem, ⟨sed non fiat mentio de gratia, licet ipse teneat tantum sumi a laycis sub una quantum a sacerdotibus sub utraque, virtute ipsius sacramenti; sub qualibet enim specie est integer et totus Christus⟩[l]. Decimi prima et tertia pars haeretica est, secunda autem scandalosa et piarum aurium offensiva; ⟨confessio enim ante sumptionem Eucharistiae omnino praecedere debet.⟩[m]

Algarensis[7] probat sententiam theologorum in prioribus articulis, qui omnes haeretici sunt[n], videl. 1s, 3s, 5s, 6s, 7s et 8s. Neque communio sub utraque neque sub una

[a] *M om.* [b] *M* sumptione [c] *M add.* scilicet sacramentali et spirituali
[d] *M add.* facta ab ecclesia [e] *M add.* et omnia alia illius festi tendunt ad idem
[f] *M add.* et multis aliis auctoritatibus id probavit [g] *M* quae in contrarium adducuntur
[h] *M* Parvuli autem sub nulla possunt manducare tanquam incapaces et non possunt probari et propter alias difficultates, ut omnes doctores tenent.
[i] *M add. hic opinionem de articulo nono, quae sequitur postea in C 118, sed ad partem tantum.* Nonus articulus etiam falsus est, quia tantum laycus sub una quantum sacerdos sub utraque virtute sacramenti et de gratia et de fructu suscipit, et in unaquaque specie est integer Christus. Et verba Act. [2, 42]: Erant perseverantes in fractione panis, intelliguntur de sacra communione sub una specie, ut doctores tenent.
[k] *M* est etiam hereticus etiam absque dictione «solam»
[l] *M* quoad utrunque sensum, sed quod dicitur de gratia, non fiat mentio
[m] *M* et damnanda est; et ipse tenet eam esse necessariam, cum quis sumere intendit sacram Eucharistiam et Chrisostomus homil. 28 non intelligit verba Pauli: Probet se, de confessione, sed contrarium tenet ecclesia. Quare damnentur [!] hic 10. articulus in omnibus. [n] *M add.* et alias damnati

[1] Ioannes de Salazar, 1540—1555 episcopus Lancianensis, iam in concilio prius congregato super his articulis votum dederat. Conc. Trid. V 1013 l. 7—16. De quo cf. *van Gulik-Eubel* III 235.
[2] Nempe *Io.* 6, 56—59. [3] Cf. supra p. 151 adn. 3.
[4] Cf. supra p. 117 adn. 1. [5] *Matth.* 26, 27.
[6] Secundi articuli forma, quae theologis sub Iulio III examinanda est tradita, non est Lutheri, sed potius Zwinglii et Oecolampadii. In prima huius articuli forma sub Paulo III examinata, deerant illa verba: *non autem sacramentaliter;* quare theologi hanc primam formam etiam Lutheranam esse asserebant. Cf. ex. gr. votum Ioannis Consilii die 18. Febr. 1547 datum in Conc. Trid. V 941 l. 19—42. Apud Ioannem Fischer, qui anno 1535 obiit, nihil de hac Lutheranorum opinione invenitur, quia assertio articuli Lutheranis attribui non potest ante concordiam cum Zwinglianis factam. Sed articulum anno 1551 propositum Oecolampadii esse, facile vides apud *Ioannem Fischer,* De veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia adversus Iohannem Oecolampadium (Coloniae 1527) lib. III et IV.
[7] Petrus Vaglier, 1541—1566 episcopus Algarensis, interfuit etiam concilio prius congregato; cf. tamen ad hoc supra p. 27 adn. 1. *van Gulik-Eubel* III 116.

quoad laycos est de iure divino et multo minus quoad pueros; esset enim contra ⟨Paulum: *Probet autem*[1] et⟩[a] cap. *Omnis utriusque*[2], quod exquirit annorum discretionem. Quoad notationes: 2^s haereticus est et damnetur. ⟨4^s idem et etiam pars ultima 6^i⟩[b] ac 9^s, suppressa mentione de gratia. 10^i prima et ultima haeretica, ⟨secunda scandalosa⟩[c].

⟨**Misiensis**[3] omnes articulos propositos haereticos et damnandos censet probavitque multis modis realem existentiam Christi in Eucharistia tum ex sacra scriptura, tum ex conciliis et sanctis patribus. Detestatusque est sententiam adversariorum, qui dicunt ibi esse, ut in signo,⟩[d] quia sacramenta antiquae legis erant tantum signa; novae autem legis non sunt signa, sed continent quod significant. Articulus 2 etiam est haereticus et 3^s idem, quia ⟨non est in hoc sacramento panis et vini substantia⟩[e]; alias Christus dixisset mendacium, cum inquit: *Hoc est corpus meum,* ⟨quod impium est⟩[a]. 4^s etiam haereticus est, 5^s idem. ⟨Christus enim vere est in Eucharistia, ergo adoranda, licet etiam esset in ea Christus ut in signo ob rem significatam, ut fit de signo crucis et de nomine Iesu, sed multo magis, cum sit ibi realiter.⟩[f] 6^s et 7^s etiam haeretici sunt. | 8^s de communione 145r sub utraque quoad pueros non est de iure divino ⟨neque etiam sub una⟩[a], quia parvuli non possunt cum fide et probatione suscipere, ut Augustinus[4] et alii doctores dicunt. Quo vero ad laycos omnes etiam hic articulus haereticus est[g]. Et ita semper tenuit ecclesia, quae regitur Spiritu Sancto, *Spiritu veritatis*[5], quae errare non potest. Neque propterea laycus minus sumit sub una neque plus sumeret sub utraque. Neque censet eam sub utraque ullo modo laycis esse concedendam. 9. articulus etiam haereticus est, quia in qualibet specie est integer Christus. 10^s ⟨de sola fide haereticus est et damnetur; de confessione autem non fiat mentio, sed reservetur, cum de paenitentia agetur.⟩[h] Submittens se iudicio sanctae synodi in omnibus etc.

Siracusanus[6] ⟨probat iudicium theologorum; ideo⟩[a] 1^m, 3^m, 5^m, 6^m, 7^m et 8^m censet esse haereticos et damnandos ut iacent. 2. articulus videtur contineri in primo, ubi clarius ponatur, et de secundo nihil dicatur vel damnetur in verbis Oecolampadii. 4^s est haereticus et damnandus est. 6^s damnetur tantum de sacerdote celebrante. ⟨8^s⟩[i] etiam est haereticus. Et cuperet discuti, an expediret eam communionem sub utraque concedi Germanis, qui si hac via reduci possent, ⟨videretur concedenda⟩[a]. 9^i prima pars haeretica est, secunda ⟨non; quae secunda omitti posset⟩[k]. 10^i prima et tertia haeretica est et damnetur; secunda de confessione vellet etiam ut damnaretur, super qua formaretur decretum ad instar concilii Lateranensis in cap. *Omnis utriusque.*

[a] *M om.*
[b] *M* 4^s ut iacet hereticus est, 6. pars etiam hereticus [!] est
[c] *M* 3^a [!] etiam damnetur ut erronea et scandalosa
[d] *M* Misiensis, suffraganeus Maguntinus, Germanus, magnificavit potentiam Dei nobis multis in modis adesse, inter quae [!] in hoc sacramento. Primus articulus hereticus est et damnatus multotiens ab ecclesia, quod etiam clarum est tum ex auctoritate sacrae scripturae, tum
[e] *M* Christus est in sacramento absque substantia panis et vini
[f] *M* etiam quod signum tantum esset et non vere Christus ob rem significatam, ut fit de signo crucis et de nomine Iesu, ob id, quod representat, sed multo magis, cum Christus sit vere et realiter in sacramento hoc, est ibi adorandus.
[g] *M add.* quia non est de iure divino etiam quoad eos haec sub utraque specie sumptio
[h] *M* etiam hereticus est, quia sola fides non est sufficiens praeparatio; quod dicitur de confessione ante hanc sumptionem, non cupit nunc de ea mentionem fieri, sed de ea tractari, quando agetur de penitentia.
[i] *M falso* septimus *et add.* de communione sub utraque quoad laycos
[k] *M* de gratia praetermittatur et non damnetur ut heretica

[1] *1 Cor.* 11, 28.
[2] C. 12 X de poen. et remiss. V 38.
[3] Balthasar Waneman, ord. Praed., 1540 ad 1561 episcopus titularis Missinensis, usque ad annum 1551 episcopus auxiliaris Hildesiensis erat, postea Maguntinus. De quo cf. *S. Merkle* in Conc. Trid. II 242 adn. 3 et 892. *van Gulik-Eubel* III 264. *N. Paulus,* Die deutschen Dominikaner 84 sqq.
[4] Haud merito hic adducitur Augustinus, qui potius multis in locis docet, parvulis perceptionem corporis et sanguinis Domini necessariam esse. Cf. Conc. Trid. V 919 l. 12—31. Parvulos per seipsos nondum fidem praestare posse *Augustinus* dicit in epistola 98 ad Bonifacium: «Ac per hoc cum respondetur parvulus credere, qui fidei nondum habet affectum, respondetur fidem habere propter fidei sacramentum et convertere se ad Deum propter conversionis sacramentum, quia et ipsa responsio ad celebrationem pertinet sacramenti.» *Migne,* P. lat. XXXIII 364.
[5] *Io.* 14, 26; 15, 26.
[6] Hieronymus Beccatellus de Bononia, 1541—1560 episcopus Syracusanus, iam die 9. Martii 1547 super his articulis votum emiserat. Conc. Trid. V 1013 l. 17 sq. De hoc viro cf. *S. Merkle* in Conc. Trid. I 246 adn. 5 et *van Gulik-Eubel* III 326.

Auriensis[1] detestatus est omnes articulos propositos ut haereticos et iam alias ab ecclesia damnatos in multis conciliis[a], et sunt contra ⟨institutionem huius sacramenti⟩[b]: *Hoc est corpus meum,* ⟨quae vere et realiter intelligenda sunt⟩[c], et signa et figurae iam praeterierunt. Neque Paulus tantum detestaretur indignam sumptionem, ut quis sibi iudicium sumeret, si esset tantum signum. Primus igitur articulus, ⟨3^{s}⟩[d], 5^{s}, 6^{s}, 7^{s} et 8^{s} haeretici sunt. Et ⟨quoad communionem sub utraque: non est de iure divino quoad laycos, neque minus
145v quoad pueros, qui nescirent, quid acciperent. Et licet ecclesia | modo una, modo duabus dederit laycis, id iuxta temporum exigentiam facere potuit et nunc posset. Quae communio sub utraque nullo modo concedenda est Germanis, nisi eam petant et in aliis conveniant cum concilio⟩[e]. Quoad notatos: 2^{s} haereticus est et damnetur. 4^{s} idem et damnetur ut iacet[f]. ⟨6^{s}: Fiat mentio de sacerdote, in quo sensu est haereticus⟩[g]. 9^{s} quoad sacramentum est haereticus; de gratia autem nihil dicatur. 10^{s} in omnibus ⟨falsus est⟩[h], ⟨etiam de confessione⟩[c], cum adest peccatum mortale. Considerandum tamen est, ne nova imponantur onera sacerdotibus[c]. Et pro nunc posset haec questio dimitti; et reservare eam, cum agetur de poenitentia.

Pacensis[2] ⟨probat iudicium theologorum et articulos propositos omnes damnandos censet⟩[c]. Et primus est haereticus, quia repugnat sacrae scripturae, conciliis et sanctis patribus. Impugnavitque intelligentiam eorum, qui dicunt esse in hoc sacramento Christum ut in signo. 3. articulus etiam haereticus est et damnatus in concilio Lateranensi[3] et Constantiensi[4]. 5^{s}, 6^{s}, 7^{s}, ⟨8^{s}⟩[i] et 9^{s} a primo dependent et omnes haeretici sunt et damnandi, licet ⟨alias pluries damnati sint ab ecclesia catholica⟩[k]. 8^{s} etiam est haereticus, ⟨quia haec communio sub utraque neque etiam sub una quoad populum et multominus quoad pueros est de iure divino⟩[c]. Quo vero ad concessionem, quae petitur facienda Germanis de hac communione sub utraque: si ipsi alia omnia reciperent, posset concedi pro pace et unione ecclesiae, quae id efficere posset, prout alias fecit. Circa notationes theologorum: 2^{s} haereticus est et damnetur. Idem de 4°, quia non est ad id principaliter hoc sacramentum institutum. Sexta pars [!] damnetur quoad sacerdotes tantum. 9^{s} etiam haereticus est. 10^{i} prima et tertia pars damnetur ut haeretica, ⟨secunda ut scandalosa⟩[l]. Subiiciens se iudicio sanctae synodi etc.

[m]Hora autem 23 dimittitur congregatio, cui interfuerunt ⟨R^{mi} legatus, Tridentinus, praesidentes, electores, oratores imperatoris et regis Romanorum ac 40 patres⟩[n].

Congregatio generalis.
Examinantur iidem articuli de sacramento Eucharistiae.

146r Die Iovis **24.** eiusdem mensis **Septembris** hora 19 fuit congregatio generalis, in qua infrascripti prosequuti sunt examinationem eorundem articulorum de Eucharistia.

[a] *M add.* et sanctis patribus, quorum nonnullos adduxit [b] *M* verba Christi [c] *M om.*
[d] *M* 3^{s} etiam hereticus est et aliquando vocatur panis, quia remanent species panis, et rationibus, quas alii adduxerunt
[e] *M* quoad parvulos, quia nescirent, quid acciperent, quoad laycos etiam hereticus est et ecclesia modo uno, modo alio modo usa est, quod facere potuit et posset. Ipsa autem sub utraque specie communio Germanis non est facienda, nisi petant et alia fateantur.
[f] *M add.* cum dictione solam
[g] *M* 6. pars de sacerdote est heretica, de aliis non fiat mentio
[h] *M* damnetur [i] *Th falso* secundus
[k] *M* iam omnes damnati sint ab aliis sanctis conciliis
[l] *M* de confessione autem idem, sed non ut hereticus [!] damnandus, sed ut scandalosus
[m] *Th quae sequuntur om.* [n] *M* omnes oratores et praelati

[1] Franciscus Manrique de Lara, 1542—1556 episcopus Auriensis, postea 1556—1560 Salamantinus; paulo post translationem ad ecclesiam Seguntinam eodem anno 1560 factam mortuus est. Cf. Conc. Trid. II 242 adn. 1 et *van Gulik-Eubel* III 138 307 315.

[2] Franciscus de Navarra, 1542—1545 episcopus Civitatensis, 1545—1556 episcopus Pacensis, deinde usque ad mortem a. 1563 archiepiscopus Valentinus, die 9. Martii 1547 votum de Eucharistia dederat. Conc. Trid. V 1013 l. 25—31. Cf. de eo *van Gulik-Eubel* III 184 284 346. Diarium illud Hispanum concilii Tridentini annis 1551 et 1552 habiti in archivo generali Simancensi conservatum auctorem habere Franciscum de Navarra vel saltem unum ex eius familiaribus demonstravit *S. Merkle* in Conc. Trid. II p. CXXII sq.

[3] Cf. supra p. 117 adn. 4.

[4] Concilium Constantiense sessio 8. *Mansi* XXVII 632. Item in bulla *Inter cunctas* 22. Februarii 1418. *Ibid.* 1207.

R. D. ep. **Constantinensis**[a] [1] examinavit primo articulum 8, an communio sub utraque quoad laycos sit de iure divino, partemque negativam defendit, responditque ⟨ad obiectiones haereticorum, et primo⟩[b] ad illud Matth. 26 [27]: *Bibite ex eo omnes,* dictum fuisse solis[b] discipulis et[c] sacerdotibus, ⟨quibus etiam addit: *Hoc facite in meam commemorationem*[2]. Et notandum est, quod⟩[d], quando dedit panem, dixit tantum: *Hoc facite;* cum autem dedit calicem, id subticuit[3]. ⟨Et nunc in ecclesia proprie fit, quod a Christo praeceptum est, cum sacrificatur, quia eo tempore et eo modo fit proprie memoria mortis et passionis Christi. Et cum Paulus dicit: *Quoties bibetis*[4] etc., innuit non semper, sed scilicet[e] cum sacrificatur. Praeterea illa consuetudo non obligaret, cum sit ecclesiae particularis Corinthiorum. Et verba Pauli in vero textu graeco habentur sub alternativa hoc modo: Quotiescunque manducabitis aut bibetis[5] etc., quasi denotaret, quod aliquando panis tantum manducaretur.⟩[f] Ad illud Ioa. 6 [54]: *Nisi biberitis* etc. respondit, sumi in corpore etiam sanguinem, praesertim cum ⟨ibi nunquam fiat mentio de vino neque de calice⟩[g], sed tantum de carne et sanguine, quae duo in corpore Christi continentur[h]. Ad figuras ⟨vero veteris testamenti⟩[i], de petra etc., Paulus respondet: *Petra autem erat Christus*[6]. Et quod dicitur de Melchisedech, ⟨qui panem et vinum obtulit⟩[k], id verum esse; sed sequitur ibi in textu: *Erat enim sacerdos Dei altissimi*[7]. Quae figura vere adimpleta est in sacerdotibus et proprie, ut erat ipse Melchisedech[l]. Quae communio ⟨neque sub una neque sub duabus⟩[m] danda est parvulis, qui illius capaces non sunt. Et verba Ioa. 6 [54] obligant eos implicite, ⟨non explicite⟩[b], ut sumant in aliis vel ecclesia vel parentibus vel patrinis, qui etiam pro eis credunt. | Et omnes quidem tenentur habere memoriam 146v passionis Christi, id est sacrificii illius cruenti in cruce peracti; sacramenti autem memoriam facere tenentur tantum sacerdotes. Et quoad 9. articulum tenet, tantum sumi sub una, quantum sub utraque, quia semper ⟨in qualibet totus⟩[b] Christus sumitur, neque est plus Christi sub utraque quam sub una; ideo et quantum ad sacramentum et quantum ad gratiam sub qualibet specie tantum sumitur. Quod dicitur in ⟨10o⟩[n] de confessione ea semper ante sumptionem Eucharistiae necessaria est, quia semper requiritur probatio, et vera probatio ⟨non potest esse sine confessione, cum datur facultas. Neque tunc sola contritio sufficit, quae cum sit de iure divino, quotiescunque sumitur Eucharistia teste Paulo: *Probet se*[8]*;* haec contritio debet aliquid operari, ita ut, si adest peccatum mortale, de quo quis est contritus, debet [!] et confiteri⟩[o]. Deinde locum Ioa. 6 [54] probavit intelligi de sacramentali manducatione una cum fide. Quoad alios articulos 1s, ⟨3s⟩[p], 5s, 6s et 7s haeretici sunt et damnandi una cum 8o; 2s autem et 4s damnentur ut iacent[q]; ⟨9s⟩[r] et ⟨10s⟩[s] etiam in omnibus damnentur.

[a] *C 119* Constantiensis; *M add.* suffraganeus Barchinonensis
[b] *M om.* [c] *M* ut
[d] *M* dicens: Hoc facite, et alibi: Quod pro vobis datur, scilicet in sacrificio; et [e] *Th* solum
[f] *M* Et quando sacrificatur, mors Domini annunciatur et memoria passionis Christi recolitur. Et Paulus 1 ad Cor. 11 [25] idem sentit, cum ait: Quoties bibetis, id est in sacrificio conficiendo, quia tunc vera memoria fit passionis et non cum sumitur. Item consuetudo est particularis ecclesiae Corinthii. Item Paulus dicit sub alternativa: Quotiescumque manducabitis panem hunc aut calicem biberitis (ita enim habet frasis graeca), quasi diverso tempore et separatim una ab alia fiebat.
[g] *M* non fiat mentio nisi de pane, de vino nunquam
[h] *M add.* sub specie panis tantum
[i] *M* quae adducuntur in contrarium [k] *M* sub utraque
[l] *In M haec parenthesis, quae incipit* Ad figuras *extat infra immediate ante* Et quoad 9. articulum
[m] *M* sub neutra specie [n] *C 119 et Th* nono
[o] *M* est cum confessione neque contritio semper sufficit, cum adest peccatum mortale. Quod est de iure divino. Et in quocumque tempore quis de iure divino tenetur conteri, tenetur confiteri, quia contritus debet operari; si igitur habet peccatum mortale et confessorem, debet habita vera contritione confiteri.
[p] *Th add.* quartus [q] *M add.* 6s etiam hereticus et ut stat damnandus
[r] *M add.* etiam hereticus est quoad sacramentum et quoad gratiam
[s] *C 118 falso* nonus

[1] Ioannes Iubius (Iubinus, Iovius, Iuppis), 1542—1553 episcopus titularis Constantiensis (Constantia in Africa) et suffraganeus episcopi Barchinonensis, scripsit carmen latinum sapphicum «De sacramento Eucharistiae et eius sacrificio adversus haereticos huius nostri temporis», quod Barcinone 1570 in lucem prodiit. *Hurter,* Nomenclator II 1460 adn. 3. *van Gulik-Eubel* III 192.

[2] *Luc.* 22, 19; *1 Cor.* 11, 24 sq.
[3] Apud *Luc.* 22, 19; non sic *1 Cor.* 11, 25.
[4] *1 Cor.* 11, 25.
[5] *1 Cor.* 11, 26. Non invenire potui textum graecum, in quo legeretur hic versus sub alternativa, ut dicit Constantinensis.
[6] *1 Cor.* 10, 4. [7] *Gen.* 14, 18.
[8] *1 Cor.* 11, 28.

Oscensis[1] probat iudicium theologorum quoad priores sex articulos et circa communionem sub utraque tenet eam non esse de iure divino quoad laycos, et damnata in concilio Constantiensi sessione 13[2] et in Basiliensi sessione 30[3]. Miraturque ⟨atque admodum dolet⟩[a], quod aliqui ⟨ex patribus⟩[b] contrarium senserint, cum ecclesia semper ⟨eam damnaverit⟩[c]. Quoad notationes: 2. articulus haereticus est et, si habet auctorem, damnetur; et id etiam, quod hic dicit Oecolampadius. 4s damnetur, ut iacet, si ab aliquo asseritur[d]. 6s damnetur quoad sacerdotes tantum[e]. 9i prima pars haeretica est, secunda[f] falsa; ⟨sed utraque damnetur⟩[a]. 10i prima et tertia haereticae sunt[g], secunda scandalosa[h]. ⟨Insuper cuperet damnari a sacra synodo, locum Ioa. 6 [54] intelligi de spirituali manducatione et non de sacramentali.⟩[i] | 147r

Solonensis[k 4], suffraganeus Herbipolensis, praemissa solita submissione etc., primum articulum haereticum esse ostendit, quia verba Christi: *Hoc est corpus meum* proprie intelligenda sunt et ⟨non in figura⟩[l], cum Paulus dicat: *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est?*[5] ⟨Quod etiam sancti patres et ecclesia catholica semper tenuit⟩[m]. Probavitque Christum id voluisse et potuisse facere. Sed quod dicitur in hoc primo articulo de divinitate, videtur superfluum, quia si est ibi Christus, est etiam divinitas. 3. articulus etiam haereticus est, quia ⟨concessa prima particula huius articuli⟩[n 6] caeterae necessario falsae subsequuntur; alias esset dicendum, Christum esse in Eucharistia vel localiter vel impanatum. Et si localiter, non esset igitur semper ad dexteram Patris. Si impanatus, non haberet Christus semper idem corpus et, quod cruci affixum fuit, non fuisset idem cum eo, quod ⟨ipse manducandum discipulis⟩[o] dedit contra eius verba, ⟨cum dicit: *Hoc est corpus meum*⟩[a], *quod pro vobis tradetur*, et *sanguis*[a], *qui pro vobis effundetur*. 5. articulus etiam haereticus, quia Christus ubique est adorandus et venerandus, ⟨dato etiam, quod in Eucharistia esset tantum ut[p] in signo, ut fit de cruce et de aliis repraesentantibus Christum, sed eo magis, quia realiter ibi est⟩[q]. ⟨6s⟩[r] etiam est haereticus. 7s idem et contra Paulum: *Panis, quem frangimus* etc. 8s de communione sub utraque quoad laycos; non censet expedire, ut de ea nunc mentio fiat propter Lutheranos, qui amplius ad concilium non venirent, si se iam damnatos et destitutos omni spe concordiae intelligerent. Consultius igitur esset supersederi in hac sessione. De communione autem parvulorum non videtur facienda mentio, cum iam damnata sit[7] et nunc a nemine haereticorum asseratur. Quo vero ad communionem sub utraque quoad laycos ipse tenet, quod non repugnet sacris litteris, neque esse contrariam iuri divino. Paulus enim ad omnes loquebatur, ⟨cum dixit: *Quotiescunque biberitis*⟩[a]. Et Christus idem: *Bibite omnes*[8] praeceptive; quod praeceptum ab omnibus est servandum. Et apud Ioa.

[a] *M om.* [b] *M* catholici patres
[c] *M* idem tenuerit et diverso tempore posset diverse statuere
[d] *M add.* alias praetermittatur
[e] *M add.* quoad laycos catholicus [f] *M add.* de gratia etiam
[g] *M* et damnetur [h] *M* falsa et erronea, ideo damnetur
[i] *M* Et exponatur locum Ioa. 6 loqui de Eucharistia et non de spirituali tantum manducatione, quod a synodo vellet omnino declarari in decreto.
[k] *Th* Salonensis [l] *M* improbavit opinionem eorum, qui dicunt esse in signo
[m] *M* Quod semper tenuit ecclesia, concilium Lateranense, Ferrarense, Florentinum et alia declararunt et sancti patres senserunt.
[n] *C 118, C 119 et Th* data falsitate primae particulae
[o] *M* in Eucharistia Christus [p] *Th om.*
[q] *M* et festis honorandus [r] *Th falso* quintus

[1] Petrus Augustinus (de Augustinis), ord. S. Antonii, 1543—1545 episcopus Elnensis, 1545—1572 episcopus Oscensis et Iaccensis. Mortuus est die 26. Febr. 1572. Anno 1546 primum adiit concilium Tridentinum, itemque annis 1551/52 et 1562/63 concilio interfuit. Contra breviarium Francisci Quignoni concilio mense Novembri 1562 scriptum quoddam tradidit petens, ut indultum Pauli III recitationem huius breviarii permittens revocetur et antiquum breviarium Romanum in Hispania restituatur. Cf. *I. Šusta*, Die römische Kurie und das Konzil von Trient III (Wien 1911) 72 sq. *van Gulik-Eubel* III 208 281. Oscensis votum de articulis Eucharistiae in scriptis datum invenis in Appendice II n. 20.

[2] Cf. supra p. 119 adn. 3.

[3] Cf. supra p. 123 adn. 6.

[4] Georgius Flach, ord. S. Bened., 1544—1564 episcopus titularis Salonensis et auxiliaris Herbipolensis. Cf. de eo *I. Reininger*, Die Weihbischöfe von Würzburg (Würzburg 1865) 159—170. Votum eius de Eucharistia in scriptis datum exhibemus in Appendice II n. 21.

[5] *1 Cor.* 10, 16.

[6] Praeferendum esse hoc loco textum codicis M facile apparet ex voto scripto.

[7] Cogitat de decreto *Omnis utriusque sexus* concilii Lateranensis IV (C. 12 X de poen. et remiss. V 38), quo praecipitur communio fidelibus, postquam ad annos discretionis pervenerint.

[8] *Matth.* 26, 27.

6 [54]: *Nisi biberitis,* ⟨praecipitur sub damnatione aeterna⟩[a]. Quoad notationes theologorum: 2^{s} ⟨damnandus, quia haereticus⟩[b]; 4^{s} et 9^{s} idem; 10^{s} idem; sola enim fides non est sufficiens praeparatio, nisi sit viva et formata[c]. ⟨Et confessio omnino praemittenda semper est.⟩[d] 147v

Calaguritanus[1] probat dicta per R. D. Granatensem[2] in omnibus.

Elnensis[3]. Circa articulos propositos idem sentit cum sancta matre ecclesia, cum alias damnati sint. Primus enim est[e] contra Christi institutionem, ⟨3^{s}⟩[f] contra concilium Lateranense[4]; 5^{s} idem[f], cum sit vere Christus in sacramento; ergo adorandus. 6^{s} idem et contra canones, qui Eucharistiam reservari et ad infirmos deferri statuunt[5]. 7^{s} etiam haereticus est. 8^{s} idem, quia tantum ⟨discipulis ut⟩[g] sacerdotibus praeceptum est, ut conficiant et sumant sub utraque. Quoad parvulos idem et iam damnatus. Quoad notationes: 2^{s} falsus est et Ioa. 6 [54] loquitur de utraque manducatione. 4^{s} etiam haereticus est. 6[i] pars ultima de sacerdotibus est falsa, de laycis non. 9^{s} etiam ⟨falsus est⟩[h] quoad sacramentum et quoad gratiam, de qua tamen nihil dicatur. 10^{s} ⟨in omnibus partibus falsus est et confessio necessaria est habita copia confessoris et conscio de peccato mortali⟩[i].

⟨Et cum iam pulsata esset hora 23 dimittitur congregatio et vocatur ad diem crastinam etc.⟩[k]

Adventus episcoporum Camerinensis et Bituntini.

Eadem die [24. Septembris] applicuerunt Tridentum RR. DD. Bernardus Bonioannes, Romanus, episcopus Camerinensis, et Cornelius de Mussis, Placentinus, episcopus Bituntinus.

Adventus abbatis S. Bertini Morinensis et doctorum universitatis Lovaniensis.

Eadem die applicuerunt Tridentum RR. DD. Gerardus de Hamericourt, abbas S. Bertini, Morinensis diocesis; Vulmarus[l] Bernaert, Morinensis diocesis, U. I. doctor; Ruardus Tapper, decanus et cancellarius universitatis Lovaniensis; Ioannes Leonardus Hassellensis; Franciscus Sonnius; Iodocus Ravesteyn, Tiletanus; Ioannes Valteri, ord. Praed.; Ioannes Mausius, ord. Min. obs.; Alexander Candidus, ord. Carmel., sacrae theologiae doctores, missi a Ser^{ma} Maria, regina Hungariae, et universitate Lovaniensi.

Congregatio generalis super examinatione eorundem articulorum de sacramento Eucharistiae.

Die Veneris 25. supradicti mensis **Septembris** hora 19 habita est congregatio generalis, in qua patres prosequuti sunt eandem examinationem articulorum de sacramento Eucharistiae, dixitque hodie primus sententiam suam 148r

[a] *M* addit comminationem interitus aeterni. Et respective ad ea, quae contra hanc opinionem adducuntur, idem tenet Ierson.

[b] *M* est falsus neque superfluus, sed damnandus, et sacramentalis et spiritualis manducatio simul est perfecta, sed quaelibet de pro se non est infructuosa [c] *M add.* ad praeparationem

[d] *M* Quod dicitur de confessione ante sumptionem Eucharistiae, tenet confessionem esse de iure divino et praemitti semper, si fieri potest, alias in voto.

[e] *M* haereticus est et [f] *M add.* etiam haereticus [g] *M om.* [h] *M* damnetur

[i] *M* de fide informi est falsa; quod dicitur de confessione, etiam falsum habita copia sacerdotis, et ubi sit peccatum mortale. 3. pars etiam falsa est et damnanda.

[k] *M* Absolvitur autem congregatio hora 23, cui interfuerunt omnes oratores et praelati.

[l] *Codd.* Nulmarus

[1] Ioannes Berval Diaz de Lugo, clericus Hispalensis et a. 1545—1556 episcopus Calaguritanus et Calciatensis, iam 27. Maii 1546 Tridentum venerat et postea a. 1547 Bononiam ire recusabat. Conc. Trid. I 551 adn. 2 et supra p. 27 adn. 1. *van Gulik-Eubel* III 160.

[2] Cf. supra p. 147 l. 8—26.

[3] Michael de Puig (Pugius, Podio) fuit canonicus Barchinonensis et postea 1545—1552 episcopus Elnensis, 1552—1556 episcopus Urgellensis, 1556 ad 1559 episcopus Ilerdensis. *van Gulik-Eubel* III 208 229 344. Votum eius in scriptis datum vide in Appendice II n. 22.

[4] Concilium Lateranense IV, quod in cap. *Firmiter* non solum doctrinam de transsubstantiatione statuit, sed etiam termino *transsubstantiare* utitur. C. 1 *Firmiter* X de summa Trinit. I 1.

[5] Qui canones enumerantur in voto scripto.

R. D. ep. **Monopolitanus**[1]. Primum articulum haereticum comprobavit ⟨tum ex locis communibus sacrae scripturae, conciliorum et patrum, tum ex rationibus⟩[a] adducens, quia Christus id facere potuit et scivit et voluit. Quoad primum: *Non est enim impossibile apud Deum omne verbum*[2]. Et si natura secunda potest rem in aliam substantiam mutare, multo magis prima[b], id est Deus, qui omnia ex nihilo[c] creavit[3]. Quod sciverat: nihil enim ignorat; cuncta in sapientia disponit[4]; ⟨sapientia Tua abissus multa.⟩[a 5] Quod voluit: Passus est, quia voluit[6]. ⟨*Exinanivit semetipsum formam servi accipiens*[7]. *Desiderio desideravi hoc pascha manducare*[8].⟩[a] Praeterea id etiam decebat, quia eius bonitas magis dignoscitur et ⟨communicatur et⟩[a] fideles sui aluntur. Erat utile, ut semper nobiscum esset, et expediens, ut quotidie eius passionis memoriam haberemus. Tenendum igitur est, vere et realiter Christum esse in sacramento Eucharistiae. 3. articulus etiam falsus[d] est ex falsitate primi[e]. 5[s] etiam haereticus est et infidelis, quia negat adorari Deum. Quoad alias particulas etiam falsus[f] est; Christus enim non dedignatus est ingredi domos infirmorum et eos utroque morbo sanare. 6[s] et 7[s] etiam haeretici sunt ⟨et contra verba Christi: *Hoc est corpus meum,* et: *Hic est sanguis meus*. Deinde dixit: Accipite et bibite; ergo ante actum bibendi erat vere sanguis.⟩[g] 8. articulus ⟨de communione sub utraque quoad laycos⟩[a] haereticus est, ⟨quia est contra praeceptum ecclesiae⟩[a]. Si tamen verba Christi, Pauli, mos primitivae ecclesiae attendantur, non potest defendi, quod non sit de iure divino communicare omnes sub utraque. Idem Ilarius, Origenes, Augustinus tenent[9]. Idem sentit concilium Constantiense[10]. ⟨Respondit ad ea, quae in contrarium adducuntur. Primo⟩[a], quod verba Christi sint tantum dicta discipulis, esse falsum, quia sunt verba generalia, et ⟨B. Vincentius probat ibi interfuisse B. Virginem⟩[h 11]. Illa enim erat coena
148v omnium, qui ⟨in familia erant, cum | agnus paschalis manducabatur, et credibile, quod aliqui ultra discipulos ibidem interfuissent⟩[i]. Item Christus desiderio magno desideravit pascha illud manducare[12]. Et *cum dilexisset suos, usque in finem dilexit eos*[13]. Et non credendum, quod tantum discipulos dilexerit ⟨exclusa etiam B. Virgine⟩[k]. Praeterea si ad discipulos solos Christus verba direxit, ergo non nobis neque aliis sacerdotibus, sed illis solis[l]. ⟨Si etiam nobis, ergo omnibus, quia discipulis ut cunctis Christianis loquebatur.⟩[a] Quod adducitur de cena in Emaus[14] et de Act. apostolorum[15], respondit, eam cenam intelligi non posse[m] fuisse absque potu. ⟨Et cum dicatur Christum accepisse panem, fregisse, dedisse etc., credendum necessario est, et alia fecisse, quae in novissima cena fecerat.⟩[a] Item Paulus clare ad omnes loquitur[n]: Manducaveritis et biberitis[16]. ⟨Neque admittendum, loquutum fuisse alternative[17], sed copulative, prout vulgata habet editio, quae recepta iam est ab ecclesia.⟩[a] Verum quia ecclesia aliter faciendum determinavit, id servandum est, prout multa alia ipsa ecclesia immutavit circa ius divinum, ut ⟨de forma baptismi⟩[a 18], de delatione baculi et perae[19], de circumcisione, de sanguine et suffocato[20] et similibus, quod ecclesia immutare potuit. Est igitur iste articulus 8 haereticus, non quia sit contra ius divinum, sed quia est contra ecclesiam. Quo ad id, quod petitur

[a] *M om.* [b] *M add.* natura naturans [c] *M add.* aliquid, et ex aliquo aliud
[d] *M* haereticus [e] *M add.* neque alio modo Christus posset esse in Eucharistia
[f] *Th* falsitas [g] *M* quia post consecrationem semper est ibi Christus.
[h] *M* et interfuit etiam B. Virgo [i] *M* erant in domo
[k] *M* etiam B. Virginem et credendum, quod aliqui alii intervenerint ultra apostolos; B. Vincentius dicit interfuisse B. Virginem
[l] *M add.* quod absurdum est [m] *C 118* potest [n] *M add.* copulative

[1] Octavianus Praeconius, ord. Min. Conv., a Caesare praesentatus pro episcopatu Monopolitano, die 16. Aprilis 1546 in consistorio nominatus est; die 13. Iunii 1561 translatus est ad ecclesiam Arianensem et die 18. Martii 1562 archiepiscopatum Panormitanum obtinuit. Obiit die 18. Augusti 1568. *van Gulik-Eubel* III 131 265 286. *S. Merkle* in Conc. Trid. II 796 adn. 10. Cf. etiam eius vota de usu Eucharistiae et pro concessione calicis in concilio anno 1562 data in Conc. Trid. VIII 637 sq. 808—812.

[2] *Luc.* 1, 37. [3] Cf. *2 Macc.* 7, 28.

[4] Cf. *Sap.* 15, 1. [5] Cf. *Ps.* 35, 7.

[6] Cf. *Is.* 53, 7. [7] *Phil.* 2, 7.

[8] *Luc.* 22, 15.

[9] Quia antiquae ecclesiae mos erat generalis communicandi sub utraque specie, multa patrum testimonia pro hac consuetudine adduci possent.

[10] Decretum *Cum in nonnullis* sessionis 13 (15. Iunii 1415) huius antiquae ecclesiae consuetudinis mentionem facit. *Mansi* XXVII 727 sq.

[11] Opera *Vincentii Bellovacensis,* qui scripsit De laudibus virginis gloriosae (Basileae 1481), inspicere mihi non licuit.

[12] Cf. *Luc.* 22, 15.

[13] *Io.* 13, 1. [14] Cf. *Luc.* 24, 30.

[15] *Act.* 2, 42. [16] *1 Cor.* 11, 26.

[17] Ut praecedenti die asseruerat episcopus Constantiensis, supra p. 155 l. 10 sqq.

[18] Cf. supra p. 121 l. 13 sq. et adn. 7.

[19] Cf. *Matth.* 10, 9 sq. et parall.

[20] Cf. *Act.* 15, 28 sq.

concedi Germanis de hac communione, id non censet expedire eo praesertim, cum ipsi id non petant. Quoad notationes theologorum: 2. articulus haereticus est neque superfluus, ⟨cum id asseratur ab haereticis⟩[a]. 4^s cum dictione *solam* falsus est, cum alios conferat fructus, quos Ricardus[1] et D. Thomas[2] enarrant; alias esset advertendum, quia, quoties Christi sanguis effunditur, remissio fit peccatorum. 6^i pars ultima etiam falsus [!] et ⟨contra verba Christi: Accipite et bibite, et⟩[a] contra concilium Nicenum[3]. 9^s in omnibus falsus[b] est, ⟨etiam quoad gratiam⟩[a], quia in qualibet specie idem corpus semper est vivum, integrum cum carne et sanguine, ⟨anima et divinitate⟩[c]. 10^i prima pars ⟨haeretica est⟩[d], 2^a etiam falsa, quia confessio est necessaria, si adest peccatum mortale, facta prius probatione per se[e], ut Theophilactus exponit verba Pauli[4]. | Et non potest fieri vera 149r probatio nisi cum confessione re vel voto non habito confessore. Quod Bonaventura sentit[5] et Chrisostomus hom. 60 multa circa hanc praeparationem declarat[6]. Et D. Ioannes Baptista, antequam Christum tangeret, dixit: Sanctifica me prius[7], is nempe, qui iam in utero sanctificatus erat[8]. ⟨Multo igitur magis id petere debet peccator.⟩[f]

Legionensis[9] declaravit primo, quid sit haeresis, et deinde articulos omnes propositos haereticos asseruit, cum sint contra sacram scripturam, concilia, traditiones et ecclesiam catholicam. ⟨Christus igitur est vere et realiter in Eucharistia.⟩[a] Sed ostendit quibusdam rationibus, discipulos, dum communicati sunt a Christo in cena, id[a] non cognovisse[g], sed credidisse ⟨Christum dare tantum signum sui corporis⟩[h]. Idem credit B. Augustinus super Ioa. 6 [69 sq.] de Petro, etiamsi dixerit: *Verba vitae habes*[10]; non cognovit tamen tunc mysterium illorum verborum, sed pie credit verbis Christi. Et quia alias discipuli in illa cena stupefacti fuissent, ⟨cum viderent [se] Christi corpus manducare⟩[a]. Gratias item Christo egissent, vel quid aliud fecissent; sed nihil dixerunt neque fecerunt, ⟨tanquam si purum panem manducassent⟩[a]. Et tamen centurio, qui gentilis erat, ⟨cum intelligeret, Christum velle ire in domum suam⟩[a], ait: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum*[11]. Et hoc de ingressu solo in eius domum. Quid autem dixisset, si Christum se manducaturum audivisset? Praeterea Petrus, cum Christus vellet ei lavare pedes, horruit ⟨neque id volebat, tanquam se indignum cognosceret, ut Christus eum tangeret⟩[a 12]. Cum autem Christi corpus accepit manducandum et manducavit, nihil dixit; quod tamen multo magis dicere decebat. Sed ⟨quia non cognovit, se vere Christi corpus accipere, nihil hesitavit⟩[i]. ⟨Sed respond[er]i posse ostendit ex Ioa. ultimo, Christum et discipulos multa fecisse et dixisse, quae ab evangelistis non referuntur.⟩[k 13] Quid tamen

[a] *M om.* [b] *M* haereticus
[c] *M om. et eius loco ponit* etiam quoad gratiam; articulus igitur in omnibus condamnetur
[d] *M* de sola fide falsa est
[e] *M add.* quomodo se habeat
[f] *M* Et concilium Lateranense statuit in Paschate confitendum, antequam quis communicaret. Damnetur igitur hic articulus. Subiiciens se iudicio synodi in omnibus.
[g] *M add.* Christum dedisse verum suum corpus [h] *M* ut in signo
[i] *M* non dixit, quia non intelligebat, quod accipiebat
[k] *M* Sed responderi potest eos discipulos aliqua fecisse, quae non sunt scripta ab evangelista, ut ait Ioa. ultimo, quod verisimile est. Et patet, quod postea declararunt, se illud cognoscere.

[1] *Ricardus a Mediavilla* in 4. sent. d. 9 a. 1 qu. 2 effectus Eucharistiae hoc modo enumerat: «Inflammat, memorat, sustentat, roborat, auget/Hostia spem, purgat, reficit, vitam dat et unit/Confirmatque fidem, munit, fomitemque remittit.» Ricardus hos versus transsumpsit e *Petri a Tarantasia* commentario in 4. sent. d. 9 qu. 1 a. 3, quem doctrinam de effectibus Eucharistiae exponens omnino secutus est. Cf. *J. Lechner,* Die Sakramentenlehre des Richard von Mediavilla (München 1925) 227—230.

[2] Summa theol. pars III qu. 79 a. 1—6.

[3] Cf. supra p. 132 adn. 6.

[4] *Theophylactus,* Epistolae 1 ad Cor. expositio c. 11, 28: «Non alium tibi iudicem praeficio, verum teipsum tibiipsi. Iudica igitur et explora conscientiam tuam et sic accede.» *Migne,* P. gr. CXXIV 707.

[5] *Bonaventura,* Comment. in 4. sent. d. 9 a. 2 qu. 3 (*ed. Quaracchi* IV 211); d. 13 dub. 1 (*ibid.* 311 sq.); d. 16 pars 1 dub. 12 (*ibid.* 401).

[6] Nunc hom. 82 (al. 83) in Matth. *Migne,* P. gr. LVIII 743—746.

[7] Cf. *Matth.* 3, 14. [8] Cf. *Luc.* 1, 15.

[9] Ioannes Ferdinandus de Temino, presbyter Toletanus, praesentatus a Caesare, die 19. Iulii 1546 nominatus est episcopus Legionensis. Obiit anno 1557. Cf. de eo Conc. Trid. II 230 adn. 1 et *van Gulik-Eubel* III 238.

[10] *Augustinus,* Tractatus 27 in Ioannis evangelium c. 9: «*Verba vitae aeternae habes.* Vitam enim aeternam habes in ministratione corporis et sanguinis tui. *Et nos credidimus et cognovimus.* Non cognovimus et credidimus, sed credidimus et cognovimus. Credidimus enim ut cognosceremus; nam si prius cognoscere et deinde credere vellemus, nec cognoscere nec credere valeremus. Quid credidimus et quid cognovimus? *Quia tu es Christus Filius Dei;* id est, quia ipse vita aeterna tu es et non das in carne et sanguine tuo nisi quod es.» Ex ultimis Augustini verbis facile videri potest Legionensem haud merito hunc locum pro opinione sua adduxisse.

[11] *Matth.* 8, 8. [12] *Io.* 13, 6.

[13] *Io.* 21, 25.

fuerit, veritas est, ⟨eos vere Christi corpus manducasse.⟩[a] Articulus 2 etiam haereticus est et damnandus est[b], non omittendus. ⟨3^s et 4^s idem, si suos habet [!][c] auctores.⟩[d] In 149v 5° advertendum est, quod dicitur | de processione ⟨et circumgestatione⟩[e] corporis Christi; negativam non esse haereticam, quia non est contra sacram scripturam neque contra ecclesiam, nisi a tempore Urbani IV, a quo tamen circumgestatio non praecipitur, sed festivitas[1]. Damnetur igitur haec pars ut scandalosa et impia. 6^s et 7^s etiam haeretici sunt. 8^s de communione sub utraque quoad laycos idem, licet ex duobus locis ab aliis allegatis, ut de cena in Emaus[2] et Act. apostolorum[3], non possit probari communio sub una tantum, quia in Emaus Christus discipulos non communicavit, primo quia illi non erant ex duodecim, sed alii, qui non interfuerunt cenae ante passionem. Quomodo igitur cognoverunt eum in fractione panis, si, quae Christus fecisset in institutione huius sacramenti, ignorabant? Praeterea legitur, Christum fregisse panem, benedixisse et porrexisse illis; de aliis autem verbis consecrationis, quae in institutione dixerat, nulla mentio fit. Item Christus in novissima illa cena confecit in azimo; in Emaus autem cena illa erat panis fermentati, contra id, quod tenet ecclesia, Christum non fecisse nisi in azimo. 9^i articuli prima pars etiam haeretica est; secunda de gratia omittatur. 10^i prima et tertia haereticae sunt; secunda autem damnetur, sed ut scandalosa.

Ovetensis[4] primum articulum haereticum censet, 2^m etiam, quia Christus utroque modo sumitur. 3^m etiam; alias enim dicendum erat: Hic panis est corpus meum; et: Hoc vinum etc. ⟨4^s⟩[f] etiam damnetur, quia est contra Christi verba: *Hoc facite in meam commemorationem*[5]. 5^s, 6^s et 7^s etiam haeretici sunt. Et circa hos probat sententiam R. D. Granatensis[6]. ⟨8^s⟩[g]: Licet communio sub utraque quoad laicos non sit contra ius divinum, ecclesia tamen bene facit eam prohibendo, ⟨quod semper fecit. Unde⟩[e] in primitiva ecclesia appellabatur communio layca[7]. ⟨Neque laycis fit iniuria, quia sub una tantum sumitur quantum sub utraque et quoad sacramentum et quoad gratiam⟩[e]; neque parvuli communicandi sunt. ⟨10^i prima et ultima pars haereticae sunt, secunda scandalosa et falsa. Neque ullo modo secunda haec pars omittatur.⟩[h]

Tudensis[8] primum articulum haereticum confirmavit, et esse contra ⟨sacram scripturam⟩[i] et ecclesiam, quae errare non potest; ⟨alias enim errasset et Spiritus Sanctus 150r cum ea non fuisset⟩[e]; pro cuius tamen fide Christus oravit, | ne deficeret[9]; ⟨et ecclesia semper id tenuerit, Christum scil. esse vere in Eucharistia⟩[k], patet, quia contrariae assertionis non habetur mentio nisi sub Berengario et hoc tempore ⟨sub Zvinglio⟩[e]. Alias etiam Spiritus Sanctus non docuisset veritatem nisi Berengario et Zvinglio[l] et ecclesiam ⟨in mendacio⟩[e] reliquisset ⟨per tot saecula⟩[e] et illis tantum duobus adhesisset. Praeterea vel ecclesia catholica est sponsa Christi vel ecclesia haereticorum; si nostra catholica, habemus intentum; si haereticorum, ergo ecclesia non fuit semper post Christum, quia

[a] *M* quod Christus dedit tunc verum Christi corpus et verum Christi corpus est in hoc sacramento. *Postea add.* 3^s, 5^s, 6^s, 7^s et 8^s haeretici sunt.
[b] *M add.* ut iacet [c] *C 119 et Th* non habent
[d] *M* 4^s potest omitti, si a nemine asseritur. [e] *M om.* [f] *M add.* articulus haereticus est
[g] *M add.* haereticus etiam est. 9^s idem quoad utramque partem neque de gratia plus sub utraque quam sub una accipitur, neque laycis fit iniuria, quasi minus accipiant, si sub una specie datur sacramentum
[h] *M* 10. articulus de sola fide et ultima heretica est. 3^a [!] de confessione damnetur ut scandalosa et falsa.
[i] *M* verba Christi
[k] *M* alias defecisset et Spiritus Sanctus non vera ei docuisset, quod impium est et blasphemum. Et quod ecclesia contrarium senserit
[l] *M* Oecolampadio

[1] Celebrationem festi corporis Christi praecepit pro universa ecclesia Urbanus IV in bulla *Transiturus* die 8. Sept. 1264 data; quae bulla a Clemente V a. 1311 (sed non in concilio Viennensi, ut demonstrat *E. Müller,* Das Konzil von Vienne [Münster i. W. 1934] 644—648) confirmata est in constitutione *Si Dominum.* Cf. c. un. *Si Dominum* in Clem. de reliquiis et vener. sanct. III 16. Processio tamen nec ab Urbano IV nec a Clemente V praecipitur, sed sub fine saeculi XIII et saeculo sequenti consuetudine introducta est. Cf. *L. Eisenhofer,* Handbuch der kathol. Liturgik I (Freiburg i. Br. 1932) 562 sq.
[2] *Luc.* 24, 30 sq. [3] *Act.* 2, 42.
[4] Christophorus de Roxas (Rojas), praesentatus a Caesare, die 8. Oct. 1546 nominatus est episcopus Ovetensis. Anno 1556 translatus est ad ecclesiam Pacensem, anno 1562 ad Cordubensem, denique anno 1571 ad Hispalensem. Obiit die 22. Sept. 1580. Cf. de eo *S. Merkle* in Conc. Trid. II 230 adn. 2 et *van Gulik-Eubel* III 194 228 283 sq.
[5] *Luc.* 22, 19; *1 Cor.* 11, 24.
[6] Supra p. 147 l. 16 sqq. [7] Cf. supra p. 120 adn. 4.
[8] Ioannes Sanmillan, presbyter Calaguritanus, 1547—1564 fuit episcopus Tudensis, 1564—1578 episcopus Legionensis. De quo cf. *S. Merkle* in Conc. Trid. II 231 adn. 3 et *van Gulik-Eubel* III 238 341.
[9] Cf. *Luc.* 22, 32.

Berengarius fuit per multos annos [!] post Christum. Et post Berengarium desiisset ecclesia esse et iterum cepisset sub Oecolampadio ⟨et Zvinglio⟩[a]. Quod impium est et blasphemum, quia ecclesia nunquam defecit ⟨neque deficere potest usque ad consummationem saeculi[1]. Ecclesia igitur, quae semper fuit, tenuit et tenet realiter Christum esse in hoc sacramento, non erravit neque errare potuit. Improbavitque, quod dicitur de signo, quia, si vere est corpus Christi, ergo non signum⟩[b]; neque signum solum fuisset dignum aut conveniens, ut tam insignem memoriam passionis Christi repraesentaret. Quod dicitur de divinitate, etiam ⟨falsum est⟩[c], quia Christus amplius non moritur[2], ⟨neque quod semel assumpsit, dimittit. Quorum contrarium sequeretur⟩[d]. 2. articulus ⟨damnetur omnino et est haereticus. Alias enim, si spiritualiter tantum manducaretur, non Christus, sed Spiritus Sanctus manducaretur⟩[e], quia dona, quae dantur per fidem, sunt Spiritus Sancti, ⟨ut in aliis sacramentis⟩[a]. Veritas igitur est, quod utroque modo et sacramentaliter et spiritualiter sumitur. 3. articulus haereticus est ex primo. 4^{s} idem, licet multi Catholici teneant, non conferri primam gratiam neque remitti peccatum mortale per hoc sacramentum, qui finis est sacramenti poenitentiae. 5^{s}, 6^{s}, 7^{s} haeretici sunt in omnibus partibus. 8^{s} ⟨etiam haereticus est in omnibus partibus.⟩[f] 9^{i} prima haeretica est, ⟨secunda omittatur⟩[g], ipse tamen tenet, non plus gratiae sumi sub utraque quam sub una, quia semper est idem sacramentum et idem contentum. ⟨10^{i} prima et tertia haeretica, secunda ut scandalosa damnetur, quam haereticam non esse comprobavit. Possent tamen moneri et precipi sub gravissimis poenis, ut sacerdotes confiterentur, antequam celebrarent etc.⟩[h]

⟨Deinde cum iam inclinata esset dies, dimittitur congregatio etc.⟩[i]

Congregatio generalis.
Examinantur iidem articuli de sacramento Eucharistiae.

Die sabbati **26.** dicti mensis **Septembris** hora 19 habita est congregatio generalis 150v super eadem examinatione articulorum de sacramento Eucharistiae cepitque hodie sententiam suam infrascriptus, videlicet

R. D. ep. **Lacorensis**[3], suffraganeus Barchinonensis. Primum articulum haereticum asseruit, idem de 2° et 3°. 4^{s} etiam, et damnetur, ut iacet, ⟨quia non est superfluus⟩[a]. Item 5^{s}, 6^{s} et 7^{s} haeretici sunt et damnentur. Quoad 8^{m} tenet, in primitiva ecclesia ⟨hunc morem viguisse communicandi populum sub utraque⟩[k] exceptis pueris. Idem etiam apostoli tradiderunt, ⟨ut ex Paulo aperte habetur⟩[a]. ⟨Tamen ecclesia postea aliter determinavit et bene et maxima ratione, quod facere potuit. Multa enim alia, quam quae instituit, dixit se per Spiritum Sanctum ecclesiam edocturum[4]. Etsi autem Paulus tantae auctoritatis fuit, ut ecclesiae Corinthiorum eam consuetudinem dederit[5], multo magis

[a] *M om.*
[b] *M* et ecclesia non errat, ergo, quae tenuit in Eucharistia esse vere Christum, bene tenuit
[c] *M* haereticum est et damnetur
[d] *M* ergo vivus, ergo etiam cum divinitate et anima etc. et alias quod semel assumpsit, dimisisset
[e] *M* etiam hereticus est, sed comprehenditur in primo articulo et, ut stat, etiam damnandus est. Alias enim falsum esset dicere, quod exhibetur Christus spiritualiter tantum, quod tunc non Christus, sed Spiritus Sanctus exhiberetur
[f] *M* de parvulis est hereticus; quoad laycos etiam hereticus est, quia contra ecclesiam et damnandus. Concessio autem huius communionis non est facienda Germanis, quia fuerunt etiam in concilio Constantiensi
[g] *M* de gratia autem non fiat mentio; utraque enim opinio habet rationes probabiles
[h] *M* 10^{s} etiam hereticus est de fide sola, de confessione autem damnetur ut falsa et perniciosa et erronea et contra reverentiam sacramenti et contra Paulum, contra ecclesiam et patres. Non est autem heretica neque sapiens haeresim, quod multis rationibus comprobavit. Sed concilium posset admonere sacerdotes, ut confiterentur, antequam sacrificarent et imponerentur poenae contrafacientibus.
[i] *M* R. D. episcopus Lacorensis, cum vellet dicere suam sententiam, silentium est impositum, cum inclinata esset iam dies. Dimittitur igitur congregatio. *Th om.*
[k] *M* fuisse hunc morem generalem quoad omnes

[1] Cf. *Matth.* 28, 20.
[2] Cf. *Rom.* 6, 9.
[3] Antonius de Codina, ord. S. Aug., dioecesis Vicensis, magister theologiae, praepositus de Rivo Pyr., die 7. Maii 1548 nominatus est episcopus titularis Lacorensis et suffraganeus Barchinonensis. Cf. Conc. Trid. II 929 et *van Gulik-Eubel* III 234 362.
[4] Cf. *Io.* 14, 26; 16, 12 sq.
[5] *1 Cor.* 11, 23–29.

universalis ecclesia dictum usum, prout noverit expedire, etiam immutare poterit.〉[a] Est igitur iste 8[s] etiam ut haereticus damnandus, postquam ecclesia eum damnat. 9[s] 〈etiam haereticus est〉[b]; sed de gratia nulla mentio fiat. 10[i] prima pars haeretica est; secunda: Laudat confessionem praemitti, quotiescunque sumitur hoc sacramentum; neque addatur aliquid de peccato mortali, 〈quia tunc, quando quis confiteretur, semper ab astantibus diiudicaretur, eum esse in peccato mortali〉[c]. Sed vel damnetur haec assertio ut in concilio Lateranensi [1] vel de ea non fiat mentio, quousque agetur de poenitentia. Tertia pars etiam haeretica est[d] et habet exemplum agni paschalis, qui etiam 〈in veteri lege〉[e] edebatur in Paschate.

Guadicensis[f 2], praemissa testatione communi de submittendo se etc., primum articulum haereticum demonstravit, et ibi *ut in signo* vellet addi *vel virtute,* 〈ut clarius positiones haereticorum damnentur〉[g]. 〈Et ibi *neque divinitatem* videtur superfluum, quia, si est vere Christus ibi, est cum divinitate.〉[h] Quod autem Christus sit vere in hoc sacramento, probavit, quia, si Christus voluit ibi adesse, potuit. Quod voluerit, patet, quia 151r dans sacramentum dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis | tradetur* [3]. Potuit autem, quia[i] *omnia, quaecunque voluit, fecit in coelo et in terra* [4]. Velletque a sancta synodo definiri, locum Ioa. 6 [54] loqui de Eucharistia et de sacramentali sumptione exemplo concilii Milevitani, quod declaravit verba Pauli: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors* [5]. Praeterea argumentatus est ex principiis haereticorum articulum esse falsum, quia non habetur ea assertio in[k] scripturis sacris, ergo non necessarius tenendus de fide 〈(ipsi enim nihil de fide tenendum censent, nisi expresse habeatur in scripturis)〉[e], sed imo necessario contrarium, 〈si illud non〉[e]. Neque haec opinio habetur ex traditione apostolorum, cum sancti patres omnes usque ad Carolum Magnum 〈de ea non meminerunt [6], quin potius contrarium et scripserunt et tradiderunt〉[l]; ergo contraria assertio vera. Alias enim apostoli, qui id non tradiderunt neque scripserunt, vel nesciverunt vel noluerunt docere. Utrumque autem blasphemum est. 〈Quinimo contrarium propalarunt.〉[m] Quod autem sit etiam falsum id, quod de divinitate dicitur, patet ex Ioa. 6 [51]: *Ego sum panis, qui de coelo descendi.* E coelo autem non humanitas, sed divinitas descendit. Articulus 2 est Zvinglianorum in libro de veritate Eucharistiae [7]. 〈Quare damnetur.〉[n] Alias enim deleretur usus huius sacramenti et[o] esset inutile, si sufficeret tantum spiritualis sumptio. 〈Et esset〉[p] contra virtutem sacramentorum; 〈neque etiam esset sacramentum, quia non haberet usum〉[e]. Et alias manducans sacramentaliter indigne, non esset 〈reus corporis Christi〉[q] contra Paulum, ut est exemplum Iudae, in quem sathanas[r] intravit [8]. Et contra omnes doctores, qui multos fructus ex reali[e] per-

[a] *M* Tamen quia Christus dixit: Multa habeo vobis dicere, quae non potestis modo portare, ecclesia in sacris conciliis eam communionem prohibuit maxima ratione, quae multae adducuntur. Item si Paulus ad Corinthios tantae fuit auctoritatis, ut eos utraque specie uti fecerit, nonne magis universalis ecclesia id immutare potuit? Et quia tunc erat in promulgatione sacramenti huius, sed postea non ea libertate indigebat.

[b] *M* damnetur [c] *Th om.* [d] *M add.* et damnetur [e] *M om.*

[f] *C 119* Guadiscensis; *Th* Guadixensis [g] *M* cum damnabitur

[h] *Th om.; M add.* Item probavit locum Ioa. 6 loqui de sacramentali manducatione Eucharistiae et non de spirituali tantum.

[i] *M add.* nihil Deo impossibile [k] *Th* ex

[l] *M* contra senserunt et scripserunt; sed contrarium habetur in eis

[m] *M* quia contrarium scripserunt et docuerunt et non solum illi primi, sed omnes descendentes.

[n] *M* et hereticus. [o] *M* fructus sacramenti et sacramentum hoc

[p] *M* Quod falsum est et [q] *M* ei ad iudicium [r] *M add.* post indignam sumptionem

[1] Quod in c. *Omnis utriusque* simpliciter confessionem praecipit. C. 12 X de poen. et remiss. V 38.

[2] Martinus Perez de Ayala, natus Hieste, Carthaginensis dioec. anno 1504, Lovanii hebraicam et graecam linguam didicit, Toleti philosophiam, Granatae theologiam docuit. Concilio Tridentino sub Paulo III congregato theologus ab imperatore missus interfuit. Die 16. Maii 1548 nominatus est episcopus Guadicensis et die 17. Iulii 1560 Segoviam translatus est. Annis 1562/63 iterum in Concilio invenitur. Anno 1564 (Sept. 6) ad ecclesiam Valentinam translatus die 5. Aug. 1566 obiit. Scripsit «De divinis, apostolicis atque ecclesiasticis traditionibus, de auctoritate ac vi earum sacrosancta assertiones seu libros X», Coloniae 1549. *Hurter,* Nomenclator III 52 sq. Ad votum eius supra exhibitum cf. quae anno 1562 de usu Eucharistiae in concilio dixit. Conc. Trid. VIII 640—642 665 sq. 691 830 sq. Cf. etiam *ibid.* II 231 adn. 8 et 803 adn. 8. *van Gulik-Eubel* III 223 314 346.

[3] *1 Cor.* 11, 24. [4] *Ps.* 134, 6.

[5] *Rom.* 5, 12. Concilium Milevitanum II a. 416 habitum in can. 2 hunc locum de peccato originali intelligendum esse declaravit. *Mansi* IV 327. C. 153 *Placuit* de consecr. dist. 4.

[6] Cogitat de controversiis saeculo IX de Eucharistia ortis.

[7] Cf. supra p. 111 adn. 3. [8] *Io.* 13, 27.

ceptione huius sacramenti enarrant percipi. 3. articulus etiam haereticus est. Quod tamen dicitur de unione hypostatica, non est error praesentis temporis. Quod dicitur de transsubstantiatione, probavit, non esse inventum[a] novum. Apud Ioannem enim legitur, aquam vinum factam[1], ⟨virgam serpentem[2] et alia multa⟩[b]. Et Tertullianus lib. 4 contra Marcionem ait, Christum fecisse panem suum corpus[3]. Idem Ireneus[4] asserit et Basilius[5] et 151v Chrysostomus lib. de missa[6]; ⟨idem dicunt⟩[c] Augustinus in 4° de Trinitate[7], Hieronymus[d 8] et Eusebius in epistola ad Cyrillum[9], Gregorius in hom. paschali[10], Anselmus in lib. de calice Domini[11], Beda de mysteriis missae[12], omnes idem senserunt de hac mutatione substantiae panis in substantiam corporis Christi. Articulus 7 etiam haereticus est. Et quod Christus sit adorandus, etiam quod ⟨secundum eos⟩[h] esset cum substantia panis, patet, quia ⟨adoratur etiam, quod sit in eo humanitas, quae de per se non esset adoranda⟩[e]. 4[s] haereticus quoque est etiam absque ea dictione *solam*[f], quia finis institutionis non est, ut peccata remittat, ⟨quae tamen aliquando remittit; sed non est ad id institutum⟩[g]. Quoad 8[m]: Communio sub utraque non est quoad laycos iuris divini[h]. Responditque ad obiectiones. Paulus enim ad Corinthios non praecipit, sed ⟨quando sumitur, docet, quid faciendum⟩[i]. Et illud Christi: *Bibite omnes* intelligitur sicut et *facite,* quod non potest nisi ⟨ad sacerdotes referri⟩[k]; ergo et illud *bibite.* Quae tamen communio sub utraque fuit in ecclesia quoad omnes usque ad Leonem III et inde usque ad B. Thomam coepit alius mos invalescere[13], ⟨licet semper etiam communio sub una usitata fuerit⟩[b]. Legitur enim in can. 15 apostolorum de communione layca[14], ⟨quae diaconis [!] non conficientibus certis in casibus danda praecipitur⟩[b]. Et Clemens I, dum de asservatione Eucharistiae quaedam statuit, de sanguine nihil dicit[15]. Leo I in serm. 4 ⟨idem sentit[16]. Ecclesia autem id mutare potest, prout rationi temporum videt expedire⟩[l], quia statuere potest circa ius divinum quoad usum sacramentorum, ut alias etiam fecit in baptismo,

[a] *M* vocabulum in scriptura [b] *M om.*
[c] *M* utuntur simili verbo; a Ioanne dicitur factam fuisse Christi transfigurationem
[d] *M add.* in epistula ad Eusebium
[e] *M* etiam Christus adoratur cum substantia humanitatis contra suas rationes
[f] *M add.* damnetur omnino et sine dictione etiam falsus esset
[g] *M* est tamen vera propositio dicere: Eucharistia remittit peccata, ut multi sancti dicunt
[h] *M add. hoc loco, quod sequitur in C 118 cum aliquibus variationibus inferius:* Quoad puerorum communionem non videretur damnandum factum, si aliqui id fecerunt, quia idem tenet Augustinus, Hugo de S. Victore lib. de sacramentis cap. 11 et multi alii doctores; ecclesia autem aliter determinavit; ergo de iure non tenentur accipere. Alias enim Augustinus multa allegat pro necessitate sumptionis Eucharistiae quoad parvulos, quia verba baptismi et Io. 6 [54]: Nisi etc., sunt eadem, comminatio est eadem, ergo obligatio etiam eadem; contrarium tamen tenendum est, ut tenet ecclesia.
[i] *M* dicit: Quotiescumque bibetis [k] *M* ad solos discipulos intelligi dictum
[l] *M* dixit sub utraque non esse usitatam communionem. Propterea ecclesia aliter autem statuit, id tenendum est

[1] *Io.* 2, 1—11. [2] *Ex.* 7, 8—12.
[3] *Tertullianus,* Adversus Marcionem lib. IV c. 40. *Migne,* P. lat. II 460.
[4] *Irenaeus,* Adversus haereses lib. IV c. 17 n. 5 et c. 18 n. 4; lib. V c. 2 n. 2 et 3. *Migne,* P. gr. VII 1023 1027 1125.
[5] *Basilius,* Epistola 8 n. 4; epistola 93. *Migne,* P. gr. XXXII 254 483 sq. Regulae brevius tractatae n. 172. *Ibid.* XXXI 1195. C. 25 *Timorem* de consecr. dist. 2.
[6] Liturgia *Chrysostomo* falso adscripta (cf. supra p. 133 adn. 10). *Migne,* P. gr. LXIII 915 sqq.
[7] *Augustinus,* De Trinitate lib. III c. 4 n. 10. *Migne,* P. lat. XLII 873 sq. C. 60 *Corpus* de consecr. dist. 2.
[8] *Hieronymus,* Comment. in evang. Matth. 26, 26. *Migne,* P. lat. XXVI 195. C. 88 *Accipite* de consecr. dist. 2.
[9] Forse cogitat de c. 35 *Quia corpus* de consecr. dist. 2, qui *Eusebio Emeseno* attribuebatur.
[10] Sine dubio allegat c. 34 *Species* de consecr. dist. 2, in Decreto sub *Gregorii* nomine citatum, qui tamen est *Lanfranci,* Liber de corpore et sanguine Domini c. 20 (*Migne,* P. lat. CL 436) et c. 73 *Quid sit sanguis* de consecr. dist. 2, partim ex *Gregorii Magni* homilia 22 in evangelia c. 7 (*ibid.* LXXVI 1178), partim ex eiusdem libro IV dialogorum c. 58 (*ibid.* LXXVII 425 sq.), partim ex aliis scriptoribus incertis sumptum. Qui duo canones apud Gratianum sub Gregorii homiliae paschalis titulo leguntur.
[11] Sine dubio allegat *Anselmi Cantuariensis* epistolam 107 de corpore et sanguine Domini (*Migne,* P. lat. CLIX 255 sqq.), quae, ut credit editor *ibid.* adn. 52, non differt a «Libro de corpore et sanguine Domini», quem Mabillon in diversis bibliothecarum Angliae manuscriptis sub Anselmi nomine invenit.
[12] Nescio de quo opere hic agatur.
[13] Non ante saeculum XII coepit hic mos invalescere. Cf. *I. Hoffmann,* Geschichte der Laienkommunion bis zum Tridentinum (Speyer 1891) 184 sqq.
[14] *F. X. Funk,* Didascalia et constitutiones apostolorum I (Paderbornae 1905) 569. Cf. quae supra p. 120 adn. 4 de communione laica diximus.
[15] *Clementis I* epistola spuria ad Iacobum, episcopum Hierosolymitanum. *Migne,* P. gr. I 483 sqq. *Hinschius* 47. C. 23 *Tribus gradibus* de consecr. dist. 2.
[16] *Leo I* in sermone 42 (al. 41, non 4) potius in contrarium facit, cum contra Manichaeos invehatur, qui communionem calicis renuerunt. *Migne,* P. lat. LIV 279 sq.

in ordine et matrimonio[a]. Item ad illud *Bibite omnes* iterum respondit, non dici sub praecepto, sed ⟨imperativi modi⟩[b], ut est illud: *Estote perfecti*[1]; alias nemo salvaretur. Et: *Ambula coram me*[2]. ⟨*Vende omnia, quae habes*[3]. Et similia.⟩[c] Particula autem imperativi modi non est praeceptiva[d]. Quod adducitur, quod alias dividitur sacramentum, id non esse verum, quia semper ⟨verum et integrum Christi⟩[e] corpus est et tam de sacramento quam de gratia sub una et sub utraque continetur. Et apud Ioa. 6 [54]: *Nisi biberitis* esse ibi propositum, ut fiat et sumatur; sed usus sumendi relinquitur ecclesiae[f]. Item potus sanguinis est praeceptus in ecclesia, sed non[e] ut singulis. ⟨Quae communio sub
152[1] utraque non est conce|denda, nisi prius sanctam matrem ecclesiam recognoscant et eam communionem petant. Quod dicitur de communione parvulorum, etiam falsum est, ut modo eis detur; factum autem damnandum non est, quia contra sentit Augustinus[4], Hugo de S. Victore lib. de sacramentis cap. 11[5] et multi alii doctores[6], qui damnarentur. Et Augustinus ipse multa allegat pro necessitate communionis parvulorum, quia verba baptismi et Ioa. 6 [54] sunt eadem: *Nisi quis renatus*[7] etc.; *Nisi biberitis* etc.[8] Similia verba, similis comminatio, ergo similis obligatio. Quum tamen ecclesia aliter determinaverit, id nunc tenendum et observandum est.⟩[g] 10[i] articuli prima pars haeretica est; secunda de confessione ⟨est scandalosa, non autem haeretica. Augustinus enim, dum docet, quomodo debeat quis [se] praeparare ad hanc sumptionem, de confessione non meminit[9]. Et quod non sit necessaria confessio ante sumptionem Eucharistiae, tenet Hieronymus super Matth.[10] et Magister sententiarum in 6[11]. Nam sufficienter contritus est iam in gratia Dei et ei incorporatus, quia filius factus, ergo et haeres aeternae gloriae. Si dignus igitur, ut in aeterna gloria Christum videat et eo fruatur, multo magis dignus, ut Christi corpus sumat. Si quis autem esset in peccato publico, tunc teneretur illud prius omnino confiteri, ut eius reconciliatio etiam publice dignosceretur. Item et quando aliquis non esset sufficienter contritus. Alias autem confessio ipsa non est necessaria. Articulus tamen et opinio ipsa scandalosa est. Probatque dicta per R. D. Granatensem[12] circa alios articulos.⟩[h]

Astoricensis[i 13]. Primus articulus haereticus est, ⟨contra scripturam, concilia, ecclesiam et patres, qui referuntur de consecr. dist. 2. Neque probat, quod quidam dixit, discipulos non intellexisse hanc veritatem[14], cum contrarium docuerint et tradiderint. Et Petrus, cum dixit: *Verba vitae habes*[15], id clare ostendit, scilicet confitens necessariam esse manducationem carnis Christi, ut ipse dixerat. Item Christus utitur semper verbo substantiae, dum de hoc sacramento mentionem facit: *Hoc est corpus meum*[16]; *Caro mea*

[a] *M add.* et circa huiusmodi sacramentum Eucharistiae multoties ecclesia immutavit. Et Germanis non est ea concedenda, nisi petunt et ecclesiam in matrem agnoscant.
[b] *Sic Th; M* imperative; *C 118 et C 119* impetrativi modi [c] *M om.*
[d] *M add.* idem ad dicta Pauli [e] *M* idem
[f] *M add.* Item ibi fructus est praeceptus et propositus [g] *M om. Cfr. supra p. 163 adn. h.*
[h] *M* autem damnetur, ut Lutherus eam ponit. Et an sit necessaria confessio ante sumptionem Eucharistiae. Hieronymus super Matth. et Magister sententiarum tenet non, in 6 [!], et Augustinus, dum docet, quomodo debet quis [se] praeparare ad hanc sumptionem, non enarrat confessionem, et contritio sufficit ad adipiscendam vitam eternam, et si quis contritus est dignus, ut videat Deum facie ad faciem, si moreretur, ergo multo magis sumere Eucharistiam. Est tamen scandalosa, ut dixit Granatensis. Si tamen quis est in peccato publico, tenetur omnino publice confiteri et reconciliari. Item quando non est sufficienter contritus. Alias de iure divino non est, ut quis confiteatur ante sumptionem Eucharistiae.
[i] *Th* Asturicensis

[1] *Matth* 5, 48. [2] *Gen.* 17, 1.
[3] *Matth.* 19, 21 et parall. [4] Cf. infra adn. 8.
[5] In *Hugonis a S. Victore* libris «De sacramentis christianae fidei» nil de hac re invenitur, sed in opere olim falso ei attributo, quod tamen Roberti Paululi esse videtur, cui titulus: «De caeremoniis, sacramentis, officiis et observationibus ecclesiasticis» lib. I c. 20. *Migne,* P. lat. CLXXVII 392.
[6] De quibus cf. *I. Hoffmann* l. c. 117 sqq.
[7] *Io.* 3, 5.
[8] *Augustinus,* De peccatorum meritis et remissione et de baptismo parvulorum lib. I c. 20. *Migne,* P. lat. XLIV 123 sq. Cf. p. 132 adn. 7.
[9] *Augustinus,* Tractatus 26 in evang. Ioannis c. 11. *Ibid.* XXXV 1611.
[10] Nescio, de quo Hieronymi loco cogitet.
[11] Alludere videtur ad verbum *Petri Lombardi,* Sent. IV d. 16 cap. 2: «Caveat etiam, ne prius ad dominicum corpus accedat, quam confortet bona conscientia.» Quae verba intelligi possunt de bona conscientia, quam quis sola contritione adeptus sit. Cf. *Bonaventurae* comment. in 4 sent. d. 16 pars 1 dub. 12 (*ed. Quaracchi* IV 401).
[12] Cf. supra p. 147 l. 8—26.
[13] Petrus de Acuña y Avellaneda, utriusque iuris peritus, clericus Oxomensis, die 4. Iunii 1548 obtinuit episcopatum Astoricensem; 5. Iunii 1555 Salmanticam translatus est et die 4. Sept. eiusdem anni obiit. De quo cf. *S. Merkle* in Conc. Trid. II 241 adn. 1 et *van Gulik Eubel* III 135 307. In itinere ad concilium per plures menses Taurini a capitaneo quodam regis Gallorum detentus est. De qua re cf. Conc. Trid. XI 633 n. 447 et adn. 1.
[14] Ut praecedenti die asseruerat episcopus Legionensis, supra p. 159 l. 16—31.
[15] *Io.* 6, 69. [16] *Matth.* 26, 26.

vere est cibus[1]; *Ego sum panis vivus*[2]; *Panis, quem dabo, caro mea est*[3]. Idem | Paulus: *Panis, quem frangimus, nonne communicatio est corporis Domini*[4]? Et Paulus 1 ad Cor. 5 [7 sq.] dicit, Christum esse Pascha nostrum, et sequitur: *Itaque epulemur*. Ergo Christum in Paschate nos manducamus, ut in veteri lege agnus paschalis manducabatur. Quod idem Christus ait: *Desideravi hoc pascha manducare vobiscum*[5], scilicet dare discipulis corpus suum ad manducandum. Et ex hoc sequitur falsitas 2. articuli, quia, si Christus manducatur vere in sacramento, ergo non spiritualiter tantum. Et etiam sequitur falsitas 10^{i} de sola fidę, cum Paulus dicat: *Epulemur non in fermento malitiae*[6], ergo non cum peccatis; cum sola autem fide peccatum stare potest. Et ex consequenti etiam falsum, quod de confessione dicitur, quod omnino damnari vellet, sed ut scandalosa et erronea, non autem haeretica. Confessio enim omnino praemittenda est ante sumptionem Eucharistiae exemplo etiam eius, quod dicitur Hierem. 12 [3] de comedente carnes sanctas.⟩[a] 3. articulus etiam haereticus est, idem 4^{s} tam cum dictione *solam*, quam absque ea. 5^{s} etiam et damnatus in concilio Viennensi[7]. 6^{s}, 7^{s} et 8^{s} etiam haeretici sunt. Neque haec communio sub utraque concedenda est Germanis[b], quia esset contra ecclesiam, quasi ea errasset aut erraret aliter faciendo. ⟨De parvulorum communione posset omitti mentio; sed haereticum est, quod in articulo dicitur.⟩[c] 9^{s} etiam est haereticus. Tenet enim aequalem gratiam sumi sub una et sub utraque specie. Submittens se etc. 152v

Virdunensis[8]. Primum articulum haereticum asseruit ex locis ab aliis allegatis, et quia Christus in institutione huius sacramenti utitur articulo demonstrativo *Hoc*, verbo substantivo *est* et pronomine ostensivo[d] *meum*. Quae omnia veram substantiam[e] corporis Christi adesse in Eucharistia ostendunt. 2. articulus etiam haereticus est, quia, si est in sacramento[f], necessario sumitur sacramentaliter[d]. 3^{s} eadem ratione etiam haereticus est[g]; 4^{s} idem; 5^{s} etiam[h] et 6^{s} et 7^{s}, quia antequam discipuli edissent, Christus dixerat: *Hoc est corpus meum*. 8^{s}: Communio sub utraque; nollet nunc de ea agi, sed differri ad aliam sessionem. Articulus autem erroneus est, sed non haereticus, quia ecclesia multo tempore ea usa | est[i]. Si igitur 8. articulus damnandus est, non damnetur ut haereticus. Quoad parvulos: Ea pars omitti potest, cum non asseratur ab ⟨haereticis huius temporis⟩[k]. Articulus 9 falsus est[l] quoad sacramentum; de gratia autem ⟨videtur dubium. Sed quoniam non facit ad sacramentum, posset etiam de hac re mentio omitti[m]. 10^{i} articuli ⟨prima et tertia partes haereticae sunt⟩[n]; secunda autem est scandalosa et erronea, non haeretica[o]. Habita enim copia confessoris, cum quis sumere intendit Eucharistiam, confiteri omnino prius debet. 153r

Absolvitur deinde congregatio hora 23, cui interfuerunt primum R. D. Camerinensis et Bituntinus episcopi. Et propter diem dominicum, ut patres commodius interesse possint sacris solemniis missae et vesperarum, decretum est, die crastina abstinendum esse a congregatione, ⟨quae indicitur ad diem lunae proximum⟩[d].

[a] *M* tum ex locis sacrae scripturae, tum ex discipulis, qui ita etiam intellexerunt, et Petrus dixit Io. 6 [69]: «Verba vitae habes», id est, quod necessaria esset manducatio corporis Christi etc. Idem omnes patres referunt, qui referuntur dist. 2 de consecr. Et Christus utitur verbo «est», quod est verbum substantiae. Et Paulus 1 ad Cor. 5 [7] dixit, nostrum Pascha esse Christum, et Christus in cena idem dicit: «Desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.» Ergo Pascha, quod discipuli manducarunt, Christus erat, quia ibidem Paulus dicit: «Itaque epulemur» etc. Et ex hoc requiritur falsum esse 2. articulum. Idem et 10^{s}, cum Paulus dicit: «Epulemur non in fermento malitiae»; ergo non cum peccatis, quia cum sola fide potest stare peccatum. Idem etiam sequitur falsam 2. partem ipsius 10. articuli, quae opinio de confessione omnino vellet damnari, sed non ut heretica, sed scandalosa et erronea, quod multis rationibus probavit; ad quod adduxit Hieremiam cap. 12 [3] de figura comedentis carnes sanctas.

[b] *M* hereticis

[c] *M* De parvulis etiam falsus, quia non sunt communicandi neque sub una neque aliter; sed posset dimitti mentio de parvulis.

[d] *M om.* [e] *M* existentiam [f] *M add.* sacramentaliter

[g] *M add.* et damnatus iam multoties

[h] *M add.* data veritate existentiae corporis Christi, prout est [i] *M add.* quoad laycos

[k] *M* Lutheranis [l] *M add.* et tantum sub una quantum sub utraque

[m] *M* non videtur facere ad articulum; propterea de ea in articulo non fiat mentio

[n] *M* 1. pars heretica est [o] *M add.* et ita damnetur

[1] *Io.* 6, 56. [2] *Io.* 6, 51. [3] *Io.* 6, 52.

[4] *1 Cor.* 10, 16. [5] *Luc.* 22, 15. [6] *1 Cor.* 5, 8.

[7] C. un. *Si Dominum* in Clem. de reliquiis et vener. sanct. III 16, quo Clemens V a. 1311 bullam *Transiturus* Urbani IV festum corporis Christi praecipientem confirmavit. Quod decretum autem non est concilii Viennensis, ut demonstrat *E. Müller*, Das Konzil von Vienne (Münster i. W. 1934) 644—648. Cf. supra p. 160 adn. 1.

[8] Nicolaus Psalmaeus, 1548—1575 episcopus Virdunensis, de quo cf. *S. Merkle* in Conc. Trid. II p. CXLVII—CLXX et supra p. 28 adn. 2.

Congregatio generalis.
Examinantur iidem articuli de sanctissimae Eucharistiae sacramento.

Die lunae **28.** eiusdem mensis **Septembris** hora 19 fuit congregatio generalis, in qua patres prosequuti sunt examinationem eorundem articulorum de sacramento Eucharistiae cepitque hodie suam sententiam

R. D. ep. **Salaminensis**[a][1], qui primum articulum haereticum confirmavit esseque errorem Oecolampadii, qui fundatur inter caetera in verbis Augustini 14 de Trinitate ⟨male ab eo intellectis, ut ibidem seipsum Augustinusmet declarat⟩[b][2]. Locumque Ioa. 6 [54] ⟨de sacramentali manducatione intelligi⟩[c], quod etiam discipuli et alii tunc praesentes intellexerunt. Dicebant enim: *Quomodo potest nobis dare carnem suam ad manducandum*[3]*?* Et Christus respondit: *Caro non prodest quicquam*[4], scilicet sic sumpta, ut ⟨dentibus lanietur⟩[d]; sed *spiritus et vita sunt*[4], id est, ⟨non ut videtis meam carnem, sed
153v sub sacramento Eucharistiae⟩[e]. Ideo sequitur[f]: *Qui manducat hunc panem, vivet in | aeternum*[5]. Articulus 2 ⟨etiam haereticus est et est error⟩[g] Oecolampadii lib. 4 cap. 18 de Eucharistia[6], qui[h] etiam verbo *exhiberi* utitur et dictione *tantum*[i]. Est igitur articulus damnandus ut iacet. 3. articulus haereticus est; 4[s] idem, qui etiam est Oecolampadii cum dictione *solam*. 5[s] haereticus est. Augustinus enim super Psal. 88 docet, Eucharistiam esse adorandam[7]. Nicolaus[k] de Lira super Psal. 61[l][8]. Articulus 6 haereticus quoque est ⟨quoad omnes partes⟩[m]; ultima vero pars est error illius sutoris, qui ⟨annis superioribus⟩[m] erexit se in regem contra ⟨primates et⟩[m] principes, ut refert Cochleus ⟨in commentariis actorum Lutheri⟩[m][9]. 7[s] etiam est haereticus[n]; 8[s] et 9[s] idem et quoad sacramentum et quoad gratiam. Aequa enim gratia sub unaquaque specie sumitur ex vi sacramenti. Et Christus Ioa. 6 [59] dicit: *Qui manducat hunc panem,* habet vitam aeternam, quae sine integra gratia adipisci non potest. Ergo sub pane tantum datur suprema[o] gratia, prout eadem datur sub utraque, non autem maior, nisi ex maiori dispositione. 10[s] de sola fide haereticus est; secunda pars de confessione est ⟨scandalosa et⟩[m] erronea et damnanda. Nemo enim conscius de peccato mortali potest esse certus de gratia absque confessione[p], neque qui conscius peccati est, potest esse certus, se esse contritum, si habet copiam confessoris, et non confiteatur, cum accedit ad Eucharistiam[q]. Est etiam contra consuetudinem ecclesiae perpetuo observatam a tempore apostolorum; Cyprianus ad fratres exsistentes in plebe[r][10]; Eusebius lib. 6 cap. ⟨27⟩[s][11]; Chrisostomus[12],

[a] *M add.* suffraganeus Maioricensis [b] *M* sed Augustinus loquitur de panibus propositionis
[c] *M* loqui de sacramento Eucharistiae [d] *M* lanietis meam carnem [e] *M* sacramentaliter
[f] *M add.* Ego sum panis, qui de coelo descendit et [g] *M* est etiam [h] *Th* quia
[i] *M* solam [k] *Th* Hieronymus [l] *C 119 et Th* 62 [m] *M om.* [n] *M* damnandus
[o] *M* summa [p] *M add.* et absolutione. Ambrosius super Psalm. [q] *M* sacrificandum
[r] *M* bello [s] *M add.* de Philippo imperatore

[1] Franciscus Salazar, de quo cf. supra p. 15 adn. 3. Votum eius de articulis Eucharistiae in concilio die 9. Febr. 1547 datum prostat in Conc. Trid. V 902 l. 27—37.

[2] Forse loquitur de *Augustini* libro III c. 10 n. 19 et 21 De Trinitate (*Migne,* P. lat. XLII 879 sqq.); cf. *K. Adam,* Die Eucharistielehre des hl. Augustin (Paderborn 1908) 112 sq. De Zwinglii et Oecolampadii modo interpretandi doctrinam Augustini de Eucharistia et inprimis de reali praesentia cf. *P. Polman,* L'Élément historique dans la controverse religieuse du XVIe siècle (Gembloux 1932) 58—64.

[3] *Io.* 6, 53. [4] *Io.* 6, 64. [5] *Io.* 6, 59.

[6] Cf. supra p. 111 adn. 3.

[7] Cf. supra p. 150 adn. 5.

[8] *Nicolaus de Lyra,* Postillae perpetuae in Vetus et Novum Testamentum, super Ps. 99: «Moraliter potest exponi Psalmus iste, ut sit invitatio ad Dei laudem populi communiter et ministrorum ecclesiae in oblatione Eucharistiae, quae cum divinis laudibus debet offerri Deo Patri . . .» Similiter in libro Moralia super eundem Psalmum.

[9] Ioannes Bockelson Leydanus, qui fuit sartor, non sutor, die 13. Ian. 1534 Monasterium venit ibique unus ex capitibus sectae Anabaptistarum fuit. Mense Aug. 1534 rex civitatis Monasteriensis proclamatus est, quem tamen regem fore totius orbis terrarum prophetae huius sectae asserebant. Cuius historiam narrat *Ioannes Cochlaeus,* Historia de actis et scriptis Martini Lutheri (Coloniae 1568) f. 287v ad 291v. Ioannem Leydanum docuisse, non licere, ut quis seipsum communicet (ut asseritur in 6. articulo, parte ultima), Salaminensis concludere videtur ex ritu ab ipso Ioanne in civitate Monasteriensi pro celebratione coenae Domini introducto, quem Cochlaeus l. c. f. 289v describit: «Deinde sumpserunt rex et regina placentas triticeas, quas fregerunt aliisque porrexerunt dicentes: Accipite et manducate atque annunciate mortem Domini. Similiter et cantharum vini cum hisce verbis: Accipite et bibite ex eo omnes atque annunciate mortem Domini. Sic et sedentes postea alter alteri porrexerunt sub hisce verbis: Accipe frater aut soror et comede ex hoc, sicut Christus se tradidit pro me, ita ego me tradam pro te.»

[10] *Cyprianus,* Epistola 11 ad plebem. *Migne,* P. lat. IV 256 sqq.

[11] *Eusebius,* Historia ecclesiastica lib. VI c. 34. *Migne,* P. gr. XX 595/96. Die griech. christl. Schriftsteller der ersten drei Jahrh., *Eusebius* II 2, 588 sq.

[12] Cf. supra p. 133 adn. 10 et 11.

Ambrosius[1], Hieronymus[2], Theophylactus super 1 Cor. 11[3], Augustinus ad Bonifacium cap. 2[4]. Et idem statuit concilium Lateranense, quod communionem sumi praecipit praevia confessione in Paschate, ibi «nisi de consilio sacerdotis abstinendum sit»[5]. Quod consilium sacerdos non potest dare nisi audita conscientia communicare volentis. Deinde probavit, Christum communicasse discipulos[a] in Emaus, quod Theophylactus[6], Hieronymus[7], Augustinus[8] et alii multi tenent.

Bossanensis[9] articulos damnatos a theologis damnat. Examinavitque tantum tres articulos, videl. 8m, 9m et 10m. Et primo 8m haereticum esse declaravit. Responditque | ad obiectiones adversariorum, quarum summa est, quod Christus eam communionem sub 154r
utraque ⟨quoad omnes⟩[b] promisit ⟨et praecepit⟩[b]; instituit sub utraque et distribuit sub utraque. Promissionem et praeceptum dicunt haberi Ioa. 6 [54]: *Nisi biberitis* etc. Respondit, quod dicitur bibere et manducare; isti actus non determinant species panis et vini, quia corpus Christi non est alligatum speciebus; imo species illae in sacramento manent sine subiecto. Et de adimpletione promissionis Matth. 26 [26 sqq.] respondit, non fieri adimpletionem iisdem personis, quibus facta est promissio. Io. enim 6 loquebatur laycis Capharnaitis, ⟨et Matth. 26 solis apostolis⟩[c]. Et cum diversae sint personae, quibus promittitur et quibus adimpletur, non debet esse aequipollens corresponsio. Item haec communio praecepta est ecclesiae, sed non singulis. ⟨Et cum sit praeceptum affirmativum, non semper, sed ad semper obligat.⟩[b] Et ad verba Pauli 1 Cor. 11 [23 sqq.], ⟨et quod ecclesia aliquando eam permiserit⟩[b], respondit, ecclesiam primitivam multa concessisse[d] contra ius divinum ⟨ad fundandam fidem⟩[b], ut de forma baptismi. Apostoli enim baptizabant in nomine Iesu[10]. Ergo nunc baptizandum in nomine Iesu? Eadem est ratio verborum Pauli. Item de imolato et sanguine et suffocato. Et tamen apostoli dicebant: Sic *visum est Spiritui Sancto et nobis*[11]. Idem Paulus circumcidit Timotheum iam baptizatum[12]. Ergo pari ratione ⟨(si, quod Paulus fecit, imitandum est)⟩[b], idem nunc ecclesia facere debet? Absit. Sed ea omnia facta sunt ad stabilimentum [!] fidei christianae[e]. Ac etiam Christus ipse in baptizatos ⟨eo tempore⟩[b] mittebat visibilem Spiritum Sanctum[13]. Nunc id non facit; ergo nunc in baptismo non datur Spiritus Sanctus, cum is non videatur? Absit. Sed ut fides magis firmaretur, id Christus fecit. Qua ratione ecclesia aliquando ipsam sub utraque specie communionem laycis concessit[f]. Et Io. 6 [59] dicitur: *Qui manducat hunc panem,* habet vitam aeternam. An verba illa vera sunt? Si vera, ut sunt, ergo quis manducans sub una specie panis habet vitam aeternam. Igitur sub utraque non requiritur ex necessitate. Pueris autem neutra danda est, quia eis sufficit baptismus ⟨ad salutem⟩[b] et | quia ipsi sumunt in fide parentum et ecclesiae et quia 154v
non possunt se probare etc. Articulus 9 haereticus est quoad sacramentum. De gratia autem tenet plus sumi sub utraque quam sub una, quia homo plus disponitur. Laycis vero neque plus gratiae additur sub utraque neque minus sumunt sub una; non sic autem sacerdotibus, quia ipsi tenentur offerre et sumere. Et in his actibus plus sumunt gratiae quam layci ⟨in sola unius sumptione, quaecunque illa sit⟩[b]. Articulus 10 haereticus est in sensu ⟨Lutheranorum, qui omnia solae fidei tribuunt⟩[g]. Ad quaestionem vero ⟨de confessione⟩[h] subortam inter patres tenet ipse accedenti ad Eucharistiam non sufficere solam contritionem, sed necessariam etiam esse confessionem. Et ita semper tenuit ecclesia et praecepit concilium Lateranense, cap. *Omnis utriusque.* Ad cuius exemplum posset etiam ab hac sancta synodo confici canon, ⟨in quo sub gravissimis poenis astringeret accedentes ad Eucharistiam, ut prius confiterentur⟩[i].

[a] *M* apostolos [b] *M om.* [c] *M* et adimpletio fit solis apostolis, cenantibus illis etc.
[d] *M* permisisse; *C 119 et Th* consensisse [e] *M add.* Idem respondendum ad Paulum.
[f] *M add.* et ut suam auctoritatem ostenderet [g] *M* articuli [h] *C 119 et Th om.*
[i] *M om. et add.* Submittens se etc.

[1] *Ambrosius,* Expositio evangelii secundum Lucam lib. VI c. 70 sq. *Migne,* P. lat. XV 1686. Sermo (spurius) de sancta Quadragesima 8 c. 10. *Ibid.* XVII 653 sq.

[2] *Hieronymus,* Epistola 14 ad Heliodorum. *Migne,* P. lat. XXII 353.

[3] Cf. supra p. 159 l. 8 sq. et adn. 4.

[4] *Augustinus,* Epistola 185 ad Bonifacium c. 10. *Migne,* P. lat. XXXIII 811—815.

[5] C. 12 *Omnis utriusque* X de poen. et remiss. V 38.

[6] Cf. supra p. 148 adn. 3.

[7] Cf. supra p. 148 adn. 2.

[8] Cf. supra p. 119 adn. 4.

[9] Vincentius de Leone, ord. Carm., concilio Tridentino prius congregato theologus interfuit et de articulis Eucharistiae die 7. Febr. 1547 votum perlongum emisit. Conc. Trid. V 883—892. Die 16. Nov. 1548 factus est episcopus Bosanensis; obiit anno 1556. *van Gulik-Eubel* III 152.

[10] *Act.* 2, 38; 8, 16; 10, 48; 19, 5.

[11] *Act.* 15, 28 sq. [12] *Act.* 16, 3.

[13] *Act.* 2, 1—5.

Mutinensis[1] primum ostendit ⟨longa oratione⟩[a], maximi esse momenti permagnaeque considerationis et difficultatis dogma aliquod ut haereticum statuere, sicuti Augustinus[2], Bernardus[b 3] et alii doctores asserunt[c]. Quo vero ad articulos primum haereticum confirmavit. *Verbum enim Domini manet in aeternum*[4]. Ipse vero dixit: *Hoc est corpus meum;* ⟨ergo mentiri non potest⟩[a]. Et est error damnatus in concilio Niceno, in opusculo[d] de divina cena[5]. Vellet tamen, ut haberetur ratio conciliorum praeteritorum, quae eandem hanc haeresim damnarunt, ita ut haec sancta synodus non videatur rem novam decernere atque damnare. Articulus 3 etiam haereticus est ⟨et alias damnatus⟩[a]. Est tamen advertendum, quomodo damnandus sit, quia, ut iacet, in tribus[e] assertionibus non censet habere auctorem. 5[s] haereticus etiam est et damnatus in concilio Ephesino[6], cuperetque ex hoc articulo seiungi partes, quae habent ius divinum, a partibus, quae habent praeceptum ecclesiae. Et cuperet etiam poni rationes, quibus Christus adorandus est. 6. articulus etiam est haereticus et ⟨vellet in eo addi, hoc sacramentum reservari non
155r tantum propter infirmos, sed ut habeatur paratum volentibus communicare⟩[f]. | 7. articulus etiam haereticus est. ⟨8[s] idem quoad laycos⟩[g]. Et locum Ioa. 6 [54] tenet loqui de spirituali manducatione; alludit tamen ad Eucharistiam, cuius allegoriam habet; ⟨neque potest etiam de sacramentali intelligi, quia⟩[a] duo sensus literales germani non possunt esse in eodem testu [!], quod omnes asserunt excepto Augustino[7]. Nam Ioa. 6 [35] dicitur: Qui credit in me, non exuriet neque sitiet; ⟨et: Verba mea spiritus sunt⟩[h 8]. Articulus igitur in hac parte est falsus, non autem haereticus, quia ecclesia ea communione aliquando usa est et quia videtur habere praeceptum. Sed dicatur, prout in concilio Constantiensi[9] et Basiliensi[10]. Secunda ⟨autem pars de pueris⟩[a] haeretica est, ⟨quia neutra capaces sunt⟩[a]. Tertia etiam est haeretica[i]; ⟨ecclesia enim errare non potest⟩[a]. Quoad notationes theologorum: 2. articulus haereticus est. Iulius Phluc in epistola ad Erasmum item tenet[11]. 4[s] etiam est haereticus, et cuperet poni in hoc articulo omnes effectus huius sacramenti exemplo concilii Florentini[12]. 6[i] ultima pars est haeretica quoad sacerdotes tantum, quia laycis liceret seipsos communicare in casu necessitatis. 9[s] quoad sacramentum haereticus est et idem quoad effectum, quia idem sub qualibet sumitur, et omnis gratia, quae sumitur sub utraque, sumitur sub una. Quo vero ad gradum gratiae tenet dari perfectiorem[k] sub utraque quam sub una. 10[i] prima pars de sola fide haeretica est; sed quia iam damnata est canone 9 decreti de iustificatione ab hac sancta synodo, videtur superfluum, quod denuo damnetur[13]; vel damnetur, ⟨sed ut ibi factum fuit, ita ut opera excludantur etc.⟩[l]. Quod dicitur de confessione, damnetur, sed non ut haereticum, quia eius contrarium non habetur de iure divino neque ex traditionibus apostolorum neque ex deter-

[a] *M om.* [b] *M add.* Guido [c] *M add.* quod longa et erudita oratione comprobavit.
[d] *M* titulo [e] *M* his tribus inventis
[f] *M* cupit exprimi in articulo ibi «ad infirmos», «vel accipere volentibus reservandum»
[g] *M* 8[i] prima pars falsa est de communione sub utraque quoad laycos.
[h] *M* omnia igitur spiritualiter dicta sunt [i] *M add.* de pueris [k] *C 119 falso* perfectionem
[l] *M* de sola fide ac ibi

[1] Aegidius Foscararius, ord. Praed., die 23. Maii 1550 episcopus Mutinensis est nominatus, proponente cardinali Morono, qui huic ecclesiae renuntiaverat reservans sibi pensionem. Mortuus est die 23. Febr. 1564. De quo cf. *S. Merkle* in Conc. Trid. II 238 adn. 1 et 465 adn. 2. Quae in concilio Tridentino sub Pio IV et post concilii finem pro componendo catechismo Romano et pro reformando breviario laboravit, fusius demonstrat *Pastor* VII 256 299 sq. 307 sq. 311. Sub Paulo IV una cum cardinali Morono et aliis de haeresi accusatus et in castellum S. Angeli coniectus, a Pio IV tamen absolutus est, de quibus cf. *Pastor* VI 545 et VII 508; *C. Cantù,* Gli eretici d'Italia II (Torino 1866) 193 sq.

[2] *Augustinus,* Epistula 222 ad Quodvultdeum: «Sed procul dubio in ea quaestione, ubi disceptatur, quid sit haeresis, non idem videbatur ambobus; et revera hoc omnino definire difficile est; et ideo cavendum, cum omnes in numerum redigere conamur, ne praetermittamus aliquas, quamvis haereses sint; aut annumeremus aliquas, cum haereses non sint.» *Migne,* P. lat. XXXIII 999. *Idem,* Liber de haeresibus: «Non enim omnis error haeresis est; quamvis omnis haeresis, quae in vitio ponitur, nisi errore aliquo haeresis esse non possit. Quid ergo faciat haereticum, regulari quadam definitione comprehendi, sicut ego existimo, aut omnino non potest, aut difficillime potest.» *Ibid.* XLII 23.

[3] *Bernardus Guidonis,* Practica inquisitionis heretice pravitatis, introductio in partem 5, ed. *G. Mollat,* Manuel de l'inquisiteur I (Paris 1926) 4—6.

[4] *1 Petr.* 1, 25; *Is.* 40, 8.

[5] Loqui videtur de concilii Nicaeni I can. 14 (in interpretatione Isidori Mercatoris), de quo cf. supra p. 116 adn. 12.

[6] Cf. supra p. 117 adn. 1.

[7] *Augustinus,* De doctrina christiana lib. III c. 27. *Migne,* P. lat. XXXIV 80.

[8] Cf. *Io.* 6, 64.

[9] Cf. supra p. 145 adn. 12.

[10] Cf. supra p. 145 adn. 13.

[11] Julius Pflug Erasmo dat. Citii die 5. Maii 1553 ed. ab *Ortvino Gratio,* Fasciculus rerum expetendarum ac fugiendarum ... (Coloniae 1535) fol. CCXXXIIv.

[12] Cf. supra p. 123 adn. 12.

[13] Conc. Trid. V 798 l. 17 sqq.

minatione ecclesiae. Providendum tamen est aliquo remedio, ut, antequam quis accedat ad sumendam Eucharistiam, omnino confiteatur, sed non tanquam praeceptum ⟨divinum vel ecclesiae⟩[a] vel patrum habeat; ⟨neque locum Pauli 1 ad Cor. 11 [28] loqui de praeparatione confessionis, ut doctores paucis exceptis omnes tenent. Submittens se iudicio sanctae synodi in omnibus etc.⟩[b].

⟨Absolvitur deinde congregatio hora 23.⟩[c]

Adventus episcoporum S. Marci et Clodiensis.

Eadem die **[28. Septembris]** applicuerunt Tridentum RR. DD. Coriolanus Martiranus, S. Marci, et Iacobus Naclantus, Clodiensis episcopi.

Congregatio generalis super examinatione eorundem articulorum de sacramento Eucharistiae.

Die Martis **29.** eiusdem mensis **Septembris** hora 19 fuit congregatio generalis super examinatione eorundem articulorum de sacramento Eucharistiae lectaque solita oratione Sancti Spiritus dixit primus suam sententiam infrascriptus, videlicet 155v

R. P. **generalis Heremitarum S. Augustini**[1], submittens se iudicio sanctae synodi etc., primum articulum haereticum esse confirmavit ex locis sacrae scripturae ab aliis allegatis, praesertim Matth. 26 [26]: *Hoc est corpus meum.* Neque enim in his verbis sensus tropologicus admittendus est, quia Christus in omnibus sacramentis loquutus est proprie: ⟨*Nisi quis renatus fuerit*[2]; *Quorum remiseritis peccata*[3] etc.⟩[d] Ergo multo magis in hoc omnium sacramentorum dignissimo. Et alludit ad illam figuram Exodi [24, 8][e], cum Moses diceret: *Hic est sanguis federis*, et tunc vere sanguinem ostendebat et erat figura sanguinis Christi, qui eadem verba dixit: *Hic est sanguis meus*[4]. Et sicut Moyses verum sanguinem ⟨gerebat in manibus et⟩[b] ostendebat, ita et Christus ⟨vere suum sanguinem porrigebat⟩[h]. Alias ⟨autem neque Paulus t[anta]m⟩[f] probationem commendasset neque indigne sumentem reum esse corporis et sanguinis Christi dixisset[5]. Est etiam contra communem consensum[g] ecclesiae, quae errare non potest. 3. articulus etiam haereticus est, licet Christus eam unionem hypostaticam potuisset facere, sed non fecit; imo contrarium, ⟨scil. transsubstantiationem⟩[h]. 5^{s} etiam haereticus est; et idem de 6° et 7°; et omnes dependent a primo. Si enim est Christus in Eucharistia, ⟨ergo non hypostatice⟩[b], ergo adorandus, ergo venerandus, ⟨et caetera, quae in his articulis negantur⟩[i]. 8^{s}, Communionem ⟨de iure divino⟩[k] quoad laycos: tenet eam non esse de iure divino simpliciter, sed ad tempus, quia eam ecclesia mutare potest et mutavit in primitiva ecclesia. Et locum Ioa. 6 [54] non intelligi de sacramentali manducatione, ⟨sed spirituali; neque probari sub utraque quoad omnes: *Bibite omnes*[6], neque illa Pauli: *Quotiescunque bibetis*[7] etc., quia⟩[l] non sunt praecepta. ⟨Et usum ecclesia immutare potest.⟩[b] Nam ecclesia ipsa[m] primitiva communicabat post sumptionem aliorum ciborum; placuit tamen Spiritui Sancto (ut Augustinus dixit), ut in honorem tanti sacramenti ante alios cibos sumeretur[8]. Sic et de hac 156r
communione ⟨sub utraque⟩[b]. Etsi ⟨enim[n] primitiva ecclesia laycis utramque dederit⟩[o], placuit deinde Spiritui Sancto, ut eis una tantum daretur, ⟨ut idem ecclesia ipsa multis aliis in rebus fecit et recte fecit⟩[b]. Quoad notationes theologorum: 2^{s} falsus est et omnino damnandus, etiam quod a nemine assereretur, postquam occurrit in mentem, qui occurre-

[a] *In C 118 corr. ex* ecclesiae vel divinum; *C 119* vel ecclesiae vel ecclesiae [!]; *Th om.* divinum
[b] *M om.* [c] *C 118 et C 119 et Th om.* [d] *M* ut in baptismo, confirmatione [?] etc.
[e] *C 118 falso* Exod. 12 [f] *C 119 et Th* Paulus neque tantum [g] *C 119 et Th* sensum
[h] *M* ut probatum est neque miracula multiplicanda sunt, quae de ea positione magis multiplicarentur
[i] *M* ergo in Eucharistia quacunque parte etc. [k] *M* sub utraque
[l] *M* ideo non obstat: Nisi biberitis, et Matth.: Bibite etc. et Paulus: Et sic de pane illo edat etc.
[m] *Codd. add.* in [n] *C 118 add.* in [o] *M* eo tempore ecclesia usa fuerit

[1] Christophorus Patavinus, de quo cf. Conc. Trid. XIII 130 adn. 2, scripsit tractatum de reali Christi in Eucharistia praesentia, quem invenis *ibid.* 130—134 n. 26. Votum eius in scriptis datum exhibemus in Appendice II n. 23.

[2] *Io.* 3, 5. [3] *Io.* 20, 23.
[4] *Matth.* 26, 28. [5] *1 Cor.* 11, 27 sqq.
[6] *Matth.* 26, 27. [7] *1 Cor.* 11, 26.
[8] *Augustinus,* Epistola 54 c. 6. *Migne,* P. lat. XXXIII 203.

retur haeresi futurae, ⟨quod non est inconveniens. Paulus enim idem facit, cum nos docet, qualiter haereses, quae oriendae [!] erant, fugere deberemus⟩[a][1]. 4[s] etiam falsus est, quia[b] per accidens aliquando peccata remittit, sed non mortalia, ⟨ut ait⟩[c] Augustinus hom. 26[d][2]. Pars ultima 6. articuli etiam ⟨haeretica est⟩[e], quia sacerdotibus nedum licet, dum celebrant, sed eis praeceptum est, ut sumant. Laycis autem nunquam licet, etiam in casu necessitatis, quia eo casu sufficit votum. Neque obstat exemplum panum propositionis in Davide, quia ipse arctabatur fame, ⟨et urgebat periculum mortis[3]. Non sic in Eucharistia[f], in qua votum sufficit, quod Davidi non sufficiebat, nisi realiter comedisset⟩[g]. 9[s] etiam falsus est, quia sub qualibet specie est vivum, integrum ⟨et totum⟩[c] corpus Christi. Quoad gratiam, stante hac prohibitione ecclesiae communionis sub utraque, tantum gratiae sub una quantum sub utraque sumitur. Si autem huiusmodi ecclesiae prohibitio non esset, sumens sub utraque plus sumeret quam sub una ex vi sacramenti, quia sacramentum per seipsum etiam multum valet. Sub specie igitur panis gratia sumitur; sub specie vini gratia etiam sumitur; ergo bis gratia et maior sub utraque quam sub una. 10. articulus falsus est[h], licet sola fides aliquando commendatur, ut ⟨Paulus multis in locis[4] et ecclesia canit⟩[c]: «Ad salvandum[i] cor syncerum sola fides sufficit[5].» In sensu tamen haereticorum articulus falsus est. Quoad confessionem tenet, eam esse necessariam ante sumptionem Eucharistiae, ut statuit concilium Lateranense cap. *Omnis utriusque*, quia ibi non statuitur communio propter confessionem, sed confessio propter communionem[k]. Idem tenet Augustinus hom. 50[6] et multi alii doctores. Assertio igitur contraria omnino damnetur, si non ut haeretica, saltem ut erronea, habita copia confessoris. |

156v R. D. ep. **S. Marci**[7], qui nuper venit ad concilium et suo loco dicere non potuit ⟨una cum quibusdam aliis patribus, qui incepta hac examinatione Tridentum applicuerunt, sententiam post generalem suprascriptum protulit⟩[c]. Primum igitur articulum haereticum esse confirmavit; 3[s], 5[s] et 6[s] idem ⟨ex falsitate primi⟩[c]. 7[s] etiam, quia, postquam ex pane factum est corpus Christi, manet semper Christus in qualibet particula illius speciei[l]. 8[s] etiam haereticus est, ⟨9[s] idem.⟩[c] Quoad notationes: 2[s] haereticus est, quia delet usum huius sacramenti. ⟨4[s] et 6[s] idem;⟩[m] 10[s] idem. Confessio enim semper est necessaria, antequam Eucharistia sumatur.

Camerinensis[8] (qui etiam nuper venit). ⟨Primus articulus haereticus est;⟩[c] omniaque sacramenta propter hoc instituta esse ostendit, quia in eo ⟨non gratia Christi, sed ipse Christus⟩[n] praesentialiter est[o]. Et ⟨ex falsitate huius primi sequitur falsitas 3[i], quia, si Christus est in Eucharistia, ergo adoranda, veneranda etc., ut in 5[o]; ergo et non cum

[a] *M* et damnandus: Si quis dicat etc. [b] *M* propter illam notam «solam» [c] *M om.*
[d] *M add.* dicit remitti quotidiana peccata [e] *M* falsa est, cum sacerdotes excludat
[f] *Th* ecclesia [g] *M* ita ut alias obiisset, neque poterat abstinere
[h] *M add.* de sola fide [i] *Th* firmandum [k] *M add.* et multis aliis modis comprobavit
[l] *M* hostiae [m] *M* 4[s] etiam damnandus est; 9[s] idem; *Th* 4[s] et 7[s] idem;
[n] *M* Christi corpus [o] *M add. hic* Primus igitur articulus haereticus est.

[1] Cf. *1 Tim.* 4, 1—5; *2 Tim.* 3, 1—9; *2 Thess.* 2, 3.

[2] Loquitur de *Augustini* tractatu 26 in Ioannem, ut apparet ex voto scripto. *Migne*, P. lat. XXXV 1611.

[3] *1 Reg.* 21, 1—6. [4] Ex. gr. *Rom.* 3, 28.

[5] In hymno *Pange lingua, gloriosi corporis mysterium.*

[6] Nunc est Sermo 351 de utilitate agendae poenitentiae. *Migne*, P. lat. XXXIX 1535—1549.

[7] Coriolanus Martyranus, Cosentinus, die 20. Iunii 1530 nominatus fuit episcopus S. Marci. Cf. de eo *van Gulik-Eubel* III 251 (qui eum anno 1551 obiisse falso scribit); Conc. Trid. I 198 adn. 2; *Ughelli*, Italia sacra I 950; *Druffel*, Monum. Trident. 302 adn. 1. Vir erat linguae latinae et graecae peritissimus, qui stili sui elegantia valde excelluit. Concilio prius congregato interfuit litterasque concilii mense Ianuario 1546 pontifici principibusque dandas confecit, quas patres propter earum elegantiam, gravitatem, modestiam maxime laudabant. Seripandus vero eius stilo minus favit. Conc. Trid. II 436 l. 18—21. Die 8. Martii 1547 votum de articulis Eucharistiae dedit. *Ibid.* V 1011 l. 44 sq. Translationi concilii non assensus Tridenti remansit. *Ibid.* V 1033 l. 45—48; 1037 l. 13. Graecorum poetarum 2 comoedias et 8 tragoedias in linguam latinam convertit, quas anno 1556 Neapoli typis edi fecit. *G. Tiraboschi*, Storia della letteratura Italiana VII 3 (Roma 1785) 300 sq. Obiit anno 1557.

[8] Berardus Bonioannes, clericus Romanus, die 5. Martii 1537 Camerinensis dioecesis episcopus nominatus est. Die 8. Septembris 1547 ad concilium Bononiam translatum venit (Conc. Trid. I 691 l. 16). Iulius III eum in congregatione cardinalium die 3. Aprilis 1551 habita nuntium in Poloniam destinavit (*ibid.* II 221 l. 23—28); sed tunc temporis illuc non venit (*ibid.* VIII 8 adn. 6). Sub Pio IV per tres circiter annos (1560—1563) nuntius in Polonia degebat. Cf. *Pastor* VII 388 sqq. Autumno anni 1563 Tridentino concilio interfuit. De eius collectione variarum scripturarum conciliarium cf. *S. Merkle* in Conc. Trid. I p. XXIII l. 10—16. Mortuus est die 12. Septembris 1574. De eo agit *S. Merkle* in Conc. Trid. I 691 adn. 2; *Ughelli*, Italia Sacra I 566; *van Gulik-Eubel* III 164. Eius votum in scriptis datum invenis in Appendice II n. 24.

pane neque unione hypostatica.⟩[a] 4^s etiam falsus[b], quia habet etiam alios effectus[c]. 6^s idem[d]; 7^s idem. Quandiu enim manent illae species, manet in eis corpus Christi. 8^s etiam haereticus est et tantum sub una, quantum sub utraque sumitur, tam quoad sacramentum quam quoad gratiam. Et si aliquando quis ⟨sub utraque⟩[e] plus gratiae sumeret, id esset ex virtute dispositionis. ⟨Quod contra potest accidere in sumente sub una quam sub altera.⟩[e] Et div. Thomas dicit inter sumptionem sub una et sub utraque non esse aliquam differentiam nisi quoad significantiam[1]. 2. articulus etiam haereticus est. ⟨10^s⟩[f] falsus est in sensu haereticorum, qui omnem aliam probationem excludunt. ⟨Contrariam tamen opinionem circa confessionem non censet esse contra ius divinum;⟩[g] ideo damnetur omnino, sed non ut haeretica, sed scandalosa.

Bituntinus[h 2] primum articulum haereticum comprobavit ⟨ex locis communiter allegatis: *Hoc est corpus meum* etc., super quibus verbis⟩[i] Ilarius 8 de Trinitate ⟨excludens figuram et sensum tropicum⟩[e] dicit: An Christus ignorav[er]it significationem verborum et nesciverit proprie loqui, qui cum | seipsum daret, seipsum dare ostendere nolebat?[k 3] 157r
Nec est unio hypostatica, sed transsubstantiatio, ⟨quae non est vox nova quoad effectum⟩[e]. Cyprianus enim sermone de cena Domini et alii doctores ⟨aliis in locis⟩[e] similibus utuntur verbis, ut mutatio, ⟨transitus substantiae, conversio⟩[l 4] etc. Et omnes intelligunt de ⟨mutatione substantiae panis in verum Christi corpus⟩[m]. Ireneus lib. 5 adv. Valenti[n]um dicit: Panis fit caro et vinum sanguis Christi[5]. ⟨Nihil autem refert, quod propria illa vox non inveniatur in sacris litteris, in quibus multae aliae voces, quibus ecclesia utitur, et sunt essentiales de fide, non inveniuntur, ut homusion [!], ut Theotogon [!],⟩[n] et multa alia, quae Spiritus Sanctus suo tempore ecclesiae revelavit. ⟨Cum igitur Christus sit realiter in Eucharistia, ergo adoranda et veneranda omnibus modis;⟩[o] neque ad solam remissionem

[a] *M* ex hoc 3^s etiam hereticus sequitur. [b] *M* damnandus
[c] *M add.* 5^s etiam hereticus est, quia, si adest Christus, ergo adorandus.
[d] *M add.* eadem ratione [e] *M om.* [f] *M* 9^s et 10^s
[g] *M* Non tenet tamen esse contra ius divinum opinionem Caietani;
[h] *M add.* qui etiam nuper venit [i] *M* et ex Ioa. 6 etc., etiam: Hoc est etc.
[k] *Codd. et Th falso* volebat; *M add.* Et Basilius
[l] *C 119 et Th* transitus, substantiae conversio [m] *M* una essentia
[n] *M* Et licet non inveniatur in scripturis, neque etiam invenitur nomen Trinitatis neque Omusion, neque mater Christi B. Virgo appellatur.
[o] *M* Est ergo adoranda Eucharistia, est summenda

[1] *Thomas Aquinas,* Summa theol. pars III qu. 80 art. 12.

[2] Cornelius Mussus, natus Placentiae die 16. Aprilis 1511, puer novem annorum ordinem fratrum Min. Conv. ingressus est. Eximiis ingenii dotibus praeditus studia philosophica et theologica in conventu sui ordinis et in universitate Pataviensi peregit. Laurea theologiae insignitus, annis 1534 ad 1538 fuit concionator Mediolani, Paviae et Bononiae, ubi in universitate etiam metaphysicam docuit. A Paulo III a. 1538 Romam vocatus cardinalis Alexandri Farnesii theologus fuit et munere concionatoris in ecclesia S. Laurentii in Damaso functus est. Die 14. Nov. 1541 ad sedem episcopalem Bertinorensem evectus anno 1543 ad concilium Tridentinum se contulit. Anno 1544 (Oct. 27) ad ecclesiam Bituntinam translatus mense Martio anni sequentis iterum Tridentum profectus est. Quamquam mense Ianuario 1546 titulo concilii illa verba *universalem ecclesiam repraesentans* addenda esse defenderat ideoque indignationem curiae in se converterat, tamen postea magna legatorum fiducia fruebatur, qui eum in deputationes pro decretorum exaratione compositas vocaverunt. Sed eius collaboratio in iustificationis decreti confectione palam fecit, eum scribendi loquendique facilitate et dexteritate plus valere quam rerum theologicarum doctrina. Ut vides infra p. 176 l. 34, etiam a cardinali Crescentio huiusmodi deputationibus adscriptus est et munus defendendi in congregationibus canones a deputatione confectos suscepit; sed die 10. Ianuarii 1552, cum iterum esset vocatus in deputationem pro exaratione canonum de sacrificio missae, noluit amplius hoc munere fungi, quia Romam falsa de eo nuntiata fuerant. Posterioribus annis Mussus in sua dioecesi (1554—1560), Romae (1561—1564) et iterum Bitunti (1564—1572) vixit. Ultimis suae vitae annis (1572—1574) Romae degebat. Magni momenti fuit eius legatio ad aulam Caesaream anno 1560, etiamsi duobus orationibus ab eo die 25. Iulii et die 5. Augusti 1560 habitis rex Maximilianus ad religionem catholicam reduci non potuit. Ad dignitatem cardinalitiam nec a Iulio III nec a Pio IV assumptus est, uti speraverat. In dioecesi sua multum laboravit pro reformatione et pro concilii Tridentini decretorum acceptatione et executione. Cf. de eo et de eius scriptis *H. Jedin,* Der Franziskaner Cornelio Musso, Bischof von Bitonto, in: Römische Quartalschrift XLI (1933) 207—275.

[3] Alludere videtur ad lib. VIII c. 11 de Trinitate: «Aut forte qui verbum est, significationem verbi ignoravit? Et qui veritas est, loqui vera nescivit?» Quibus tamen verbis Hilarius non explicat locum *Matth.* 26, 26, ut Bituntinus asserit. *Migne,* P. lat. X 243.

[4] Non S. Cyprianus, sed *Ernaldus,* abbas Bonaevallis, est auctor operis, prius Cypriano attributi, cui titulus: Liber de cardinalibus operibus Christi, cuius cap. 6 inscribitur: De coena Domini. Quo in capite legitur: «Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus omnipotentia Verbi factus est caro.» *Migne,* P. lat. CLXXXIX 1643 sq.

[5] *Irenaeus,* Adversus haereses lib. V c. 2 n. 3: «Quando ergo et mistus calix et factus panis percipit verbum Dei et fit Eucharistia sanguinis et corporis Christi. . . .» *Migne,* P. gr. VII 1125.

peccatorum instituta. Non est enim pharmacum, ut aegrotis detur ad eos sanandos, sed cibus, quo sani et benevalentes nutriantur. ⟨Corpora autem male affecta, etiam in naturalibus quanto magis nutriuntur, tanto magis destruuntur. Qui sani, dum eum cibum accipere volunt, maxime se probare debent,⟩[a] ⟨etiam per confessionem sacramentalem, quae omnino necessaria est. Nollet tamen id per dogma haereticum sub anathemate statui;⟩[b] sed vel damnentur propria verba Lutheri[c] vel ponatur inter abusus huius sacramenti. ⟨Quo ad sumptionem⟩[d] laycis non competit nisi una species, ⟨qui ad id solum tenentur neque propterea minus sumunt,⟩[a] quia Christum integrum, vivum, ⟨verum sub una specie⟩[a] sumunt. At sacerdotes, qui tenentur offerre, consecrare[e] et sumere et veram memoriam mortis Christi facere, sub una non adimplerent, ad quod tenentur; propterea sub duabus sumunt, et id solum, dum celebrant[f], ⟨quia tunc memoriam passionis Christi faciunt, quam layci eo modo facere non tenentur, cum solum sacerdotibus sit dictum: *Hoc facite in meam commemorationem*[1]. Et licet layci sub una accipientes sanguinem sub potu formaliter non |
157v accipiant, sumunt nihilominus sanguinem, quia⟩[a] corpus[g] cibus et potus est[h]. ⟨In eo enim et caro et sanguis est et anima et divinitas, ita ut, dum sub una specie panis communicant, nihilo minus de corpore Christi accipiant, quam sacerdotes sub duabus.⟩[a] Unde Christus Ioa. 6 multoties panis meminit, sanguinis raro ⟨idque apte⟩[i], quia, cum diceret carnem[k], sanguinem etiam includebat[l]. Quare et Iudaei de carne tantum murmurabant dicentes: *Quomodo potest hic dare carnem suam ad manducandum?*[m][2] ⟨Neque etiam minor gratia ex vi sacramenti sumitur sub una, quam sub utraque ex opere operato.⟩[n] Et si maior sumeretur sub utraque, id eveniret non ex vi sacramenti, sed operis operantis, quia magis dispositus esset, licet contrarium etiam evenire posset, ⟨ut maiori devotione quis sub una, quam alius sub duabus sumeret. Quae⟩[a] dispositiones non sunt attendendae. Deinde probavit Ioa. 6 [54] intelligi de manducatione spirituali, quae omnino necessaria est per fidem, qua etiam in baptismo Christum manducamus. ⟨Et quod opponitur, institutionem baptismi et huius sacramenti aequaliter omnes obligare, quia paribus verbis instituuntur, ostendit, non esse verum, quia verba baptismi sunt in singulari:⟩[o] *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*[3] etc., quasi oporteat, quod unusquisque aqua baptismi renascatur. Sed verba Ioa. 6 [54] sunt in plurali: *Nisi manducaveritis* etc., quasi non quisque, sed aliqui manducaverint et biberint. ⟨Improbavitque rationes illorum, qui dicunt, communionem sub utraque esse dandam laycis, quia verba Christi apud Matth. et alios evangelistas, dum de bibitione loquuntur, ad solos sacerdotes referuntur, qui facere et sacramentum hoc et eius memoriam tenentur. Non sic layci, qui tamen, dum missae astant, offerunt et ipsi una cum sacerdote, in spiritu tamen et fide, quod idem est quoad meritum, et quia sub una nihil minus accipiunt, ut dictum est.⟩[a] Germanis autem nequaquam ea communio sub utraque concedenda est, quia ⟨esset eos in eorum errore confirmare, cum credant, non⟩[p] tantum sumi sub una, quantum sub utraque. Si vero in aliis omnibus cum concilio convenirent, concedi posset.

Dimittiturque congregatio hora 23.

Congregatio generalis.

Absolvitur examinatio articulorum de sacramento Eucharistiae et eliguntur patres pro confectione decreti super eisdem articulis.

158r Die Mercurii **ultima** eiusdem mensis **Septembris** hora 19 fuit congregatio generalis, in qua post lectam solitam orationem prosequutus est examinationem eorundem articulorum de sacramento Eucharistiae

[a] *M om.*
[b] *M* 10s de confessione, cuperet statui eam necessariam, sed non statuatur dogma ut haereticum
[c] *M add.* quae non ita se habent ut in articulo [d] *M* 8s de communione sub utraque
[e] *M* conficere [f] *M* conficiunt [g] *M add.* solum
[h] *M add.* licet non formaliter potus sit [i] *M* neque id necessarie
[k] *M* panem, id est carnem [l] *M* dicebat
[m] *M add.* Et Christus conclusit: Qui manducat hunc panem, vivit in aeternum.
[n] *M* Quoad 9. articulum equalis gratia sub utraque sumitur ex vi sacramenti et operis operati.
[o] *M* Et institutio baptismi fit singulariter [p] *M* ipsi non credunt

[1] *Luc.* 22, 19. [2] *Io.* 6, 53. [3] *Io.* 3, 5.

R. D. [episcopus] **Clodiensis**[1], qui etiam nuper venit ad concilium. Articulos omnes haereticos esse asseruit, adhaerens dictis per praecedentes patres in omnibus. In Eucharistia enim revera Christum esse confirmavit ⟨tum ex verbis ipsius Redemptoris tum aliis rationibus⟩[a]. Alias enim non esset ⟨adimpletio figurae de manna⟩[b], quia manna erat realis cibus coelestis, ut ipsemet Christus dicit apud Ioa. 6 [49]. Et si Christus ⟨[non] manducaretur realiter⟩[c], non corresponderet figurae. Idem ⟨2^{s}⟩[a], 3^{s}, 4^{s}, 5^{s}, 6^{s}, 7^{s} haeretici sunt. 8^{s} etiam, praesertim quoad parvulos, qui[d] neque spiritualiter neque sacramentaliter manducare possunt, et quia layci etiam ⟨in corpore⟩[e] sanguinem sumunt, ⟨cum corpus sit vivum cum sanguine. 10^{s} de confessione damnandus est, sed non ut haereticus.⟩[f]

Et cum iam nullus alius ex patribus superesset ⟨et omnes suas sententias protulissent⟩[a], R. D. archiep. **Sipontinus,** secundus praesidens, licet non sit mos, quod vel legati vel praesidentes concilii aliquid dicant in examinatione articulorum neque etiam decretorum, ⟨sed ad eos tantum sententias colligere et res dirigere spectet⟩[a], tamen ad conscientiae suae exonerationem quaedam circa articulos ipsos se dicturum proposuit, super 8^{m} scilicet, ubi agitur de communione laycorum sub utraque, ⟨quam de iure divino minime esse confirmavit[2]. Cuius rei difficultatem omnem in verbis manere ostendit⟩[g], an videlicet sit institutio de iure divino, an praeceptum iuris divini. Institutio enim non omnes obligat, prout nec ordo et matrimonium; praeceptum autem obligat. At hoc non praeceptum, sed institutio est. Alias enim, dum dicitur: *Facite, bibite,* si obligaret omnes, omnes essent sacerdotes; alias enim non possent conficere; et confectio pari modo cum bibitione[h] praecipitur. Igitur verba illa dicta sunt solis sacerdotibus ⟨et discipulis illis, quos eo actu Christus sacerdotes instituit⟩[a]. Item Paulus 1 ad Cor. 11 [23—26] non dat praeceptum ⟨sumendi et bibendi, sed docet | usum huius sacramenti⟩[i], dum illud vel manducatur vel 158v
bibitur. Et locum Ioa. 6 [54] intelligi de spirituali manducatione. Improbavitque opinionem illorum, qui dicunt, loqui de sacramentali, quia alias quilibet teneretur ea verba adimplere, ⟨quod falsum est⟩[a]; neque qui solum manducat corpus[a], bibit sanguinem[a]; alias enim Christus loquutus fuisset superflue[k] de sanguine, ibi: *Nisi biberitis,* quod absurdum est. Et alias verba illa Marc.[l] ultimo: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*[3], non essent vera, si adhuc manducatio huius sacramenti requireretur. Neque probavit eos, qui dicunt esse quidem de iure divino, sed ecclesiam eam mutare posse, quia ecclesia ea, quae sunt substantialia iuris divini, mutare non potest. Igitur ecclesia mutare non potest essentialia sacramentorum, imo neque formam verborum, ut Innocentius[m] in cap. 1 de baptismo tenet[4]. Et ad illud, quod adducitur, apostolos mutasse formam baptismi, respondit, illud etiam esse iuris divini, quod apostoli ordinarunt. Item respondit apostolos non mutasse formam Christi, sed nova usos, et prima semper mansit. ⟨Utebantur autem eo solo nomine Iesu, quia ecclesia indigebat, ut illud in cordibus hominum imprimeretur[5]. Quo facto forma prima restituta est, quae etiam hodie observatur.⟩[a] Circa usum autem sacramentorum ecclesia plenam habet auctoritatem; circa quem usum communio sub utraque consistit, qui immutari ab ipsa ecclesia potest. Ecclesia enim ex causa etiam sacramenta omnia interdicit, ⟨nedum eorum usum alterat⟩[a]. ⟨Et Ioa. 6 non sub praecepto loquitur, quatenus

[a] *M om.* [b] *M* figura vere mannae [c] *M* in Eucharistia non esset vere
[d] *C 119 et Th* quia [e] *M* sub una
[f] *M* quia in corpore est sanguis, item quia est praeceptum affirmativum, quod non ad semper obligat. 10^{s} de confessione: non censet haereticum, non confiteri ante communionem etc. Subiiciens se etc.
[g] *M* quem haereticum asseruit. Sed quia tota vis est in verbis [h] *M* sumptione
[i] *M* sed formam usus [k] *C 119 et Th* superflua [l] *Codd. et Th falso* Matth.
[m] *Th add.* III

[1] Iacobus Naclantus (Nacchiante), ord. Praed., 1544—1569 fuit episcopus Clodiensis. *van Gulik-Eubel* III 186. Cf. de eo *S. Merkle* in Conc. Trid. I 184 adn. 10 et de eius operibus *F. Lauchert,* Die italien. literar. Gegner Luthers (Freiburg i. Br. 1912) 584—614. In concilio prius congregato saepius legatorum propositionibus vel opinioni maioritatis se opponebat, praesertim cum in decretum de scripturis canonicis traditiones apostolorum tamquam fontes revelationis non esse recipiendas contenderet. Conc. Trid. I 33 l. 39 sqq.; 45 l. 31 sqq.; V 18 l. 27 sqq.; 71 l. 31 sqq. Anno 1548, cum esset suspectus de haeresi, Massarellus Clodium missus est, ut de eius doctrina et vita inquireret. Conc. Trid. I 813—821. *G. Buschbell,* Reformation und Inquisition in Italien (Paderborn 1910) 155—173. Etiam concilio tertio congregato interfuit. Obiit anno 1569.

[2] Etiamsi ex aliis fontibus ostendi non potest, tamen valde probabile est, duos praesidentes Crescentio suadente contra morem alias servatum sententias suas de communione sub utraque dixisse.

[3] *Marc.* 16, 16.

[4] Loqui videtur de c. 1 *Si quis puerum* X de baptismo III 42, in quo forma baptismi praecipitur. Quod caput tamen non est Innocentii III, sed Alexandri III.

[5] Cf. supra p. 167 adn. 10.

ut⟩[a] omnes obliget ut[b] singulos, sed ut ecclesia id faceret, id est aliqui in ea nomine omnium. Quod etiam fit in qualibet universitate, ⟨quae, cum ad aliquod faciendum obligatur, dicitur satisfecisse, etiam quod non omnes, sed aliqui ex ea nomine omnium id facerent⟩[c]. Et Paulus ad Hebr. [5, 3] dicit, pontificem pro se et aliis[d] offerre. Locus igitur Ioa. 6 [54] loquitur quoad laycos spiritualiter, quoad sacerdotes sacramentaliter, quia layci fide offerunt et sumunt una cum sacerdotibus; sacerdotes autem omnino offerre, conficere et sumere tenentur realiter et vere. Item quia sub qualibet specie tantum sumitur ex vi
159r sacramenti, neque | minus layci quam sacerdotes accipiunt neque de sacramento neque de gratia neque de fructu; ⟨cuius contrarium tenent, qui communionem sub utraque expetunt.⟩[c]

R. D. ep. **Veronensis,** tertius praesidens, dixit, se etiam referre velle quaedam ad suae conscientiae serenitatem super articulo 8 de communione sub utraque quoad laycos[e], quem articulum haereticum esse confirmavit. Neque obstare, quod ecclesia aliquando comunicaverit ipsos laycos sub utraque, quia id ad tempus fecit ob urgentes[e] rationes, sed postea mutavit. At *verbum Domini manet in aeternum*[1]. Et *coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt*[2]. Si enim id fuisset de iure divino, semper in ecclesia retentum fuisset. Christus etiam aliquando communicavit discipulos sub una tantum specie, ut in Emaus, prout asserit Chrisostomus hom. 17[3]. Et Act. 27 [35] de Paulo ⟨post naufragium⟩[c] panem frangente eum communicasse Beda refert[4] ac etiam ipse Chrisostomus dicta hom. 17[f 5]. Si etiam esset de iure divino sub utraque, quomodo ecclesia in Parasceve sub una tantum communicaret ⟨et offerret⟩[c]? Matth. quoque 6 [11] cum Christus docet orare, docet ⟨petendum panem solum⟩[g]. Quem panem omnes doctores de Eucharistia intelligunt. De sanguine autem ibi nulla mentio fit. ⟨Et quod semper in ecclesia fuerit hic mos communicandi sub una, patet etiam ex multis auctoritatibus.⟩[c] Ignatius enim in epist. ad Ephesios hortatur eos, ut panem frangerent; de vino nihil habetur[6]. Paulinus in vita B. Ambrosii refert, ea die, qua B. Ambrosius obiit, communicasse sub specie panis tantum[7]. Agabitus papa, cum iret in Constantinopolim, sanavit quendam mutum ⟨et surdum⟩[c] cum porrectione Eucharistiae[8]. De sanguine autem nihil dicitur[h]. D. Thomas 3. parte qu. 80 de hac communione ut[i] de consuetudine ecclesiae meminit[9]. Item 1 Reg. 2 [36] dicitur: Venient posteri et dicent sacerdotibus: Date nobis bucellam panis. Quem locum Augustinus de communione sub specie panis intelligit[10]. ⟨Item figurae 4 veteris legis de sola specie panis ostensae sunt:⟩[c] Prima panes
159v propositionis, ubi de vino nihil dicitur; secunda Exod. 12 de agno paschali, qui | absque potu edebatur; tertia manna, quae etiam sola absque potu manducabatur. Et licet Paulus dicat, patres eundem cibum comedisse et eundem potum bibisse[11], id autem diverso fuit tempore. Manna enim ante data in deserto sola edebatur; postea ⟨data fuit aqua petrae⟩[k]. Quarta 1 Reg. 14 [27] de Ionatha, qui ⟨melle et pane gustato visum recepit⟩[l], quam figuram Bonaventura de Eucharistia exponit[12]. Neque est inconveniens, quod figuris utamur, cum Paulus eis etiam usus fuerit 1 Cor. 10[m]. Matth. quoque 26 Christus prius consecravit panem et illum porrexit in medio cenae; ait enim: *Cenantibus illis*[13] etc., et dixit tunc: *Hoc facite in meam commemorationem*[14]. Calicem autem consecravit post cenam; dicit enim:

[a] *M* Perdet igitur difficultas, an locus Ioa. 6 loquatur sub praecepto. Non enim sub praecepto, quatenus non
[b] *Th* et [c] *M om.* [d] *M* omnibus [e] *M* omnes [f] *M add.* super Matth.
[g] *M* tantum panem supersubstantialem vel praecipuum vel summum
[h] *M* Cassius, episcopus Narniensis, qua die obiit, in specie panis communicavit et consecravit.
[i] *C 119 et Th* et [k] *M* in Cades mannam datam cum potu petrae
[l] *M* panem manducavit
[m] *C 118 et C 119 et Th* 1 Cor. 11; *M* 1 Cor. 10 *et add.* de manna et de baptismo patrum in nube et transitu maris rubri

[1] *1 Petr.* 1, 25; *Is.* 40, 8. [2] *Matth.* 24, 35.
[3] *Pseudo-Chrysostomus*, Opus imperfectum in Matth. hom. 17. *Migne,* P. gr. LVI 729.
[4] *Beda Venerabilis,* Super Acta apostolorum expositio c. 27: «Et quia nocte media quatuor anchoris inter undarum impetus regebantur, orta die, terrae sinum conscendunt, quia nullus huius saeculi tempestates, nisi qui pane vitae pascitur, evadit.» *Migne,* P. lat. XCII 992.
[5] Vide adn. 3.
[6] *Ignatius,* Epistola ad Ephesios cap. 20. *F. X. Funk,* Patres apostolici II[2] (Tubingae 1901) 204/05.
[7] *Migne,* P. lat. XIV 43.
[8] *Gregorius Magnus,* Dialogorum lib. III c. 3. *Migne,* P. lat. LXXVII 224.
[9] *Thomas Aquinas,* Summa theol. pars III qu. 80 art. 12.
[10] *Augustinus,* De civitate Dei lib. XVII c. 5 n. 5. *Migne,* P. lat. XLI 535 sq.
[11] *1 Cor.* 10, 3 sq.
[12] *Bonaventura,* Sermo 3 de sanctissimo corpore Christi c. 17 22 24. *Ed. Quaracchi* V 559 sq.; Comment. in evangelium Lucae c. 24 n. 38. *Ibid.* VII 597.
[13] *Matth.* 26, 26. [14] *Luc.* 22, 19.

Et cum cenasset, accepit calicem[1], et sine praecepto illum dedit[a]. Sacerdotes etiam dicuntur consumare sacrificia et layci participare de sacrificiis, ut Paulus 9 ad Hebr.[2] et alibi. Idem refert Dionisius Areop. in 3° eccl.[b] hier.[3] Et quod adducitur contra: *Bibite ex eo omnes*[4], non obstat, quia id tunc adimpletum est. Dicitur enim: *Et biberunt ex eo omnes*[5]. Et tunc, cum dixit: *Hoc facite,* creavit apostolos sacerdotes; alias Thomas non fuisset sacerdos, cum non interfuerit, quando Christus dixit: *Quorum remiseritis*[6] etc. Improbavit etiam, quod quidam dixerat, B. Virginem interfuisse illi cenae[7], cum evangelistae 12 tantum discipulos interfuisse testentur. ⟨Lucas enim 22 [14] ait: *Et cum facta esset hora, discubuit et 12 apostoli cum eo.* Et Marc. 14 [17 sq.]:⟩[c] *Vespere autem facto venit cum 12 et discumbentibus eis.* ⟨Et Matth. 26 [20]: *Vespere autem facto discumbebat cum [12] discipulis suis.*⟩[c] Locum autem Ioa. 6 [54]: *Nisi biberitis* etc. non intelligi de hoc sacramento, prout neque dum dicitur: In regno meo edetis et bibetis[8]. Et alibi: *Calicem quidem meum bibetis*[9]. Non enim semper ⟨manducare et bibere a Christo prolatum sacramentum Eucharistiae significat⟩[d]. Atque etiam dum Paulus dicit: *Caetera, cum venero, disponam*[10], Augustinus[11] et alii nonnulli, ut Thomas Valdensis[12], dicunt, Paulum mutasse hanc communionem Corinthiis sub una tantum specie, figuramque Melchisedech repraesentare Eucharistiam ut sacrificium, non autem ut sacramentum, ut ibi dicitur: *Erat enim sacerdos Dei altissimi*[13]. ⟨Concessio autem huius | communionis non est facienda Germanis. De his enim prophetavit Isaias cap. 24 [9]: 160r
Vinum non bibent cum cantico; amara erit potio bibentibus illam.⟩[e] Quod autem dicitur in 10. cap. de confessione, tenet, contritionem solam non esse sufficientem praeparationem, dum quis accedit ad Eucharistiam, ut docet Cyprianus lib. 3 epist. 15, 16 et 17[f][14], Chrisostomus hom. 10 super cap. 3 Matthaei[15]; Leo I in epist. 89[16]; Rupertus in cap. 3 Levit.[17]; Riccardus[18]; Bonaventura in 3. sententiarum[19]. ⟨Est igitur contraria opinio omnino damnanda.⟩[c]

Postea R^mus^ et Ill^mus^ D. legatus dixit, nihil aliud restare, quam ut Deus laudetur, cum iam perfecta sit examinatio horum articulorum de sacramento Eucharistiae, in quo patres gloriari debent tum de laboribus in ea susceptis, tum de victoria, quam de eorum adversariis reportarunt, quorum omnium vires et propugnacula prostrata et diruta sunt. De quibus omnibus Deo omnipotenti laus sit, cui omnis *honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.*[20]

Deinde dixit, vota omnia esse collecta et ea examinabuntur, et quae cum aliis convenire reperientur, aptabuntur, si qua superflua videbuntur, resecari poterunt, ut canones formari possint. Postea retulit, se una cum collegis suis omni honoris genere patres omnes prosequi et eos fraterne diligere, aequumque esse, ut et ipsi ab eis etiam fraterne amentur et pari loco habeantur. Quare si aliquid ab eis, legato et praesidentibus, emendandum aliquando occurreret, id fraterne admonendum esset ⟨(semper enim admonitionum patrum eam, quae decet, rationem habebunt)⟩[c], non autem publice in eorum obrobrium [!], ⟨ut quidam ex patribus fecit idque nulla prorsus ratione. Damnabat enim allegari hystorias et admonebat, theologos consulendos, antequam articuli super dogmatibus darentur (fuit hic archiepiscopus Granatensis),[c] quasi primum sit malum et secundum non sit factum. (Multi enim patres allegarunt ad improbandos quosdam articulos vitas sanctorum patrum ab

[a] *M add.* Tenet igitur cum ecclesia communionem sub utraque non competere [?] laycis de iure divino
[b] *Codd.* hist. [c] *M om.* [d] *M* illud bibere ad sacramentum refertur
[e] *M* De concessione et petitione hereticorum prophetavit Isaias 24; et D. Gregorius epist. 41 de immersione puerorum in baptismo, licet laudat tres immersiones, tamen in futurum prohibet, ne id fiat, sed semel immergantur.
[f] *M add.* Augustinus

[1] *Luc.* 22, 20. [2] *Hebr.* 9, 6.
[3] *Pseudo-Dionysius Areop.*, De ecclesiastica hierarchia cap. 5 p. 1 § 6. *Migne,* P. gr. III 506 sq.
[4] *Matth.* 26, 27. [5] *Marc.* 14, 23.
[6] *Io.* 20, 23.
[7] Cf. votum episcopi Monopolitani supra p. 158 l. 22.
[8] Cf. *Luc.* 22, 30. [9] *Matth.* 20, 23.
[10] *1 Cor.* 11, 34.
[11] *Augustinus,* Epistola 54 c. 6 Paulum pro Corinthiis, qui post prandium Eucharistiam percipere solebant, hunc morem mutasse credit. Sed de communione sub una tantum specie apud Augustinum nihil legitur. *Migne,* P. lat. XXXIII 203.
[12] *Thomas Waldensis (Netter),* Doctrinale antiquitatum fidei ecclesiae catholicae adversus Wiclevitas et Hussitas II (Venetiis 1758) 551.
[13] *Gen.* 14, 18.
[14] Nunc epistolae 10—12. *Migne,* P. lat. IV 253—259.
[15] *Migne,* P. gr. LVII 189 sq.
[16] Nunc epistola 10. *Migne,* P. lat. LIV 635.
[17] *Rupertus Tuitiensis,* In Leviticum (c. 4, non 3) commentariorum lib. I c. 18. *Migne,* P. lat. CLXVII 763 sq.
[18] Cf. supra p. 126 l. 17, ubi *Richardus a Mediavilla* pro contraria opinione adducitur; in adn. 8 tamen demonstravimus, eum necessitatem confessionis ante Eucharistiae perceptionem defendere, si adest peccatum mortale, etsi alium casum admittit, in quo quis a confessione excusatur. — Forse Veronensis cogitat de *Richardo a S. Victore,* qui in libro De potestate ligandi et solvendi c. 21 confessionem communioni praemittendam esse docet. *Migne,* P. lat. CXCVI 1173.
[19] Cf. supra p. 159 adn. 5. [20] *Rom.* 16, 27.

episcopo Veronensi compilatas, et id apte quidem, cum de consuetudine antiqua in aliquo 160v probandum erat, vel ipsos sanctos patres aliquid fecisse vel sensisse dedu|cere conabantur.) Theologi autem et consulti sunt nunc⟩[a], et ii articuli, qui dati sunt, iimet sunt, qui alias, dum concilium hic celebraretur, a Smo D. N. Iulio III, tunc cardinale de Monte et legato concilii, una cum cardinale S. Crucis dati sunt, qui omnia maxima cum prudentia et animadversione fecerunt[b]. Neque etiam verum est, quod non[c] omnes articuli suos habeant auctores ⟨(ut idemmet Granatensis dixerat). Quod etiam per singulos probavit⟩[d].

Deinde sententias patrum in summa retulit, videlicet: Primus articulus est Oecolampadii, qui ab omnibus patribus iudicatur damnandus; ⟨aliqui tamen dixerunt ex eo delendum, quod dicitur de divinitate quasi superfluum; id tamen ab eisdem haereticis asseritur.⟩[d] 2. articulus etiam ab omnibus damnatur, licet quidam censuerint omittendum, ⟨quasi non haberet auctorem⟩[d], sed est error Buceri et omnino damnandus est, ⟨neque continetur in primo⟩[d], quia hic de sumptione fit mentio, ⟨quae in primo non habetur⟩[d]. 3m etiam omnes damnarunt et est error Lutheri, et ita eum intelligunt Roffensis et Ekhius[e]. 4s etiam ab omnibus damnatus est et est error eiusdem Lutheri, sed ita damnandus, ut non excludatur remissio peccatorum. ⟨5s, 6s et 7s etiam ab omnibus iudicantur damnandi et sunt errores Lutheri.⟩[f] Ultima etiam pars 6. articuli damnata fuit, sed ita, ut sacerdotes tantum compraehendat. 8m etiam omnes damnarunt. Et licet aliqui contra senserint, ⟨sed non in omnibus, sed tantum circa institutionem⟩[d], et iimet dixerunt, ecclesiam non errare dando sub una tantum, atque etiam iudicio et determinationi sanctae synodi se submiserunt. 9s quoque ab omnibus damnatus fuit quoad sacramentum; quoad gratiam fuit discordia[g]; maior tamen pars sentit, non sumi maiorem gratiam sub utraque quam sub una, et eadem maior pars sentit, de gratia non esse faciendam mentionem. Canon aptabitur. 10[i] prima pars ab omnibus item damnatur; sed de confessione ⟨patres fuerunt discordes⟩[d]; maior tamen pars tenet eam esse necessariam, sed contrariam opinionem non damnandam ut haereticam. Super quo etiam canon aptabitur[1].

Deinde dixit, deligendos esse aliquos patres, qui canones super his articulis conficiant. Super qua electione patrum sententias postulavit.

Rmus D. card. **Tridentinus** laudavit omnia dicta per Rmum et Illmum D. legatum et eam 161r electionem | ipsis Rmis legato et praesidentibus remittendam censuit.

R. D. **Maguntinus** et alii omnes idem responderunt.

Tunc ipse Rmus **legatus** nominavit infrascriptos, videlicet: R. D. archiepiscopum Maguntinum, electorem imp., R. D. episcopum Zagabriensem, oratorem regis Romanorum, R. D. archiep. Turritanum, R. D. Granatensem[h], R. D. Bituntinum, R. D. Pacensem, R. D. Guadicensem, R. D. Astoricensem et R. D. Mutinensem.

Quae nominatio ab omnibus una voce laudata et approbata fuit. Et ordinatum, ut ipsi domini deputati conveniant coram Rmo legato et canones iuxta sententias patrum conficiant ⟨et deinde omnia in generali congregatione referant, ipsa autem deputatio formatis his canonibus expiret⟩[d].

Dimittunturque patres hora 23.

Congregatio DD. deputatorum super conficiendis canonibus de articulis sacramenti Eucharistiae.

*Die Iovis **prima** mensis **Octobris** eiusdem anni **1551** hora 19 suprascripti DD. deputati convenientes coram Rmis DD. legato et praesidentibus in primis censuras factas

---

*|: *Conc. 14 fol. 226r (= M) sequentem habet uberiorem formam relationis de iisdem congregationibus dierum 1. et 2. Octobris manu Massarelli scriptam:* Die Iovis **1. Octobris** eiusdem anni **1551**

[a] *M* ut aliqui patres vituperarunt, idque nulla ex ratione ab eis factum est. Aiebant enim quosdam allegantes hystorias et dixerunt theologos consulendos in articulis dandis, qui[a] hystoria est necessaria (ut Veronensis in vitis patrum, quae allegatae sunt) et theologi consulti sunt. Non igitur iure reprehensi sunt legatus ipse et praesidentes

[b] *Th* fuerunt [c] *C 119 et Th om.* [d] *M om.* [e] *C 119* Eschius

[f] *M* 5s et 6s etiam damnati ab omnibus et sunt errores Lutheri. 7s etiam ab omnibus damnatur.

[g] *M* difficultas [h] *Th om.* [i] *M add.* cum dimidia

[1] Massarellus censuras patrum super articulos factas, forse ad usum legati, in folio conscripsit, quod nunc extat in tomo *Conc. 78* f. 50. Cf. App. II n. 25.

in congregationibus generalibus super articulis sacramenti Eucharistiae examinarunt et secundum eas canones formare ceperunt. At quoniam de eisdem canonibus etiam Bononiae, dum in ea civitate concilium per translationem permansit, actum fuerat, ii[a] canones Bononienses resumpti sunt; et tum delendo, tum addendo, tum mutando, tum novos adiiciendo ea die 10 canones confecti sunt. Die vero Veneris **2.** eiusdem mensis **Octobris** convenientibus iterum eisdem DD. deputatis coram ipso R[mo] legato post exactissimas exa|minationes et disputationes ac diversarum opinionum et sententiarum rationes plene et mature discussas et perpensas, tandem 13 canones absoluti sunt sub forma infrascripta: 161v

---

hora 19 fuit congregatio DD. deputatorum super confectione decreti articulorum de sacramento Eucharistiae coram R[mo] legato.

R[mus] **legatus** proposuit primum articulum, qui ab omnibus iudicatus est, ut damnetur. Interrogavit, an in verbis veritatis, an in verbis et expressionis veritatis et damnationis verborum ipsorum haereticorum.

Sipontinus laudavit, ut non solum veritas statuatur, sed errores haereticorum damnentur.

Veronensis, Maguntinus, Zagabriensis, Turritanus, Granatensis, Guadicensis, Astoricensis, Mutinensis, Bituntinus idem.

Et cum moveretur quaestio, an aliqua doctrina praemittenda esset his canonibus, quia tamen in sententiis dicendis rationes non solent exprimi, ut non solum illae rationes synodum movisse appareat, visum [est] multis, ut omitteretur. Sed ne ita nudi canones edantur, placuit, aliquam doctrinam uti professionem sanctae synodi de hac fide catholica praemitti absque ratione. Et electi sunt ad eam conficiendam Guadicensis et Mutinensis.

Deinde R[mus] **legatus** retulit canones, qui super his articulis confecti sunt Bononiae in concilio post translationem, et eos legit, ut, si placeret, temporis iactura redimatur.

Si quis etc.

Et cum fieret difficultas, an 3. canon, qui disputatus non est[1], ponatur nunc cum aliis, exquiruntur vota, quid faciendum.

Maguntinus censet, reservandum, cum agetur de sacrificio missae.

Zagabriensis idem.

Turritanus contra, ut nunc de eo agatur.

Granatensis idem.

Guadicensis cum Maguntino.

Astoricensis, Mutinensis, Pacensis, Bituntinus idem.

Et sic conclusum, ut omittatur, de forma scil. conficiendi hoc sacramentum Eucharistiae.

Deinde leguntur alii canones.

Si quis, 4[s].

Placuit, ut dividatur in plures canones.

Si quis dixerit, 5[s] de communione sub utraque.

Placuit etiam, ut dividatur, et secunda ibi *aut tantum non contineri* etc. Et addatur de pueris. Redeundo ad primum.

Tandem conduntur 10 canones, partim ex veteribus illis Bononiensibus, partim ex novis disputationibus.

Et dimittitur congregatio hora 24.

Congregatio eorundem deputatorum.

Die Veneris **2. Octobris** hora 19 fuit etiam congregatio supradictorum 9 deputatorum super formandis eisdem canonibus; primo proponitur, qui heri sero remansit imperfectus, 10[s] videlicet, de plus gratiae vel fructus sub una vel sub utraque: super quo maxima patrum controversia est, diverse inter se sentientibus. Tandem aptatus est, ut loco aliquo dicatur *ipso,* ibi *fructu.* Item aptantur alii canones usque ad numerum 13.

Postremo refertur a R[mo] **legato,** quae circa reformationem pro nunc statuenda videantur. Quae ab omnibus probantur.

Et dimittitur congregatio hora 24. :|

[a] *Th* duo [!]

[1] Qui canon de verbis consecrationis agebat, de quibus in articulis propositis nulla mentio fiebat.

Canones de sacramento Eucharistiae formati a DD. deputatis ⟨et cepti examinari a patribus in congregatione subsequenti⟩[a 1]

1. Si quis dixerit, in sanctissimo Eucharistiae sacramento non contineri vere[b], realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate D. N. Iesu Christi ac proinde totum Christum, sed tantummodo esse ut in signo vel figura aut virtute: ⟨sit anathema, maranatha⟩[c].

2. Si quis in sacrosancto Eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine D. N. Iesu Christi, aut secundum execrabiles et prophanas vocum novitates Christum impanatum esse dixerit, negaverit autem mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem patres nostri et universa catholica ecclesia aptissime transsubstantiationem nuncuparunt: anathema sit.

3. Si quis negaverit sub unaquaque specie et qualibet eius parte totum Christum contineri: anathema sit.

4. Si quis dixerit peracta consecratione in admirabili Eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem D. N. Iesu Christi, sed tantum, dum sumitur, non autem ante vel post sumptionem, et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur, non remanere corpus Domini: anathema sit.

5. Si quis dixerit, sacrosanctum Eucharistiae sacramentum ob solam remissionem
162r peccatorum | institutum esse: anathema sit.

6. Si quis dixerit, unigenitum Dei Filium D. N. Iesum Christum in Eucharistia non esse ⟨eo cultu, qui latria dicitur,⟩[d] adorandum adoratione etiam externa, aut non festiva peculiari celebritate venerandum, vel non licere secundum pium et laudabilem sanctae ecclesiae ritum et consuetudinem in processionibus solemniter circumgestari ⟨aut publice populo spectandum proponi⟩[d], et eius adoratores esse idolatras[e]: anathema sit.

7. Si quis dixerit, ⟨non licere⟩[d] sacram Eucharistiam ⟨in sacrario reservari⟩[f], sed statim post consecrationem consumendam et astantibus necessario[d] distribuendam, ⟨aut non licere, ut illa⟩[g] ad infirmos honorifice deferatur[h], ⟨vel sacerdoti celebranti, ut seipsum communicet⟩[d]: anathema sit.

8. Si quis dixerit, necessarium esse ad salutem et divino iure praeceptum omnes et singulos Christifideles sub utraque specie communicare, aut errasse hactenus ecclesiam, quod laycos et non celebrantes sacerdotes sub sola panis specie communicaverit: anathema sit.

9. Si quis dixerit, necessarium esse de iure divino etiam parvulos, antequam ad annos discretionis pervenerint, communicare: anathema sit.

10. Si quis dixerit, minus sumi sub una specie quam sub utraque, ⟨vel laycis iniuriam fieri aut ipso⟩[i] sacramenti fructu defraudari, qui sub unica[k] specie communicant: anathema sit.

11. Si quis dixerit, Christum ⟨in Eucharistia exhiberi⟩[l] spiritualiter tantum manducandum ⟨per fidem⟩[d], non autem sacramentaliter: anathema sit.

[a] *M* quorum exemplum datur omnibus patribus die sabbati 3. Octobris 1551.
[b] *C 119 et Th add.* et [c] *R 1* anathema sit
[d] *Deest in R 1.* [e] *Th* idololatras [f] *R 1* non esse reservandam in sacrario
[g] *R 1* neque etiam [h] *R 1* deferendam
[i] *Sic R 2; forma R 1 omnino cancellata legi non potest.* [k] *C 119 et Th* una
[l] *R 1* Dominum, qui in Eucharistia exhibetur

[1] In congregatione die 1. Octobris habita deputati composuerunt 10 canones Eucharistiae (supra p. 177 l. 42), quos Massarellus in folio, quod nunc extat in *Conc. 14* fol. 31, notavit. Sequenti die non solum in eodem folio alios tres canones adiunxit, sed etiam aliquas patrum correctiones ad ceteros canones factas addidit. Diebus 7. et 8. Octobris cum canones denuo aptarentur, eodem folio usus est. Legimus ergo in hoc folio canonum formam, ut ita dicam, prototypam, exaratam, quod primos 10 canones attinet, die 1. Octobris, quod alios, die sequenti. Quam formam R 1 nominamus. Die 2. Octobris omnes canones in eam formam redacti sunt, quae patribus in generali congregatione est proposita (= R 2). Cum canones diebus 7. et 8. Octobris iterum corrigerentur, tertia forma exarata est, quae non concordat in omnibus cum canonum novissima forma die 9. Octobris a patribus examinata. Cuius tertiae formae variationes (= R 3) infra in apparatu ad canones reformatos exhibemus. Tandem in dicto folio paucis exceptis novissima illa canonum forma adnotata est.

12. Si quis negaverit, omnes et singulos Christifideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri iuxta praeceptum sanctae matris ecclesiae semel saltem in anno, in | Paschate, ad communicandum: anathema sit. 162v

13. Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum dignissimum[a] sanctissimae Eucharistiae sacramentum: anathema sit. Et ne hoc sacramentum sacramentorum indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit ac[b] declarat ipsa sancta synodus illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, necessario[c] praemittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere seu publice disputare praesumpserit, ⟨eo ipso excommunicatus existat⟩[d].

Quorum canonum exemplum datur omnibus praelatis die sabbati 3. eiusdem mensis Octobris, intimaturque eorum examinationem incipiendam esse die lunae proxime ventura.

Adventus R. D. episcopi Bellicastrensis, commissarii apostolici.

Die Iovis **1. Octobris** applicuit Tridentum R. D. Iacobus Iacobellus[1], Romanus, episcopus Bellicastrensis, commissarius apostolicus in sacro concilio, ut hospitiorum et victualium curam gerat etc., ut in subsequentibus litteris apostolicis continetur, videlicet

Breve S[mi] D. N. Iulii papae III super constitutione commissarii concilii et eius auctoritate.

Iulius papa III. Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem. Cum alias felicis recordationis Paulus papa III praedecessor noster, dum nos cardinalatus honore fungentes concilio Tridentino praesideremus, tibi curam providendi omnia ad celebrationem concilii huiusmodi necessaria, et praesertim de hospitiis et commeatibus ad dictum concilium conventuris abunde providendi demandaverit, sicut in eius in forma brevis litteris plenius continetur[2]: Nos, qui Dei benignitate ad pontificatum assumpti concilium huiusmodi pro universo christianae reipublicae bono debite prosequendum | decrevimus iamque 163r
legatum nostrum eo misimus, de tua prudentia, diligentia et rerum usu plurimum in Domino confisi, tibi ad ipsum concilium proficiscenti curam praedictam demandamus per praesentes, ac quod alios loco tui tot, quot tibi videbuntur, subdeputare, caeteraque in praemissis necessaria et opportuna facere et exequi valeas, tibi facultatem et auctoritatem concedimus, contrariis non obstantibus quibuscunque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 1. Septembris 1551 pontificatus nostri anno secundo.

Galeatius Aquinas.

Adventus R. D. episcopi Vigorniensis.

Die dominica ⟨4⟩[e] dicti mensis **Octobris** applicuit Tridentum R. D. Riccardus Patus, Anglicus, episcopus Vigorniensis.

Adventus duorum abbatum congregationis Montis Cassini.

Eadem die applicuerunt Tridentum RR. DD. Marcus de Brixia, abbas S. Vitalis de Ravenna, et Eusebius de Parma, abbas S. Mariae Gratiarum, diocesis Placentinae, ordinis seu congregationis Montis Cassini.

[a] *Deest in C 14 fol. 31.* [b] *C 119 et Th* et [c] *Th* necessarie
[d] *R 1* excommunicationi subiaceat [e] *Codd. falso* 5.

[1] Iacobus de Iacomellis, 1542—1552 episcopus Bellicastrensis fuit. *van Gulik-Eubel* III 144 et *V. Schweitzer* in Conc. Trid. XII 703 adn. 3. In principio anni 1546 Iacomellus inter eos patres invenitur, qui legatis resistebant. Conc. Trid. IV 556 l. 6. Quia in Urbem de patribus concilii minus honesta scribebat, card. Madrutius de eo querebatur. *Ibid.* I 3 adn. 2; 479 l. 8. Sed concilio et legatis etiam varia officia praestitit, inprimis in deputationibus pro conficiendis decretis. *Ibid.* V 21 l. 26; 430 l. 15, I 652 l. 19; 665 l. 16; 708 l. 44. Die 20. Augusti 1546 Paulus III eum commissarium concilii pro hospitiis et commeatibus loco episcopi Cavensis nominavit (*ibid.* V 359 adn. 1) assignans ei provisionem mensilem 100 scutorum auri in auro (*ibid.* V p. LX l. 6 sqq.). Rixae anno 1548 cum eo habitae (*ibid.* I 733 adn. 9) Franciscus Vargas mentionem fecit in litteris Granvelae die 12. Oct. 1551 datis. *Ibid.* XI 668 l. 6—14. De annonae difficultatibus oratores Caesarei in omnibus fere litteris agunt. Cf. *Ibid.* XI n. 456 458 461 B 467 468 480.

[2] Conc. Trid. V 359 adn. 1.

Congregatio generalis. Proponitur responsum dandum regi Christ[mo] et petitio et promissio adventus Germanorum Protestantium ac examinantur canones super sacramento Eucharistiae.

Die Martis 6. eiusdem mensis **Octobris** hora 19 habita est congregatio generalis, in qua R[mus] et Ill[mus] D. **legatus** ⟨post lectam solitam orationem⟩[a] primo proposuit ea, quae ei viderentur promulganda in hac futura sessione super reformatione, ⟨quae ipse ex notationibus alias a patribus datis super faciliori residentia episcoporum statuenda delegerat⟩[b] [1]. 163v Et ex eis illas accepisse, quae curiam[c] | Romanam tangunt, ut ⟨maioribus reformatis⟩[d] inferiores submissius se reformari patiantur. Charitas enim aequalis esse debet et omnes eundem patrem agnoscere, summum videl. pontificem, cum quo, uti cum capite, omnes conformari tenentur. Et quoniam inter caetera curandum est, ut delicta, quantum fieri potest, puniantur, praesertim clericorum, et episcopi diversimode impediuntur, ne suos subditos punire et corrigere possint, ea inprimis[e] submovenda sunt. Et ante omnia statuendum videtur, ne episcopi qualibet levi ex causa cogantur e suis ecclesiis recedere, et ne in cuiuslibet potestate sit eos vexare ⟨et ad curiam Romanam evocare;⟩[f] sed ea tantum causa teneantur personaliter[f] ad Urbem ire, qua privandi venirent. Item quod testes ⟨contra eos admittendi⟩[f] sint omni exceptione maiores. Item quod talis causa in consistorio proponatur et per pontificem terminetur. Item quod a quolibet gravamine appellari non possit nisi a sententia diffinitiva vel gravamine vim diffinitivae habente. Item quod huiusmodi causae appellationis (intelligendo semper in causa criminali) tantum metropolitanis committantur vel viciniori episcopo, si metropolitanus esset suspectus. Item cum in Urbe committi continget, appellans teneatur producere processum, quem episcopi dare teneantur. Item quando procedendum est ab episcopo ad declarationem alicuius, procedere possit non adhibito numero episcoporum requisito, sed eorum loco viri aliqui in dignitate ecclesiastica constituti sufficiantur[g]. Item quod episcopi possint cognoscere de subreptione litterarum per suos clericos obtentarum. Et haec sint tanquam primitiae concedendorum [2].

⟨Deinde dixit, conceptum esse responsum regi Christ[mo] dandum, quod mandavit, ut

[a] *Th om.*
[b] *M* et quod ipse legatus revidit quasdam notationes per episcopos aliis legatis oblatas, per quas facilior residentia statuatur
[c] *M* ecclesiam [d] *M* videatur a principalioribus incepisse, ut deinde
[e] *M* ex medio [f] *M om.* [g] *M* praeficiantur

[1] Capita ipsa reformationis vide infra p. 186. De notationibus patrum, ex quibus haec capita hausta sunt, cf. adn. sequentem.

[2] Iulius III, quia impedire voluit, quominus reformatio, imprimis ea, quae tangeret curiam Romanam, in concilio disputaretur, iam anno 1550 labores reformationis in ipsa curia aggredi iusserat, «ut maiori cum fiducia posset prosequi concilium» (cf. supra p. 4 l. 10—15). Qua de causa die 10. Martii 1550 deputationem cardinalium pro reformatione facienda instituit (supra p. 3 l. 17—20). Mense Septembri 1550 Massarellus pontifice iubente ea, quae a concilio circa reformationem nondum erant facta, in dua capita collegit, unum pro reformatione curiae et alterum pro reformatione universali (Conc. Trid. XIII 165 sq. n. 31). Sed usque ad mensem Februarium 1551 nil factum et decisum erat. *H. Jedin*, Kirchenreform und Konzilsgedanke 1550—1559, in: Histor. Jahrbuch LIV (1934) 403. Die 26. Febr. 1551 pontifex cum card. Crescentio deliberavit, quid in curia, quid in concilio circa reformationem agendum sit. Conc. Trid. II 217 l. 6 sqq. Quare recte supponitur capita supra proposita a vera reformatione, quae tunc temporis ab omnibus desiderabatur, valde aliena non sine pontificis consensu fuisse composita. In Massarelli relatione modo citata inveniuntur «impedimenta, quae episcopi allegant, quominus possint residere cum dignitate» (Conc. Trid. XIII 165 l. 17); quae fusius, ut Massarellus ibid. adnotat, exponebantur in aliquibus tractatibus anno 1546 concilio exhibitis, in quibus etiam de nostrorum capitum argumentis agebatur. Cf. Conc. Trid. XII 581 l. 26 sqq. et 599 l. 27 sq. (de citatione episcoporum ad curiam propter leviores causas inhibenda); 585 l. 22—25; 589 l. 10—43; 592 l. 29—33; 599 l. 8 sq. (de iudiciis et appellationibus). Card. Crescentius, antequam capita reformationis patribus traderet, Franciscum de Toleto, oratorem Caesaris, de eis certiorem fecit, qui eorum copiam imperatori transmisit. Imperator autem, cum propter angustiam temporis ea examinare vel alia maioris momenti argumenta proponere non posset, maluisset concilium a publicatione decreti reformationis in proxima sessione omnino abstinere. Sed eius instructio Francisco de Toleto super hac re die 8. Oct. data sero advenit. Legatus, ut discussionem et altercationem de reformatione facienda evitaret, capita reformationis nonnisi paucos dies ante sessionem proposuit; patres autem, praesertim Hispani, propter hunc procedendi modum contra legatum exacerbati a Francisco de Toleto placati sunt, qui hoc legato promiserat, sperans tamen pro sequenti sessione graviora reformationis capita propositum iri. Cf. imperatoris litteras die 8. Oct. Francisco de Toleto scriptas et Francisci epistolam ad imperatorem diei 20. Oct. in Conc. Trid. XI n. 469 et n. 481.

ego secretarius legerem. Statimque illud ego clara voce legi. Incipit autem: *Cum ex proxima sessione maximam haec sancta synodus laetitiam* etc.⟩[a 1]

Quo lecto ipse R^{mus} **legatus,** antequam patres responderent, dixit, inimicum hominem semper quaerere, ut malum aliquod novum disseminet[2]. Adversarii (inquit) nostri, qui se Protestantes appellant, | distulerunt usque ad hunc diem declarare, an ad concilium venire 164r vellent. Nunc autem cupiunt et postulant a sancta synodo, ut benigne audiantur, ⟨et se venturos promittunt⟩[b] et salvumconductum, ut libere venire possint, et terminum commodum ad veniendum expetunt. Et hoc interim cupiunt atque petunt, ut ⟨supersedeatur a tractatione et publicatione articulorum de communione sub utraque specie et de maiori vel minori fructu sub una quam sub utraque etc., ut habetur in 8. et 10. articulis seu canonibus suprascriptis,⟩[c] usque ad eorum adventum. Super quibus petitionibus oriuntur hinc inde difficultates, ut, si non expectentur, conquerendi ansa eis detur et causa amplius non veniendi. Si expectentur[d], periculum est, ne veniant et tempus ⟨cum dedecore et indignitate⟩[b] amittatur[e]. Patres videre possunt, quid magis expedire videatur. Dici solet: Melius est peccare in tempore quam in re. De his omnibus cum DD. deputatis factum est verbum, qui salvumconductum liberum concedi et terminum competentem ad veniendum assignari et articulos illos duos differendos censuerunt usque ad secundam sessionem post proximam, quae ad diem certum indicatur. Et in prima sessione de penitentia agi, in secunda de duobus illis articulis et de sacrificio missae. Quae secunda sessio intimetur ad diem 25. Ianuarii 1552, qua die erit conversio S. Pauli. Et hoc modo omnibus satisfiet; et interim sancta synodus negocia sua prosequatur[3]. Super quibus omnibus una cum canonibus sacramenti Eucharistiae exquiruntur sententiae patrum.

R^{mus} et Ill^{mus} D. card. **Tridentinus** probavit responsum regi Gallorum dandum; ex eo autem cupere[t] omitti, quod dicitur de beneficiis ⟨a summo pontifice acceptis⟩[f], ne ingratitudinis redarguatur.

Tunc R^{mus} et Ill^{mus} **legatus** declaravit, id non innui, se[d] se subiici periculo amittendorum beneficiorum[g] a sede apostolica et moderno pontifice ei concessorum, si ea faceret, quae minatus est.

Et R^{mus} ipse **Tridentinus** acquievit et laudavit dicta per legatum ⟨in omnibus circa concessionem | eorum, quae Protestantes petunt. Quae eis concedenda omnino sunt; et 164v fiat prorogatio definitionis duorum propositorum articulorum usque ad dictam diem conversionis B. Pauli. Canonesque probat in omnibus.⟩[h]

[a] *M* Interim legatur responsio regi Gallorum danda. Card. Tridentinus laudavit dicta per legatum. Idem Maguntinus. Treverensis idem et omnes idem responderunt, quod legatur responsio regi danda, quam ego legi clara voce.
[b] *M om.*
[c] *M* articulus de communione sub utraque specie et magis vel minus contineri differatur
[d] *M* datur terminus [e] *M add.* undique igitur angustiae.
[f] *M* ab hoc pontifice maximo ipsi regi collatis [g] *M* privilegiorum
[h] *M* in propositione. Quoad canones propositos omnes probat. Et quod petitur per Protestantes, etiam dicta per legatum probavit. Quod concedendum multis rationibus confirmavit, ut salvusconductus detur et prorogatio ad dictum tempus concedatur, nempe conversio S. Pauli.

[1] De responso regi Gallorum dando legatus paulo post sessionem praeteritam Romam scripserat. Iam die 10. Sept. pontificis instructionem super hac re expectavit. Conc. Trid. XI 645 l. 34 sq. Interdum Franciscus de Toleto legatum movere conatus est, ut concilium contumaciam Gallorum solemniter declararet seque etiam absentibus Gallis oecumenicum et generale esse decreto statueret. Maior tamen pars patrum et ipse legatus, ne hoc modo concilio magnum detrimentum oriretur, timebant. *Ibid.* XI n. 461. Papa vero de responso per synodum in praeterita sessione dato (supra p. 104 l. 14—26) certior factus paulisper cogitabat, per synodum ipsam non amplius esse respondendum, sed totum negotium sibi ipsi esse remittendum, quod tamen patribus concilii valde displicuit. *Ibid.* XI 650 l. 5—9. Tandem Romae simplex responsum, non autem solemne decretum per concilium publicari constitutum est; quod responsum Romae exaratum et a concilio approbatum denuo affirmat absentiam Gallorum non posse excusari et concilium esse generale et oecumenicum. *Ibid.* XI 657 l. 27—37 et responsum ipsum infra inter Acta sessionis tertiae. Etiam imperator responsum moderatum dari cupivit. Cf. *Nuntiaturberichte* I. Abt. XII 83 sq.

[2] Cf. *Matth.* 13, 25.

[3] Iussu imperatoris oratores Caesarei a legato petierant, ut ante adventum Protestantium de communione sub utraque et de coniugio sacerdotum nihil decideretur. De hac re legatus et oratores per tres dies vehementissime disceptaverunt, si verbis Francisci Vargas fides adhibenda est. Conc. Trid. XI n. 467. Quamquam oratores hanc quaestionem ad diem incertum differri maluissent, tamen cum legato consenserunt, ut die 25. Ianuarii decretum super hac re promulgaretur. Petrus Bertanus, legatus pontificius apud imperatorem, die 29. Sept. de eodem Caesaris desiderio Romam scripserat. *Nuntiaturberichte* I. Abt. XII 85 sq. Propterea pontifex sessionem ipsam usque ad diem 1. Novembris vel ad terminum incertum differri iussit. Sed breve super hac re die 8. Oct. datum sero Tridentum advenit. Cf. Conc. Trid. XI n. 470 et n. 476.

R^{dus} et Ill. D. archiep. **Maguntinus** laudavit omnia a R^{mo} et Illmo legato proposita et responsionem et concessionem petitionis et canones.

R^{dus} et Ill. D. archiep. **Treverensis** probavit etiam responsum regi dandum et ⟨concessionem Protestantibus faciendam⟩[a] et expectationem decidendorum articulorum. Quo vero ad canones, in ultimo deleatur *sacramentum sacramentorum,* sed dicatur *praecipuum* etc. Item ex 4° deleatur *post sumptionem.* Item in 7° non videtur convenire[b], quod dicitur in fine de sacerdote ⟨seipsum communicante⟩[c], sed fiat novus canon. Item in ultimo addatur *habita copia confessoris,* et deleatur *aut publice disputare* etc.

Tunc R^{dus} D. **Bituntinus,** unus ex deputatis, respondit pro ipsa deputatione, quoad primum dici *sacramentum sacramentorum* enunciative[d]; item *post sumptionem* positum, quia ita haeretici asserunt. Quod dicitur in 7° de se ipsum communicante, factum[e], quia ⟨de per se nudus canon erat⟩[f]. *Publice disputare* additum, ne plebs scandalizetur; sed ideo additum est *publice,* quia privatim non prohibetur.

R. D. **Zagabriensis** probavit proposita per R^{mum} legatum in omnibus.

R. D. **Viennensis**[1] responsum regi dandum laudat[g] et omnia, quae petuntur a Germanis, concedantur. Quoad canones ex primo deleatur *maranatha,* quia[h] inusitata vox est. In 2° advertatur, quod non videtur verum, quod patres et catholica ecclesia semper usa sit hac voce *transsubstantiatione,* quae vox non est antiqua. Ex eodem deleatur *Christum impanatum,* quia a nemine asseritur. In 3° ibi *qualibet specie* dicatur *in singulis speciebus et singulis eius partibus.* 5^{s} omittatur, quia auctorem non habet[2]. In 6° dicatur *cultu latriae, etiam externo,* et caetera omittantur[i]. Ex 11° et 12° fiat unus. Et in 13° ibi *et ne* dicatur *ne autem,* et addatur *habita copia confessoris.* |

165^{r} R. D. [archiep.] **Turritanus** probat proposita in omnibus.

Antibarensis probat dicta per R^{mum} Tridentinum[k].

Panormitanus responsum et petitionem laudavit ac etiam canones; sed in ultimo ⟨addatur, quod sola contritio non sufficit, expresse.⟩[l]

Granatensis probat omnia proposita per R^{mum} legatum.

Calaritanus idem; sed in ultimo canone[m] addatur *habita copia confessoris,* et deleatur *publice disputare,* quia utraque opinio est probabilis[n].

R. D. [episcopus] **Feltrensis** probat omnia proposita, sed in canonibus ibi *et totum* dicatur *et non totum*; in 2° omittatur *aut Christum impanatum.* In ⟨3°⟩[o] addatur *separatione facta,* ut dixit concilium Florentinum[3]. 5^{s} omittatur, quia a nemine dicitur. In ultimo non videtur dici ab haereticis, sola fide percipiendum hoc sacramentum, sed conficiendum[4]. In 11° ibi *non autem* dicatur *et non etiam.* Ex 13° deleatur *sacramentum sacramentorum* propter baptismum, quia, ut ostium aliorum, est dignius. ⟨In eodem⟩[p] addatur *habita copia confessoris*[q]. Reliqua omnia placent.

S. Marci probat in omnibus proposita per legatum et canones.

Maioricensis idem laudat proposita; sed in ultimo canone cuperet addi *habita copia confessoris,* et quod contritio non sufficiat, et ibi *sacramentalem* addatur *ipsi communioni.* Et in 9° dicatur *cum ad annos recti iudicii vel pubertatis pervenerint*, exemplo Zepherini papae[5].

[a] *M* Canones etiam probat, ut dixit legatus, et etiam quod dicitur de concessione salviconductus
[b] *M add.* cum praecedentibus eiusdem canonis [c] *M* celebrante
[d] *M add.* non denuntiative dictum [e] *Th* falsum est [f] *M* solus canon fieri non poterat
[g] *M add.* canonesque probat [h] *M add.* nova et
[i] *M add.* 8. canon formetur ut in concilio Constantiensi.
[k] *M ponit quidem Antibarensem ante Turritanum, sed notulis in margine appositis ordinem ab Actis servatum designat.*
[l] *M* clarius statuatur confessio et quod non sufficiat contritio sola.
[m] *M add.* considerandum, quod dicitur de necessaria confessione et
[n] *M hic add.* Segobricensis probat dicta per legatum in omnibus et Tridentinum. *Quod votum in Actis ea de causa omissum esse videtur, quia secundum notulas in margine additas post sequens votum Feltrensis ponendum fuisset; sed eo in loco Massarellus voti perbrevis oblitus est.*
[o] *Codd. falso* 4°
[p] *M* Item videtur inutile, quod dicitur de confessione et illaqueari conscientiis piorum vel
[q] *M add.* Posset servari, quod dicitur a concilio Viennensi, ut habetur in Clementina prima de summa Trinitate et fide catholica

[1] Eius votum super canones in scriptis datum in App. II n. 26. Etiam de responso regi Galliae dando et de salvoconductu vota Viennensis in scriptis data supersunt, quae praeterire possumus, quia perbrev.a et nullius momenti sunt.

[2] Cf. supra p. 112 adn. 5.

[3] In decreto pro Armenis. *Mansi* XXXI 1057.

[4] Sed cf. supra p. 114 l. 1 et 4 sqq.

[5] In epistolis (spuriis) Zephyrini papae nihil huiusmodi legitur.

Camerinensis laudavit responsionem et concessionem et canones[a].

Castellimaris probat sententiam R^{mi} Tridentini quoad responsionem regi dandam et ad petitionem Protestantium. Quoad canones cuperet praemitti aliquam doctrinam, ⟨ut factum est in decreto iustificationis⟩[b]. Et 2. canon debet poni loco primi et e contra. In 2° repetitur idem, cum dicitur *universa* et *catholica*, et utrumque deleatur et dicatur *patres et ecclesia*, quia non semper ecclesia ea voce *transsubstantiationis* usa est. In 3° ibi *specie* addatur *panis et vini*. In 4° ibi *reservantur* addatur *vel a sacerdote ob negli|gentiam* 165v *relinquuntur*. Ex 5° deleatur *solam*, quia etiam sine ea dictione falsus est[c]. In 6° ibi *adoratione* addatur *tanquam Deum nostrum*, et ibi *circumgestari* addatur *tanquam cultus illicitus*. ⟨Ex ultima parte 7^i⟩[d] fiat novus canon[e]. In 11° ibi *sacramentaliter* addatur *vere et realiter*. In 13° ibi *solam fidem* addatur *etiam cum contritione*, et ibi *sacramentalem*[f] addatur *etiam si contriti sint vel sibi esse videantur*[g].

Lancianensis probat responsionem et concessionem etc. In 2. canone ibi *novitates* advertatur, quia ea non est nova assertio[h], et ibi *manentibus* addatur *virtute divina sine subiecto substantiali*. ⟨5^s⟩[i] placet, ut dixit Castellimaris. Ex 7° deleatur ⟨ultima pars⟩[k]. 9^s dicatur ut in 8°. In 13° addatur *habita copia confessoris* et deleatur *sacramentum sacramentorum*.

Algarensis probat responsionem et concessionem petitionis, sed in salvoconductu ⟨addatur, *dummodo se iudicio synodi subiiciant*⟩[l]. Et in 9. canone bene manent *annos discretionis*, ut dixit concilium Lateranense.

Misiensis[1] idem; de responsione et petitione probat proposita. Sed in canone primo ibi *realiter* addatur *et sacramentaliter*, et advertatur, quod dicitur *in virtute*, quia ⟨alias est verum⟩[m]. In 2° *remanere* ponatur post *Iesu Christi*, et ibi *negaverit autem* dicatur *etiam*. Et *conversionem* ponatur post *vini*. In 3° *negaverit* ponatur post *contineri*. In 4° ibi *corpus* addatur *verum*, et ibi *dum* addatur *tantum in usu*, et *reservantur* dicatur *remanentibus scil.*[n] *particulis*. 6^s: Dicatur *latria adorandum* et ibi *proponi*[o] dicatur *ob oculos spectandum constitui*. In 7° ⟨ultima pars⟩[p] ponatur ibi *distribuendum* ⟨et penultima sit ultima⟩[b]. In 9° addatur *usum rationis*. In 12° dicatur *in anno semel saltem in Paschate*. In 13° addatur, quod contritio non sufficit.

Siracusanus probat responsionem regis et concessionem petitionis Protestantium. In canonibus addatur aliqua doctrina. Ex 2° deleatur *impanatum*. In 13° addatur *habita copia confessoris*, et deleatur *publice disputare*. |

Vigorniensis[2] probat responsionem regis et concessionem petitionis[q]. In canonibus 166r addantur in 5° aliqui effectus huius sacramenti. In 13° addatur aliquid, per quod contritio excludatur.

Bellicastrensis. Placet responsio et concessio petita. In 13° canone praeponatur *declarat*, et addatur *etiam si contriti sint*, et *habita copia confessoris*.

Auriensis[3]. Responsio regis placet, et quod dictum est de reformatione, et placet dilatio[r] et prorogatio articulorum duorum. Quoad canones: Ex 2° deleatur *impanatum*[s]. 5^s: Addatur in fine *et non ad alios effectus*[t]. In 13° addatur *habita copia confessoris idonei*, et deleatur *vel publice disputare*.

[a] *M add.* et statuatur terminus peremtorius [b] *M om.*
[c] *M add.* quoad finem huius sacramenti; deleatur igitur «solam»
[d] *M* 7^s: Est superfluum, quod dicitur de sacerdote celebrante, sed [e] *M add.* 9^s placet.
[f] *M add.* «confessionem», videtur nimis durum, cum alias nunquam quis posset celebrare in quibusdam casibus, in quibus esset scandalum abstinere, propterea
[g] *C 119 et Th* videbuntur; *M add.* et habita copia confessoris [h] *M* inventio
[i] *C 119 et Th* et [k] *M* «ut seipsum» etc.
[l] *M* autem concedendum, quia videntur iam damnati et non audiendi, videtur addendum, si volunt venire et se submittere ecclesiae etc.
[m] *M* Christus in virtute est Filius Patris [n] *M add.* consecratis [o] *M* spectari
[p] *M* de sacerdote etc. [q] *M add.* Sed 5^s et ultimus videntur nimis angusti
[r] *M add.* cum gravitate tamen [s] *M add.* si a nemine dicitur
[t] *M add.* 7^s: Clariora verba aptentur, ibi «deferatur», ne non subsequentem partem referri videatur.

[1] Emendationes in canonibus faciendas etiam in scriptis secretario tradidit. Cf. App. II n. 27.

[2] Richardus Patus, Anglus, 1541—1559 fuit episcopus Vigorniensis, qui tamen exsul Romae vixit. Die 5. Octobris advenerat (supra p. 179 l. 34 sq.). Concilio prius congregato Tridenti et Bononiae interfuit. Cf. de eo *van Gulik-Eubel* III 355 et *S. Ehses* in Conc. Trid. IV 303 adn. 3 et V p. LVIII l. 42 et adn. 13. De articulis Eucharistiae iam die 9. Martii 1547 votum suum dederat. *Ibid.* V 1013 l. 21.

[3] Etiam in scriptis votum super canones Eucharistiae dedit, quod invenis in Appendice II n. 28.

Constantinensis. Placet responsio et salvusconductus et dilatio etc. In 2. canone dicatur *impanari,* et advertatur, quod patres antiqui non utuntur verbo *transsubstantiatione*[a]. In 6° addatur *tanquam cultus per se illicitus.* 7^{i} ultimă pars ponatur in fine 12^{i}, vel fiat novus canon. In 13° addatur ibi *declarat — visis dictis patrum et consuetudine ecclesiae* etc.[b]

Oscensis[1] probat dicta per legatum in omnibus, et placet responsio regis. Ex primo canone deleatur *virtute* et *maranatha.* In 2° addatur *aut pani et*[c] *vino hypostatice unitum*[d]. Et dicatur *ecclesia ante aliquot annos usa est illa voce transsubstantiationis.* In 3° ibi *parte* addatur *quantumcunque*[e] *minima.* In 4° addatur aliquid de vino. De ultima 7^{i} fiat unus canon. In 11° addatur *realiter et substantialiter.* In 13° addatur *non sufficere contritionem* et *habita copia confessoris* et in fine ponatur *anathema.*

Clodiensis laudavit responsum regis et dilationem dari haereticis et prorogationem duorum articulorum. Ex primo canone deleatur *maranatha,* quia sensus illius vocis non quadrat huic loco. In 2° ⟨*autem* dicatur *etiam*⟩[f]. In 3° ibi *Christum* addatur *quemadmodum dictum est.* In ⟨5°⟩[g] exprimantur alii effectus. In fine 7^{i} addatur *ut seipsum etiam solum.* In 11° dicatur *exhibitum* loco *exhiberi.* In 13° ibi *solam fidem* addatur *sine charitate*, et ibi *conscius* addatur *certe*[h]. |

166ᵛ **Calaguritanus**[2]. Placet responsio et dilatio et salvusconductus. ⟨2.⟩[i] canon ponatur in primo loco. Et in primo ibi *proinde* addatur *non totum.* In 2° quod dicitur *universa ecclesia* advertatur, an sit verum[k], dicatur *patres et ecclesia*[l] *in concilio Lateranensi.* Et probat dicta per R. D. Misiensem. In 6° addatur *tanquam cultus illicitus.* Ultima pars 7^{i} ponatur in fine 12^{i}. In 13° addatur *habita copia confessoris* et quod contritio non sufficit, et *declarat* praeponatur.

Solonensis laudat responsum, dilationem et alia per R^{mum} legatum proposita. In 5° deleatur *ob solam,* quia ab haereticis non dicitur. Ex 7° deleatur ultima pars ob eandem causam. Item addatur, quod non omnes astantes missae tenentur communicare. 11^{s} videtur obscurus et clarius aptetur.

Et cum iam esset pulsata hora 24, dimittitur congregatio et vocatur ad diem crastinum hora 14, ut patres sententias perficiant. Et hora 19 fiet congregatio DD. deputatorum, qui censuras a patribus factas examinabunt et canones aptabunt.

Adventus R. D. episcopi Argentinensis.

Eadem die **[6. Octobris]** applicuit Tridentum R. D. Erasmus Alimpurch[3], episcopus Argentinensis, Germanus.

Congregatio generalis.
Perficitur examinatio canonum sacramenti Eucharistiae.

Die Mercurii 7. eiusdem mensis **Octobris** hora 14 celebrata missa de Spiritu Sancto per unum ex cappellanis et lecta solita oratione per R^{mum} et Ill^{mum} legatum habita est congregatio generalis, in qua patres prosecuti sunt examinationem eorundem canonum de sacramento Eucharistiae cepitque hodie suam sententiam

R. D. episcopus **Elnensis,** qui proposita per R^{mum} legatum in hesterna congregatione approbavit et responsionem regi dandam laudavit. Quoad canones in primo ibi *contineri* dicatur *et esse;* neque deleatur *maranatha,* quia est vox Pauli 1 Cor. ult.[4] et cap.

167ʳ *Berengarius* Sylvestri papae[5]. | Ex 2° deleatur *impanatum.* 6^{s} et 7^{s} placent, ut dixerunt Castellimaris et Misiensis. Ex fine 7^{i} fiat novus canon. 11^{s} et 12^{s} aptentur, ut dixit Mi-

[a] *M add.* sed dicatur concilium Lateranense [b] *M add.* et postea dicatur «et statuit»
[c] *C 119 et Th* aut [d] *M add.* et patres antiqui non usi sunt voce transubstantiationis
[e] *M* qualitercunque [f] *M* «negaverit» dicatur «vel» [g] *Codd. falso* 4°
[h] *M add.* et addatur, nisi urgens casus urgeret [i] *Codd. falso* 5
[k] *M add.* et illud «universa» et «catholica», quia idem est [l] *Th add.* ut

[1] Votum eius super canones in scriptis datum vide in App. II n. 29.
[2] Votum eius in scriptis datum vide in App. II n. 30.
[3] Erasmus baro a Limburg, electus a capitulo, die 9. Decembris 1541 nominatus est episcopus Argentinensis. Obiit die 27. Novembris 1568. *van Gulik-Eubel* III 130.
[4] *1 Cor.* 16, 22.
[5] De quo capite hic agatur, nescio. In c. 42 *Ego Berengarius* de consecr. dist. 2 verbum *maranatha* non legitur.

siensis. In 13° addatur *habita copia confessoris* et ⟨etiam, quod sint contriti⟩[a], et aliquid de pena contrafacientium etc.[b]

Monopolitanus[1] probat proposita per legatum etc. In canonibus praeponatur aliqua doctrina, et ex primo deleatur *aut virtute*. Ex 2° deleatur *impanatum* etc. et *universa;* dicatur *in concilio Lateranensi*. In 13° addatur *habita copia confessoris* et etiam, quod[c] sint contriti. Et ponatur anathema, et a quo debeat iste talis absolvi.

Legionensis. Placet responsio regis [!] danda et omnia per legatum proposita etc. In canonibus praemittatur aliqua doctrina, et ex primo deleatur *maranatha* vel addatur *nisi penituerit*. Ex 2° deleatur *impanatum*[d]. In 3° ibi *parte* addatur *quae per se subsistere possit*. In 4° *reservantur* dicatur *remanent*. 5^{s} omittatur. In 6° *proponi* addatur *quasi non sit ibi Christus*. In 13° addatur, quod contritio non sufficit et *habita copia confessoris*.

Ovetensis. Probat dicta per legatum in omnibus etc. 2. canon ponatur loco primi, et in 13° addatur *habita copia confessoris*.

Tudensis[2]. Placent proposita a R^{mo} legato et responsio. In primo canone ibi *proinde* dicatur *proinde non*. Ex 2° deleatur *impanatum*. In 3° addatur *separatione facta*, quia, an sit Christus[e] in qualibet parte hostiae integrae[f], sunt diversae opiniones. In 4° *post sumptionem* addatur *manentibus speciebus*. In 5° *ob solam* dicatur *praecipue ob solam*. In 6° *aut proponi*[f] addatur *aut*[f] *non proponi*, et [in 7°] ibi *vel sacerdoti* addatur *vel non licere*. In 11° ibi *autem* ⟨addatur *realiter*⟩[g]. In 13° *declarat* praeponatur, et *illis* addatur *etiam contritis et omnibus* et ibi *gravat—aut dubium probabile de eo habet*, et *habita copia confessoris*[h]. Deleatur *publice disputare* vel addatur *tanquam vertendo illud in dubium*.

Guadicensis probat proposita a R^{mo} legato in omnibus et probat responsionem[i].

Lacorensis probat omnia a R^{mo} legato proposita etc. In 13° canone addatur *com-* 167v
probando consuetudinem ecclesiae, et quod contritio non sufficit et ⟨de punitione contrafacientium⟩[k].

Virdunensis probat responsionem et dilationem et alia proposita. In canonibus praemittatur aliqua doctrina vel addantur tituli iuxta eorum materias. Et probat dicta per D. Treverensem. In primo ibi *tantummodo* addatur *in Eucharistia*. In 2° deleatur *impanatum* et aptetur, ut dixit Misiensis. In 4° *sumptionem* addatur *in rite consecratis particulis;* et in 6° dicatur *cultu latriae etiam externo*. In 13° addatur *etiam contritis* et *copia habita confessoris*[l] et *declarat* praeponatur.

Salaminensis probat proposita omnia et responsionem. In primo canone *ac proinde* dicatur *nec proinde*[m]. In 11° *exhiberi* addatur *non realiter exhiberi*. Ultima pars sexti ponatur post *adorandum*, ⟨ut melius quadret⟩[l], et addatur *aut alia genera gaudiorum fieri*. Ex 5° deleatur *ob solam* et dicatur *principaliter*. In 13° addatur *etiam contritis* et *habita confessoris copia seu opportunitate*.

Bossanensis[3]. In canonibus praemittatur aliqua doctrina et ponantur tituli et post primum addatur ⟨novus canon, quod non liceat verba illa: *Hoc est corpus meum* tropice interpretari etc.⟩[n]. De ultima parte 7^{i} fiat novus canon. In 11° addatur *realiter*. In ⟨13°⟩[o] dicatur *quantumcunque se putarent contritos* et *habita copia confessoris*. Probatque proposita a R^{mo} legato in omnibus.

R. **abbas Flandrus** probat per R^{mum} legatum proposita et responsionem. In primo canone *proinde* addatur *non*, et in 7° *aut licere* addatur *non licere*.

R. **generalis S. Augustini** probat omnia a R^{mo} legato proposita. In canone primo[p] ibi *divinitate* addatur *quamvis non eodem modo*. In 6° *ritum* dicatur *ecclesiae universalis*. De ultima parte 7^{i} fiat novus canon. In 13° addatur *habita copia*[q] *sacerdotis*, et de contritione nihil dicatur, quia intelligitur in confessione sacramentali.

[a] *M* addatur «etiam si sit contritus» [b] *M add.* et ponatur anathema [c] *M* si
[d] *M add.* nisi ab aliquo dicatur [e] *M* totus Christus [f] *M om.*
[g] *M* dicatur «non autem realiter et sacramentaliter»
[h] *M add.* in sacerdote celebrare volente, alii non. . . . [?] quousque non habet copiam confessoris
[i] *M add.* quia deputatus non dixit super canones
[k] *M* quod contrafacientes per ordinarios puniantur [l] *M* sacerdotis idonei
[m] *M add.* «totum Christum» et «aut virtute» relinquatur, quia est verbum Oecolampadii
[n] *M* «Si quis dixerit verba illa: Hoc est corpus meum, tropice intelligenda, anathema sit»
[o] *M add.* non addatur contritio, sed [p] *Th falso* secundo [q] *M add.* idonei

[1] Eius votum super canones in scriptis datum vide in App. II n. 31.

[2] Eius votum in scriptis datum in App. II n. 32.

[3] Eius votum in scriptis datum vide in App. II n. 33.

Et cum nemo alius restaret, perficitur examinatio supradictorum canonum sacramenti Eucharistiae et dicitur a R^{mo} legato, quod censurae per DD. deputatos considerabuntur et canones aptabuntur.

Et dimittitur congregatio hora 17.

Congregatio DD. deputatorum.
Discutiuntur censurae patrum super canonibus sacramenti Eucharistiae.

168r Eadem die [7. Octobris] hora 19 habita est congregatio DD. deputatorum coram R^{mis} DD. legato et praesidentibus, qui examinarunt atque consideraverunt censuras[a] factas a patribus in superioribus duabus generalibus congregationibus super canonibus sacramenti Eucharistiae eosque secundum illas, quae ratione subsistere visae sunt, aptarunt et reformarunt. At quoniam multae ortae sunt difficultates circa 5. canonem ob dictionem *solam,* quibusdam perseverantissime asserentibus, nullo modo hoc sacramentum ob remissionem peccatorum institutum esse, et item in 6. canone de processione corporis Christi, quomodo assertio haereticorum damnari debeat, canones ipsi hodie absolvi non potuerunt, sed dimissis patribus hora 24 vocantur ad opus perficiendum in diem crastinum hora 14.

Datur omnibus patribus exemplum capitum decreti de reformatione[1].

Eadem die [7. Octobris] datur omnibus patribus exemplum 8 capitum decreti de reformatione sub his verbis, videlicet

Capita decreti de reformatione.

1. Quod episcopus non moneatur ad comparendum personaliter nisi pro causa, pro qua venit deponendus.

2. Quod testes super iudiciis etc. debeant esse omni exceptione maiores.

3. Quod talis[b] causa debeat referri in consistorio et terminari per S^{mum} D. N.

4. Quod episcopus possit procedere ad ⟨verbalem et realem⟩[c] degradationem constitutorum in sacris absque numero episcoporum; sed illorum[d] loco sufficiat habere iurisperitos in dignitate ecclesiastica constitutos, si reperiantur.

5. Quod ab episcopo in causis criminalibus correctionis, visitationis et habilitatis vel inhabilitatis non possit appellari nisi a diffinitiva vel a gravamine irreparabili. |

168v 6. Quod causa similium appellationum, si committi contigerit in partibus, committatur metropolitano vel ⟨vicinioribus episcopis⟩[e].

7. Quod reus appellans in casu, quo appellare licet in causis criminalibus praedictis, teneatur coram iudice *ad quem* producere processum primae instantiae, et illi infra certum terminum debeat concedi.

8. Quod episcopus possit cognoscere, tanquam delegatus sedis apostolicae super subreptione et obreptione litterarum, in quibus clerici absolvuntur a delictis vel poenis, in quibus per ipsum episcopum fuerant condemnati.

Congregatio DD. deputatorum.
Absolvitur reformatio canonum suprascriptorum.

Die Iovis 8. eiusdem mensis Octobris mane hora 14 suprascripti DD. deputati convenientes coram R^{mis} DD. legato et praesidentibus iterum censuras a patribus factas super canonibus sacramenti Eucharistiae discusserunt et tandem super difficultatibus hesternis[f] convenerunt et canones ipsos sub tenore subsequenti reformarunt, videlicet

[a] *Th* scripturas [b] *M om.* [c] *M* realem et verbalem [d] *M* eorum
[e] *M* episcopis vicinioribus [f] *Th* externis

[1] Cf. supra p. 180 adn. 2.

Canones de sacramento Eucharistiae reformati a DD. deputatis ⟨et examinati in congregatione generali 9. Octobris 1551.⟩[a 1]

1. Si quis negaverit, in sanctissimo Eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate D. N. Iesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo in eo esse ut in signo vel[b] figura aut virtute[c]: anathema sit.

2. Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine D. N. Iesu Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini | in 169r sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, conversionem, quam catholica ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat[d]: anathema sit.

3. Si quis negaverit, ⟨in sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie⟩[e] et sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri: anathema sit.

4. Si quis dixerit, peracta consecratione in admirabili Eucharistiae sacramento non esse[f] corpus et sanguinem D. N. Iesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante nec[g] post, et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur[h] vel supersunt, non remanere verum[i] corpus Domini: anathema sit.

5. Si quis dixerit, sanctissimum Eucharistiae sacramentum praecipue remissionem peccatorum et non alios effectus operari: anathema sit[k].

6. Si quis dixerit, ⟨in sacramento Eucharistiae Christum Dominum[l], unigenitum Dei Filium⟩[m], non esse cultu latriae, etiam externo, adorandum ⟨atque ideo nec⟩[n] festiva peculiari celebritate ⟨venerandum neque in processionibus secundum laudabilem et universalem ecclesiae sanctae ritum et consuetudinem solemniter circumgestandum vel non publice, ut adoretur, populo proponendum⟩[o], et eius adoratores esse idolatras[p]: anathema sit.

7. Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem astantibus necessario distribuendam, aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur: anathema sit.

8. Si quis dixerit, necessarium esse de iure divino etiam parvulos, antequam ad annos discretionis pervenerint, communicare: anathema sit.

9. Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum spiritualiter tantum manducari et non etiam sacramentaliter ac realiter: anathema sit. |

10. Si quis negaverit, omnes et singulos Christifideles utriusque sexus, cum usum 169v rationis habuerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum iuxta praeceptum sanctae matris ecclesiae[q]: anathema sit.

[r]11. Si quis dixerit, non licere sacerdoti celebranti seipsum communicare: anathema sit.

12. Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum sanctissimae Eucharistiae sacramentum: anathema sit. Et ne tantum sacramentum indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit et declarat sancta synodus illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, ⟨quantumcunque etiam se contritos⟩[s] existiment, habita copia sacerdotis necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

[a] *M* dantur omnibus patribus 8. Octobris 1551. [b] *In M corr. ex* aut
[c] *R 3 add.* atque ideo verba redemptoris nostri: Hoc est corpus meum, ad tropum seu metaphoram aliquam detorserit
[d] *R 3* vocat [e] *R 3* sub unaquaque specie sacramenti Eucharistiae
[f] *R 3 hic add.* verum, *quod postea non est del., sed in aliis codd. non legitur.* [g] *M* vel
[h] *In R 3 est cancellatum et postea denuo add.* [i] *Deest in C 14 fol. 31*
[k] *In C 14 fol. 31 non legitur nisi prima huius canonis forma.* [l] *M add. supra lineam*
[m] *In C 14 fol. 31 horum verborum prima forma non est corr.* [n] *R 3* aut non licere
[o] *R 3* venerari vel secundum pium et laudabilem sanctae matris ecclesiae ritum et consuetudinem in processionibus solemniter circumgestari aut publice populo spectandum proponi; *novissima forma canonis in C 14 fol. 31 non legitur.*
[p] *Th* idololatras [q] *R 3 primo hic add.* singulis annis, *et postea* saltem in Paschate; *postea del.*
[r] *Non legitur in C 14 fol. 31.*
[s] *R 3 primo* etiam quantumcumque se contritos esse; *postea* quantumcumque se contritos etiam esse; *postremo ut supra.*

[1] Cf. supra p. 178 adn. 1.

Congregatio DD. deputatorum super doctrina canonum de Eucharistia.

Eadem die **[8. Octobris]** hora autem 19 fuit iterum congregatio DD. deputatorum coram R^{mis} DD. legato et praesidentibus, quibus proposita est examinanda doctrina quaedam compilata a DD. Guadicensi et Mutinensi, quae praemitti debeat canonibus sacramenti Eucharistiae, quam diligentissime per singula capita discusserunt aptaruntque et in crastina congregatione generali proponendam decreverunt. Et dimittuntur patres hora 24.

Congregatio DD. deputatorum. Examinatur eadem doctrina.

Die **9.** eiusdem mensis **Octobris** mane hora 14 DD. deputati convenientes coram ipsis R^{mis} legato et praesidentibus iterum doctrinam canonibus Eucharistiae praemittendam perpenderunt atque examinarunt; ⟨eaque a supradictis duobus episcopis proposita reiecta aliam cura R^{mi} legati compilatam aptaverunt et eam patribus exhibendam censuerunt.⟩[a]

Congregatio generalis. Examinantur canones reformati Eucharistiae et legitur doctrina ipsis canonibus praemittenda.

170r Eadem die **[9. Octobris]** hora 19 habita est congregatio generalis, in qua recitata oratione Spiritus Sancti consueta primo **ego secretarius** canones reformatos de sacramento Eucharistiae clara voce legi. Deinde legi etiam doctrinam ipsis canonibus praemittendam[1]. ⟨Postea rogantur sententiae super iis canonibus Eucharistiae.⟩[b]

R^{mus} et Ill^{mus} card. **Tridentinus** omnes canones, ut iacent, approbat.

R^{dus} et Ill. D. **Maguntinus,** quia est unus ex deputatis, non dixit sententiam. Nam deputati nihil loquuntur, cum iam canones ipsos probaverint.

R^{dus} et Ill. D. **Treverensis** probat canones in omnibus[c].

R. D. **Viennensis**[2] probat canones; ⟨sed ex 2° vellet expungi *transsubstantiatio,* quia iam ponitur in primo. In 8° *de iure* deleatur *de* et *etiam.*⟩[d]

R. D. **Bituntinus** (qui curam suscepit respondendi nomine sacrae deputationis obiectionibus, quae opponuntur) respondit, ⟨quod in primo canone ponitur, quomodo sit, in 2° quomodo fiat transsubstantiatio, et⟩[e] quia haeretici eam vocem damnant. In 8° *de iure divino* esse frugem ecclesiasticam et copulam *etiam* augere.

R. D. [archiepiscopus] **Antibarensis** approbat canones, ut iacent[f].

Panormitanus probat canones; sed ex 3° vellet deleri *separatione facta*[g].

Bituntinus respondit, id non posse fieri, cum sint verba concilii Florentini.

Calaritanus[h] ex 3° cuperet etiam deleri *separatione facta*[i], quia tacite innuitur, quod in singulis partibus hostiae integrae non sit totus Christus. ⟨In 12° vellet addi ibi *sacerdotis — vel non urgente alia necessitate.*⟩[k]

[a] *M* eaque aptata datur eius exemplum hac eadem die hora 15 omnibus patribus, ut commodius in generali hodierna congregatione examinari possit.
[b] *M* et dicitur, ut, quod voluerint, mittat quivis exemplo.
[c] *M hic ponit* Zagabriensis deputatus
[d] *M* ex 2. canone deleatur, «quam catholica ecclesia transsubstantiationem appellat». 5^{s} omittatur. In 6° «et eo quidem externo» dicatur. 8^{s}: «de iure divino» aptentur melius et «etiam» est superfluum et deleatur «de».
[e] *M* quod «transsubstantiatio» est ponenda
[f] *M habet votum Antibarensis ante dicta Bituntini.*
[g] *M add.* sed dicatur «divisione» vel «partitione facta». *Insuper add.* Granatensis deputatus
[h] *M falso* Calaguritanus
[i] *M add.* quia, licet a concilio Florentino ponatur, eo tempore non dubitabatur, quod nunc dubitatur, et
[k] *M* quod falsum est. In 12° vellet clarius dici, quod quis teneatur confiteri non solum habita copia sacerdotis, sed non urgente alia necessitate, et ponatur aliquid, per quod copia[m] sacerdotis teneatur quis inquirere.

[1] Quam invenis infra inter Acta sessionis tertiae. Doctrina ab episcopis Guadicensi et Mutinensi exarata, in praecedenti congregatione deputatorum reiecta, desideratur.

[2] Nauseae votum super canones reformatos in scriptis datum vide in App. II n. 34.

Bituntinus respondit, ⟨synodum velle tantum damnare haereticos, qui asserunt, ut in canone, non autem scholasticas opiniones definire. Et ad secundum, quod non potest neque debet generalibus casibus provideri.⟩[a] |

R. D. [episcopus] **Feltrensis.** In primo ibi *proinde* addatur *non*[b]. In 4° *usu* addatur 170v
⟨*et actione*⟩[c]. Ex 5° deleatur *praecipue*[d]. In 6° dicatur *circumferendum*.

Bituntinus respondit *non* ibi *proinde* non posse addi, quia essent duae negationes. In 4° *usu* et actionem amplecti; et in 5° *praecipue* esse verbum haereticorum; et in 6° *circumgestandum* idem significare[e].

Segobricensis approbat canones in omnibus.

S. Marci idem in omnibus.

Maioricensis idem[f].

Camerinensis idem in omnibus.

Castellimaris. ⟨In 3° deleatur *separatione facta*⟩[g]; item ex 5° *praecipue,* cum hoc sacramentum nunquam remittit peccatum neque dat primam gratiam[h]. In 12° *atque ideo*[i] dicatur *nec* etc. In 12° ibi *sacerdotis* addatur *aut scandalo prohibente.*

Bituntinus respondit de *separatione* ut supra. De *praecipue:* ⟨non dici esse ad id institutum, ut prius dicebatur, sed operari. Quod negari non potest, et doctores asserunt⟩[k]. *Atque ideo* etc. bene inferri, ⟨quia ex prima negatione aliae omnes subsequuntur⟩[l].

Lancianensis. In 3° ibi[m] *separatione* addatur *etiam*[n]; in 12° *illis* addatur *saltim.*

Bituntinus. ⟨*Etiam* non addi, ne alias opiniones decideret synodus.⟩[l] Neque *saltim,* quia magis excluderet, et occasio non confitendi daretur.

Algarensis probat canones, ut iacent.

Misiensis idem.

Siracusanus idem.

Vigorniensis idem, sed ex 5° deleatur *praecipue.*

Bellicastrensis probat canones, ut iacent.

Auriensis probat canones; sed in 3° addatur *etiam* ⟨et in 12° *necessitate urgente*⟩[o]. 171r

Bituntinus respondit ⟨ut supra⟩[p].

Constantinensis cuperet in 3° addi *etiam separatione* etc.

Bituntinus respondit ut supra, ⟨et nolle synodum nisi haereses damnare⟩[l].

Oscensis in 3° *etiam;* ex 5° *praecipue.* In 10° dicatur ut in concilio Lateranensi: *cum ad annos* etc.

Clodiensis. In 12° *sacerdotis* dicatur *confessoris,* quia non omnis sacerdos est idoneus confessor. In 5° *et non* dicatur *vel non.*

Bituntinus respondit *sacerdotes* dici a concilio Constantiensi[q] [1].

Calaguritanus cupit dici *confessoris.* In 10° *ad annos discretionis* dicatur.

Elnensis. In 3° addatur *etiam.* In 10° ut dixit Calaguritanus.

Salonensis. In primo loco *sed* dicatur *et.* In 3° addatur[r] *etiam divisione facta.* Ex 5° deleatur *praecipue.* In 7° loco *astantibus* dicatur *communicaturis*[s]. 10[s] ut concilium Lateranense.

[a] *M* non esse hereticos, qui dicant in qualibet parte integrae hostiae non esse Christum, et synodus hereses damnat. Item quia decidere eam quaestionem non est necessarium de fide. Ad 2^{m} provisum est . . .[?] tantum, et non doctorum opiniones decidere.

[b] *M add.* In 2° «conversionem» ponatur ibi «singularem». [c] *M* «in actione et usu»

[d] *M add.* dicatur «solam» [e] *M add.* quia venit a gero, quod idem est

[f] *M* in 6° dicatur «idololatras»; caetera placent

[g] *M* In 2° «conversionem» ponatur ut prius. 3^{s} videtur omittendus cum aliis duobus in gratiam Protestantium. Et non placet «separatione facta», quia decidatur a contrario sensu quaestionis doctorum

[h] *M add.* ut div. Thomas tenet in 3. parte

[i] *M add.* non est bona illatio, quia ea non est ratio eorum, quae sequuntur

[k] *M* dixit, quod hoc sacramentum non est institutum ad remissionem peccatorum, sed dicitur «non operari», quod verum est

[l] *M om.* [m] *M add.* «sacramento» addatur «sanctissimo»; ibi

[n] *M add.* in 6° et addatur «sacro»; post «circumgestandum» sequatur «quasi non publice ut adoretur proponendum». 9^{s} ibi «Eucharistia» addatur «sancta»

[o] *M add.* in 6° ibi «proponendum» addatur «necessarietate urgente». Ex 8° deleatur «etiam»

[p] *M* ut «etiam» debeatur. *Postea add.* Pacensis deputatus

[q] *M add.* et quia in confessore debebat addi «idonei», quod non poterat fieri

[r] *M* deleatur «separatione facta» vel dicatur [s] *M add.* 9^{s}: «manducari» ponatur in fine

[1] Rectius concilium Lateranense in cap. *Omnis utriusque sexus.*

Bituntinus in primo *sed* magis declarat; et *communicaturis* non posse poni, quia assertio esset vera.

Monopolitanus[a]. In 11° addatur in fine *cuius tantummodo est conficere*. In 12° addatur, a quo contraveniens debeat absolvi.

Bituntinus. De *conficere* addetur, cum de celebratione[b] missae agetur.

Legionensis. In 12° addatur *et nisi urgeat necessitas*.

Ovetensis. In eodem addatur de casu urgente propter fugiendas occasiones delinquendi.

Tudensis idem cupit in eodem 12°.

Lacorensis. In 12° statuatur firmius ⟨confessionem [esse] necessariam et solam contritionem non sufficere.⟩[c]

Virdunensis probat canones; sed in 12° vellet ibi *sacerdotis* addi *idonei*.

Bossanensis. Ex 5° deleatur *praecipue*[d], vel loco *et non* dicatur *vel non*. |

171v R. **abbas Flandrus** probat canones.

R. **abbas Italus** etiam canones approbat una cum suo collega. — Duo enim sunt; sed quia ab eadem congregatione, nempe Montis Cassinensis, missi sunt, unus censetur et ideo unus pro omnibus loquitur. Et ita observatum est hactenus in hoc sacro concilio.

R. **generalis S. Augustini** probat etiam canones in omnibus.

Deinde dicitur, quod censurae considerabuntur per DD. deputatos et, si qua aptanda erunt, aptabuntur. Et dimittitur congregatio hora 24. Et vocatur ad horam 14 diei crastinae.

Congregatio deputatorum. Iterum canones aptantur.

Eadem die [**9. Octobris**] hora autem 24, statim scilicet post congregationem generalem, habetur congregatio sacrae deputationis super discutiendis censuris factis a patribus in hodierna congregatione super canonibus Eucharistiae, quos iterum aptarunt atque reformarunt.

Datur omnibus patribus exemplum doctrinae canonum Eucharistiae.

Eadem die datur omnibus patribus exemplum doctrinae praemittendae canonibus sacramenti Eucharistiae, ut in crastina generali congregatione examinetur.

Congregatio generalis. Examinantur decreta doctrinae de sacramento Eucharistiae et de reformatione.

172r Die sabbati **10.** eiusdem mensis **Octobris** mane hora 14 celebrata missa per unum ex capellanis et recitata per R^mum^ legatum consueta S. Spiritus oratione habita est congregatio generalis, in qua primum R. D. **Veronensis,** tertius praesidens, retulit patribus, qualiter in sacra deputatione fuerint consideratae et examinatae censurae factae in generali congregatione super canonibus sacramenti Eucharistiae, qui reformati sint, aptationumque omnium rationem reddidit, ac super his canonibus sic aptatis sententiae exquiruntur. Tunc ab omnibus una voce responsum est simpliciter: *Placet*. ⟨Et ita canones ipsi absoluti et firmati sunt ad Dei laudem et gloriam.⟩[e]

Deinde **ego** legi canones et decretum super reformatione, quod incipit: *Intendens nonnulla statuere* etc.[1] Super quo simul cum doctrina sacramenti Eucharistiae patrum sententiae exquiruntur, quae fuerunt ut sequitur.

[a] *M add.* In 3° addatur «etiam» [b] *M* sacrificio

[c] *M* ut nemo accederet ad Eucharistiam sine confessione, et damnetur aperte, quod sola contritio non sufficit. *Postea add.* Astoricensis deputatus.

[d] *M add.* cum a nemine asseritur

[e] *M* Castellimaris tamen insurrexit contra 5. canonem, quod hoc sacramentum nunquam remittit peccatum neque [confert] primam gratiam. Et cum hinc inde diversae rationes (Bituntino pro sacra deputatione respondente) adducerentur, tandem universae synodo placuit, ut ponatur, quod hoc sacramentum aliqua remittit peccata in eo, qui alias reverenter accedit et sit attritus vel oblitus in confessione.

[1] Cf. infra inter Acta sessionis tertiae.

R[mus] D. card. **Tridentinus** approbat doctrinam de sacramento Eucharistiae et canones reformationis; in 6° tamen canone cuperet addi aliquam poenam contra molestantes iniuste episcopos et ad iudicium illegitime eos vocantes. Reliqua placent.

R[dus] et Ill. D. **Maguntinus,** quia deputatus, tacuit.

R[dus] et Ill. D. **Treverensis** ⟨doctrinam probat ac etiam canones.⟩[a]

R. D. **Zagabriensis** deputatus.

R. D. **Viennensis**[1] probat doctrinam et canones, in quibus tamen cuperet addi, quod dixit Tridentinus; caetera placent.

R. D. [archiepiscopus] **Turritanus** deputatus.

[b]**Antibarensis** approbat omnia, ut iacent.

Upsalensis[2] probat doctrinam et canones reformationis[c], ut dixit Tridentinus. |

Panormitanus probat doctrinam; sed in fine cuperet melius statui sacramentalis 172v sumptio coniuncta cum spirituali.

Granatensis deputatus.

[b]**Calaritanus** probat doctrinam et canones in omnibus.

[b]R. D. [episcopus] **Feltrensis.** ⟨Placet doctrina et canones reformationis in omnibus.⟩[d]

[b]**Segobricensis, S. Marci, Maioricensis** probant doctrinam et canones.

Camerinensis. Canones reformationis placent; sed in doctrina, ubi agitur de effectu loco *liberamur a peccatis venialibus* addatur *et aliquando a mortalibus.* Ubi agitur de excellentia, omittatur, quod dicitur de communione sub utraque, ut factum est in canonibus. Ubi de adoratione, ⟨deleatur *soli* ob crucem, quae etiam adoratur⟩[e], et loco *solet* dicatur *debet.*

[b]**Castellimaris** probat doctrinam[f] et canones ut iacent.

Lancianensis probat doctrinam[g]; sed delendum esset, quod dicitur in communione parvulorum de rationibus, quibus ⟨patres antiqui eos communicabant⟩[h]. Et in ⟨8°⟩[i] ibi *fide* addatur *quae per dilectionem operatur.*

[b]**Algarensis** probat doctrinam et canones; sed in ⟨primo⟩[k] loco *moneatur* dicatur *citetur.*

[b]**Misiensis** probat doctrinam et canones; sed cuperet firmius statui residentiam episcoporum.

Siracusanus probat doctrinam; sed in auctoritate Pauli: *Qui de uno pane* addatur *et de uno calice*[3]. In primo autem canone reformationis cuperet statui ⟨idem in vicariis generalibus, quod in episcopis⟩[l]; idem in 6°. Et ibi *iuris scientia periti* addatur *vel canonici.* Et provideatur inhibitionibus, quae contra fiunt. |

Bituntinus respondit, ut deputatus, in codice graeco non haberi verba illa *et de* 173r *uno calice;* propterea non esse addita.

Vigorniensis laudat doctrinam et canones cum additione Tridentini.

[Bellicastrensis] probat doctrinam et canones; sed cuperet addi, quod episcopus non possit examinari nisi coram duobus aliis episcopis.

Auriensis probat doctrinam et canones; sed ibi *consuetudine* addatur *immemorabili.*

Pacensis deputatus.

Constantinensis probat doctrinam; sed ubi dicitur *beneficia omnia reliquit,* [advertatur], quia remedium peccati originalis non continet. Et ibi *separatione facta* addatur

[a] *M* circa doctrinam Eucharistiae quaedam pauca adnotavit. Quoad reformationem probat in omnibus.
[b] *Th om.* [c] *M add.* sed in 6. canone reformationis vellet addi
[d] *M* in doctrina advertendum, ne de remissione peccatorum pugnet cum canonibus. Reformatio placet.
[e] *M* advertatur, quia etiam cruci cultus latriae datur, ut div. Thomas ait
[f] *M add.* sed censeret in ea addi aliquas auctoritates patrum
[g] *M add.* sed provideatur iis, quae dixit Camerinensis
[h] *M* quidam patres eis panis communionem dabant [i] *Codd. falso* sexto; *Th* decimo
[k] *Codd. falso* sexto [l] *M* ne etiam vicarii moverentur

[1] Viennensis votum hac die in scriptis secretario traditum vide in App. II n. 35.

[2] Olaus Magnus, loco fratris sui Ioannis, 4. Iunii 1544 nominatus est archiepiscopus Upsalensis. Vixit tamen exsul Romae, ut episcopus Vigorniensis. Concilio Tridentino et Bononiensi interfuit. Cf. de eo *van Gulik-Eubel* III 343; *S. Merkle* in Conc. Trid. I 196 adn. 3; *J. Martin,* Deux confesseurs de la foi au XVI[e] siècle. Ioannes et Olaus Magnus, archevêques d'Upsal, in: L'Université catholique LVII LIX (1908). De pensione ei a Paulo III assignata, dum in concilio versaretur, cf. Conc. Trid. V p. LVIII l. 8. Epistolas eius, magna ex parte in concilio Tridentino (1545—1547) et Bononiensi scriptas, ed. *G. Buschbell,* Briefe von Iohannes und Olaus Magnus: Historiska Handlingar XXVIII (Stockholm 1932). De eius operibus agit *Hurter,* Nomenclator II[3] 1534.

[3] *I Cor.* 10, 17.

ut moderni nostri temporis haeretici dicunt[a]. Et in fine *sacerdotes, quibus ex officio* etc. videtur nimis restrictum. De reformatione canones placent; sed cuperet exprimi, a quo episcopus sit privandus.

Oscensis[1]. Doctrina placet; sed in 2° ibi *omnia beneficia reliquit,* [advertatur], quia non est verum ob alia sacramenta; et addatur *et de uno calice bibit.* Et ibi *ante usum* addatur *et post.* Et ibi *separatione facta* addatur *etiam.* De pueris deleantur rationes. Et ibi *et non solius formae* dicatur *tam formae quam materiae.* Ex 8° deleatur *ex officio* et *frequentius.* Quoad reformationem probat dicta per Siracusanum et Auriensem.

[b]**Clodiensis** probat doctrinam et canones ut iacent.

Calaguritanus. In doctrina addatur *et de uno calice,* et 2. caput ponatur ante primum, et loco *sacerdotis* dicatur *confessoris.* Et in eodem canone *ita fieri* etc. addatur, non bene inferri quod sequitur. In canonibus reformationis *in sacris constituti* addatur *etiam presbyteri,* et ibi *consuetudine* addatur *etiam immemorabili.*

Solonensis probat canones reformationis; sed in doctrina advertatur, ne, cum
173v dicitur, per | hoc sacramentum remitti peccata, sit contra confessionem, quia, si remittit confessio, quae praemittitur, ergo non sacramentum. Et ubi agitur de adoratione, addatur *licet sub speciebus illis contineatur.*

Elnensis probat doctrinam et canones; sed ibi *moneatur* dicatur *citeturque,* ut utrumque ponatur. Et addatur, ut dixit Tridentinus[c]. In 4° addatur *vel canonicis* et *consuetudine* addatur *etiam immemorabili.*

Monopolitanus. In doctrina addatur *et de uno calice,* et ponatur aliquid de cap. Ioa. 6.

Legionensis probat doctrinam, licet cuperet haberi rationem eorum, quae adducta sunt a patribus.

Et cum hora esset iam 18, votum suum non potuit perficere, sed dimittitur congregatio et vocatur hac eadem die ad horam 20.

Congregatio generalis. Firmantur decreta sacramenti Eucharistiae et reformationis ac etiam prorogationis 4 articulorum et salviconductus Protestantibus dandi et reliqua pro crastina sessione.

Eadem die sabbati **[10. Octobris]** hora autem 20 fuit etiam congregatio generalis, in qua patres prosequuti primum sunt examinationem doctrinae de sacramento Eucharistiae et canonum reformationis, super quibus primus cepit dicere sententiam

R. D. [episcopus] **Legionensis,** qui votum suum perfecit ostendens, non expedire, ut tot privilegia episcopis concedantur, ob populi murmurationem et scandalum, quasi in concilio omnia ad eorum privilegia tendentia solum reformentur.

Ovetensis probat doctrinam; in reformationis 6. canone addatur idem de vicariis quod de episcopis. Et quod dicitur de causis criminalibus, addatur et de civilibus.

Tudensis probat doctrinam; sed advertatur, quod in 2. capite plus dicitur de existentia Christi in sacramento, quam in primo capite contra eius titulum. Et doctrina Pauli integra adducatur; vel claudatur clausula ibi *non sint in no[bi]s schismata.* Canones reformationis placent. |

174r **Lacorensis.** Placet doctrina et canones reformationis.

Astoricensis deputatus.

Guadicensis deputatus.

[b]**Salaminensis** probat doctrinam et canones reformationis[d].

Bossanensis probat doctrinam, sed Pauli auctoritas adducatur integra, et probat canones.

Mutinensis deputatus.

[b]R. D. **abbas Flandrus** probat doctrinam, sed quod dicitur de episcopis, addatur de inferioribus praelatis etiam.

[b]RR. **abbates Itali Cassinenses** probant doctrinam et canones, ut iacent.

[a] *M add.* et ibi «conversionis» dicatur «transsubstantiationis» [b] *Th om.* [c] *M* Turritanus
[d] *M add.* Virdunensis probat doctrinam Eucharistiae et canones reformationis.

[1] Eius votum super doctrina in scriptis datum in App. II n. 36.

R. P. **generalis S. Augustini** probat doctrinam; sed quod dicitur in primo capite *ad tropos* etc., videtur esse contra Augustinum; propterea advertatur. Et ibi *a peccatis praeservamur* dicatur *contra peccata roboramur;* et ibi *non solius formae* addatur *et materiae.* Et *sacerdotis* dicatur *confessoris,* et declaretur, quis est confessor idoneus.

Bituntinus respondit Augustinum intelligere de speciebus et non de substantia Christi, quod dixit de tropo etc.[1]

Deinde R^{mus} et Ill^{mus} D. **legatus** interrogavit patres, an placeret, quod illi 4 articuli, super quibus cupiunt Protestantes audiri, differantur usque ad secundam sessionem post praesentem, videlicet: [1.] An necessarium sit ad salutem et divino iure praeceptum, ut omnes et singuli Christifideles sub utraque specie communicent; et: [2.] An erraverit ecclesia, quod laycos et non celebrantes sacerdotes sub una tantum specie communicaverit; et: [3.] Num minus sumat[a], qui sub una communicat[a], quam qui sub utraque; et: [4.] An parvuli etiam communicandi sint[2].

Et ab omnibus una voce responsum simpliciter: *Placet.* |

Postea **ego secretarius** legi salvumconductum, qui dandus est Protestantibus, in 174^{v} quo etiam prorogatio suprascriptorum 4 articulorum continetur, cuius principium est: *Errores omnes, qui super hoc sanctissimo sacramento* etc.[3]

Super quo decreto rogatis patrum sententiis ab omnibus responsum est: *Placet.*

Deinde interrogantur patres super sessione habenda post praesentem et placuit omnibus, ut haberetur ad diem B. Catherinae, quae erit 25. Novembris.

Item interrogantur super die pro sessione secunda post praesentem, in qua illi 4 articuli terminabuntur. Et placuit omnibus, quod in festo div. Pauli celebretur, ⟨25.⟩[b] Ianuarii sequentis anni. Et quod in hac agatur etiam de sacrificio missae et in alia de poenitentia et extrema unctione. Et in utraque de reformatione tractetur.

Postea proponitur patribus advenisse oratores electoris Brandeburgensis et petere admitti in concilio et mandatum exhibuisse. Quod mandatum ego legi. Placuit omnibus, ut admittantur, dumtamen se submittant in omnibus concilio.

Deinde proponitur de loco eis in sessione dando. Et omnes remiserunt hoc sacrae deputationi, cui datur etiam potestas considerandi censuras factas a patribus super doctrina et canonibus reformationis et aptandi et concludendi omnia decreta, et ita, quod cum Dei laude cras sessio celebretur. Intimaturque patribus, ut die crastina in hoc eodem loco hora 14 conveniant, ut hinc una ad ecclesiam proficiscantur.

Et dimittitur congregatio hora circiter prima noctis.

Absoluta congregatione convenerunt DD. deputati coram R^{mo} legato et decreta omnia aptarunt concluseruntque iuxta formam in Actis sessionis Deo adiuvante describendam.

[a] *M* sumant — communicant [b] *M falso* 20; *Th* 15

[1] De his a generali Erem. S. Augustini et a Bituntino allegatis quaestionibus circa Augustini doctrinam cf. *K. Adam,* Die Eucharistielehre des hl. Augustin (Paderborn 1908).

[2] Nescio, cur usque ad hanc diem ultimam ante sessionem examinatio doctrinae et canonis de communione parvulorum continuata fuerit, aliis articulis, pro quibus Protestantes prorogationem petierant, iam antea reiectis.

[3] Salvumconductum Protestantes per imperatorem a concilio petierant. Iam die 6. Octobris patres legato proponente salvumconductum fieri statuerant (supra p. 181 l. 3—21). Cf. infra inter Acta sessionis tertiae, et quae die 12. Octobris 1551 Franciscus Vargas Granvelae scripsit in Conc. Trid. XI 665 sq.

SESSIO TERTIA

sacri oecumenici concilii Tridentini

sub Iulio III pont. max.

anno sal. 1551.

[Sessio XIII.]

[1]In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen. Anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, indictione nona, pontificatus S^{mi} et B^{mi} in Christo patris et domini nostri, Domini Iulii III divina providentia sacrosanctae Romanae et universalis ecclesiae pontificis maximi anno secundo, die vero dominica **11.** mensis **Octobris,** Tridenti in ecclesia cathedrali sub invocatione B. Vigilii in loco solito ad sessiones habendas specialiter deputato celebrata fuit tertia publica sessio sacrosancti oecumenici et generalis concilii Tridentini sub eodem S^{mo} D. N. Iulio III, praesidentibus in eo R^{mis} et Illmo[a] in Christo patribus et dominis, Dominis Marcello, tit. S. Marcelli S. R. E. praesbitero cardinali, de Crescentiis nuncupato, ac Sebastiano, archiepiscopo Sipontino, et Aloysio, episcopo Veronensi, eiusdem S^{mi} D. N. papae et sanctae sedis apostolicae de latere legato et nunciis. Quibus convenientibus mane hora 15 una cum praelatis, oratoribus et aliis infrascriptis in dicta ecclesia cathedrali et loco consueto in primis R. D. episcopus Maioricensis celebravit missam solemnem de Spiritu Sancto; qua absoluta publicata fuit pro astantibus et Deum pro unione ecclesiae orantibus indulgentia centum annorum in forma ecclesiae consueta. Deinde R. D. archiepiscopus Turritanus indutus pluviali et mitra habuit ornatissimam orationem[2]. Post quam tam R^{mi} et Ill^{mi} DD. legatus, cardinales et praesidentes quam sacri imperii electores et regii oratores (cum sint episcopi) ac praelati omnes acceperunt pluvialia et mitras ac alia paramenta consueta decantantibus eo tempore cantoribus Psalmum 83: *Quam dilecta tabernacula tua.* Paramentis autem acceptis quisque resedit in loco suo iuxta ordinem in secunda superiori sessione adnotatum[3], et R^{mus} et Ill^{mus} D. legatus resedit ante altare maius in faldistorio ibidem praeparato versa facie ad sanctam synodum et solitas orationes legit ac ceremonias consuetas peregit. Decantatis a cantoribus laetaniis et benedicta ter per ipsum R^{mum} et Ill^{mum} legatum sancta synodo ac decantato a diacono evangelio Io. 6 [56 sqq.]: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus,* ac etiam decantato a cantoribus hymno *Veni creator Spiritus* et aliis orationibus ad hoc institutis, de quibus supra in prima et secunda sessionibus[4], necnon RR. DD. secundo et tertio praesidentibus consedentibus etiam ante ipsum altare in eorum faldistoriis medium habentibus praefatum R^{mum} et Ill^{mum} legatum et synodum respicientibus. Conc. 123 172r

Quibus omnibus de more rite peractis comparuerunt duo oratores Ill^{mi} D. Ioachimi, sacri Romani imperii principis electoris, praesentaruntque eorum mandatum et illud legi petierunt; mandanteque R^{mo} et Illmo D. legato et patribus ego Angelus Massarellus de S. Severino, sacri concilii secretarius, alta et clara voce ipsum mandatum legi, quod est tenoris infrascripti, videlicet:

Mandatum oratorum Ill^{mi} electoris Brandeburgensis[5].

Nos Ioachimus Dei gratia marchio Brandeburgensis, sacri Romani imperii archicamerarius et elector, Stetiniae[b], Pomeraniae, Cassubiorum et Slavorum necnon Crosne Silesiae[c] dux, burggravius Norimbergae et princeps Rugiae[d], fatemur et notum facimus cunctis honorandissimis dominis et amicis nostris, cuiuscunque status et conditionis sint, quod, cum Sacra Caesarea Maiestas, Dominus noster clementissimus, nobis significarit, quomodo sanctissimus in Christo pater ac dominus, Dominus Iulius III, divina favente Conc. 89 n 23

[a] *C 119* Illustrissimis [b] *C 119* Stestiniae [c] *R et P* Silesinae [d] *R et P* Russiae

[1] Sequimur tomum *Conc. 123* f. 172^r—189^v. In *Conc. 146* f. 104^r—147^r invenitur minuta Actorum cum diversis exemplis documentorum in hac sessione lectorum vel approbatorum.

[2] Quam videas infra in fine Actorum huius sessionis.

[3] Cf. supra p. 89 l. 15—30.

[4] Cf. supra p. 31 l. 26 ad p. 32 l. 40.

[5] Textum sumpsimus ex or. in perg., quod in tomo *Conc. 89* n. 23 conservatur. In *Conc. 146* f. 109^r prostat copia manu Massarelli scripta. Altera copia invenitur in *Conc. 78* f. 52 (= C 78). Ediderunt ad partem tantum *Raynaldus* ad a. 1551 n. 41 (= R) et *Le Plat* IV 264 (= P).

clementia sacrosanctae Romanae et universalis ecclesiae summus pontifex, dominus noster gratiosissimus, concilium generale Tridentinum calendis Maii praeteritis continuandum instituisset, paterneque omni pacientia et charitate, quo tandem in nostra Germania iam dudum orta multisque annis alita controversia religionis hac via legittima componatur beataque pax ecclesiae Dei et quies Germaniae restituatur, promoturum Suae Maiestati promisisset, Suaque Maiestas nos, ut huic oecumenico concilio cum aliis principibus, viris et statibus Christianitatis personaliter vel saltem, si legittime impediremur[a], per nostros intimos consiliarios et viros bonos pacis publicae tranquillitatisque solicitos interessemus, clementer et gratiose admonuerit requisieritque, nobisque ab ineunte nostri regiminis etate nihil magis studii curaeque fuerit, nihilque magis a Deo Opt. Max. optemus cupiamusque, quam ut sanctissimum nomen eius glorificetur et unanimis catholica[b] et orthodoxa religio in nostra Germania restituatur, ecclesiaeque[c] Dei ab omnibus malis et perversis dogmatibus repurgentur[d], et status publicus cum moribus reformetur, nosque iam variis et legittimis ex causis adversaque corporis valetudine, et quominus personaliter interesse possimus, impediamur, quod propterea intimum et dilectum nobis consiliarium, nobilem et doctum virum Christophorum de Strassen[e 1], iuris utriusque doctorem et universitatis nostrae Francofordianae[f] ad Viadrum ordinarium, secretariumque nostrum Ioannem Hoffmannum cum pleno mandato et potestate in hoc oecumenico Tridentino concilio nostro nomine comparendi, omniaque pro concordanda[g] et restituenda unanimi catholica et orthodoxa religione et pro statu publico repurgando reparandoque, componendis quoque controversiis et dissidiis inter reges, capita, membra et populos christianos bonisque moribus instituendis, quatenus de iure, more et consuetudine licet, tractandi agendique caetera omnia, quae decent et nos personaliter agere deberemus possemusque, ablegavimus constituimusque, prout his literis nostris eos constituimus et ordinamus, rogantes omnes et singulos honorandissimos dominos et amicos nostros, ut praedictis nostro consiliario intimo et secretario dilecto plenam fidem et eosdem sibi commendatos habere velint, promittimusque omnia, quae egerint nostroque nomine promiserint constituerintque, et rata et firmissima nos semper habituros, et si generaliori et ampliori mandato dicti nostri deputati opus habebunt, hoc ipsum his literis propria manu nostra et sigillo appenso roboratis concedimus damusque cum libera et omni, quo possumus, meliori modo, iure et via. Datae Coloniae ad Suevum prima die Augusti millesimo quingentesimo quinquagesimo primo. Signatae.

Ioachimus elector manu propria.

Conc. 123 172v Quo mandato lecto unus ex dictis oratoribus, Christophorus nomine, qui est primus in ordine, habuit infrascriptam orationem, videlicet |

173r

Oratio habita ab oratore Ill[mi] electoris Brandeburgensis in praesentatione sui mandati in sessione 11. Octobris 1551[2].

Reverendissime et Illustrissime cardinalis, sanctissimi D. N. Iulii divina providentia papae III legate, R[me] et Ill[me] cardinalis et princeps Tridentine, R[mi] praesides, R[mi] et Ill[mi]

[a] *In or. corr. ex* impedimur [b] *Or.* chatholica [c] *C 119* ecclesiae [d] *C 119 et C 78* repurgetur [e] *C 119* Stassen [f] *C 123, C 118 et C 78* Francfordianae [g] *C 119 et C 78* concordia

[1] Christophorus de Strassen, doctor iuris et professor universitatis Francofordianae ad Viadrum, consiliarius fuit principis electoris Brandeburgensis Ioachimi II (1535—1571), qui ipse fidei Lutheranae adhaerens Protestantium concionatores in territorio suo admisit. Christophorus primus fuit principis alicuius Lutherani orator, qui Tridentum pervenit. Quamquam mandatum a Christophoro concilio exhibitum principis Ioachimi obedientiam erga concilium asseruit et propterea patribus gaudium magnum attulit, tamen non defuerunt alii, qui suspicabantur, principem sperare, filium suum Fridericum, qui a capitulis Magdeburgensi et Halberstadensi electus fuerat episcopus, propensa patris erga concilium voluntate facilius confirmationem pontificis obtenturum esse. Cf. de hac re Conc. Trid. XI 644 l. 10—28; *Druffel* I 744 n. 753; *Corp. Ref.* VII 842 sq.; *L. Pastor,* Die kirchlichen Reunionsbestrebungen während der Regierung Karls V (Freiburg i. Br. 1879) 435 sq. Ipse Christophorus a fide catholica non defecisse videtur; quare ab oratoribus Protestantium haud magni aestimabatur. Cf. *H. Baumgarten,* Sleidans Briefwechsel (Straßburg 1881) 179 et Melanchthonem in *Corp. Ref.* VII 842 sq.; *V. Ernst,* Briefwechsel des Herzogs Christoph von Wirtemberg I (Stuttgart 1899) 303 sq. *I. O. Opel,* Eine Briefsammlung des Dr. Christoph von der Strassen, in: Neue Mitteilungen des thüring.-sächs. Vereines XIV (1878) 187 sqq.; quod opus mihi inspicere non licuit. De sessione diei 11. Octobris Christophorus die sequenti ad principem suum scripsit. *Druffel* I 782 sqq. n. 791.

[2] In *Conc. 146* f. 110r—114r inveniuntur tres copiae huius orationis, diversis manibus scriptae. Ed. *Raynaldus* ad a. 1551 n. 42 (= R) et *Le Plat* IV 265 sq. (= P).

principes electores, clarissimi oratores, piissimi patres, sacrosancta synodus, domini observandissimi et observandi. Quemadmodum magna et incredibilis proculdubio laetitia in omnium piorum animos se effundere debuit, quod[a] post turbulentissimas tempestates, quibus tot annos misere iactata est christiana relligio, tam inopinata[b] spes haec tranquillitatis affulserit, ⟨ut nempe⟩[c] reipublicae fideique christianae pristinum decus, auctoritas maiestasque hac scilicet via legitima per oecumenicum concilium restitueretur, ita et Illmo principi et domino D. Ioachimo, marchioni Brandeburgensi, sacri Romani imperii archicamerario et principi electori, Stetiniae[d], Pomeraniae, Cassubiorum, Slavorum necnon Crosnae Silesiae[e] duci, burggravio Norimbergae et Rugiae[f] principi etc., domino meo gratioso, nihil iucundius optatiusque[g] evenire potuit, quam quod nostrae relligionis christianae quassam[h] totque procellarum iniuriis laceram navem ex imminenti[i] naufragio in tutum tandem portum (vobis fidelissimis naucleris) nunc[g] suo maxime tempore perduci videret. Igitur suarum quoque partium esse et ad principem christianum pertinere existimavit, si quantum in se esset, daret operam, ut omnium saluti Deique et religionis precioso eius sanguine assertae[k] necessaria haec res ad optatum tandem finem deducatur. Cum ergo[l] optimus, sacratissimus et invictissimus princeps et dominus, Dominus Carolus V, divina favente clementia Romanorum imperator semper Augustus, dominus noster omnium clementissimus[m], Illmo domino meo D. Ioachimo, marchioni Brandeburgensi et principi electori, significasset, quomodo sanctissimus noster Iulius III, divina providentia sacrosanctae Romanae et universalis ecclesiae summus pontifex, sacrum hoc oecumenicum concilium Tridentinum iam olim a fe. re. Paulo III coeptum primis calendis Maii praeteritis Tridenti continuandum instituisset, Suaque Maiestas Illustrissimum principem electorem Brandeburgensem, ut[c] huic sacro oecumenico concilio cum caeteris principibus, viris et statibus Christianitatis personaliter vel saltem, si legitime impediretur, per suos consiliarios et oratores interesse et sacram synodum pro viribus promovere, fovere tuerique non gravaretur, admonuisset requisivissetque, nihil equidem[n] Illustrissimus princeps elector maluisset, nihil antiquius nihilque se[g] dignius putavit, quam hoc pio et christiano officio, piissimis Caesareae Maiestatis obsequi votis et praesens concilio interesse. Impeditur[o] tamen cum[g] adversa corporis valetudine, tum[g] ob turbulentissimum praesentem rerum maxime istarum partium statum, quominus hoc ipsum per se praestare possit. Nihilominus, ut devotissimum animum suum propensamque voluntatem erga hanc sacrosanctam oecumenicam synodum testaretur, me cum collega meo huc delegavit iussitque in primis, sanctam synodum suo nomine obsequiose et reverenter salvere[p], R^mis^ et Ill^mis^ Dominationibus vestris sua obsequia ⟨et servitia⟩[g] deferre rogareque, ut sancta synodus suam Illustrissimam Dominationem excusatam habere dignetur. Neque vero dubitare debet sancta synodus, me cum collega[q] omnia, quae pro conservanda ampliandaque sacri concilii auctoritate progressuque et incremento sacrosanctae christianae religionis, pacis tranquillitatisque publicae pertinere videbuntur, diligenter pro viribus facturum promoturumque, principemque electorem Ill^mum^ omnia, | ⟨quae sanctae synodo placitura sunt,⟩[r] sancte 173^v^
et syncere, ut principem christianum et obedientem[s] filium ecclesiae catholicae decet, observaturum defensurumque, ut haec omnia ex authentico ⟨et legitimo⟩[g] eius mandato sacra synodus perspicere potest. Reliquum est, ut Ill^mum^ principem electorem meque cum collega R^mis^ et Ill^mis^ Dominationibus Vestris commendem[t].

Cui quidem orationi et exhibitioni mandati ego Angelus secretarius praefatus nomine sanctae synodi respondi sub forma infrascripta, videlicet

Responsio sanctae synodi ad oratores Ill^mi^ electoris Brandeburgensis in praesentatione mandati in supradicta sessione[1].

Dici non potest, ornatissimi viri, quantam laetitiam huic sanctae synodo vester adventus attulerit quantaque animi voluptate[u] audiverit ea, quae a vobis relata sunt de

[a] *R* quia [b] *R et P* inopinate [c] *R et P* et [d] *R et P* Mechliniae
[e] *R et P* Silesinae [f] *R et P* Russiae [g] *R et P om.* [h] *R et P* tantis iam
[i] *C 146 f. 110^r^ et f. 112^r^ falso* minis venti [k] *R et P* asserta [l] *P om.*
[m] *R et P add.* ille [n] *R et P* quidem [o] *R et P* impeditus [p] *R et P* salutare
[q] *R et P add.* meo [r] *R* quae; *P om.* [s] *R et P* obedientiae [t] *C 119 add.* Dixi
[u] *C 119 et C 78* iocunditate

[1] In *Conc. 146* f. 115 et f. 116 duo prostant copiae; in *Conc. 78* f. 54^r^ invenitur copia manu Massarelli scripta. Ediderunt *Raynaldus* ad a. 1551 n. 42 et *Le Plat* IV 266.

propenso[a] Ill^mi^ principis vestri erga ipsam synodum animo[b], praesertim de filiali et humili submissione ⟨et de proposito acceptandi et observandi ea⟩[c], quae a sancta synodo decerni contingent[d]. Sperat enim Dei bonitate futurum, ut[e] clarissimus vester princeps, sicuti ea verbo a vobis exponi voluit, ita facto et opere comprobabit [!]. Quare et personas vestras benevole et amanter amplectitur et mandatum per vos exhibitum, quantum de iure debet, admittit.

Deinde R. D. episcopus Maioricensis accedens ad altare accepit e manibus R^mi^ et Ill^mi^ D. legati decreta de ⟨sacramento sanctissimae Eucharistiae⟩[f] et de reformatione, quae in hac sessione publicanda erant, ascendensque ambonem primum legit clara et intelligibili voce decretum ipsum sacrae Eucharistiae, quod est tenoris infrascripti, videlicet

Decretum de sanctissimo Eucharistiae sacramento publicatum in 3. sessione Tridentina sub Iulio papa III, die 11. Octobris 1551[1].

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus in Spiritu Sancto legitime congregata ⟨praesidentibus in ea eisdem sanctae sedis apostolicae legato et nunciis⟩[g], etsi in eum finem non absque peculiari Spiritus Sancti ductu et gubernatione convenerit, ut veram et antiquam de fide et sacramentis doctrinam exponeret et ut haeresibus omnibus et aliis gravissimis incommodis, quibus Dei ecclesia misere nunc exagitatur et in multas ac varias partes scinditur, remedium afferret, hoc praesertim iam inde a principio in votis habuit, ut stirpitus convelleret zizania execrabilium errorum et schismatum, quae inimicus homo his nostris[h] calamitosis temporibus in doctrina fidei, usu et cultu sacrosanctae Eucharistiae superseminavit[2], quam alioqui Salvator noster in ecclesia sua tanquam symbolum reliquit eius unitatis et charitatis, qua Christianos omnes inter se coniunctos et copulatos esse voluit. Itaque eadem sacrosancta synodus sanam et synceram illam de venerabili hoc et divino Eucharistiae sacramento doctrinam tradens, quam semper[i] catholica ecclesia ab ipso Iesu Christo Domino nostro et eius apostolis ⟨erudita atque a⟩[k] Spiritu Sancto illi omnem veritatem in dies suggerente[3] edocta[l] retinuit et ad finem usque saeculi conservabit, omnibus Christifidelibus interdicit, ne posthac de sanctissima Eucharistia aliter credere, docere aut praedicare audeant, quam ut est hoc praesenti decreto explicatum atque definitum. |

174^r^ Cap. 1. De reali praesentia Domini nostri Iesu Christi in sanctissimo Eucharistiae sacramento.

Principio docet sancta synodus et aperte ac simpliciter profitetur in almo sanctae Eucharistiae sacramento post panis et vini consecrationem Dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum atque hominem, vere, realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Neque[m] enim haec inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in coelis assideat iuxta modum existendi naturalem, et ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter praesens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo[4], cogitatione per fidem illustrata assequi possumus et constantissime credere debemus. Ita enim ⟨maiores omnes nostri⟩[n], quotquot in vera Christi ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile sacramentum in ultima coena Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis vinique benedictionem

[a] *C 146 f. 115^r^, C 119 et C 78* propensa [b] *C 146 f. 115^r^, C 119 et C 78* voluntate *et add.* et
[c] *C 146 f. 115^r^, C 119 et C 78* ac acceptatione eorum
[d] *C 118, C 119, C 78, R et P* contingent [e] *C 119 et C 78* quod
[f] *C 119* sanctissimo Eucharistiae sacramento [g] *In C 146 add. manu Massarelli.*
[h] *In C 146 hic del.* presertim [i] *C 123 falso* super [k] *In C 146 supra lineam add.*
[l] *In C 146 corr. pro* erudita [m] *L* nec [n] *L et Richter* maiores nostri omnes

[1] In *Conc. 146* prostat decreti et canonum de Eucharistia necnon capitum reformationis copia, quae priorem textus formam exhibet, et in qua, uti videtur, in ipsis congregationibus hanc sessionem praecedentibus mutationes textui allatae adnotabantur. Insuper in apparatu nostro critico inveniuntur lectiones variantes editionis Romanae anno 1564 apud Paulum Manutium excusae (= Ro), editionis Lovaniensis anni 1567 (= L) et editionis ab *Aemilio L. Richter* curatae, quae anno 1853 Lipsiae in lucem prodiit.

[2] Cf. *Matth.* 13, 24—30.

[3] Cf. *Io.* 14, 26; 16, 13; *Luc.* 12, 12.

[4] Cf. *Matth.* 19, 26; *Luc.* 18, 27.

se suum ipsius corpus illis praebere ac suum sanguinem disertis et perspicuis verbis testatus est. Quae verba a sanctis evangelistis commemorata[1] et a divo Paulo postea repetita[2], cum propriam illam et apertissimam significationem prae se ferant, secundum quam a patribus intellecta sunt, indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis et pravis hominibus ad fictitios et imaginarios tropos, ⟨quibus veritas carnis et sanguinis Christi negatur,⟩[a] contra universum ecclesiae sensum detorqueri[3], quae tanquam *columna et firmamentum veritatis*[4] haec ab impiis hominibus excogitata commenta velut sathanica detestata est, grato semper et memore animo praestantissimum hoc Christi beneficium agnoscens.

Cap. 2. De ratione institutionis huius sanctissimi sacramenti.

Ergo Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit *memoriam faciens mirabilium suorum*[5], et in illius sumptione colere nos sui memoriam praecepit[6] suamque *annunciare mortem*, *donec* ipse ad iudicandum mundum *veniat*[7]. Sumi autem voluit sacramentum hoc tanquam spiritalem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me*[8], et tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae et perpetuae felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis, cuius ipse caput existit[9], cuique nos tanquam membra arctissima fidei, spei et charitatis connexione astrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus nec essent in nobis[b] schismata[10].

Cap. 3. De excellentia sanctissimae Eucharistiae super reliqua sacramenta.

Commune hoc quidem est sanctissimae Eucharistiae cum caeteris sacramentis, symbolum esse rei sacrae ⟨et invisibilis gratiae formam visibilem⟩[c][11]; verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur, at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est. Nondum enim Eucharistiam de manu Domini apostoli susceperant[12], cum vere | tamen 174v ipse affirmaret corpus suum esse, quod praebebat; et semper haec fides in ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus verumque eius sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere[13], sed corpus quidem sub specie panis et sanguinem sub vini specie ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini et sanguinem sub specie panis animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus[14], inter se copulantur, divinitatem porro propter admirabilem illam eius cum corpore et anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est tantundem sub alterutra specie atque sub utraque contineri. Totus enim et integer Christus sub panis specie et sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie et sub eius partibus existit[15].

Cap. 4. De transsubstantiatione[16].

Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, ideo persuasum semper in ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta haec synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri et totius substantiae vini in substantiam sanguinis eius. Quae conversio convenienter et proprie a sancta catholica ecclesia transsubstantiatio est appellata[17].

[a] *In C 146 add. in margine.* [b] *L* vobis
[c] *In C 146 corr. in marg. pro* et id efficere, quod significat

[1] *Matth.* 26, 26 sqq.; *Marc.* 14, 22 sqq.; *Luc.* 22, 19 sq.
[2] *1 Cor.* 11, 24 sq.
[3] Cf. supra articulos 1 et 2 de Eucharistia, p. 111 l. 10 usque ad p. 112 l. 6 cum adnotationibus.
[4] *1 Tim.* 3, 15. [5] *Ps.* 110, 4.
[6] *Luc.* 22, 19; *1 Cor.* 11, 24. [7] *1 Cor.* 11, 26.
[8] *Io.* 6, 58. [9] Cf. *1 Cor.* 11, 3; *Eph.* 5, 23.
[10] Cf. *1 Cor.* 1, 10.
[11] *Augustinus*, De civit. Dei lib. X c. 5. C. 32 *Sacrificium* de consecr. dist. 2.
[12] Cf. *Matth.* 26, 26; *Marc.* 14, 22; *Luc.* 22, 19.
[13] Cf. supra art. 1, p. 111 l. 10 sqq. cum adn.
[14] Cf. *Rom.* 6, 9.
[15] Cf. supra art. 9, p. 113 l. 20—26 cum adn.
[16] Cf. supra art. 3, p. 112 l. 7—9 cum adn.
[17] Cf. supra p. 125 adn. 1.

Cap. 5. De cultu et veneratione huic sanctissimo sacramento exhibenda[1].

Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christifideles pro more in catholica ecclesia semper recepto latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione exhibeant[a]. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum[2]. Nam illum eundem Deum praesentem in eo adesse credimus, quem Pater aeternus introducens[b] in orbem terrarum ⟨dicit: *Et adorent*⟩[c] *eum omnes angeli Dei*[3], quem magi *procidentes adoraverunt*[4], quem denique in Galilea ab apostolis adoratum fuisse scriptura testatur[5]. Declarat praeterea sancta synodus pie et religiose admodum in Dei ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam et festo die praecelsum hoc et venerabile sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, utque in processionibus reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circunferretur[6]. Aequissimum est enim sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos et memores testentur animos erga communem Dominum et Redemptorem pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis eius victoria et triumphus repraesentatur. Ac[d] sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio et haeresi triumphum agere, ut eius adversarii in conspectu tanti splendoris et in tanta universae ecclesiae laetitia positi vel debilitati
175r et fracti tabescant vel | pudore affecti et confusi aliquando resipiscant.

Cap. 6. De asservando sacrae Eucharistiae sacramento et ad infirmos deferendo[7].

Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam saeculum etiam Niceni concilii agnoverit[8]. Porro deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos et in hunc usum diligenter in ecclesiis conservari[9], praeterquam quod cum summa aequitate et ratione coniunctum est, tum multis in conciliis praeceptum invenitur et vetustissimo catholicae ecclesiae more est observatum[10]. Quare sancta haec synodus retinendum omnino salutarem hunc et necessarium morem statuit[e].

Cap. 7. De praeparatione, quae adhibenda est, ut digne quis sacram[f] Eucharistiam percipiat[11].

Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte, certe quo magis sanctitas et divinitas coelestis huius sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, praesertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit non diiudicans corpus Domini*[12]. Quare communicare volenti revocandum est in memoriam eius praeceptum: *Probet autem*[g] *se ipsum homo*[13]. Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius ⟨peccati mortalis⟩[h], quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod a Christianis omnibus, etiam ab iis[i] sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec sancta synodus perpetuo servandum[k] esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris. Quod si necessitate urgente sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quam primum confiteatur.

[a] *C 146, C 119 et L* adhibeant [b] *In C 146 corr. pro* introduxit
[c] *In C 146 corr. pro* ut adorent [d] *L* atque
[e] *Hic sequebatur caput de communione parvulorum; in C 146 est postea del.* Parvulis Eucharistiam non esse exhibendam. Quanquam in nonnullis ecclesiis observatum olim fuerit, ut infantibus statim post baptismum sancta Eucharistia praeberetur, tamen cum plurima incommoda ex illa parvulorum communione evenire multi pii et sapientes viri animadverterent, ipsique parvuli iam per baptismum Christo insiti essent et tanquam filii ac domestici Dei sine communione sacramentali haberentur, cum item tantum sacramentum a cibis communibus diiudicare non possent, ecclesiae consensus et consuetudo obtinuit, ne parvulis Eucharistia sacramentaliter manducanda praeberetur.
[f] *C 146, C 119* sanctam [g] *L om.* [h] *C 146, C 119 et L* mortalis peccati
[i] *C 146 et C 119* his [k] *L* servandam

[1] Cf. supra art. 5, p. 112 l. 22 sqq. cum adn.
[2] Cf. *Matth.* 26, 26 sqq. et parall.
[3] *Hebr.* 1, 6; cf. *Ps.* 96, 7. [4] *Matth.* 2, 11.
[5] *Matth.* 28, 17.
[6] Cf. supra p. 160 l. 3—6 et adn. 1.
[7] Cf. supra art. 6, p. 113 l. 3 sqq. cum adn.
[8] Cf. supra p. 131 l. 14 sq. et adn. 6.
[9] Cf. supra art. 5, p. 112 l. 22 sqq.
[10] Cf. supra p. 130 l. 8 sq. et adn. 2; p. 131 l. 15 et adn. 6; p. 123 adn. 15.
[11] Cf. supra art. 10, p. 114 l. 1—8 cum adn.
[12] *1 Cor.* 11, 29. [13] *1 Cor.* 11, 28.

Cap. 8. De usu admirabilis huius sacramenti.

Quoad usum autem recte et sapienter patres nostri tres rationes hoc sanctum sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt sacramentaliter duntaxat id sumere, ut peccatores; alios tantum spiritaliter, illos nimirum, qui voto propositum illum coelestem panem edentes *fide* viva, *quae per dilectionem operatur*[1], fructum eius et utilitatem sentiunt; tertios porro sacramentaliter simul et spiritaliter, ii[a] autem sunt, qui ita se prius probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant[2]. In sacramentali autem sumptione semper in ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent[3]; qui mos tanquam ex traditione apostolica descendens iure ac merito retineri debet[b]. Demum vero[c] paterno affectu admonet sancta synodus, hortatur[d], rogat et[e] obsecrat[d] *per viscera misericordiae Dei nostri*[4], ut omnes et singuli, qui christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in | hoc concordiae symbolo 175v
iam tandem aliquando conveniant et concordent, memoresque tantae maiestatis et tam eximii amoris Iesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostrae salutis precium et carnem suam nobis dedit ad manducandum[5], haec sacra mysteria corporis et sanguinis eius ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ea pietate et cultu credant et[f] venerentur, ⟨ut *panem* illum *supersubstantialem*[6] frequenter suscipere possint, et is vere eis sit⟩[g] animae vita et perpetua sanitas mentis, cuius vigore confortati ex huius miserae peregrinationis itinere ad coelestem patriam pervenire valeant, eundem *panem angelorum*[7], quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi.

Quoniam autem non est satis veritatem dicere, nisi et[h] detegantur et refellantur errores, placuit sanctae synodo hos canones subiungere, ut omnes iam agnita doctrina catholica intelligant quoque, quae[i] illis hereses caveri vitarique debeant.

Canones de sacrosancto Eucharistiae sacramento.

1. Si quis negaverit, in sanctissimo Eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo vel figura aut virtute: anathema sit.

2. Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat: anathema sit.

3. Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri: anathema sit.

4. Si quis dixerit, peracta consecratione in admirabili Eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini: anathema sit.

5. Si quis dixerit, vel praecipuum fructum sanctissimae Eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire: anathema sit.

6. Si quis dixerit, in sancto Eucharistiae sacramento Christum, unigenitum Dei Filium, non esse cultu latriae, | etiam externo, adorandum, atque ideo nec festiva peculiari 176r

[a] *C 146, C 119, Ro, L et Richter* hi
[b] *In C 146 primum hic explicuit doctrina et sequebantur verba canones introducentia:* Et quoniam non minus Christifidelibus expedit scire, quid tenere et sequi, quam quid vitare et fugere debeant, placuit ipsi sanctae synodo infrascriptos canones super eodem sanctissimae Eucharistiae sacramento statuere. *Quibus verbis postea deletis alia manus prosequebatur:* Demum vero paterno affectu *etc., ut supra, praemisso verbo* Adhortatio, *quod postea fuit del.*
[c] *L et Richter* autem [d] *In C 146 add. supra lineam manu Massarelli.*
[e] *In C 146 del.* obtestatur [f] *In C 146 corr. pro* suscipiant
[g] *In C 146 in marg. manu Massarelli corr. pro* ut panis ille supersubstantialis sit vere illis
[h] *Ro, L et Richter om.* [i] *L et Richter add.* ab

[1] *Gal.* 5, 6. [2] Cf. *Matth.* 22, 11 sqq. [3] Cf. ex. gr. supra p. 129 l. 27 sq. et adn. 11. [4] *Luc.* 1, 78. [5] Cf. *Io.* 6, 48—59. [6] *Matth.* 6, 11. [7] *Ps.* 77, 25.

celebritate venerandum, neque in processionibus secundum laudabilem et universalem ecclesiae sanctae ritum et consuetudinem solemniter circungestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et eius adoratores esse idolatras[a]: anathema sit.

7. Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem astantibus necessario distribuendam, aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur: anathema sit[b].

8. Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum spiritualiter tantum manducari et non etiam sacramentaliter ac realiter: anathema sit.

9. Si quis negaverit, omnes et singulos Christifideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum iuxta praeceptum sanctae matris ecclesiae: anathema sit.

10. Si quis dixerit, non licere sacerdoti celebranti se ipsum communicare: anathema sit.

11. Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum sanctissimae Eucharistiae sacramentum: anathema sit. Et ne tantum sacramentum indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit et declarat ipsa sancta synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantuncunque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

Quo decreto lecto idem R. D. episcopus Maioricensis interrogavit patres, an placeret, his verbis, videlicet: *R^mi et Ill^mi Domini Reverendique Patres, placent haec omnia vobis?* Et statim R^mus et Ill^mus D. legatus et primus praesidens aliique duo praesidentes responderunt: *Placent.* Deinde quilibet ex patribus interrogatus fuit singulariter a me Angelo Massarello, sacri concilii secretario, praesente D. Nicolao Driel, ipsius concilii notario, an placeret. Et omnes responderunt simpliciter: *Placent.* Quod cum ego retulissem R^mo et Illmo D. legato, ipse legatus nunciavit id patribus dicens alta voce: *Decretum placet omnibus.* Tunc ab omnibus responsum fuit: *Deo gratias.*

Postea idem R. D. episcopus Maioricensis legit alta voce aliud decretum super reformatione, tenoris subsequentis, videlicet |

Decretum super reformatione publicatum in eadem sessione tertia Tridentina sub Iulio III pont. max.[1]

176v Eadem sancta[c] Tridentina synodus ⟨{in Spiritu Sancto legitime congregata}[d] praesidentibus in ea eisdem sanctae sedis apostolicae legato et nunciis⟩[e] intendens nonnulla statuere, quae ad iurisdictionem pertinent episcoporum, ut iuxta proximae sessionis decretum[2] illi in commissis sibi ecclesiis eo libentius resideant, quo facilius et commodius sibi subiectos regere et in vitae ac morum honestate continere potuerint, illud primum eos admonendos censet, ut se pastores, non percussores[3] esse meminerint, atque ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios et fratres diligant, elaborentque, ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur. Quos tamen, si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa apostoli est ab eis servanda praeceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia[4], cum saepe «plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus charitas quam potestas»[5].

[a] *C 118, C 146, Ro L et Richter* idololatras

[b] *In C 146 hic sequebatur canon octavus de communione parvulorum.* Si quis dixerit, necessarium esse de iure divino, parvulos, antequam usum rationis habuerint, communicare: anathema sit. *Qui canon postea fuit del.*

[c] *In C 118 et C 146 postea, sed non a Massarello, corr. in* sacrosancta; *idem habent Ro et Richter.*

[d] *L om.* [e] *In C 146 in margine manu Massarelli.*

[1] In *Conc. 118* Massarellus eodem modo canones numerabat, quo in *Conc. 123*; quos codices nos sequimur. Sed in *Conc. 118* postea alia manus in principio totius decreti de reformatione in margine scripsit: *Canon primus,* eundem numerum eo loco, quo Massarellus eum posuerat, delens. Idem fecit in canonibus 4—6, ubi numeros ante prooemia horum canonum posuit. Sic omnes editiones canones numerant.

[2] Vide praeteritae sessionis decretum, supra p. 94 l. 13.

[3] Cf. *1 Petr.* 5, 2 sqq.; *1 Tim.* 3, 3; *Tit.* 1, 7.

[4] *2 Tim.* 4, 2.

[5] *Leo III* in epistola ad Anastasium episcopum Thessalonicensem. C. 6 D. XLV.

Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populis salutaris ac necessaria conservetur et, qui correpti[a] fuerint, emendentur aut, si resipiscere noluerint, caeteri salubri in eos animadversionis exemplo a vitiis deterreantur, cum sit diligentis et pii simul pastoris officium, morbis ovium lenia[b] primum adhibere fomenta; post, ubi morbi gravitas ita postulet, ad acriora[c] et graviora remedia descendere; sin autem ne ea quidem proficiant, illis submovendis caeteras saltem oves a contagionis periculo liberare[1]. Cum igitur rei criminum plerunque ad evitandas poenas et episcoporum subterfugienda iudicia quaerelas et gravamina simulent et appellationis diffugio iudicis processum impediant, ne remedio ad innocentiae praesidium instituto ad iniquitatis defensionem abutantur[2], utque[d] huiusmodi eorum calliditate et tergiversationi occurratur, ita statuit et decrevit:

Primus canon reformationis.

In causis visitationis et correctionis sive habilitatis et inhabilitatis necnon criminalibus ab episcopo seu illius in spiritualibus vicario generali ante diffinitivam sententiam ab interlocutoria vel alio quocunque gravamine non appelletur, neque[e] episcopus seu vicarius appellationi huiusmodi tamquam frivolae defferre teneatur, sed ea ac quacunque inhibitione ab appellationis iudice emanata necnon omni stilo et consuetudine, etiam immemorabili, contraria non obstante ad ulteriora valeat procedere, nisi gravamen huiusmodi per diffinitivam sententiam reparari vel ab ipsa diffinitiva appellari non possit; quibus casibus sacrorum et antiquorum canonum statuta illibata persistant[3].

Canon secundus.

A sententia episcopi vel ipsius in spiritualibus vicarii generalis in criminalibus appellationis causa (ubi appellationi locus fuerit), si apostolica auctoritate in partibus eam committi contigerit, metropolitano seu illius etiam ⟨in spiritualibus vicario⟩[f] generali, aut, si ille aliqua de causa suspectus foret vel ultra duas legales dietas distet[4] seu ab ipso appellatum fuerit, uni ex vicinioribus episcopis seu illorum vicariis, non autem inferioribus iudicibus committatur. |

Canon tertius. 177r

Reus ab episcopo aut eius vicario in spiritualibus generali in criminali causa appellans coram iudice, ad quem appellavit, acta primae instantiae omnino producat, et iudex, nisi illis visis, ad eius absolutionem minime procedat. Is autem, a quo appellatum fuerit, intra triginta dies acta ipsa postulanti gratis exhibeat; alioquin absque illis causa appellationis huiusmodi, prout iustitia suaserit, terminetur.

Cum vero tam gravia nonnunquam sint delicta ab ecclesiasticis commissa personis, ut ob eorum atrocitatem ex sacris ordinibus deponendae et curiae sint tradendae saeculari, in quo secundum sacros canones certus episcoporum numerus requiritur[5], quos si omnes adhibere difficile esset, debita iuris executio differetur, si quando autem convenire[g] possent, illorum[h] residentia intermitteretur, propterea statuit et decrevit:

Canon quartus.

Episcopo ⟨per se⟩[i] seu illius vicarium[k] in spiritualibus generalem[k] contra clericum in sacris, etiam praesbiteratus, ordinibus ⟨constitutum, etiam ad illius condemnationem necnon verbalem depositionem et per se ipsum etiam ad⟩[l] actualem atque solemnem degradationem[m] ab ipsis ordinibus et gradibus ecclesiasticis in casibus, in quibus aliorum

[a] *C 119, L et Richter* correcti [b] *Ro et Richter* levia [c] *L* veriora
[d] *L et Richter* atque ut [e] *L* nec [f] *Ro, L et Richter* vicario in spiritualibus
[g] *Ro, L et Richter* intervenire [h] *Ro, L et Richter* eorum [i] *In C 146 supra lineam.*
[k] *In C 146 corr. ex* vicario . . . generali; *Richter* vicario . . . generali
[l] *In C 146 manu Massarelli in marg. superiori add. pro* constitutum etiam ad illius verbalem vel
[m] *C 146 add.* sive depositionem, *quod est postea del.*

[1] Cf. c. 16 et 17 C. XXIV qu. 3.
[2] Cf. c. 3 *Ad nostram* X de appell. II 28.
[3] Cf. c. 59 *Ut debitus* X de appell. II 28.
[4] Cf. c. 11 *Statutum* in VI° de rescriptis I 3.
[5] De qua re cf. c. 2 C. III qu. 8; cc. 1—7 C. XV qu. 7.

episcoporum praesentia in numero a canonibus definito requiritur, etiam absque illis procedere liceat[a], adhibitis tamen et in hoc sibi assistentibus totidem abbatibus usum mitrae et baculi ex privilegio apostolico habentibus, si in civitate aut diocesi reperiri et commode interesse possint; alioquin aliis personis in ecclesiastica dignitate constitutis, quae aetate graves ac iuris scientia commendabiles existant.

Et quoniam per fictas causas, quae tamen satis probabiles videntur, interdum accidit, ut nonnulli eiusmodi gratias extorqueant, per quas poenae illis episcoporum iusta severitate inflictae aut remittuntur omnino aut minuuntur, cum non ferendum sit, ut mendacium, quod tantopere Deo displicet [1], non modo ipsum impunitum sit, verum alterius etiam delicti veniam impetret mentienti, iccirco ut sequitur statuit et decrevit:

Canon quintus.

Episcopus apud ecclesiam suam residens de subreptione et obreptione gratiae, quae (super absolutione alicuius publici criminis vel delicti, de quo ipse inquirere coeperat, aut remissione poenae, ad quam criminosus ⟨per eum⟩[b] condemnatus fuerit) falsis precibus impetratur, per se ipsum tanquam sedis apostolicae delegatus etiam summarie cognoscat, ipsamque gratiam, postquam per falsi narrationem aut veri taciturnitatem obtentam esse legitime constiterit, non admittat [2].

Quoniam vero subditi episcopo, tametsi iure correpti fuerint, magnopere tamen eum odisse et, tanquam iniuria affecti sint, falsa illi crimina obiicere solent, ut, quoquo pacto possint, ei molestiam exhibeant, cuius vexationis timor plerunque illum ad inquirenda et punienda eorum delicta segniorem reddit [3], iccirco ne is[c] magno suo et ecclesiae incommodo gregem sibi creditum relinquere ac non sine episcopalis dignitatis diminutione vagari cogatur[d], ita statuit et decrevit:

Canon sextus.

Episcopus, nisi ob causam, ex qua deponendus sive privandus veniret, etiam si ex
177v officio aut per inqui|sitionem seu denunciationem vel accusationem sive alio quovis modo procedatur, ut personaliter compareat, nequaquam citetur vel moneatur [4].

Canon septimus.

Testes in causa criminali ad informationem vel indicia seu alias in causa principali contra episcopum, nisi contestes et bonae conversationis, existimationis et famae fuerint, non recipiantur; et, si odio, temeritate aut cupiditate aliquid deposuerint, gravibus poenis mulctentur.

Canon octavus.

Causae episcoporum (cum pro criminis obiecti qualitate comparere debeant) coram pontifice maximo referantur ac per ipsum terminentur [5].

Lecto suprascripto decreto idem R. D. episcopus Maioricensis interrogavit patres, an placeret, verbis, de quibus supra in fine alterius decreti. Et statim a R[mis] et Ill[mo] D. legato et praesidentibus responsum fuit: *Placent.* Et successive interrogatus quilibet ex patribus singulariter a me Angelo secretario praefato, an placeret, praesente D. Nicolao notario responsum fuit simpliciter ab omnibus per verbum *Placet.* Cumque id ego idem secretarius retulissem R[mo] et Ill[mo] D. legato, legatus ipse nunciavit patribus his verbis: *Hoc decretum placuit etiam omnibus.* Tunc patres omnes responderunt alta voce: *Deo gratias.*

Deinde R. D. episcopus Maioricensis praefatus descendit ex ambone et R. D. archiepiscopus Turritanus accedens ad altare accepit e manibus R[mi] et Ill[mi] D. legati aliud

[a] *In C 146 corr. pro* possit [b] *In C 146 add. supra lineam.* [c] *L* ii [d] *L* cogantur

[1] Cf. *Ex.* 23, 1; *Lev.* 19, 11; *Ps.* 14, 3 et saepius.
[2] Cf. cc. 20 et 22 X de rescriptis I 3.
[3] Cf. c. 21 C. II qu. 7.
[4] Cf. Sessio 24 c. 5 de reformatione. Conc. Trid. IX 981.
[5] Cf. c. 7 C. VI qu. 4 et adn. praecedentem.

decretum, quod publicandum erat super prorogatione quatuor articulorum sacramenti Eucharistiae et salvoconductu haereticis, qui se Protestantes appellant, dando, ascendensque ambonem legit illud alta voce, quod est tenoris, qui sequitur, videlicet:

Decretum prorogationis definitionis quatuor articulorum de sacramento Eucharistiae et salviconductus[1].

Eadem sancta synodus errores omnes, qui super hoc sanctissimo sacramento repullularunt, tanquam vepres ex agro dominico evellere ac omnium fidelium saluti prospicere cupiens, quotidianis precibus Deo omnipotenti pie oblatis inter alios ad hoc sacramentum pertinentes articulos diligentissima veritatis catholicae inquisitione tractatos plurimis accuratissimisque pro rerum gravitate disputationibus habitis, cognitis quoque praestantissimorum theologorum sententiis, hos etiam tractabat: An necessarium sit ad salutem et divino iure praeceptum, ut singuli Christifideles sub utraque specie ipsum venerabile sacramentum accipiant? Et: Num minus sumat, qui sub altera, quam qui sub utraque communicat? Et: An erraverit sancta mater ecclesia laicos et non celebrantes sacerdotes sub panis specie duntaxat communicando? ⟨Et: An parvuli etiam communicandi sint?⟩[a] Sed quoniam ex nobilissima Germaniae provincia ii, qui se Protestantes nominant, super his ipsis articulis, antequam diffiniantur, audiri a sancta synodo cupiunt et eam ob causam fidem publicam ab illa postularunt, ut ipsis tuto huc venire et in hac urbe commorari ac libere coram synodo dicere ac proponere, quae senserint, et postea, cum libuerit, recedere liceat, sancta ipsa synodus, licet magno desiderio eorum adventum multos antea menses expectarit, tamen ut | pia mater, quae *ingemiscit et parturit*[2], summopere id de- 178r siderans ac laborans, ut in iis, qui christiano nomine censentur, nulla sint schismata[3], sed quemadmodum eundem omnes Deum et redemptorem agnoscunt, ita idem dicant, idem credant, idem sapiant[4], confidens Dei misericordia et sperans fore, ut illi in sanctissimam et salutarem unius fidei, spei charitatisque concordiam redigantur, libenter eis in hac re morem gerens, securitatem et fidem, ut petierunt, publicam, quam salvumconductum vocant, quod ad se pertinet, eius, qui infrascriptus erit, tenoris dedit atque concessit, et eorum causa diffinitionem illorum articulorum ad secundam sessionem distulit, quam, ut illi commode ei interesse possint[b], in diem festum Conversionis divi Pauli, qui erit vigesima quinta die mensis Ianuarii anni sequentis, indixit. Illudque praeterea statuit, ut in eadem sessione de sacrificio missae agatur propter magnam utriusque rei connexionem. Interea sessione proxima de poenitentiae et extremae unctionis sacramentis tractandum, illam autem die festo divae Catharinae virginis et martyris, qui erit vigesima quinta Novembris, habendam esse decrevit ⟨simulque, ut in utraque materia reformationis prosequatur⟩[c].

Salvusconductus datus Protestantibus Germanis a sacra synodo Tridentina in tertia sessione sub Iulio III pont. max.[5]

Sacrosancta generalis Tridentina synodus in Spiritu Sancto legitime congregata praesidentibus in ea eisdem sanctae sedis apostolicae legato et nunciis, omnibus et singulis sive ecclesiasticis sive saecularibus personis universae Germaniae, cuiuscunque gradus, status, conditionis et qualitatis sint, quae ad oecumenicum hoc et generale concilium accedere voluerint, ut de iis rebus, quae in ipsa synodo tractari debent, omni libertate conferre, proponere et[d] tractare[e] ac ad ipsum oecumenicum concilium libere et tuto venire et in eo manere et commorari, ac articulos, quot illis videbitur, tam scripto, quam verbo offerre, proponere et cum patribus sive iis, qui ab ipsa sancta synodo delecti fuerint, conferre et absque ullis conviciis et contumeliis disputare necnon, quando illis placuerit, recedere possint et valeant, publicam fidem et plenam securitatem, quam salvumconductum appellant, cum omnibus et singulis clausulis et decretis necessariis et opportunis, etiamsi specialiter et non per verba generalia exprimi deberent, quae pro expressis haberi voluit, quantum ad ipsam sanctam synodum spectat[6], concedit. Placuit praeterea sanctae synodo,

[a] *In C 146 add. in marg. manu Massarelli.* [b] *L* possent [c] *In C 146 postea add.*
[d] *In C 146 add. supra lineam.* [e] *In C 146 hic del.* et disputare

[1] Cf. supra p. 181 adn. 3.
[2] *Rom.* 8, 22. [3] Cf. *1 Cor.* 1, 10.
[4] Cf. *Phil.* 2, 2.
[5] Cf. supra p. 193 adn. 3.
[6] Imperator iam die 23. Martii 1551 salvumconductum Protestantibus dederat. *Le Plat* IV 212 sq.

ut, si pro maiori libertate ac securitate eorum certos tam pro commissis quam pro committendis per eos delictis iudices eis deputari cupiant, illos sibi benevolos nominent, etiamsi delicta ipsa quantumcunque enormia ac haeresim sapientia fuerint.

Quo decreto lecto idem R. D. archiepiscopus Turritanus interrogavit patres, an placeret, his verbis: *Reverendissimi et Illustrissimi Domini Reverendique Patres, placentne haec omnia vobis?* Et statim R^{mi} et Ill^{mus} DD. legatus et praesidentes responderunt: *Placent.* Ac successive quilibet ex patribus interrogatus fuit singulariter a me Angelo
178v secretario praefato praesente | Domino Nicolao, notario supradicto, an placeret. Et ab omnibus responsum est simpliciter per verbum *Placet.* Quod cum ego secretarius praefatus retulissem ipsi R^{mo} et Illmo D. legato, legatus ipse id nunciavit patribus dicens: *Decretum hoc placuit etiam omnibus.* Tunc patres omnes responderunt: *Deo gratias.*

Postea R. D. episcopus Bituntinus accedens ad altare accepit e manibus R^{mi} et Ill^{mi} D. legati responsum, quod sancta synodus dedit ad scripta Christianissimi regis, ascendensque ambonem legit illud alta et clara voce, quod est tenoris subsequentis, videlicet:

Responsum sanctae synodi ad scripta Christianissimi regis 11. Octobris 1551[1].

Cum ex[a] proxima sessione maximam haec sancta synodus laetitiam voluptatemque coepisset non solum propter auctam[b] patrum frequentiam, ⟨adventu amplissimorum⟩[c] Germaniae praesulum et eorundem principum ac sacri Romani imperii electorum, verum etiam quod[d] a piissimo imperatore et ex Hungariae ac Bohemiae regnis a Serenissimo Romanorum rege legati viri ornatissimi cum literis ac mandatis venerant, quae fuerunt in ea ipsa sessione recitata[2], ac per eosdem dies ex literis duorum clarissimorum regum Lusitaniae[3] et Poloniae[4] cognitum fuerat, illos quoque inclytos reges in animo habere, legatos suos ad sacrosanctam hanc synodum mittere, omnes tunc[e] patres collaudato imperatoris et illorum regum officio atque erga sanctam hanc synodum reverentia cum meritas Deo gratias egerunt[f], quod post tam[g] diuturnas tenebras maxima subito lux christianae reipublicae fulsisset, tum minime dubium habuerunt, quin rex Christianissimus Galliae[g] pro sua et maiorum suorum dignitate[h] suos ipse[g] quoque legatos episcoposque missurus et insigne quoddam studium religionis et pacis atque unitatis ⟨ecclesiae esset⟩[i] declaraturus. Namque cum omnibus gentibus notum sit, quam egregia Francorum regum merita in rempublicam christianam extiterint, cumque hunc regem putandum sit nec pietate erga Deum neque studio fidei orthodoxae neque adeo magnitudine animi quoquam illorum esse inferiorem, quis non existimarit[k], firmum praesidium sanctae huic synodo et ecclesiae catholicae in eius virtute et auctoritate esse constitutum? Verum cum ipsius nuncius in consessum[l] patrum prodiisset[m], et literae ⟨ab eo⟩[n] allatae una cum scriptura quadam illis adiuncta recitatae fuissent, magno mox synodus dolore et sollicitudine affecta est[5]. Quanquam enim modeste admodum scriptae erant nec parvam[o] reverentiae, qua ille rex hunc sacrum[n] conventum prosequitur, significationem habebant[p], tamen inde difficultatem videri obiici, unde auxilium expectabatur, quis non et vehementer admiraretur et magnopere doleret? Sed etsi propter quasdam causas opinionesque incommodas regis animum offensum et exulceratum esse apparebat, non propterea tamen sancta haec[g] synodus spem de illo pristinam sibi abiiciendam putavit. Optimorum enim consiliorum sibi et rectissimae voluntatis conscia[q] praeter spem, quam in Deo omnipotente[g], sacrorum conciliorum authore et praeside, habet maximam, ipsum regem confidit (re pro sua prudentia melius secum perpensa) habiturum esse cum officii ac dignitatis suae rationem,
179r tum | communis ecclesiae utilitatis ⟨atque adeo⟩[r] salutis, nec plus apud eum auctoritatis et ponderis habitura esse minus recta fortasse quorundam consilia, quam sanctae oecumenicae illiusque amantissimae synodi ⟨hortationes atque⟩[n] monita. Quam quidem libenter

[a] *R* in [b] *R* auctoritatem ac [c] *R* adventum ampliorem [d] *R* quia [e] *R* tamen
[f] *R* egerant [g] *R om.*
[h] *In C 146 hic add. et postea del.* ac religionis studio; *quod etiam R add.*
[i] *R* ecclesiasticae signum [k] *R* existimavit [l] *R* conventum [m] *R et P* processisset
[n] *P om.* [o] *R* parum [p] *R* habeant [q] *R* conscientia [r] *R* ac

[1] Ediderunt *Raynaldus* ad a. 1551 n. 34—36 (= R) et *Le Plat* IV 266—272 (= P). Cf. supra p. 181 adn. 1.
[2] Cf. supra p. 95—98.
[3] Supra p. 13 n. 11.
[4] Desideratur.
[5] Cf. ad hoc supra p. 99—104.

audire et eius auctoritate moveri Christianissimus rex debet memor eius, quod Dominus dixit: *Qui vos audit, me audit*[1].

Ac primum illa, quam rex[a] non[b] reticuit, omnibus[c] omittenda suspicio est: Si qui sunt, qui ab hoc sacro concilio existiment non communi ecclesiae utilitati, sed privatis aliquorum[d] commodis et rationibus inserviri. Etenim quibus de rebus agendum sit, diserte[e] praescriptum ⟨atque definitum⟩[b] est binis[f] literis duorum[b] summorum pontificum, quarum alteris concilium huc[g] a Paulo III felicis recordationis, huius praedecessore, indictum est[2]; alteris ab hoc ipso pontifice maximo in eandem hanc urbem restitutum[3]. Res autem hae sunt: extirpatio haeresum, reformatio morum, pax ecclesiae. Quae tandem harum rerum non cum toti ecclesiae utilis ac potius[b] necessaria est, tum ab omnibus piis ⟨et vere christianis⟩[b] principibus expetenda et summis studiis adiuvanda[h]? Haereses[i] ⟨iam pridem⟩[k] longe lateque non per Germaniam modo, unde ⟨ortae sunt⟩[l], sed per reliquas etiam fere[b] provincias omnes non sine[m] miserabili animarum interitu atque strage et maxima divini cultus diminutione pervagantur[n]. Corroboratur[o] ea pestis et in dies latius serpit non absque[p] novarum rerum periculo. Qui tanto malo obviam ire ⟨ac mederi⟩[q] cupiunt, ii proprio cuiusquam commodo ac non Dei Optimi Maximi honori et animarum incolumitati inservire putandi sunt? Vetus illa et sancta maiorum nostrorum disciplina iam pridem negligitur. Populorum mores depravati ⟨maiorem in modum⟩[b] atque corrupti sunt. Qui ecclesiasticam disciplinam restituere, qui mores reformare, qui populos ad rectiorem vivendi rationem revocare conantur, privatim ii principi cuipiam[r] consultum volunt? Postremo ob[b] principum discordias[s] quis nescit, quantas respublica christiana calamitates acceperit? Quibus hoc propositum est, cum Dei honori animarumque saluti prospexerint[t] ⟨et disciplinam populi ac sacerdotum severioribus legibus astrinxerint[u], tum[v] externae[w] quoque ecclesiae paci consulere et ad componendas regum controversias auctoritatem suam interponere,⟩[x] utrum ii videntur uni alicui obsequi et gratificari cupere? An cum principibus omnibus[q] tum eorum populis regnisque prospicere[y]? Non cadit profecto in hanc sanctam synodum haec suspicio. Aliena est atque abhorrens ab eius fide, gravitate constantia. ⟨Nisi forte probandum⟩[z] est, patres in ea congregatos tam longe a sedibus et ecclesiis suis tanto suo et suarum rerum incommodo in hanc urbem convenisse, quo cuipiam principi fidem et religionem et animas suas addicerent. Illi vero pro loco, pro munere, pro ministerio, ad quod a Deo vocati sunt, principi principum Christo primum, deinde sanctissimae[b] eius ecclesiae deserviunt[aa] neque praecipuum alicuius commodum spectant, sed communem christiani populi utilitatem et salutem intuentur. Quod quidem[b] cum principium ipsum indicare iam potuit, tum rerum exitus (Deo iuvante) apertius declarabit. Quamobrem movere Christianissimum regem suspicio haec minime debet, quominus sinat episcopos regni sui huc venire. Neque cum huic sacro conven|tui tantum in 179v
literis suis tribuat eumque perhonorifice semper appellet, ⟨de eo⟩[b] huiusmodi quidpiam debet suspicari.

Quod vero ad eam controversiam attinet, quae propter urbem Parmam exorta est, non dubitat haec sancta synodus, quin pontifex maximus totius sit[bb] facti et consilii sui rationem redditurus[cc]. Ipsis quidem patribus nihil esse potest optatius[dd], quam ut res ad ocium[ee] et concordiam deducatur. Utcunque autem ⟨ea res sese habet, nihil⟩[ff] privatum illud negocium ⟨ad hoc, quod⟩[gg] publicum est[b], pertinet; neque ob eam controversiam Christianissimo regi recusandum censet haec synodus, quominus huc[hh] sinat regni sui episcopos accedere[ii]. Pluris enim a tam pio et orthodoxo rege universa ecclesia facienda est, quam unus ab eo in fidem et is alienus cliens ⟨ac subditus⟩[q] stipendiariusque receptus. Neque Christianissimum regem decet ob[kk] privatam offensionem officium erga communem matrem deserere et rem christianae reipublicae maxime salutarem non adiuvare. Nam quod[ll] accessus illis esse huc parum tutus videtur, propter bellicos[mm] videlicet[nn] motus,

[a] *R et P add.* Christianissimus [b] *R om.* [c] *R* omnino [d] *R et P* alicuius
[e] *R* directe [f] *R* bonis [g] *R* hoc [h] *R* iuvanda [i] *R* haeresis [k] *R* quidem
[l] *R* orta est [m] *R* absque [n] *R* pervagatur [o] *P* corroborantur. Ea pestis *etc.*
[p] *R* sine [q] *R et P om.* [r] *R* cuidam [s] *R* discordiis [t] *R* prospexerunt
[u] *R* astrinxerit [v] *R* cum [w] *R* aeternae [x] *P om.* [y] *R* consulere
[z] *R et P* Nec vero existimandum [aa] *R* deservierunt [bb] *R* sui [cc] *R add.* sit
[dd] *P* gratius [ee] *P* pacem [ff] *R* sit [gg] *R* nihil ad hoc
[hh] *R et P* ad sacrosanctum ac generale concilium [ii] *R et P* venire [kk] *R et P* propter
[ll] *R* quia [mm] *R* bellicosos [nn] *R et P* scilicet

[1] *Luc.* 10, 16. [2] Conc. Trid. IV 226 n. 184 et p. 385 n. 283. [3] Supra p. 6 n. 4.

hac excusatione minime uti licet episcopis[a], qui nec bello domi detinentur et in locum quietum ⟨et pacatum⟩[b] et omni tumultu vacuum ad concilium vocantur[c] et tuto itinere[d] illuc pervenire possunt.

⟨At enim⟩[e] fortasse metuunt, ne[f], si forte aliqua de re actum fuerit, quae illis minus probetur, parum illis libere, quod senserint, liceat dicere; quod nequaquam[g] illis verendum est. Nonne regius nuncius cum literas a rege attulisset, illas quidem non nimis huic sanctae synodo iucundas, in patrum consessum admissus est et, cum libere, quicquid ei videretur, diceret, attente et patienter auditus est?[1] An vero privato homini[2] tanta uti[b] libertate[h] permissum fuit, episcopis illo honore, illa dignitate praeditis minus libere proferre, quod senserint, ⟨in hoc fratrum suorum coetu licebit?⟩[b] Illis vero et[d] libere loquendi potestas erit, et, si venerint, omni honore et studio cum sua tum regis causa ab omnibus patribus excipientur. Sin autem muneri atque officio suo defuerint[i] (quod credere difficile est), nequaquam ⟨propter eorum absentiam generale hoc oecumenicumque⟩[k] concilium esse desinet, quod more exemploque aliorum generalium conciliorum indictum et in Spiritu Sancto ⟨iure et⟩[b] legitime congregatum est et huc tandem iustis de causis restitutum, ubi ex compluribus provinciis episcoporum ⟨adventu atque concursu⟩[l] quotidie fit frequentius[m]; ⟨nec eius⟩[n] acta atque decreta sanctae apostolicae et universalis ecclesiae minus[b] auctoritate nitentur. Unus est enim Christus, una eius sponsa, unum corpus[3], catholica videlicet[o] ecclesia, quae, ut illa Domini nostri tunica inconsutilis fuit[4], ita ipsa singularis est[p] atque unica.

Quod vero testatur rex atque denunciat se, si necesse fuerit, ad eadem esse[q] remedia descensurum, quibus maiores sui aliquando usi fuerunt[r], adduci non potest haec sancta synodus, ut eum ita sentire arbitretur aut omnino eiusmodi ⟨quidpiam unquam⟩[s] esse facturum. Etenim quid tam alienum esset a Christianissimo rege, quam ea[b] instituta, quae significat[t], renovare[u], quae gravissimis[v] de causis fuerunt non sine maximo Francorum regum commodo abrogata iam pridem ⟨atque sublata⟩[b]?[5] Quae porro tanta eiusmodi capiendi consilii necessitas unquam poterit existere? Nonne quodvis[w] subire incommodum satius fuerit, quam tantam nobilissimo illi regno labem aspergere, tanto scandalo
180r Deum omnipotentem et ecclesiam catho|licam offendere? Quam vero alienum a prudentia Christianissimi regis esset ⟨praeter offensionem Dei atque ecclesiae,⟩[b] praeter animae et salutis aeternae periculum omnibus se ipsum commodis beneficiisque privare, tum a sede apostolica antea concessis, tum ab hoc ipso pontifice maximo tributis?[6] Verum haec sancta synodus minime timet, ne rex tam turbulentum consilium tanque[x] inutile unquam capiat, neve[y] plus dolori indulgeat, quam obtemperet rationi. Illud ab eo potius expectat ⟨et postulat⟩[d], ut Dei honori, ecclesiae tranquillitati, animarum saluti consulat atque prospiciat, quibus quidem rebus[b] inservire[z] easque vita ipsa potiores habere omnes debent, inprimis tamen, ⟨qui a Deo⟩[aa] constituti sunt reges atque principes, ⟨ut, quo⟩[bb] altiore honore[cc] atque dignitatis gradu locati sunt, hoc in illum existant gratiores. ⟨Tantum et⟩[dd] tam opulentum regnum Dei munere rex adeptus, tantis praeterea beneficiis affectus, non[ee] operam dabit[ff], ⟨non enitetur⟩[b], ut quam gratissimus in eum[gg] esse[b] videatur? Nec[hh] eum charissimae Domini nostri Iesu Christi sponsae et sanctissimae nostrum omnium parentis

[a] *R* nunc temporis [b] *R om.* [c] *R* vocamus [d] *R et P om.*
[e] *R* At illud; *P* Etenim [f] *P* ut [g] *R* nec [h] *R add.* ut [i] *R* defecerint
[k] *R et P* propterea [l] *P* adventus atque concursus [m] *P* frequentior [n] *R* cuius
[o] *P* unica [p] *P* extat [q] *R* illa [r] *R et P* fuerint
[s] *R* proprium; *P* quidpiam nec temporis quidem in causa unquam [t] *R add.* vel ipsius causa
[u] *P* revocare [v] *R add.* honestissimisque [w] *P* quoddam [x] *R* atque [y] *R* nec
[z] *R et P* servire [aa] *P* quia [bb] *R* atque [cc] *C 146, R, P* honoris
[dd] *R* Sperandumque [ee] *R* etiam [ff] *R* det [gg] *R* Deum [hh] *R* ac

[1] Cf. quae Iac. Amiot, qui litteras regis attulit, de hac patrum attentione et patientia scripsit (supra p. 99 adn. 4), et Massarelli relationem inter Acta secundae sessionis (supra p. 99 l. 1—16).

[2] Non enim habuit mandatum in personam suam. Cf. supra p. 99 adn. 4.

[3] Cf. *Eph.* 4, 4 sqq.; *Col.* 3, 15; *Rom.* 12, 5.

[4] Cf. *Io.* 19, 23.

[5] Alluditur ad pragmaticam sanctionem in conventu Bituricensi a. 1438 confirmatam, quae per conventionem inter Leonem X et Franciscum I die 18. Augusti 1516 initam et a concilio Lateranensi V die 19. Decembris sancitam abrogata fuit.

[6] In dicta conventione Leo X regi Gallorum ius nominationis pro omnibus episcopatibus, abbatiis et prioratibus regni necnon multa alia iura concesserat. Valde displicuit Francisco Vargae, qui huius responsi exemplum ante sessionem inspexisse non videtur (cf. eius litteras die 7. Octobris Granvelae datas, Conc. Trid. XI 657 l. 27 sqq.), quod iurium et privilegiorum regis Galliae mentio fieret; timuit enim, ne rex Galliae hoc modo nimis laederetur. Cf. ad hoc, quod die 12. Octobris de hac re Granvelae scripsit, Conc. Trid. XI 666 l. 11 sqq.

ecclesiae diuturnae miseriae calamitatesque movebunt[a]? Iam pridem vexatur, scinditur, laceratur, crescit in dies malum et vehementius ingravescit, nullam res[b] amplius dilationem ac moram interponi[c] patitur. Cum tandem aliquando sacra haec synodus a Spiritu Sancto excitata ad eius salutem incumbere coeperit[d], Christianissimus Francorum rex Henricus tam piorum et salutarium consiliorum expers esse[c] sustinebit[e]? Non opem et fidem suam imploranti dexteram porriget? Non fulciendis eius ruinis manum admovebit? Nescio, quam aliam occasionem expectabit, cum ille perpetuus ecclesiae adversarius ⟨atque hostis⟩[c] aliud minime ipse tempus expectet, sed eam oppugnare, vexare et lacerare non desinat. Absit, ut ille rex[f] in tam gravi et tam[g] necessario tempore desit ecclesiae. Absit, ut tantam quotidie fieri animarum iacturam negligat.

Propria haec quidem episcoporum curatio[h], proprium hoc munus est unitatem ecclesiae tueri et saluti animarum prospicere. ⟨Sed tamen⟩[i] pii semper hoc reges principesque fecerunt, ut huiusmodi episcoporum conventibus studio et auctoritate sua[c] adessent[k], civitatum suarum episcopos non ire ad eos[l] solum sinerent, verum etiam hortarentur, legatos suos[c] mitterent, pietatem denique in eo suam toti terrarum orbi declararent. Hoc idem facere clarissimum illum regem et huic sanctae synodo amabilem principem oportet, si officio ac muneri suo satisfacere, si se dignum illo suo[g] eximio praebere cognomine[m], si Galliarum ecclesiis, quae merito[c] illi ⟨sunt charissimae⟩[n], studet consulere, si denique patrem suum vult piae memoriae regem imitari. Etenim is pro sua praestanti pietate et unitatis ecclesiae studio in hanc ipsam urbem ad concilium lectissimos regni sui episcopos venire non modo[o] non prohibuit, verum etiam una cum eis legatos ornatissimos viros misit[1]. Et eo magis hoc facere debet, quod iam ⟨regni illius⟩[g] episcopi[p] a pontifice maximo[c] per literas de restituto huc[q] concilio certiores facti et, ut venirent, ipso sciente et consentiente rege admoniti fuerunt.

Quae cum ita sint, fratres illos suos haec sancta synodus amantissime ac studiosissime[r] hortatur ⟨et rogat⟩[c], ut ad ipsam in cursu tam piarum actionum adiuvandam omissa omni cunctatione huc se conferant. Quod ipsorum[s] munus sit, quod officium, quid tanta ecclesiae necessitas ab eis postulet ac potius flagitet[t], quid | Deo, quid ⟨ecclesiis 180v
suis⟩[u], ⟨quid summo pontifici,⟩[b] quid universali synodo praestare debeant, minime ignorant. Ne recusent a pontifice maximo evocati atque admoniti, a fratribus suis et universali[v] synodo expetiti[w] ad res sanctissimas et salutares agendas[x], ad instaurandam religionem, ad reformandos mores, ad pacem et unionem ecclesiae constituendam accedere! Regem vero Christianissimum eadem[y] sancta synodus per viscera misericordiae Domini nostri Iesu Christi obtestatur, ut animi sui offensionem ipsi Christo, redemptori nostro, velit dimittere[z] et caeteris rebus omnibus christianae reipublicae commoda anteponere. Imitetur eos ipsos principes, quos propter huiusmodi moderationem ac magnitudinem animi et ob dissimulatas interdum, pacis retinendae causa, graves iniurias laudat[aa]. Imitetur superiores Francorum reges ac maiores suos, quos ob ecclesiam non solum eorum[bb] opibus exornatam, verum etiam armis et ⟨corporum ipsorum oppositu⟩[cc] defensam magnis merito laudibus extollit. Meminerit[dd] praeclari illius sui cognominis, quod ab illis acceptum perpetuo bene[ee] de christiana republica merendo, non minus quam regnum ipsum tueri et conservare debet. In quo si huius sanctae[c] synodi spei opinionique responderit et fidelissimis eius amantissimisque consiliis paruerit[c], maximam ab omnibus hominibus laudem ac aeternum a Deo praemium moderationis et pietatis suae consequetur. Deus, in cuius manu mentes[ff] et corda sunt principum, regium animum ad haec consilia dirigat, quae et regi gloriosa et christianae[gg] reipublicae futura sunt salutaria.

[a] *R* moveant [b] *P om.* [c] *R om.* [d] *R add.* numquid [e] *R* sustinebitur
[f] *P* nunc [g] *R et P om.* [h] *R et P* cura [i] *R* verumtamen
[k] *R add.* sive [l] *C 123 falso* eas [m] *P add.* Christianissimi
[n] *P* Christianissimo subsunt [o] *R et P* solum
[p] *R et P* Galliarum [q] *R* hoc [r] *R et P add.* in Domino
[s] *R* igitur eorum [t] *R et P* efflagitet [u] *P* ecclesiae suae
[v] *R et P add.* hac [w] *R* expectati [x] *R et P* gerendas
[y] *R et P add.* haec [z] *P* submittere [aa] *R* laudet [bb] *R* illorum
[cc] *P* corporibus ipsorum periculis oppositis [dd] *R* Memoretur [ee] *P* habens
[ff] *R* manus [gg] *P* christianissimae

[1] Die 26. Iunii 1546 tres oratores Francisci I, regis Gallorum, Tridentum pervenerant, qui in congregatione diei 30. Iunii mandatum praesentantes admissi sunt. Cf. Conc. Trid. I 556 l. 29—31 et V 283 l. 1 sq. et 285 n. 110. Postea cum concilio Bononiam se contulerunt.

Lecto vero suprascripto responso idem R. D. episcopus Bituntinus interrogavit patres, an placeret, verbis superius notatis. Et tam R^{mi} et Ill^{mi} D. legatus et praesidentes, quam caeteri patres omnes interrogati singulariter a me Angelo Massarello secretario una cum notario praefatis responderunt simpliciter per verbum *Placet.* Quae approbatio cum ab ipso R^{mo} et Illmo D. legato nunciata fuisset patribus, omnes una voce Deo gratias egerunt. Tunc D. promotor sacri concilii rogavit omnes prothonotarios et notarios ibidem praesentes, ut de omnibus et singulis in hac sessione gestis unum vel plura conficerent instrumentum vel instrumenta. Et statim R^{mus} et Ill^{mus} D. legatus incoepit hymnum *Te Deum laudamus,* quem cantores prosequuti sunt usque in finem. Quo absoluto ipse R^{mus} et Ill^{mus} D. legatus benedixit sanctam synodum signo crucis. Et patres depositis paramentis laeti admodum Deoque de tam benevola ac concordi animorum voluntate gratias agentes recesserunt hora circiter 22.

[a]Et quia ego Angelus Massarellus de Sancto Severino, Camerinensis diocesis, sacri concilii secretarius et prothonotarius apostolicus, praemissis omnibus et singulis interfui et praesens fui eaque in notam sumpsi, ideo hic manu mea propria subscripsi in fidem et testimonium praemissorum.

181r Nomina et cognomina praelatorum et aliorum, qui interfuerunt suprascriptae tertiae sessioni sub S^{mo} D. N. Iulio III pont. max.

Sacri concilii legatus et praesidentes:

R^{mus} et Ill^{mus} D. Marcellus, tituli S. Marcelli S. R. E. praesbiter cardinalis, Crescentius nuncupatus, sacri concilii legatus et primus praesidens	Romanus
R. D. Sebastianus Pighinus, archiep. Sipontinus, secundus praesidens .	Regiensis
R. D. Aloysius Lippomanus, ep. Veronensis, tertius praesidens . .	Venetus

Cardinales:

R^{mus} et Ill^{mus} D. Christophorus Madrutius, tituli S. Caesarei in Palatio S. R. E. praesbiter cardinalis et ep. princepsque Tridentinus ac administrator Brixinensis	Germanus

Sacri imperii principes electores:

R^{mus} et Ill. D. Sebastianus Heusenstein, archiep. Maguntinus . . .	Germanus
R^{mus} et Ill. D. Ioannes Isemburg, archiep. Treverensis	Germanus
R^{mus} et Ill. D. Adulphus ex comitibus de Schauemburgh, archiep. Coloniensis	Germanus

Oratores Caroli V imperatoris:

Ill. D. Hugo comes a Montfort et Rothenfels	Germanus
Ill. D. Franciscus a Toleto	Hispanus
R. D. Guilhelmus a Pictavia, archidiaconus Campiniae	Flandrus

Oratores Ferdinandi, Roman. et Hungar. regis:

R. D. Paulus Gregoriancz[b], ep. Zagabriensis	Hungarus
R. D. Fridericus Nausea, ep. Viennensis	Germanus

Oratores electoris Brandeburgensis:

Exc. D. Christophorus a Strassen, I. U. D.	Germanus
Magn. D. Ioannes Offmannus, secretarius	Germanus

[a] *In C 123 manu Massarelli propria; alii codd. om.* [b] *C 123 falso* Gregorianez

Archiepiscopi:

R. D. Salvator Salapusius, archiep. Turritanus et Sassarensis	Sardus
R. D. Ludovicus Chieregatus, archiep. Antibarensis	Vicentinus
R. D. Olaus Magnus, archiep. Upsalensis	Gothus
R. D. Petrus Tagliavia de Aragonia, archiep. Panormitanus	Siculus
R. D. Petrus Guerrero, archiep. Granatensis	Hispanus
R. D. Balthassar de Heredia, archiep. Calaritanus	Sardus

Episcopi:

R. D. Thomas Campegius, ep. Feltrensis	Bononiensis	
R. D. Gaspar Ioffredus, ep. Segobricensis	Valentinus	
R. D. Coriolanus Martiranus, ep. S. Marci	Neapolitanus	
R. D. Ioannes Baptista Campegius, ep. Maioricensis	Bononiensis	
R. D. Berardus Bonioannes, ep. Camerinensis	Romanus |	
R. D. Ioannes Fonseca, ep. Castellimaris	Hispanus	181^{v}
R. D. Ioannes Salazar de Burgos, ep. Lancianensis	Hispanus	
R. D. Petrus Vaguer, ep. Algarensis	Hispanus	
R. D. Balthassar a Vaveman [!], ep. Misiensis, suffraganeus Maguntinus	Germanus	
R. D. Hieronymus de Bononia, ep. Siracusanus	Siculus	
R. D. Cornelius de Mussis, ep. Bituntinus	Placentinus	
R. D. Iacobus Iacomellus, ep. Bellicastrensis	Romanus	
R. D. Riccardus Patus, ep. Vigorniensis	Anglicus	
R. D. Erasmus Alimpurch, ep. Argentinensis	Germanus	
R. D. Franciscus Manriques, ep. Auriensis	Hispanus	
R. D. Franciscus de Navarra, ep. Pacensis	Hispanus	
R. D. Ioannes Iobinus, ep. Constantinensis	Hispanus	
R. D. Iacobus Naclantus, ep. Clodiensis	Florentinus	
R. D. Petrus de Augustinis, ep. Oscensis	Hispanus	
R. D. Georgius Flach, ep. Solonensis, suffraganeus Herbipolensis	Germanus	
R. D. Ioannes Bernardus Diaz, ep. Calaguritanus	Hispanus	
R. D. Michael Pugius, ep. Elnensis	Hispanus	
R. D. Michael a Turre, ep. Cenetensis	Utinensis	
R. D. Octavianus Praeconius, ep. Monopolitanus	Siculus	
R. D. Ioannes Fernandi [de] Themino, ep. Legionensis	Hispanus	
R. D. Christophorus Ruscius, ep. Ovetensis	Hispanus	
R. D. Ioannes Emilianus, ep. Tudensis	Hispanus	
R. D. Antonius Codina, ep. Lacorensis, suffraganeus Barchinonensis	Hispanus	
R. D. Martinus Ayala, ep. Guadiscensis	Hispanus	
R. D. Petrus de Acugna, ep. Astoricensis	Hispanus	
R. D. Nicolaus Psaulme, ep. Virdunensis	Lothoringus	
R. D. Franciscus Salazar, ep. Salaminensis	Hispanus	
R. D. Vincentinus de Leone, ep. Bossanensis	Siculus	
R. D. Aegidius Foschararius, ep. Mutinensis	Bononiensis	

Abbates:

R. P. Gerardus de Hamericourt, abbas S. Bertini, Morinensis diocesis	Flandrus
R. P. Marcus de Brixia, abbas S. Vitalis de Ravenna	Brixiensis
R. P. Eusebius de Parma, abbas S. Mariae Gratiarum, Placentinae diocesis	Parmensis

Omnes congregationis Montis Cassini. |

Generales: 182^{r}

R. P. Christophorus Patavinus, generalis ordinis Heremitarum S. Augustini	Patavinus

Sacrae theologiae doctores missi a S^{mo} D. N.:

Iacobus Laynes, congregationis Iesu	Hispanus
Alphonsus Salmeron, congregationis Iesu	Hispanus

[Sacrae theologiae doctores] missi ab imperatore:

Petrus Malvenda, cler. saecularis	Hispanus
Ioannes Arze, cler. saecularis	Hispanus
Melchior Canus, ord. Praed.	Hispanus
Alphonsus de Castro, ord. Min. de obs.	Hispanus
Ioannes de Orthega, ord. Min. de obs.	Hispanus

[Sacrae theologiae doctores] missi ab universitate Lovaniensi et Serma Maria, regina vidua Hungariae:

Ruardus Tapper, decanus et cancellarius universitatis Lovaniensis	Flandrus
Ioannes Leonardus Hassellensis, cler. saecularis	Flandrus
Franciscus Sonnius, cler. saecularis	Flandrus
Iodocus Ravesteyn, Tiletanus, cler. saecularis	Flandrus
Ioannes Valteri, ord. Praed.	Flandrus
Ioannes Mausius Aldernardensis, ord. Min. de obs.	Flandrus
Alexander Candidus, ord. Carmel.	Flandrus
Vulmarus[a] Bernaert, cler. saecularis	Flandrus

Qui sunt cum sacri imperii electoribus:

Ambrosius Pelargus, ord. Praed., cum Rmo Treverensi	Germanus
Everhardus Billicus, ord. Carmel., cum Rmo Coloniensi	Germanus
Ioannes Delphius, cler. saecularis, cum D. Treverensi	Germanus
Ioannes Gropperus, cler. saecularis, U. I. D. et theologus	Germanus

Qui sunt apud DD. praelatos clerici saeculares:

Martinus Malo, familiaris R. D. Ovetensis	Hispanus
Iacobus Ferrus, familiaris R. D. Segobricensis	Hispanus
Franciscus de Thoro, familiaris R. D. Granatensis	Hispanus
Martinus Olaveus, procurator Rmi et Illmi D. Otthonis cardinalis Augustensis	Hispanus
Melchior a Vosmediano, familiaris R. D. Pacensis	Hispanus
Franciscus de Heredia, procurator R. D. ep. Tirasonensis	Hispanus
Antonius Arias, familiaris R. D. Panormitani	Hispanus |
182v Petrus Frago, familiaris R. D. Pacensis	Hispanus
Ioannes Zaballos, familiaris R. D. Auriensis	Hispanus

Regulares ord. Praed.:

Reginaldus de Genua, prior S. Laurentii extra muros Tridenti	Genuensis
Didacus Chiaves, socius patris de Cano	Hispanus
Desiderius de Verona, in S. Laurentio, Tridenti	Veronensis
Aloysius de Cathania, cum R. D. Panormitano	Siculus

[Regulares] ord. Min. de obs.:

Alphonsus de Contrera	Hispanus
Antonius de Uglioa	Hispanus

[Regulares] ord. Min. Convent.:

Sigismundus Phaedrius de Diruta	Umber

[Regulares] ord. S. Augustini:

Marianus Feltrinus, prior S. Marci, Tridenti	Feltrinus
Adeodatus de Senis, familiaris R. D. Panormitani	Senensis

[a] *Codd.* Nulmarus

Franciscus Tranensis cum R. P. generali	Tranensis
Leonardus de Regio cum R. P. generali	Regiensis

[Regulares] ord. Carmelitarum:

Desiderius de Panormitano, familiaris R. D. Bossanensis	Siculus
Bartholomeus de Gresta	Tridentinus

[Regulares] ord. S. Hieronymi:

Franciscus de Vagliarva, familiaris R. D. Granatensis	Hispanus

Viri ecclesiastici:

Raynerus a Palant, canonicus Treverensis	Germanus
Martinus Naidech, archidiaconus Tridentinus	Germanus
Ludovicus Balzanus, canonicus Tridentinus	Tridentinus
Antonius Piccolus, canonicus Tridentinus	Tridentinus
Erasmus Strampergher, canonicus Tridentinus	Germanus
Petrus de Brocchis, canonicus Tridentinus	Tridentinus
Hieronymus Roccabruna, canonicus Tridentinus	Germanus
Thomas Marsonar [!], canonicus Tridentinus	Germanus

Nobiles et barones:

Ill. D. Franciscus a Castelalto, dux generalis comitatus Tyrolensis	Germanus |
Exc. D. Franciscus Vargas, consiliarius et fiscalis Caesareae Maiestatis	Hispanus 183r
Ill. D. Baptista Balduinus, dux peditum custodiae concilii	Tridentinus
Ill. D. Sylvius comes Porliliarum, dux equitum custodiae sessionis	Foroiuliensis
Ill. D. Ioannes Henricus comes a Leiningen et Falchestein	Germanus
Ill. D. Quirinus Gandulphus, dominus in Hoen Geroltzech et Suls	Germanus
Nob. Ioannes a Rothenstain	Germanus
Adulphus Divaid	Germanus
Nob. Gosuinus Rotteler	Germanus
Nob. Conradus de Rechbergh	Germanus
Nob. Ioannes Christophorus de Morsman	Germanus
Nob. Vilhelmus ab Harff	Germanus
Nob. Simon Boes a Valdech	Germanus
Nob. Adolphus a Schetlet	Germanus
Nob. Georgius ab Elter	Germanus
Nob. Conradus Geupell a Schelkropen	Germanus
Nob. Ottho Valtpett a Bassenein	Germanus
Nob. Ioannes Georgius a Gych	Germanus
Nob. Dieterius ab Erembergk	Germanus
Nob. Henricus Graschag a Dieporg	Germanus
Nob. Philippus Valdecher a Reimpt	Germanus
Nob. Philippus ab Homburg	Germanus
Nob. Georgius ab Angeloch	Germanus
Nob. Stephanus a Vechemback	Germanus
Nob. Vilhelmus a Gyminch	Germanus
Nob. Theodoricus Quaid a Vickraid	Germanus
Nob. Bernardus a Dudembergk	Germanus
Nob. Theodoricus a Mischide	Germanus
Nob. Ioannes a Palland	Germanus
Nob. Theodoricus a Morian	Germanus
Nob. Octavius Crescentius	Romanus
Nob. Galeatius Elephantucius	Bononiensis
Nob. Franciscus ex comitibus Plusasci	Pedemontanus
D. Tabarella de Tabarellis, mil. aur.	Tridentinus

D. Hieremias de Hieremiis, mil. aur. . . . . Tridentinus[a]
D. Antonius Flordibellus . . . . Mutinensis
D. Bartholomeus Fliscus U. I. D. . . . . Genuensis
D. Bernardinus Malanottus U. I. D. . . . . Tridentinus
D. Franciscus Particella U. I. D. . . . . Romandiolensis
D. Henricus de Saltzburg U. I. D. . . . . Germanus

Oratio habita a R. D. archiepiscopo Turritano in sessione tertia Tridentina sub Iulio papa tertio die 11. Octobris 1551[1].

183v Vere nunc tandem incoepit Dominus, *qui in altis habitat*[2], respicere quasi congregationis suae recordatus[3] ad afflictas ecclesiae res per vos, sanctissimi patres, qui apostolici luminis splendore coruscantes, illustratis ecclesiasticam hanc lunam, et quasi *duo luminaria*[4] synodum celebratis, ⟨in qua vobis lunae labores timendi amplius non sint, quod⟩[b] scilicet umbra terrenorum luminari officiens spiritualis vestri firmamenti lucem obscuret. Per vos, mundi lumina[5], (atque utinam, iterum autem utinam tanto nomini respondeamus) *de coelo respexit*[6] atque opem ecclesiae suae tulit, egrediens vobiscum *in salutem populi sui, in salutem cum Christo suo*[7]. Domini enim est, quod resumitis et operamini opus[8]. Iam vos laetus intueor velut stipatores circundantes Syon, narraturos in turribus eius[9], vere[c] *turres fortitudinis*[10] Syon, quasi *lectulus veri Salomonis,* quem ambitis instar sexaginta, imo omnium fortissimi Israelitarum *tenentes gladios et ad* verbi *bella doctissimi*[11]. *Benedictus Dominus, qui docet manus vestras ad praelium et digitos ad bellum*[12], et erudit linguam, ut sciatis sustentare populum, *qui lassus*[d] *est, verbo*[13].

Sed unde exordiar, ne vivam, viri patres, si sat scio, praesertim qui verser in eo argumento, in quo quis modum magis quam copiam desiderarit. An a novitatibus invectis in ecclesiam? A dissidiis in religione subortis? Num a corruptela ethicae, hierarchiae, politiae? Num a simultatibus virorum principum, ex quibus periculosissima bella iam orta videmus? Num a calamitatibus, quibus perpetuus christiani nominis hostis, Turcarum

[a] *Nomina, quae sequuntur, C 123 om.* [b] *B* sed timeo lunae labores. ne
[c] *A, B* verae [d] *A* lapsus

[1] Haec oratio primum Venetiis apud Gabrielem Iolitum de Ferrariis typis excusa est. Tempus huius editionis diverse indicatur: in titulo legitur 1551, in fine 1552. Certum esse videtur hanc editionem ante suspensionem concilii in lucem prodiisse. In ultima pagina editor haec adnotavit: «Quoniam in archetypo nonnulla pene deleta, alia vero adeo tumultuariis caracteribus scripta invenimus, ut Oedipo aliquo ad sensum percipiendum opus esset, ea, dum ab exemplo discedere nolumus, prudentioribus corrigenda reliquimus.» Profecto textus huius editionis (= A) multis in locis valde corruptus est, sicut de cetero textus quoque codicum *Conc. 123* et *Conc. 118*, quos, in quantum possibile est, sequimur. Nihilominus ex hac editione A multae aliae derivatae sunt: editio illa orationum conciliarium Venetiis anno 1552 «Ad signum spei» excusa hunc textum secuta est (= V); item concordat cum illa editio Lovaniensis 1567, editio Hispanorum orationum in concilio Tridentino habitarum I (Matriti 1768) 577—604 et *Le Plat* I 174—192 (= P). Etiam textus tomi *Conc. 119* ex hac editione transsumptus est, non ut alias ex *Conc. 118.* Quapropter in omnibus locis, in quibus aliud expresse non adnotamus, intelligenda sunt sub siglo A etiam aliae editiones supradictae necnon tomus *Conc. 119.* Insuper in apparatu nostro critico sub littera B adnotamus alterius editionis textum, quae sine loco et anno in lucem prodiit cum sequenti editoris prooemio: «Sacrae et oecumenicae synodi decreta, quae Iulio III pont. acta sunt, impressuri in Salvatoris Turritani archiepiscopi orationem incidimus ab ipso in eo concilio habitam, in quo maior natu ecclesiae (decanum vocant) praeerat; quam percurrentes, cum tam multis mendis scateret, ut aliquot locis vix sensus percipi posset, curavimus, ut denuo quam fieri posset mendis expurgatissima recuderetur, atque decretis, quibus condendis omnibus archiepiscopus ipse interfuit, et quorum bona pars fuit, et ut primo habita praeponeretur, cum qua et decreta ipsa inchoarunt, quam a multis desiderari audivimus, synodoque universae fuisse gratissimam, et affectus tam mirifice movisse imprimis Germanorum principum electorum archipraesulum, qui aderant, ut plerisque audientium lachrimas excusserit. Tractata est enim ibi Germaniae res exulceratissima sine exacerbatione animorum, citra assentationem, atque adeo totius ecclesiae res pia et moderata oratione nec sine suis aculeis. Nimirum dictio ipsa et scripturae sacrae sapore suavissima est et eius colore bis tincta pellucet.» Cum decretorum concilii sub Iulio III factorum editio separata mihi nota non sit (cf. etiam *G. Calenzio,* Documenti inediti e nuovi lavori letterarii sul concilio di Trento [Roma 1874] 448), in prooemio de editione quadam post annum 1563 excusa agi videtur. Etsi haec editio in multis locis dubiis meliorem textum non praebeat quam caeterae, tamen aucta est aliquo additamento super res Angliae et Bohemiae, quod haud parvi momenti est.

[2] *Ps.* 112, 5. [3] Cf. *Ps.* 73, 2. [4] *Gen.* 1, 16.
[5] Cf. *Matth.* 5, 14. [6] *Ps.* 32, 13.
[7] *Habac.* 3, 13. [8] Cf. *1 Cor.* 16, 10.
[9] Cf. *Ps.* 47, 13. [10] *Ps.* 60, 4.
[11] *Cant.* 3, 7 sq. [12] *Ps.* 143, 1.
[13] *Is.* 50, 4.

tyrannus, exercet rempublicam? Ab imminutane reipublicae ipsius ditione quondam latissime continuata? Quae difficile quis possit, non dicam complecti orando, sed percensere numerando. Ita undique tristis rerum facies occurrebat, ut magis mihi threnum et fletum quam sermonem assumendum viderer[a]. Sed ecce *prope est* (inquit Dominus ad me) *verbum in ore tuo*[1], et ad me ipsum conversus, hoc, quod gesto corpus, continuo me admonuit, quid potissimum aggrederer ad dicendum. Obtulit ergo sese mihi, tanquam vir Macedo Paulo[2], corpus ecclesiae mysticum (sed quam male habens) vobis proponendum, qui tractatis de constituenda et stabilienda veritate praesentiae corporis Christi in sacramento mirabili (quod mystici ipsius symbolum est), quo corpus ipsum tanquam vivo pane nutritur et in cruento sanguinis poculo iugiter reficitur. (Nimirum[b] ergo, si ubi corpus est Domini, ibi congregentur et aquilae[3].)

Facturum itaque verba de ineffabilibus, archanis augustisque sacramentis, non de *corporis* modo *humilitatis nostrae*[4], physici quidem, at illa mirabili, sed et mystici longe excellentioris constitutione deque eius reformatione, quod *configuratum* iri quandoque expectamus *corpori claritatis* Christi[4], interim per ipsius corporis et sanguinis in sacramento communionem in nobis inchoata magnis quidem illis et praeclaris pignoribus frumentaria quasi tessera accepta, videte quam preciosa, lauta et divina supellectile et rerum et verborum instructum me esse oportuerat[c], qui tales vobis sim prolaturus thesauros, cum veterum, tum novorum[5], hominem non *impeditioris* modo *linguae*[6], sed infantem, in quem triplex prophetae illius alpha[7] quadrare convenientius videatur. Patres (non enim honestior occurrit appellatio), vestrum favorem atque studium [praebete], in vestris oculis, vestro ore vultuque acquiesco. Pene obmutui (quippe qui ineffabilia fari aggrediar), ni adsit ille, qui *ex ore infantium* perficit laudem suam ad destructionem inimici[8]. Sed animos mihi addidit[d] benignitas[e] reginae, sponsae Christi ecclesiae, quae corpus ipsum est, de quo loqui|mur, 184r
quam cum filiabus illis beatissimam praedicare contendo[9], quae affectus percunctando movere satagunt aientes: Quae est ista synodus, *quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata*[10]? Quae percunctatoria vox laudis cum maxime deceat ecclesiae huius reginam Mariam deiparam, per quam secundum Christum factum est nobis, quod sic gloriosa ecclesia appareret[f], ut ei merito haec laus debeatur, ad ipsam me iam converto[g], quae cunctas sola haereses interemisse[11] praedicatur, dum credit humilis, in cuius primum animam excellenter supervenit Spiritus Sanctus[12]. Tu nobis a filio obtine, virgo mater, ut de Spiritu suo *mensuram bonam, confertam et superfluentem*[h][13] effundat in sinum ecclesiae huius in suo nomine[i] congregatae et inducat[k] in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem[14], atque omne consilium nostrum confirmet, quod operatur in nobis[15]. Quae nam ista, inquam, quae ita progreditur *in multitudine virtutis suae*[16], ut non obscure prae se ferat tandiu velle persequi inimicos, donec compraehenderit ita deficientes, ut sint non inimici?[17] Quasi *aurora consurgens*, luciferum praecurrens astrum, eatenus intelligentiae suae luce proficiens, quoad radiantis usque iustitiae solis meridiem perpetuam pertingat, ubi cubans meridietur, fugato, quod nunc pernoctat, *daemonio meridiano*[18]. Interim vero dum in clypeos vestros aureos sol ipse refulget nullo non splendente monte[19], panditur *terribilis castrorum acies ordinata*. Quid ni terribilis? Cui praeest Dominus exercituum? Ubi castra sunt Dei?[20] Ubi puer apertis oculis igneorum curruum montem videt plenum?[21] Ad instar illius ordinata acies[l], quae primos[m] praeliantes de coelo in profundissimum[n] abyssum deturbavit[22].

Sed iam coelestem nomenclaturam audite. Ipsa est Christi Domini corpus, quae per Mariam quasi turritum quoddam et eburneum collum[23] salvatori suo capiti coniungitur, qui[o] Deum habet caput[24]. Illa vitales haustus prima suscipit[p], per illam aspiramus et de

[a] *A, B* viderem [b] *A* Ne mirum [c] *P* oporteat [d] *A, B add.* amicos sponsi alloquendi
[e] *A, B add.* pii sponsi et [f] *P* apparet [g] *A, B* convertam [h] *A, B* supereffluentem
[i] *A (non P)* numine [k] *C 119* indicat [l] *B* aciei [m] *C 119* primo
[n] *A, B* profundissimam [o] *C 123* quae [p] *A, B add.* et refluit; *C 119* suscepit et refluit

[1] *Rom.* 10, 8. [2] *Act.* 16, 9.
[3] Cf. *Matth.* 24, 28; *Luc.* 17, 37.
[4] *Phil.* 3, 21. [5] Cf. *Matth.* 13, 52.
[6] *Ex.* 4, 10. [7] *Ier.* 1, 6. [8] *Ps.* 8, 3.
[9] Cf. *Prov.* 31, 28. [10] *Cant.* 6, 9.
[11] Ex prima antiphona tertii nocturni in festo Assumptionis B. Mariae V.
[12] Cf. *Luc.* 1, 35. [13] *Luc.* 6, 38.
[11] Ex oratione *Mentes nostras* in principio sessionum recitari solita. Cf. supra p. 32 l. 14 sqq.
[15] Cf. *Ps.* 67, 29. [16] *Ps.* 68, 2.
[17] Cf. *Ps.* 58, 13 sq. [18] *Ps.* 90, 6.
[19] Cf. *1 Macc.* 6, 39. [20] Cf. *Gen.* 32, 2.
[21] Cf. *4 Reg.* 6, 17. [22] Cf. *Apoc.* 12, 7 sqq.
[23] Cf. *Cant.* 7, 4.
[24] Cf. *1 Cor.* 11, 3.

suspirio respiramus. Hoc Christi Domini mysticum et visibile corpus non invisibili capite gaudet, Iulio tertio Romano pontifice maximo a Deo vocato ut Aaron[1] (qui montanus interpretatur[2]), cui in beato Petro dictum est: *Tu vocaberis Cephas*[3]. Quanta autem capiti huic aureo gratia sit oculorum, quantus sensuum ornatus, vix consequi oratione quis possit; superat namque omnem phisici corporis formae quantumvis speciosae et habitum et pulchritudinem. Quod se argenteo[a] et quidem extento brachio protegit in salutiferam protensum dextram, quam Dominus christi sui, non iam Cyri, sed Caroli apprehendit, ut ante faciem eius gloriosos terrae humiliet, cui det thesauros absconditos et novos orbis tractus ipsosque latissimos[4]. Is reginae huius inclytae primogenitus, ipse et fortitudo eius et (ut semel dicam) *prior in donis, maior in imperio*[5].

Hoc autem corpus totum, quod et coeli regnum est, sacerdotali eaque regia decoratur civitate, quae ex omni tribu, lingua, populo et natione[6], sexu, aetate, ordine a Christo Domino aedificata est Deo Patri regnum (quod vos non sine vestra magna dignitate repraesentatis, patres), in cuius summa corporis constructione, quam similem navis carinae videmus, caput collocavit Deus, in quo sicut nauclero ipsoque hominum piscatore[7] totius esset regimen animantis, et vitalis inde influxus in totum corpus derivaret, caperentque hinc ad nominis rationem initium sensus omnes. Priorem autem eius partem, quae facies dicitur, necessariis membrorum ministeriis instruxit pariter et ornavit ita, ut, sicut corpus unum ex simplicibus membris constare non poterat, nisi ut essent partes ⟨dextrae et sinistrae⟩[b], sic et in capite, quod totius divini operis quasi culmen est, et visus in duas acies et auditus in duas aures (ut reliqua taceamus) a summo opifice divisa sunt. Quorum membrorum vel ex hoc maxima dignitas, quod sedem habent in capite, quod unam suam vim per oculos, mentis fenestram[c], conspicuam facit, per linguam explicat, per aures ingerit, per barbam honestat.

184v Hoc autem maximum est sacramentum in corpore ecclesiae[8]. | Nam per duos oculos duo in ecclesia ordines designantur, maiorum scilicet et minorum gentium (id est praelatorum), per linguam praedicatores, per aures plebs verbum audiens[d], per barbam autem sacerdotium, quod totum facies ecclesiae aptissime nominatur, quae nunc ad ipsius capitis nutum summa omnium gratulatione[e] convenit. Cuius nisi in primis ratio auctoritatis constiterit et sartam tectamque praestetis, nisi eam clypeis et validissimo praesidio munieritis, actum est de salute nostra, praesertim qui locati sumus in capite atque[f] totius corporis incolumitate. Hoc maxime suis iaculis petunt, hoc abscindere desiderant quicunque acephali, qui, cum corporalis vitae sine capite fieri posse participes desperarent, prodigiosa quadam mentis caecitate in spirituali vita, quasi truncus a capite avulsi, posse vivere temere arbitrantur (quasi vero gratia naturam non imitaretur[g], addo, et honestaret). Quos divino suo spiritu describit Paulus: *Non tenentes,* inquiens, *caput, ex quo totum corpus per nexus et coniunctiones subministratum et constructum crescit in augumentum Dei*[9]. Mortui igitur cum sint, quid adhuc tanquam viventes decernunt?[10] Quando itaque in certamen descendistis, viri fratres, pro salute capitis corporisque totius, erit muneris oculorum, qui speculatores domui[h] Israel dati sunt et altissimum locum obtinent, prospicere supervenientem gladium, ne sanguis de manu speculatoris requiratur[11], et circunspicere, ne forte quis exeat vallum castrorum, ne pertranseant[i] terminos, quos posuerunt patres nostri, traditiones videlicet ecclesiasticas hactenus conservatas.

Duplex ecclesiae munimentum pro muro et antemurali[12] ex divinis et humanis constans legibus coniungatur in hoc opus: amborum luminum visus, utriusque ordinis successio velut acies dirigatur et apostolorum duodecim, qui dexter est oculus, et septuaginta duorum, qui sinister est; nec feriant foedus cum Amonitis[13], qui hanc praestant salutem, ut quaerant oculos eruere dextros, nec alii quidpiam de huiusmodi ministerio in eorum ipsorum perniciem usurpent, nec[k] cum Betzamitis[l], qui archam Domini introspexerunt, intereant[14]. Inspiciant ergo, ut faciamus ad exemplaria coelestium, quae nobis monstrata

[a] *B* argento [b] *P* ut sinistrae dextrae [c] *C 119 et P* fenestras [d] *A, B* hauriens
[e] *A, B add.* legitime [f] *A, B add.* adeo [g] *C 123 et C 118* imitetur [h] *A* domini
[i] *P* pertranseat [k] *C 123 et C 118* ne [l] *C 123 et C 118* Belzamitis

[1] Cf. *Hebr.* 5, 4.
[2] *Hieronymus,* Liber de nominibus hebraicis, De Exodo: «Aaron mons fortitudinis sive mons fortis.» *Migne,* P. lat. XXIII 786.
[3] *Io.* 1, 42. [4] Cf. *Is.* 45, 1 sqq.
[5] *Gen.* 49, 3. [6] Cf. *Apoc.* 7, 9.
[7] Cf. *Matth.* 4, 19. [8] Cf. *Eph.* 5, 32.
[9] *Col.* 2, 19. [10] Cf. *Col.* 2, 20.
[11] *Ez.* 3, 17 sq.; 33, 7 sq. [12] Cf. *Is.* 26, 1.
[13] Cf. *2 Reg.* 10, 6—19. [14] Cf. *1 Reg.* 6, 19.

sunt[1]. Pergamus[a] hyrarchas agere imitati triplicem illum sacratissimumque principatum, quem trina ipsa functione exprimimus purgantes per excommunicationem: *Arma militiae nostrae non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei et in captivitatem redigentes omnem intellectum ad obediendum Christo et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam*[2]. Tradite[b] vexandos magis *Sathanae*[c] *in interitum carnis (quo spiritus salvus fiat)*[3] haereticos quoscunque, schismaticos et flagitiosos; nec passim[d] pro temporalibus causis tremendum gladium distringatis, ne acies obtundatur et contemnatur potestas sacrosancta, quae non nisi lethaliter negligitur; quin potius saecularis potestas imploretur, dum adhuc nobis restat, quid agendum sit. Optimo enim iure hunc positivi iuris ⟨ordinem audacter dixerim invertendum, quippe quo divini iuris⟩[e] ratio posthaberi videatur. Huc pertinet multiplicatio illa censurarum, quarum rethe ne oculi quidem pennatorum evadunt[4], ita ut liceat cum Antonio exclamare: Quis hos laqueos evadet?[5] Dicto vero audientes indulgentiarum largitione prosequamini, quasi praemio quodam[f] afficiatis; largitione dixerim, non profusione, sed parciore et preciosiore usu, ne quae imminui non potest coelestis thesauri donique[g] magnitudo vilescat, et simul ecclesiastica enervetur disciplina.

Proficite[h] per legum et canonum salutarem constitutionem, sed eorum, qui rationem culpae tollant, poenae vexationem inducant; quae praestat intellectum. De legum autem custodia districtius decernite, longe quidem illa saluberrima et iuris praesertim communis magno saeculorum et patrum consensu non sine numine promulgati[i] (quod id est in homine politico, quod sensus communis in phisico). Ut quid enim addidimus[k] legem legi, ecclesiam onerantes? An ut innotescant delicta et *fiat supra modum peccans* | *peccatum*[6] 185r et abundet praevaricatio? Scitote, non deesse nasutos Anaxandrides[7], qui convicientur[l], quod non tueatur ecclesiastica civitas, quas condit[m] leges, praesertim cum ex observatione priorum huius synodi decretorum (ut de antiquioribus interim taceamus) facile nobis liceat coniicere, quid de sequentibus sperare debeamus et promittere nobis possimus.

Illuminate postremo per doctrinalem praedicationem perque administrationem sacramentorum, idque per vos ipsos praestate; et quos praeesse non pudet, prodesse delectet. Num carnales sponsae per alios foecundantur? Nec prolem nostram e[n] nativo quodam ubere avellentes nutricibus educandam tradamus; non enim alienis, sed propriis humeris evangelicus pastor ovem perditam reportavit[8]. Hinc morbi crescunt, inde oves pereunt. Praestemus nos tandem fideles *dispensatores multiformis gratiae Dei, in alterutrum illam administrantes*[9], quibus cum illo, qui ex humilitate sanctorum se omnium minimum asserebat (alioquin maximum), *data est gratia illuminare omnes, quae sit dispensatio* et communio *sacramenti absconditi a saeculis in Deo*[10], quam ne principatus quidem et potestates noverant, nisi Deus per ecclesiam suam ipsis revelasset[o] christianas divitias! *O divitiarum altitudo!*[11] Impleamus ministerium nostrum, opus faciamus evangelistae![12] Nos enim etiam referebant sancta illa quatuor animalia Ezechielis[13], toto corpore plena oculis nunquam claudendis, praeterquam uni[p] Helenae inspiciendae, a qua cum proceribus non iam Troianis, sed Christianis avertendi sunt[14]

Nec desideretur linguae munus, quae os Domini est; annunciet *omne consilium Dei*[15] auribus, quae plebs sunt; interpres fidelis sit Sacri illius Spiritus, quo inspirante *loquuti sunt sancti Dei homines*[16]; sequatur Sacri Spiritus ductum, qui per priorum patrum ora loquutus est[17]; non se extollat in coelum os nec terram lingua pertranseat[18] Sunt enim miseri linguam suam magnificantes[19], sed a geenna inflammatam, qua mentis castitatem commaculant[20], qua electis angelis Domini exercituum conviciantur, quod Michael archangelus cum reprobo agens non est ausus inferre[21]. Infelix haec [lingua] de verbis Dei,

[a] *P* peragamus [b] *C 123 et C 118* Traditae [c] *C 123 et C 118* Sathana
[d] *C 123 et C 118* passis [e] *In C 119 add. in marg. manu Massarelli.*
[f] *A (non P)* quoddam [g] *C 123 et P* denique [h] *A, B* Perficite [i] *A* promulgata
[k] *A, B* addimus [l] *C 123* convincientur [m] *A, B* condidit [n] *A, B* a
[o] *C 123 et C 118 post* revelasset *add. exclamationem* oh, *verba* christianas divitias *hoc modo a praecedentibus separantes.* [p] *A* unae

[1] Cf. *Ex.* 25, 40. [2] *2 Cor.* 10, 4 sqq. [3] *1 Cor.* 5, 5. [4] Cf. *Prov.* 1, 17. [5] Locum hunc non inveni. [6] *Rom.* 7, 13. [7] *Aristoteles,* Eth. lib. VII c. 11. *Bekker* III 571. [8] Cf. *Luc.* 15, 5. [9] *1 Petr.* 4, 10. [10] *Eph.* 3, 8 sq. [11] *Rom.* 11, 33. [12] Cf. *2 Tim.* 4, 5. [13] Cf. *Ez.* 10, 14 21. [14] *Aristoteles,* Eth. lib. II c. 9. *Bekker* III 545. [15] *Act.* 20, 27. [16] *2 Petr.* 1, 21. [17] Cf. *Luc.* 1, 70. [18] Cf. *Ps.* 72, 9. [19] Cf. *Ps.* 11, 5. [20] Cf. *Iac.* 3, 6. [21] Cf. *Iud.* 9.

quasi de inauribus[a] filiarum Israel animarum fidelium unico ornamento fabricata est *opere fusorio vitulum conflatilem*[1], prodigiosam metamorphosim intelligentiae proferens ad suum sensum; quo fit, ut merito confuderit Dominus labium ipsorum, quasi Babillonicae turris structuram repetentium[2], qui totidem fere inter se sententiis pugnant, quantis fuit illud unum labium divisum idiomatibus, *omni vento doctrinae* circumlati[b 3]. Sed cum Sathan divisus iam sit eis, nec dubium, quin longiore tempore stet regnum eius[4]. Magna igitur danda est nobis opera, Patres, ut in quas istae polygraphae Syrenes incantarunt miserae plebis aures, instillemus eloquia casta igne examinata[5], quem ideo Dominus[c] voluit accendi[6], ut ad purum decocta eius argentea veritate, quaecunque adhaesisset haereticorum scoria, cremaretur, et manifestarentur probati.

Accessit his malis, quod imparatam plebem et quae nullam reddere rationem valet de ea, quam profitetur, fide, magistram constituerint, clavem ei scientiae dantes, sed quae non aperiret, quasi labia sacerdotis scientiam non custodirent, de quorum ore ex praecepto Domini quaerenda potius lex fuisset[7]. Felicior futurus populus, si cum Israelitis ob id a Domino commendatis deprecatus esset, quominus fieret ei verbum, ne forte moreretur, sed Mosem loquentem audisset[8], quinimo melioris testamenti sponsorem factum Iesum[9] per apostolos eorumque successores de coelo adhuc eis loquentem. Neque enim vel primarii discipuli magnificam vocem de coelo allatam in monte sustinere potuerunt, quin caderent, quos pia magistri erexit dextra[10].

Sed iam cum[d] ipsa corporis positione descendat oratio ad barbam, quasi Aaron[11]. [e]Ad dehonestandam ecclesiae faciem istam[f] Anon[g] dimidiam praescindit[12], cum ecclesiam ipsam ad unam tantum sacerdotii laicalis speciem, quod baptismus est, contrahit, ordinem sacerdotii (quod horreo dicere) tollendo et perditissima impudentia traditas ecclesiae claves 185v auferendo, nec vident, quod barbae ipsius | ratio, sicut in naturali corpore incredibile est, quantum conferat ad dignoscendam maturitatem et decorem virilitatis, ita in mystico barba est sacerdotii, quae prima effluens e capite unguentum excipit, quod pro varia cultus ratione aut diligentioris aut negligentioris fluit et *descendit in oram* usque *vestimenti*[11], quod plebs est, quae inde ad certamen et colluctationem quasi athleta ungitur. Sed qui unctionem auferre tentarunt, indigni sunt habiti, qui ab unctione docerentur[13]. Denuo male convenientes adversus christos Domini[14], tanquam Iezabel, prophetas e medio abstulerunt et pseudoprophetas quasi quadringentos et quinquaginta superinduxerunt[h]; et qui relicti sunt, nisi pius[i] eos quidam alter Abdias quinquagenos et quinquagenos utcunque pavisset abscondens, fuerant prorsus omnes interituri[15]. Sed vivit Augustus, ut aliquando semel virtute Heliam pergat praestare in Cyson[k 16], sicut coepit fugare. Et unde Deum glorificare debuissent cum evangelica illa plebe, quod talem potestatem dederit hominibus[17], qualem scilicet ecclesia in B. Petro et successoribus suis accepit. Bone Deus, quot quantisque conviciis honoris loco prosequuti sunt, ut eam obfirmatis animis negarunt?

Sicut autem corpori partes insunt dextra et sinistra, ita et huic quoque sic insunt corpori, ut per eas dividatur et ad meliorem vel deteriorem pertineat portionem. Rursumque, sicut vita corporis durante utraque[l] pars tam sinistra quam dextra corpori cohaeret, ita quandiu tardat Filius[m] tradere regnum Patri[18], et donec *iustitia convertatur in iudicium*[19], adversatur sibi invicem utraque pars, licet cohaereat in una ecclesia, in qua, velut in uno Rebecae utero, pugnat[20] estque partus huiusmodi, ut nisi visibili mundo moriens, quasi Rachel filium dextrae posset[n] eniti[21].

Sed video iam mihi, viri patres, rescindendam[o] esse orationis telam adhuc texenti et reliquum ecclesiae corpus velandum pallio pullo, quo pictor ille moestissimi caput patris obtexit. Sustinete ergo me, obsecro (qui fusiori utar oratione, quam instituti forte ratio postulet), tantisper, dum causae iugulum peto et vobis aperio statum.

[a] *A (non P)* maribus [b] *A, B add.* et sicut arundo agitati
[c] *C 123 om.* [d] *A om.* [e] *A, B anteponunt* quam [f] *A, B* iste [g] *A* Aaron
[h] *A (non P)* superindixerunt [i] *P* prius [k] *P* Chylon [l] *A* unaque; *P* unaquaeque
[m] *A (non P)* filiis [n] *A, B* possit [o] *A, B* praescindendam

[1] *Ex.* 32, 4. [2] Cf. *Gen.* 11, 3–9.
[3] *Eph.* 4, 14. [4] Cf. *Matth.* 12, 26 et parall.
[5] Cf. *Ps.* 11, 7; 17, 31. [6] Cf. *Luc.* 12, 49.
[7] Cf. *Matth.* 23, 13; *Luc.* 11, 52; *Mal.* 2, 7 sq.
[8] Cf. *Ex.* 20, 19 sq. [9] Cf. *Hebr.* 7, 22.
[10] Cf. *Matth.* 17, 6 sq. [11] Cf. *Ps.* 132, 2.
[12] Cf. *2 Reg.* 10, 4. [13] Cf. *1 Io.* 2, 27.
[14] Cf. *Ps.* 2, 2. [15] Cf. *3 Reg.* 18, 7—19.
[16] Cf. *ibid.* 18, 40. [17] Cf. *Matth.* 9, 8.
[18] Cf. *1 Cor.* 15, 24. [19] *Ps.* 93, 15.
[20] Cf. *Gen.* 25, 22.
[21] Cf. *Gen.* 35, 18.

Articulus itaque cardinalis, in quo totus status causae huius ecclesiasticae versatur et dogmatum et morum, quae coniuncta sunt et individua, illa una est suavitas dispositionis rerum, suavitas inquam dispositionis rerum huius naviculae prora et puppis; haec[a] et quae de dogmatibus et quae de moribus controversiae ortae[b] sunt, tollentur et habitabimus omnes *unius moris in domo*[1]. Si paci igitur et unitati ecclesiae studemus, id quod facimus, et re et sacramento (tractamus enim de Eucharistia, sacratissimo unitatis signo, unde sequuturae unionis accipio minime superstitiosum omen), ineunda nobis est compendiaria quaepiam ratio, qua religionis dissidia componantur, non quasi veritas vitae nedum doctrinae eam compositionem admittat, qua integritati eius aliquid detrahi aut addi patiatur — est enim nephas — accipiat licet evidentiam, lucem, distinctionem[c], sed retineat, necesse est, plenitudinem, integritatem, proprietatem. Sed cum eo, qui paratus erat rationem reddere omni poscenti de ea quae in nobis est fide[2], agamus, et repetendo et declarando *(declaratio enim sermonum Dei illuminat et intellectum dat parvulis*[3]*)* compatiamur infirmitatibus fratrum sine indignatione, quod praestat vera iustitia; nec[d] gravate eadem saepe cum Apostolo dicamus, quando res ipsa cogit[4]; hoc enim novissimis conciliorum decretis catholica in Spiritu Sancto perfecit ecclesia, vetera fideliter sapienterque tractando, ut intelligeretur ipsa exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur, antiqua enucleans, expressa firmans, definita custodiens. Profectus enim fidei rationem corporum in crescendo imitatur, ut, sicut[e] nihil novum postea profertur in senilibus[f], quod non in pueris iam antea latuerit, et quae fuerat adolescentis, ipsa et senis una natura eademque persona sit, ita etiam unum christianae religionis dogma uno eodemque sensu suas profectuum ⟨leges in omnibus unius aetatibus ecclesiae sequitur, siquidem ad profectum⟩[g] pertinet, non ad permutationem, ut in semetipsa unaquaeque res amplificetur. Huius autem felicia mystici corpo|ris incrementa in assumpto corpore Christus prae se 186r
tulit, qui sapientia et aetate crevisse perhibetur[5], tamdiu duratura, *donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis ipsius Christi*[6].

Agamus tum universalis ecclesiae utilitatis causa, tum vero inclytae nationis Germanicae, quae iam pridem discordiis, in iis praecipue, quae ad religionem pertinent, plurimum divexata dissidet, cuius saluti opitulaturi convenimus, ut illam nobilem provinciam universam, rei publicae christianae robur, partem imperii potissimam, ante circiter[h] lustra sex in fide et relligione nulli secundam, cum capite et reliquo corpore, cuius est honestissimum membrum, in omni amore atque amicitia coniunctam videamus, sicut bonam eius partem unitatis et caritatis retinentem pro semine videmus hactenus a Domino conservatam. Et quamvis *domus exasperans est*[i] et quamvis *irritatores* multi *sint*[7] (dicit Dominus, non ego), *vos, qui spirituales estis,* instaurate instruiteque praeoccupatos et circumventos *in spiritu lenitatis,* si forte quiescant considerantes vos ipsos, ne et vos tentemini. *Alter alterius onera portemus et sic adimplebimus legem Christi*[8]. Iudicate in aequitate deceptos, quando etiam deceptorem inimicum Deus nonnisi iustitia iudicavit[k]. Enitimini[l], contendite, elaborate omnibus viribus, consilio, authoritate, ut obducatur iam cicatrix filiae populi huius; obligetur gravissimum vulnus rei publicae impositum, quandoquidem tot tantique medici convenistis in Galaath, ubi non deest resina[9]; adhibete unctionem; tentate omnia ante ustionem, nullum non moventes lapidem, ne in hoc ulceris pruritu tanquam unguis existamus.

Pro Christo ergo legatione fungentes tanquam Deo exhortante per nos, o Germani, non sine vestris primariis principibus, qui nobiscum sunt, *obsecramus* per modestiam et mansuetudinem Christi: *reconciliamini Deo*[10]*;* Deus enim dedit synodo suae *ministerium reconciliationis* et *posuit in ea totum*[m] *reconciliationis*[11]*;* ipsa est mulier Thecuitis, sapiens et fortis et spei plena secundum nomen suum, cui ad regem ingredienti figuratam locutionem dictavit et suggessit verus Ioab, qui Patrem habet Deum, Christus, ut pulchrum revocet Absalonem, decorum hunc et candidum populum Patri reconciliet, per quem tandem unum fiet, ut faciem regis videat populus iste et ad osculum admittatur[12].

[a] *C 118, A et B* hac [b] *A, B* natae [c] *A* distructionem; *P* destructionem [d] *P* ne
[e] *A* sunt [f] *A, B* senibus [g] *In C 119 add. in margine manu Massarelli* [h] *A, B* scilicet
[i] *P* eum [k] *A* vindicavit [l] *C 123 et C 118* Enitemini [m] *A, B* verbum

[1] *Ps.* 67, 7. [2] Cf. *1 Petr.* 3, 15. [3] *Ps.* 118, 130. [4] Cf. *Phil.* 3, 1. [5] Cf. *Luc.* 2, 40 52. [6] *Eph.* 4, 13. [7] *Ez.* 2, 6 sq. [8] *Gal.* 6, 1 sq. [9] Cf. *Ier.* 8, 22. [10] *2 Cor.* 5, 20. [11] *Ibid.* 5, 18 sq. [12] Cf. *2 Reg.* 14.

Excitemus, vigilantissimi patres, et vocemus Sunamitidem hanc dormientem veterno quodam male soporatam, quo eam Christus illuminet[1]. Inclamemus cum sponso, nec[a] hoc semel, sed iterum iterumque congeminemus: *Revertere, revertere,* redi ad nos[2]. En occurrimus tibi a terris ultimis, quaerimus te, non tua[3]; non parcentes nobis parcimus tibi[4]; donamus tibi in persona Christi, si quid laesisti, nihil moramur, non exprobramus[b 5]; veni, invitamus te ad nuptias; ecce prandium paratum, ne negligas[6]; famem tuam sacri corporis cibo sedamus; ad sitim tuam Christi sanguinis poculum propinamus, quo sic congeramus carbones charitatis super caput tuum[7], *carbones desolatorios*[8]*;* hoc cupimus[c] omnes bene ignito incendio conflagrare.

(Vox sponsae ad Germanos): *Bene currebatis*[9], dilectissimi[d] mei Germani[e], *dilecti votorum meorum*[10], *quos iterum parturio, donec reformetur Christus in vobis*[11]. *Quis vos fascinavit, non obedire verbo veritatis*[12], iis, quae maiorum haereditate acquisivimus[13], testimoniis? Quare *transferimini,* non iam cito, sed tandem post mille et quingentos et eo amplius annos *ad aliud evangelium, quod non est aliud, nisi quod sunt aliqui, qui vos*[f] *conturbant et volunt*[g] *invertere evangelium Christi?*[14] Quibus cum Paulo, etsi angeli forent, anathema dicimus[15]. Venite confidenter, venite securi; ambulemus in domo Domini unanimes cum consensu; sicut in diebus antiquis dulces capiamus cibos[16] pinguis illius[h] panis, qui praebet delitias — veh[i] — ipsis regibus[17]! Non enim est Deus author dissensionis, sed pacis, et spiritus prophetarum subditi sunt prophetis[18]. *Os nostrum patet ad vos,* o Germani,
186v sed cum gentis vestrae electis et piissimis, qui inter nos sunt, | patribus et *cor nostrum dilatatum est*[19]*;* veritatem dicimus in Christo, quod tristitia nobis magna est et continuus dolor cordi nostro, ita ut optarit haec alma synodus, si fieri posset, anathema esse pro fratribus Germanis[20], sicut extranei facti sumus propter vos fratribus nostris et peregrini filiis matris nostrae[21] et incolatus hic noster tandiu prolongatus est[22]. Ecce verae matris synodi viscera commota sunt, quae Deus pietatis commiseratione replevit; ad thronum veri Salomonis[k] humo[l] provoluta non acquiescit affectui illi plus quam novercali, quo petitur vivus infans Germanus dividi, nihil dubitans, quod illa *viscera misericordiae Dei*[23], qui plus quam Salomon, cor[m] sapiens et bonus[24], qui vestem suam dividi non est passus[25], infantem dividi patiatur; quinimo reddet vivum infantem matri, reddet synodo germanae matri infantem vivum[26], qui etsi per aetatem consenuisse videatur, (proh dolor) sensibus factus est puer. Venite, renovemus pariter quasi regnum antiquam disciplinam morum in ecclesia, cuius[n] debueramus fuisse tenacius retinentes, non eorum solum, qui circa virtutes versantur et vitia, quos cupimus maxime peremendatos[o] modestioresque ac commodiores omnibus contingere. Quoties[p] enim quisque Christianorum invenitur, qui ita institutus et bene moratus sit, sicut naturae ratio postulat nedum fidei? Quotus quisque discinctus illam Cypriam zonam, quae vel scientes et prudentes constringit ipsos[q 27]? Sed iis corrigendis tantum et revocandis fortassis non erat perinde necessarius sacer iste conventus, licet sine illis frustra quis[r] sibi de fide aut blandiatur aut glorietur, vacua lampade cum virginibus fatuis numerandus[28].

In rei publicae itaque ecclesiasticae reformatione, amabiles Deo patres, permagni momenti est et caput illa una, quam paulo ante dicebam, suavitas dispositionis rerum, cuius vel sola commemoratione nihil suavius. Si enim «Deus, cuius providentia in sui dispositione non fallitur»[29], sic res administrat, quas condidit, ut eas proprios motus agere sinat, quanto magis suavitatem hanc dispositionis imitari et observare oportuerit eum, qui authoritati aedificandae non est cooperatus, sed successit, sed est sortitus, in quo

[a] *P* ne [b] *C 123, C 118 et B* exprobamus; *A (non P)* exprobamur
[c] *C 123 et C 118 om.* [d] *A, B* dilecti [e] *A, B add.* dilecti uteri mei [f] *P* nos
[g] *P* voluere [h] *A, B add.* Christi [i] *A, B* vel [k] *A, B add.* stans [l] *A, B* immo
[m] *A, B* est [n] *A om.* [o] *C 123* peremendatus [p] *A, B* quotus
[q] *A, B add.* sicut quis libat Domino concupitam aquam, ne dum oculum eruit scandalizantem
[r] *P* quisquis

[1] Cf. *Eph.* 5, 14. [2] *Cant.* 6, 12.
[3] Cf. *2 Cor.* 12, 14.
[4] Cf. *1 Cor.* 7, 28; *2 Cor.* 1, 23.
[5] Cf. *Eph.* 4, 32; 5, 2; *Col.* 3, 13.
[6] Cf. *Matth.* 22, 3 sq. [7] Cf. *Rom.* 12, 20.
[8] *Ps.* 119, 4. [9] *Gal.* 5, 7. [10] *Prov.* 31, 2.
[11] *Gal.* 4, 19. [12] *Ibid.* 3, 1.
[13] Cf. *Ps.* 118, 111. [14] *Gal.* 1, 6 sq.
[15] *Ibid.* 1, 8. [16] Cf. *Ps.* 54, 15.
[17] Cf. *Gen.* 49, 20. [18] Cf. *1 Cor.* 14, 32 sq.
[19] *2 Cor.* 6, 11. [20] Cf. *Rom.* 9, 1 sqq.
[21] Cf. *Ps.* 68, 9. [22] Cf. *Ps.* 119, 5.
[23] *Luc.* 1, 78.
[24] Cf. *Matth.* 12, 42; *Luc.* 11, 31.
[25] Cf. *Io.* 19, 23 sq. [26] Cf. *3 Reg.* 3, 23—27.
[27] *Aristoteles,* Eth. lib. VII c. 7. *Bekker* III 570.
[28] Cf. *Matth.* 25, 1—13.
[29] Ex oratione dominicae VII post Pentecosten.

eam universa accepit ecclesia, nempe ab unitate, ut proficisceretur, ut derivaretur[a] in reliquum corpus. Si enim totum corpus est caput, ubi sunt[b] oculi? Ubi auditus disciplinae sensus? Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Frustrane sic posuerit Deus in ecclesia apostolos et eorum successionem[c], filios scilicet[d] pro patribus? Frustra dedisset pastores et doctores[1]. Haec itaque vera in aedificationem potestas est, hic verus decor, ne[e], quod pulcherrimum est in domo Christi ecclesia, ordo ipse tollatur. Nonne, si Deus, ut non esset schisma in corpore, ita temperavit illud, ut, quibus deerat, membris honorem et abundantiorem quidem voluerit esse tributum, quare non multo magis, quae nobiliora habentur, honestemus[f], sua quibusque munera et functionem promittentes[g]? Sicut B. Gregorius inquit: «Honorem meum non reputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco.»[2] Mentior ego, si non mihi sermo ille apostolicus astipuletur[h], *fidelis* quidem *atque omni plane acceptione dignus*[3], qui habet, quod ecclesiasticus ordo confunditur, cum sua unicuique iurisdictio non servatur. Sed rem consulto praetereo; nec enim est huius aut temporis aut loci, praesertim cum sit testatior, quam ut speciatim eam attingere oporteat.

Iam enim invaluit consuetudo, a cuius corruptela impetratum videtur, ut nihil non liceat, nec desint speciosae quaedam causae, quibus fit, ut expedire etiam omnia videantur[4]. Sic intermissa est conciliorum provincialium celebratio, quae secundum generalia unica est vineae Domini cultura, generalibus ipsis viam parans et eorum (ut ita dixerim) aurora et praecursor. Quo fit, ut sine illis in oecumenico hoc quamplurimae difficultates nobis veniant superandae. Taceo, quod fere omnes desertores sumus et de praesidio et statione decedimus | caularum armenti dominici, quo certe oportuerat palabundas oves studiose 187' et misericorditer collegisse, qui ita vagamur, quasi certas sedes non essemus sortiti, et non homines simus conductitii atque administratorii ad eos missi, qui vocati sunt ad hereditatem salutis capiendam[i 5], in quo praeclaro munere principes angelos coniunctos habemus et praevenientes, quibus quidem mandavit de nobis Deus, ut in manibus tollant nos, ne ad lapidem impedimentorum offendat pes affectuum[k 6] neve ipsis ad excusationem utamur. Nec enim adhuc usque ad sanguinem restitimus[7]. En positi sumus custodes in vineis, et licet filii matris nostrae contra nos pugnent, curemus tamen, ut de nobis meliora et viciniora saluti sperentur, quam ut dicamus: *Vineam meam non custodivi*[8].

At illud (quod dolenter potius quam contumeliose dixerim) quanta est, bone Deus, praeposteratio[l] rerum atque inversio, quod ordo, collegium et senatus, quo amplior habetur et sacratior, saecularibus eo magis et temporalibus se curis atque negociis implicat, quibus Paulus iubet contemptibiles quosque de ecclesia praeficiendos[9]; spiritualia vero inferioris classis hominibus demandantur, quasi spiritualia essent propter temporalia et non magis contra. Sed pietas inservit quaestui et talenta aurea spiritualia, quae negociaturi accepimus[10], infelici commercio pueriliter plumbo commutamus. Sic spiritualibus temporalia[m], divinis terrena, pretiosis vilia praeferuntur; nec nos movet, quod apostoli, qui primitias hauserunt Spiritus, diaconiam instituunt et dedignantur mensis ministrare, ne tantisper verbi Dei praedicationem aut orationem intermittere cogantur[11], cum tamen ad illa pertineat opera ministratio ipsa, per quae fidelis populus est in dextera collocandus. Sed tantos heroas eorumque successores decuit meliora charismata emulari et excellentiorem praemonstrare nobis, quam sequeremur, viam. Sic princeps apostolorum Linum et Cletum pontificalibus praeficit functionibus, quamvis sacratissimis, ne quid de oratione et verbi Dei praedicatione velut de legitimis horis remitteret et sacratioribus[12]; et Paulus prae officio evangelizandi munus baptizandi non agnoscit[13]. At nos quantum his[n] vacemus, scimus omnes, sciunt omnes. Emendemus[o] igitur in melius, quae[p] ignoranter peccavimus, qui nostris et populorum peccatis haec omnia, quibus premimur, mala atque pericula creavimus, ne, sicut bene admonet princeps apostolorum, simus dominantes in clero[14].

[a] *A, B* derivaret [b] *A, B om.* [c] *P* successores [d] *P* sanctis [e] *A, B add.* scilicet
[f] *A, B* cohonestemus [g] *A, B* permittentes [h] *B* astipulatur [i] *A* capiendae
[k] *C 123 et C 118* affectum [l] *C 123 et C 118* reposteratio [m] *C 123 falso* temporalibus
[n] *P om.* [o] *C 123 et C 118* Emundemus [p] *P* qui

[1] Cf. *1 Cor.* 12, 28 sq.; *Eph.* 4, 11 sq.
[2] *Gregorius Magnus,* Lib. VIII, Epistola 30 ad Eulogium. *Migne,* P. lat. LXXVII 933.
[3] *1 Tim.* 1, 15; 4, 9.
[4] Cf. *1 Cor.* 6, 12.
[5] Cf. *Hebr.* 1, 14.
[6] Cf. *Ps.* 90, 11 sq.; *Matth.* 4, 6 et parall.
[7] Cf. *Hebr.* 12, 4.
[8] *Cant.* 1, 5.
[9] Cf. *1 Cor.* 6, 4.
[10] Cf. *Matth.* 25, 14—30.
[11] Cf. *Act.* 6, 1—4.
[12] Cf. *I. P. Kirsch,* Kirchengeschichte I (Freiburg i. Br. 1930) 216 adn. 284.
[13] Cf. *1 Cor.* 1, 17.
[14] Cf. *1 Petr.* 5, 3.

Addo et illud gentium Doctoris, periculosius quidem, ne scilicet credentium fidei dominemur[1], sed serviamus magis. Ipsi enim honores in Christo in prima quidem facie videntur honores, re vera autem non sunt, sed ministeria. Sicut enim oculi non est honor, quod corpus illuminet[a], sed actus ipsius, ⟨aut pedis, quod sit corporis baiulus, non est contemptus eius, sed actus ipsius,⟩[b] ita episcopatus non honor, sed actus episcopi. Nec enim pro merito suo antecedenti honoratus est, ut esset oculus vel episcopus aut abiectus, ut ⟨pes sit⟩[c], sed ad hoc ministerium aptus est iudicatus.

Defecit certe populus multus a Domino, ob tributa magis onerum an peccatorum nescio; et recesserunt Asia et Aphrica perieruntque[d] nobis quasi tribus decem, si illarum provincias et nationes numeremus; et una pro duabus tribubus remansit Europa, quae, sicut minor tractu et ditione[e], ita et religione (proh dolor) haud minimum imminuta est[f]. Ubi[g] est illud tam longe lateque propagatum imperium, de quo B. Leo laetabundus dicebat: «Latius praesidens religione divina, quam dominatione terrena»; et: «Minus est, quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax christiana subiecit»[2]? Declinavit, inquam, 187v et imminutum[h] est christianum imperium et in pace amarior[i] facta est ecclesiae amaritudo[k] [3], illius imperii finis[l], qui non terrae, sed coeli regionibus terminatur[m]. Unum autem illud etiam adiuratus non tacebo, versari me non absque maxima cordis trepidatione inter spem et metum, cum videam ecclesiam hic contrahi et in occidente pene occidere, in orientali autem indico dilatari et denuo suboriri. Profectus enim ille spem affert bonitatis Dei; defectus iste metum incutit severitatis, ne forte nos frangamur; inserantur illi et qui naturalibus ramis non parcens ipsorum delicta quondam nostras fecit esse delitias[n], ita diminutionem nostram illarum gentium faciat incrementa[4].

Pascite ergo, patres, pecora occisionis[5], *pascite, qui in vobis*[o] *est, gregem*[6] exemplo, qui praepositi[p] estis, unde virtutum omnium exempla petantur. Exemplum autem sermo quidam tacitus et pictura loquens, cuius nusquam non audiuntur voces[7], cum exemplum facti relinquitur. Unde plus exemplo quam peccato nocemus et ad hanc vocem obstupescite, quod quantum irrationali grege praestat pastor, tantum rationabilibus[q] sibi commissis ovibus pastor praestare debet omnibus, ut aiebat B. Gregorius[8], forma et ipse[r] pastorum. Quod exactius ipsi, si placet, expendamus[s]. Non enim magnum videri posset, si rationalis homo cum alio comparatus praestantior praescriberetur (habent sane aliquam comparationem); sed cum eorum inciderit comparatio, quae prope infinitum inter se distant, nempe irrationalis gregis et rationalis pastoris, videte, quam heroica et divina virtute oves nos praecellere nostras iubeamur, qui non raro nec pauci inferiores invenimur. Quo fit, ut eo res sint prolapsae, ut non sit iam dicere: Qualis sacerdos, talis populus[9], sed:

[a] *C 123 et C 118* illuminent [b] *In C 119 add. in margine manu Massarelli.*
[c] *V et P* possit [d] *C 123 et C 118* perierunt, quae [e] *C 123 et C 118* dictione
[f] *B add.* Ubinam Anglia et eius insulae? Neque enim te, Anglia, praeteribo, super quam angeli pacis flent. Ecce tu, gens angelica, nedum anglica, de coelo ecclesiae cecidisti, et ad doctorem et apostolum tuae confessionis Gregorium Magnum, qui te Christo per evangelium genuit, eiusque successionem minime respiciens, somniasti prima in tuo te rege prodigiose bicipitem uno tantum capite a cerbero victo, qui unius Christi capitis suave iugum eiusque vicarii tanquam filius Belial excussit; sed utinam ab eo fiat, qui omnipotens cum sit pro sua benignitate mala solus in bonum vertit, ut, sicut tempore pacis Anglia martyres non paucos effecisti, ita sis docibilis Dei ad audiendam vocem sanguinis huiusmodi et [ad] intelligendum, quid sponsus sanguinum per suos cruentos testes te doceat, quos tanquam archetypos et vivos libros in magna tua contentionum tempestate deprompsit, quibus tibi voluntatem suam assidue declararet. Sane hic per martyrum sanguinem docendi modus semper fuit praecipuus, sicut primitivus et frequentissimus; ita fiet, ut sanguis doctrinam magis quam vindictam clamet, et ex ipsis vulneribus salutem et ex infamia decus elicias. Inter tuos vero martyres exquisitarum acerbissimarumque tollerantiam penarum et cruciatuum quippe qui plures, ut ita dicam, et crudelissimas mortes gustarunt, clarissimi sunt Carthusienses illi septem, quos egregia et felicissima mater ablactatos Deo reddidit dignos, qui tempore pacis martyrium huiusmodi invenirent. Ubi Bohemia, quae in rege suo arbitrio imperialis electionis ab apostolica prima sede honestata, ab eius se obedientia segregavit et tanquam filia subtractionis divisit, hoc peius habens, quod non regum suorum exemplo metuve peccavit, tot tantorumque patrum labores, qui in te lucranda tandiu sudarunt, spernens?
[g] *B add.* denique [h] *P* diminutum [i] *V* amator; *P* amaritudo [k] *V et P* amarior
[l] *A, B* fines [m] *A, B* terminantur [n] *A, B* divitias [o] *P* nobis [p] *A, B* propositi
[q] *C 118* rationalibus [r] *C 123 et C 118* ipsa [s] *A, B* perpendamus

[1] Cf. *2 Cor.* 1, 24.
[2] *Leo I,* Sermo 82 in natali apostolorum Petri et Pauli c. 1. *Migne,* P. lat. LIV 423.
[3] Cf. *Is.* 38, 17.
[4] Cf. *Rom.* 11, 20—23.
[5] Cf. *Ps.* 43, 22. [6] *1 Petr.* 5, 2.
[7] Cf. *Ps.* 18, 4.
[8] Huiusmodi locum communem apud Gregorium Magnum non inveni.
[9] Cf. *Is.* 24, 2; *Osee* 4, 9.

Melior populus quam sacerdos, quod B. Chrisostomus inter extremas ecclesiae calamitates numerabat[1]; sacerdotes, inquam, qui cor et stomachus huius corporis habentur suntque sal terrae[2]; et quod ipsa veritas Christus sacerdotibus et scribis legis exprobrabat[a] praedicens, iam in nos maxime quadrat[b]: *Publicani praecedent vos*[c] *in regno Dei*[3]. Atque utinam sic praecedant, ut tamen sequamur[d], etsi cavendum summopere sit, ne illa nos censura percellat, quae in volumine legitur Ezechielis, ubi futurae ecclesiae et coelestis Hierusalem ordo describitur, in qua, qui peccarunt sacerdotes, regradantur in edituos et ostiarios[4]; et, cum in templo sint Dei et a dextris, inter arietes non sunt, sed inter minimas oves, quod videtis, quantum habeat notae in nostra, quae adhuc militat ecclesia, cum sacerdotem quempiam exauctoratum inter ostiarios iterum referri contingit.

Pergite itaque verbo pascere; vobis[e] enim eloquia credita sunt divina, talenta illa Dominica; vos seduli et cauti depositorum apud vos dogmatum custodes; aurum accepistis; aurum cum foenore reddite, non auri speciem, sed naturam; quod accepistis, non quod excogitastis; non privatae adinventionis, sed publicae traditionis. Vos firmiorem habere oportet propheticum sermonem, cui grex plebis *quasi lucernae in caliginoso loco lucenti* attendat[5]. Pascite tandem subsidio, ne pasci magis quam pascere, imo depascere vineam Domini quasi singulares ferae[f] videamini[6], ne ad temporales mercedes cum mercenariis pascere convincamur. Sic[g] enim mercedem hic nostram accipimus[h][7]. Agamus pastores, non tonsores tantum. Patres enim cum simus vel esse deberemus, non nobis, sed filiis thesaurizare nos convenit. Pascamus *in innocentia cordis et in intellectibus manuum* nostrarum[8]. Operae precium fecerimus, patres, si *sine sumptu* evangelium et non sumptum sine evangelio posuerimus[9]. Evangelicis delitiis non ad gloriae exterioris nitorem, sed ad interiorem utilitatem utamur. Omnia poterimus, patres, in eo, qui nos confortat[10]. Adiutores Dei sumus; nec soli loquimur, sed Spiritus Sanctus est, qui loquitur in nobis[11]. Num pro se tantum, imo et pro nobis. Primum illud, non numero, sed merito maximum apostolicum concilium dixit: *Visum est Spiritui Sancto et nobis*[12]. Quid quaeso honorificentius, quam cooperatores Deo et in re tanta fieri? Quod si congregatis filiis Israel in Sylo[i] terra subiecta est[13], nonne magis, quae promissa etiam spiritualis terra est, vobis[k] subiicietur et tanquam mites possidebitis?[14] Quodsi Dominus, qui fidelis est[15] in verbis suis, ubicunque 188r
duo vel tres in nomine suo congregarentur, medium se affuturum promisit[16], quanto praesentior in eo erit consessu, ubi non duo vel tres modo, sed tot ecclesiarum angeli pro Dei gloria convenerunt. Hoc Psaltes praecinebat: *Deus stetit* (inquiens, nec dubium, quin stet adhuc) *in ecclesia deorum; in medio autem* (id est in Filio) deos[l] *diiudicat*[17] per Spiritum Sanctum. Vos enim *dii estis et filii excelsi omnes*[18], *filii tonitrui*[19]. Quid est, quod a Deo non impetret tanta simul angelorum frequentia, quos misit Dominus colligere scandala de regno ecclesiae suae[20], ut immittant falcem censurae oris sui albescenti iam messi? Ergo hoc collaboremus, hoc agamus, in hoc invigilent[m] curae et cogitationes nostrae, quasi ad clarissimos septemtriones[n] dirigantur, ut quod feliciter instaurari coeptum est, absolvamus felicissime.

Actum est, mihi credite pontifices pontifici, qui in eadem vobiscum[o] est navi[p], de religione, de pietate, si (quod Deus prohibeat) spes[q], quam ecclesia hactenus habuit in conciliis, nunc frustrata fuerit, et vel semel nunc viderit mundus, inanes esse hos conventus. Erimus autem *omnibus hominibus*, quos sol spectat, *miserabiliores*[21], si testes fuerimus, nedum ministri huius calamitatis, ut[r] praecedentium conciliorum infirmemus[s] fidem. Intuemini, quid a vobis exspectet mundus, cuius oculi in vos sunt coniecti. *Spectaculum enim facti sumus mundo, angelis* et Deo[22]. Opponite vos, patres, medios tanquam[t] Aaron; state inter viventes et mortuos, offerte thymiama[23]. Iam enim, sicut quae egressa erat

[a] *Codd., A (non P), B* exprobabat [b] *P* quadret [c] *A, B* nos
[d] *A (non P)* sequantur [e] *A, B* nobis [f] *B* feri [g] *V et P* si [h] *A, B* recipimus
[i] *A* Syon [k] *C 123 et C 118* nobis [l] *C 123 et C 118* Deus [m] *A, B* evigilent
[n] *P* septentrionales [o] *C 123 et C 118* nobiscum [p] *A, B add.* de fide
[q] *C 123 et C 118* spem; *P* spe [r] *P* ni [s] *P* informemus [t] *A, B* quasi

[1] Nescio, quem Chrysostomi locum alleget.
[2] Cf. *Matth.* 5, 13.
[3] *Matth.* 21, 31. [4] Cf. *Ez.* 44, 6—14.
[5] *2 Petr.* 1, 19. [6] Cf. *Ps.* 79, 14.
[7] Cf. *Matth.* 6, 2 5 16. [8] *Ps.* 77, 72.
[9] Cf. *1 Cor.* 9, 18.
[10] Cf. *Phil.* 4, 13.
[11] Cf. *Matth.* 10, 20. [12] *Act.* 15, 28.
[13] Cf. *Ios.* 18, 1. [14] Cf. *Matth.* 5, 4.
[15] Cf. *1 Cor.* 1, 9 et parall.
[16] Cf. *Matth.* 18, 20. [17] *Ps.* 81, 1.
[18] *Ps.* 81, 6. [19] *Marc.* 3, 17.
[20] Cf. *Matth.* 13, 41. [21] *1 Cor.* 15, 19.
[22] *1 Cor.* 4, 9. [23] Cf. *Num.* 16, 47 sq.

ira[a] a Domino, multitudinem vastabat, ita, quae de aquilonis partibus haeresum labes atque portenta iam dudum eruperunt, per totum orbem terrarum summa impunitate et licentia vagantur et plaga desaevit. Erigite ergo vos et confirmate; caveamus, ne quidquam vel ob gratiam vel timorem statuamus aut statuere intermittamus. In omnibus exhibeamus nos incontaminatos negocio, sicut Apostolus admonebat[1]. Non patiamur partes nostras desiderari; confidenter et viriliter decernamus, quaecunque censuerimus[b] orbis saluti conducere et posthabitis omnibus ad unam Dei gloriam respiciamus. Nemo abscondat veritatem Dei a concilio[c] multo[2]. Curemus pietate operum sedulo Dominum promereri, qui faciet[d] corda nostra templum dignum, ubi Spiritus Domini sedeat, qui per nos in tractatibus, conquisitionibus et sessionibus loquatur. Universus mundus cognoscat sessionem nostram ecclesiae fore resurrectionem, ut, postquam[e] tandiu sedimus in civitate, tandem surgere et ad proprias quisque oves et optatas[f] sedes redire[g] Dei munere possimus. Et tunc erit placenta frumenti *in summis montium*[3], et *implebuntur* (dicit Dominus) ecclesiae *areae frumento* electorum[4], et redibunt, qui obliti fuerant comedere panem suum[5], et *torcularia redundabunt vino*[6], quod germinat[h] virgines[7], et multiplicabuntur a fructu frumenti et vini[8] reparatis et confirmatis sacramentis, quae ipsis elementorum speciebus ministrantur. Et tu, synode, sancta a Domino vocaberis. *Voluntas mea in ea; ⟨voluntas mea in ea⟩*[i][9].

Sed ut extremum habeat aliquid oratio mea, et ut ego ante dicendi finem faciam, quam vos me attente[k] audiendi, speciatim aliquid de dogmate orthodoxo attingam brevissime, de quo satis egisti tu, synode sacrosancta, et cum Thoma fidei digito corpus hoc sanctissimum tetigisti atque scripturae sacrae velut manu attrectasti[10]. Litigabant quondam increduli Capharnaitae ad invicem de Christo dicentes: *Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?*[11] Litigant et nunc quoque[l], non nobiscum modo, sed invicem etiam recentes Capharnaitae, divini Verbi et[a] omnipotentiam negantes, di-
188v centis: *Hoc est corpus meum*[12], et bonitatem pariter, qua se tam intime com|municare dignatus est, dum dixit: *Accipite et manducate*[13]. Hoc ille ait, qui *dixit et facta sunt*[14]. Non enim immensae illi divinaeque bonitati sat fuit, quod passibilem carnem indueret de nostro accipiens, nisi nobis daret de suo, per ipsum nempe, sed impassibile et invisibile corpus, quod de nostro acceperat, ut, qui humanam personam non assumpsit, sed naturam suae[m] ipsius verbi personae univit, nostris se hoc sacramento stupenda quidem caritatis dignatione quodammodo personis uniret ⟨et nostra esset Domini assumptio⟩[l]. Foelices nos[n], quibus ita preciosa donata sunt munera, ut[o] habitaret ille in nobis, in quo *plenitudo divinitatis* corporaliter noscitur habitare[15]. Sed audet malitia pugnare cum victrice sapientia et in propria venientem Dominum non recipere[16], pudet nihil tam bonae gratiae ingratos. Unde tanto hospiti inhospitales potestate illa, qua Dei filios fieri acquiescunt, quotquot benigne excipiunt[17], se inhumane abdicantes mendacii filii patri suo [magis] quam veritati credere elegerunt. Vidente[p] merito a Domino percussi sunt, qui, dum non alia ratione magis hanc litis flammam de sopitis cineribus accenderunt, quam ut papae Petri successori incommodarent[q] (ita enim aiunt), quasi Balaam pro maledictione benedicentes[18], cum frustra sudant in astruendo mendacii[r] dogmate, veritatem, vi numinis impellente, confessi sunt (ore proprio condemnati), nec inconsulto Petri successori libenter incommodant, qui primum Petrum primam hanc haeresim recolunt refellisse et[s] dicenti Domino ad duodecim, nunquid et ipsi abire vellent, sicut et caeteri, respondisse pro omnibus et prae omnibus: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes*[19]. Magno nunc ergo iure Petri et apostolorum successores, quos et oderant et timebant, apostasiae huius divinos vindices experientur, ut, sicut per Petrum asserta est doni[t] Spiritus sobria ebrietas[20], ita per eius successores calicis huius ebria sobrietas constituatur. Libet autem ex evangelista hanc haeresim recedentium a Domino appellare, ut vel hinc damni magnitudinem aestimemus, quasi ad recedentes istos illud maxime pertineat:

[a] *P om.* [b] *A (non P)* censerimus; *B* senserimus [c] *A, B* consilio
[d] *A, B* faciat [e] *A, B* posteaquam [f] *A, B add.* diu • [g] *A (non P)* redere
[h] *C 123* geminat [i] *B om.* [k] *A* tacente [l] *A, B om.* [m] *A, B* sui
[n] *C 123 et C 118* nostros [o] *P* ita [p] *A, B* avidentia
[q] *P* incommodaret [r] *B* mendaci [s] *A* ut [t] *P* domini

[1] Cf. *2 Cor.* 7, 11. [2] Cf. *Ps.* 39, 11.
[3] *Ps.* 71, 16. [4] *Ioel* 2, 24.
[5] Cf. *Ps.* 101, 5. [6] *Ioel* 2, 24; *Prov.* 3, 10.
[7] *Zach.* 9, 17. [8] Cf. *Ps.* 4, 8.
[9] *Is.* 62, 4.
[10] Cf. *Io.* 20, 27. [11] *Io.* 6, 53.
[12] *Matth.* 26, 26. [13] *1 Cor.* 11, 24.
[14] *Ps.* 32, 9. [15] *Col.* 2, 9. [16] Cf. *Io.* 1, 11
[17] Cf. *Io.* 1, 12. [18] Cf. *2 Esdr.* 13, 2.
[19] *Io.* 6, 68 sq. [20] Cf. *Act.* 2, 14 sq.

Discedite a me maledicti[1], ut qui a Domino recedere cum Capharnaitis elegerunt, ab eo [in] aeternum discedere cum reprobis cogantur.

Quare, patres, armamini zelo, quo vos video prope comestos, ut sacramentalem hanc manducationem continuo in ecclesiastico convivio ab ipso conviva Christo custoditam et plus quam mille integros annos sine controversia receptam, lautissime instruatis, ex nullo non loco vocantes frequentiam discumbentium, ut, quando immedicabiles istos ieiunos et inexcusabiles qui recesserunt homines, suo[a] iudicio iam damnatos, revocare non detur, quin retro abire pergant. illos saltem retineamus, qui nutare videntur, qui veneni huius eam hauserunt quantitatem, quae nec occidat nec digeratur nec mori cogat nec vivere sinat. Quos (quantum opinor) sermo ille Domini virtutis plenus respexit, qui habet: *Nunquid et vos vultis abire?*[2] Ab ipso Domino interim postulantes, ut, sicut sermo ille, quem quasi dubitans protulit, omnem a discipulis abstulit dubitationem, ita nostra haec conquisitio quasi percunctatio illa dubios retineat, fideles confirmet[b].

Sed quando ea est divitiarum sacramenti huius altitudo[3], ut lynceam fidem, quae possit penetrare interiora velaminis, magis quam discussionem desideret, nisi malit[c] scrutator maiestatis opprimi a gloria Domini[4], cuius vel fimbriam vestimenti cum muliere evangelica tetigisse sufficit ad salutem[5], nihil superest, quod dicam aut afferam (ne praesertim videar de hoc praeiudicium facere) praeter unam laudem. Quidni enim laudarim sacrificium illud, quod peculiari quadam ratione laudis dicitur estque? Et licet[d] *non sit speciosa laus in ore peccatoris*[6], quidni sacrificium laudis honorificet me? Hoc est mortis Christi sacramentum idemque resurrectionis testimonium; ad eam comprobandam Christus Iacobo sub panis | specie se[e] comedendum ipso resurrectionis die traditur porrexisse[7]. 189r Haec exigitur a nobis vicaria fides, qua primorum parentum perfidiam pia credulitate reparamus[f]. Sicut enim de cibo illo praecepit Dominus dicens: *In quacunque die ⟨comederis, morieris⟩*[g][8], ita de hoc mandans ait: *Si quis manducaverit, non morietur*[9]. Pro illo ergo cibo, quem illi inobedientes et increduli comederunt, hunc nos obedientes felicius comedimus[h] credentes, non[i] per illum, sicut falso serpens, sed per hunc, sicut vere serpentis creator dixit, divinae nos naturae effici consortes, quippe in Deo manentes in ipsumque transformatos et insitos neque iam ad nostram conspiciendam nuditatem nostros oculos aperiendos, sed ad inaccessam[k] videndam lucem illuminatos, tanquam favo mellis cum Ionatha gustato[10], obedientiae bonum eligere scientes et malum contemptus reprobare. Fit autem, ut quo quisque magis ratione assequi hoc tentarit et appraehendere[l], appraehendat minus. Hoc deprehensi sunt infideles multi, qui, dum hoc non credunt sacramentum, incredulitatem in se ipsis latentem explorarunt (ut multa nataret in eorum labiis fides). Hac[m], sicut prima fuit haeresis, totam fidem corrumpi et Lydio quasi lapide angulari indicari probatos quosque. *Animalis autem homo non percipit, quae Spiritus Dei sunt*[11], ideoque sapientes in oculis suis non potuerunt intelligere sacramentum, nisi prius credentes. Nihil enim perinde sensus prudentiae carnis exteriores simul et interiores infatuat atque incarnata haec Dei sapientia, quae timentibus eum[n] in escam se panis specie velatum voluit exhibere[12] quotidie comedendum; et videtur adhuc multis durus sermo, sed duris[13]. Fecit igitur sic, quia voluit, qui est omnipotens.

O vere stupendum miraculum, monumentum perenne mirabilium Domini, ineffabile et incomprehensibile sacramentorum sacramentum eorumque omnium finis; eo enim respicit sanctificatio sacramentorum omnium, ut praeparatio sit ad Eucharistiam consecrandam aut suscipiendam. Cuius figura quid aliud quam admirationis vox est Manhu[14], scilicet[e]

[a] *A, B add.* ipsorum
[b] *B add.* illis autem, qui paratum convivium negligere non contenti tenuerunt servos magni regis et contumeliis affectos occiderunt, fiet omnino, ut rex iratus missis exercitibus suis, quibus Caesarem praefecisse videtur, perdat homicidas ipsos animorum et corporum et civitates illorum succendat.
[c] *B* malis [d] *A* haec [e] *A, B om.* [f] *B et P* reparemus
[g] *C 123 et C 118* comederitis, moriemini [h] *A, B* comedamus [i] *P om.*
[k] *A* inaccensam [l] *A, B* comprendere [m] *Codd. et A* haec [n] *A (non P)* cum

[1] *Matth.* 25, 41. [2] *Io.* 6, 68.
[3] Cf. *Rom.* 11, 33. [4] Cf. *Prov.* 25, 27.
[5] Cf. *Matth.* 9, 20 sq. et parall.
[6] *Eccli.* 15, 9.
[7] *Hieronymus,* De viris illustribus c. 2, qui hanc notitiam ex evangelio secundum Hebraeos sumpsit. *Migne,* P. lat. XXIII 611 sqq.
[8] *Gen.* 2, 17.
[9] *Io.* 6, 50. [10] Cf. *1 Reg.* 14, 27.
[11] *1 Cor.* 2, 14.
[12] Cf. *Ps.* 110, 5.
[13] Cf. *Io.* 6, 61 et *Augustinum,* Enarratio in Psalmum 98 c. 9. *Migne,* P. lat. XXXVII 1265.
[14] Cf. *Ex.* 16, 15.

(quod latine pape dixeris), cuius vicinior umbra fuit et delineatio refectio illa hominum quinque mille ex panibus quinque multiplicatis[1]. Qualis igitur in veritate mentis excessus? Vere silet tibi laus, Deus, in hoc sacramento et manifeste quidem; magnum est pietatis sacramentum[2], quod modicae massulae operimento occultus Deus in Christo maneat. *Vere Deus absconditus!*[3] Quid est homo, o bone Iesu, ut prae te facias preciosiorem? Cur ita magnificas, ut te parvi facias eligasque sub vilibus speciebus latere, quo adsis Emanuel usque ad saeculi consumationem? Vere maxime probat hoc sacramentum, quod habeas in delitiis esse cum filiis hominum[4]. Certe homo, si alioquin angelis minoratus, vel inde prae illis exaltatus est[5]. Quia tu homo non enim angelos, sed semen Abraae apprehendisti, et licet grandis natio angelorum non habet Deum appropinquantem sibi, sicut Deus noster adest nobis[6]. O mira[a] dignatio ⟨charitatis maiestatisque⟩[b], o dulcedo spiritus atque suavitas, non habens, quo ascendas, assumpsisti, quo descenderes: ex Domino in socium, ex convescente in cibum. Tuam facis mortem nostrum precium, te denique nostrum regnum et praemium. Benedictus es, Domine, qui fecisti te omnia omnibus, qui es futurus omnia in omnibus. Benedictus es Deus, qui dedisti abunde nobis omnia ad fruendum in hoc superbenedicto fructu ventris Mariae[7]. Benedicta filia, per quam fructum vitae communicavimus[8]; da sub umbra illius, quem desideramus, sedere[9].

Ecce *terra nostra dedit fructum suum*[10] gutturi nostro dulcissimum, triseminum[c] fructum variae spiritus ubertatis et iustitiae frugum incrementi miri, incipientibus tricies, proficientibus sexagies, perfectis centies afferens, quam accepit, fructus terrae sublimis et panis
189v vitalis, et subinde vivus, qui vivos deceat et resurrectionis filios, sicut mortuo cibo mortales nutriuntur. Optimo isto cibo non implentur nisi esurientes, non esuriunt nisi repleti, non fastidiunt nisi inanes et vacui. Cibus grandium, qui mutat in se, non mutatus in aliud; qui edunt, adhuc esuriunt, et qui bibunt, plus sitiunt[11]. Non sic[d] illa infelix anima abominata hanc omnem escam propinquior facta portis[e] mortis?[12]

Hoc bonum quidem et[f] unum et idem triplex est: oblatio, quae Deum respicit, communio nos ipsos, viaticum vero proximum, praeteritum, praesens et futurum tempus quadam aeternitatis imitatione complectens, quo esurientes implentur. Oblatio, quae[g] in cruce initiata est et consumata; veritas enim veri sacrificii umbratile consumavit; facta vero iugiter durat Deo sacrificium vespertinum et matutinum in odorem suavitatis, quod nos incruentum offerimus repraesentantes exhibentesque. Quid[h] enim retribueremus Domino[13]? Non habebamus nec habemus adhuc alium[i], nisi ipse se tribueret, quo placaremus. Alterum est sacri novissimique convivii communicationis, a quo nullus, quantumvis pauper aut retributionis impotens excluditur, imo compellitur, si vestem habeat nuptialem[14]; *nec enim acceptor est personarum Dominus* omnium[15]. Ipsa est, quae interim proximiores hic in unum tenet communio. Tertium quasi triplex funiculus viatici bonum est, quo tanquam per veram regiamque viam homo perducitur ad terminum et *omnis consumationis finem*[16] Deum, cuius sempiternae fruitionis symbolum est. Qua sacramentali manducatione, qui se laedit, consecratur, aegrum nutriens corpus proprium, prodest tamen corpori ecclesiae universo et sacrificii oblatione et communione sacramenti. De huiusmodi Christus homine praedixit, nihil et profuturum etiam mundum totum lucranti, qui suae tamen animae pateretur detrimentum[17]. Haec regnum est, quod Dei Filius nobis disposuit, ut edamus et bibamus super mensam suam[18], non sua modo, sed se, ut iam vere dicere audeamus: Regnum Dei esca et potus[19], hic *calix inebrians*[20]. Sed praeclare huius poculi sobria ebrietate madebat aliquando pia illa Monicha, cum qua exclamare gestit animus: *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum*[21]. Haec[k] paratur nobis mensa opipera adversus omnes, qui tribulant nos[22]. Manducemus itaque[l], patres, adoremus, sed non sicut *pingues*

[a] *A* mera [b] *A, B* charitatisque; *P* charitasque [c] *A* tuscemenum; *V* tuscementum; *P om.*
[d] *A* sit [e] *A* terris [f] *P om.* [g] *A, B om.* [h] *P* quod [i] *P* aliud
[k] *P* hic [l] *C 123 et C 118* ipsaque

[1] Cf. *Io.* 6, 1—13.
[2] Cf. *Augustinus,* Tractatus 26 in Ioannem c. 13. *Migne,* P. lat. XXXV 1612.
[3] *Is.* 45, 15. [4] Cf. *Prov.* 8, 31.
[5] Cf. *Ps.* 8, 6; *Hebr.* 2, 9.
[6] Cf. *Deut.* 4, 7. [7] Cf. *Luc.* 1, 42.
[8] Antiphona 4 in laudibus festi Assumptionis B. M. V.
[9] Cf. *Cant.* 2, 3. [10] *Ps.* 84, 13.
[11] Cf. *Eccli.* 24, 29.
[12] Cf. *Ps.* 106, 18. [13] Cf. *Ps.* 115, 12.
[14] Cf. *Matth.* 22, 8—14.
[15] *Act.* 10, 34; cf. *Rom.* 2, 11. [16] *Ps.* 118, 96.
[17] Cf. *Matth.* 16, 26. [18] Cf. *Luc.* 22, 30.
[19] Cf. contrariam sententiam in *Rom.* 14, 17.
[20] *Ps.* 22, 5.
[21] *Ps.* 83, 3. In libro IX confessionum *Augustinus* de matre sua Monica narrat; sed eam illa verba exclamasse, illic non legitur.
[22] Cf. *Ps.* 22, 5.

terrae[1], quibus haec fit mensa aliis in retributionem honoris[a], in laqueum conscientiae, aliis quibusdam in scandalum proximorum[2].

Sed crevit plus satis oratio. Et quis enim satiari poterit dulcedine hac mirabili, qui consideret Dei consilium, sacramentum voluntatis suae et beneplaciti atque supereminentem magnitudinem operationis virtutis[3] eius in sacramenti huius ineffabilis peramabili institutione, charitatis immensitatem sanctitatemque inenarrabilis profusissimique[b] doni, quippe in quod venit[c] ipse Sanctus Sanctorum, panis noster quotidianus effectus[4]. Si se igitur, quomodo non et secum omnia nobis donavit? Omnia itaque, patres, nostra sunt, nos autem Christi, Christus vero Dei[5]. Tali ergo pane corde confirmato, cuius participatione unum corpus omnes[d] efficimur[6], eya Christi milites, arma spiritualia reparate, *induamur arma lucis*[7]. Nunc enim generali quodam totius ecclesiae exercitu contra mundi huius principem[8] Salvator congreditur. Beati, qui sub tali duce strenue militarint. Ductor cohortis huius primariae et invincibilis non iam unus Iulius Caesar, sed hic noster sacratissimus Iulius et Caesar alter, Carolus maximus, Romanorum iustior imperator, qui unanimes tanquam Moses et Aaron deducunt populum Dei[9]. Domestica regis magni familia militat; in proximo est, ut manus conserat, descendit archa Dei in castra[10]; collata sunt signa; quodsi unquam alias, hoc certe tempore acceptabili[11] nefas est ignaviter agere; confidamus in eo[e], qui vicit mundum[12]; non sibi soli vicit; habebimus victoriam, qui fidem habuerimus[13]; illa est, quae vicit[f] mundum. Ergo qui spe victores iam sumus constituti super gentes et regna, aedificate, plantate, evellite[14]; Deus autem, Pater gloriae per Filium suum, Dominum nostrum in Spiritu Sancto conteret velociter Sathanam sub pedibus nostris. Amen.

[a] *P add.* aliis [b] *A* perfusissimique [c] *A, B add.* dator [d] *A, B* scilicet
[e] *A, B* eum [f] *A, B* vincit

[1] *Ps.* 21, 30.
[2] Cf. *Ps.* 68, 23.
[3] Cf. *Eph.* 1, 19.
[4] Cf. *Matth.* 6, 11.
[5] Cf. *C1or* .3, 23.
[6] Cf. *1 Cor.* 10, 17.
[7] *Rom.* 13, 12.
[8] Cf. *Io.* 12, 31.
[9] Cf. *Ps.* 76, 21.
[10] Cf. *1 Reg.* 4, 5.
[11] Cf. *2 Cor.* 6, 2.
[12] Cf. *Io.* 16, 33.
[13] Cf. *1 Io.* 5, 4.
[14] Cf. *Ier.* 1, 10.

ACTA SACRI CONCILII TRIDENTINI

post tertiam sessionem sub Iulio III pont. opt. max.

[1]In Dei nomine. Amen. Celebrata superiori tertia sessione sacrosancti oecumenici et generalis concilii Tridentini ⟨sub sanctissimo ac beatissimo patre et domino nostro, Domino Iulio tertio pontifice optimo maximo, gloriosissimo principe,⟩[a] cum iuxta eius decretum in alia futura sessione proxima de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis agendum sit, R^{mus} et Ill^{mus} D. legatus die Iovis 15. dicti mensis Octobris articulos ex libris modernorum haereticorum super his duobus sacramentis accurate et diligenter excerptos theologis minoribus de more disputandos et examinandos proposuit his verbis, videlicet: Conc. 118 210^{r}

Articuli de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis per DD. theologos examinandi, an videlicet haeretici sint et a sancta synodo damnandi.

De sacramento poenitentiae.

1. Poenitentiam non esse proprie sacramentum ad reconciliationem pro relapsis post baptismum a Christo institutum nec recte a patribus secundam tabulam post naufragium appellari, sed baptismum vere esse ipsum sacramentum poenitentiae.

Iste articulus asseritur a Calvino in sua institutione, cap. ⟨19⟩[b] [2]; idem Melanchthon [3].

2. Non esse tres poenitentiae partes, contritionem, confessionem et satisfactionem, sed duas tantum, terrores scil. incussos conscientiis agnito peccato et fidem conceptam ex evangelio vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum esse remissa peccata.

Asseritur iste articulus a Melanchthone disputatione de partibus poenitentiae [4]. Idem-

[a] *Th om.* [b] *Th* 29

[1] Acta eorum, quae inter tertiam et quartam sessionem in concilio gesta sunt, prostant in tomo *Conc. 118* f. 209^{r}—295^{v} (quem sequimur); *Conc. 119* f. 244^{r}—353^{r}. Actorum prima forma a Massarello in ipsis congregationibus conscripta invenitur in tomo *Conc. 22* f. 192^{r}—226^{v} (= M). Ed. *Theiner* I 531—600 (= Th).

[2] *Ioannis Calvini* «Institutionis religionis christianae» secunda (a. 1539) vel sequentibus editionibus (a. 1543, 1545 vel 1550) usos fuisse eos, qui hos articulos collegerunt, ex eo apparet, quod pro articulis confirmandis adducuntur capita 9 et 19, in quibus Calvinus solummodo in praedictis editionibus de poenitentia agit, non autem in prima Institutionis editione breviori (a. 1536), quae aliam capitum numerationem praebet. Ad primum articulum cf. Institutionis cap. 19 n. 14: «Nos alio loco quae de poenitentia didiceramus ex scripturis, tum deinde quid et illi [scholastici] doceant, prolixe enarravimus. Nunc id tantum nobis attingendum erit, quam levi aut potius nulla ratione sacramentum fecerint.» In eodem cap. n. 17: «Mendacium ergo et impostura fuit, quod de sacramento poenitentiae commenti sunt. Ementitum hoc sacramentum ornarunt quo decebat elogio, secundam esse tabulam post naufragium, quia si quis vestem innocentiae in baptismo perceptam peccando corruperit, per poenitentiam reparare potest. Sed dictum est Hieronymi. Cuiuscunque sit, quid plane impium sit, excusari nequit. Quasi vero per peccatum deleatur baptismus, et non potius in memoriam revocandus sit peccatori, quoties de peccati remissione cogitat, uillinc sese colligat animumque recipiat et fidem confirmet, peccatorum remissionem se impetraturum, quae sibi in baptismo promissa sit. Aptissime itaque dixeris, si baptismum vocaveris poenitentiae sacramentum, quum in consolationem iis datus sit, qui poenitentiam meditantur.» *Corp. Ref.* XXIX 1075 1078.

[3] *Melanchthon* in locorum communium prima recensione, cap. de poenitentia dicit: «Poenitentiam non esse signum, nihil obscurum est. Est enim poenitentia vetustatis nostrae mortificatio et renovatio spiritus. Sacramentum eius vel signum non aliud nisi baptismus est.» *Corp. Ref.* XXI 215.

[4] *Melanchthon,* Disputatio de partibus poenitentiae n. 3—6: «(3.) Nec recte tribuuntur verae poenitentiae hae tres partes: Contritio, confessio et satisfactio. (4.) Vera et salutaris poenitentia est contritio et fides. (5.) Contritio est terror et pavor conscientiae, quae fit, cum hominibus ex praedicatione legis ostenduntur peccata. (6.) Fides est fiducia misericordiae Dei in evangelio propter Christum nobis promissae, haec concipitur ex praedicatione evangelii.» *Corp. Ref.* XII 506.

210v in confessione Augustana, art. 12[1]. Item in apologia[2] et locis communibus[3]. Et Calvinus cap. 9 n. 4[4]. Idem Brentius[5] et Lutherus[6].

3. Contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, non praeparare ad gratiam Dei nec remittere peccata, sed potius facere hominem hypocritam et magis peccatorem, eamque contritionem dolorem esse coactum et non liberum.

Hic articulus est Melanchthonis in disputatione de summa doctrina poenitentiae[7]. Item Lutherus sermone de poenitentia[8].

4. Confessionem sacramentalem secretam iuris divini non esse nec apud antiquos patres ante concilium Lateranense eius factam fuisse mentionem, sed publicae tantum poenitentiae.

[1] *Confessio Augustana* art. 12 de poenitentia: «Constat autem poenitentia proprie his duabus partibus: altera est contritio seu terrores incussi conscientiae agnito peccato, altera est fides, quae concipitur ex evangelio seu absolutione et credit propter Christum remitti peccata et consolatur conscientiam et ex terroribus liberat. Deinde sequi debent bona opera, quae sunt fructus poenitentiae.» *Bekenntnisschriften* 64.

[2] *Apologia confessionis Augustanae* art. 12 de poenitentia: «Nos igitur, ut explicaremus pias conscientias ex his labyrinthis sophistarum, constituimus duas partes poenitentiae, videlicet contritionem et fidem.» «Dicimus contritionem esse veros terrores conscientiae, quae Deum sentit irasci peccato et dolet se peccasse.» «Nos igitur addimus alteram partem poenitentiae de fide in Christum, quod in his terroribus debeat conscientiis proponi evangelium de Christo, in quo promittitur gratis remissio peccatorum per Christum. Debent igitur credere, quod propter Christum gratis remittantur ipsis peccata. Haec fides erigit, sustentat et vivificat contritos. ... Haec fides consequitur remissionem peccatorum.» *Bekenntnisschriften* 257 sq.

[3] *Ph. Melanchthon*, Locorum communium secunda recensio, cap. de peccato in Spiritum Sanctum: «Scholastici numeraverunt tres partes poenitentiae, contritionem, confessionem et satisfactionem. Quid de singulis partibus sentiendum sit, ordine dicemus. Nos docendi causa partes duas poenitentiae facimus, contritionem et fidem. Si quis volet addere tertiam, quae tamen effectus est, videlicet totam novitatem vitae ac morum, non repugno.» «Vocamus contritionem veros terrores ac dolores conscientiae, quae sentit Deum irasci peccato et dolet se peccasse.» «Est igitur altera pars fides, quae est non tantum historiae vel legis notitia, sed fiducia, qua credit unusquisque, sibi remitti peccata propter Christum gratis.» *Corp. Ref.* XXI 489 sq.

[4] *I. Calvinus*, Institutionis rel. christ. secunda recensio c. 9 n. 15: «Poenitentiam tam argute definitam in contritionem cordis, confessionem oris, satisfactionem operis partiuntur [scholastici].» *Corp. Ref.* XXIX 695 sq. Sed duas istas partes poenitentiae ita designat (c. 9 n. 4): «Quamobrem non male, meo quidem iudicio, sic poenitentia definiri poterit: esse veram ad Deum vitae nostrae conversionem, a sincero serioque Dei timore profectam, quae carnis nostrae veterisque hominis mortificatione et spiritus vivificatione constet.» *Ibid.* 688.

[5] *I. Brentius*, De poenitentia et iis, quae ad poenitentiam agendam necessaria sunt homiliae 25 (Halae Suevorum 1545), Homilia secunda: De poenitentia et eius partibus (fol. 13v sq.): «Caeterum duplex est de ratione poenitentiae opinio: altera est sophistica aut monastica, qua tres poenitentiae partes constitutae sunt, prima: contritio; secunda: confessio; tertia: satisfactio, de quibus ita docuerunt, quod merita horum operum expient peccata et propitium reddant Deum ac mereantur vitam aeternam, videlicet quod, si quis doleat in corde suo propter peccata et postea confiteatur ea sacerdoti ac demum observet satisfactionem sibi iniunctam . . ., is propter merita horum operum consequatur remissionem peccatorum et vitam aeternam. Haec est opinio valde impia et ad infernum potius quam ad coelum animas demittens, hisce opinionibus non praeparatur homo ad regnum coelorum, sed potius ad infernum.» (Fol. 15r): «Altera est vera fides christiana, qua etiam tres constituuntur partes poenitentiae. Prima est agnitio peccatorum. Secunda est fides in Iesum Christum, quod propter ipsum habeamus remissionem peccatorum. Tertia non proprie pars, sed fructus poenitentiae est obedientia mandatorum Dei. Haec est vera doctrina de poenitentia.» In eodem libro inveniuntur: De poenitentia aliae homiliae aliis temporibus dictae, quae sunt epitome homiliarum, quae praecedunt; in quibus simili modo de poenitentia ait ex. gr. homilia 3 (fol. 167v): «Quid ergo illud est, quod necessario requiritur ad agendam et absolvendam veram poenitentiam? . . . Postquam enim habemus contritionem seu poenitentiam delictorum, tunc credendum est, quod Deus remittat nobis peccata seu delicta ex mera sua clementia tantum propter Iesum Christum Filium suum.» Similiter in aliis locis.

[6] *M. Lutherus*, Assertio omnium articulorum ... (a. 1521) art. 5: «Tres esse partes poenitentiae, contritionem, confessionem, satisfactionem, non est fundatum in sacra scriptura nec in antiquis sanctis doctoribus.» *Ed. Weimar.* VII 112. Similiter in multis aliis operibus loquitur.

[7] *Ph. Melanchthon*, Disputatio summam doctrinae de poenitentia continens n. 7: «Et stulte et impie docuerunt scholastici peccata remitti propter contritionem, cum contritio sine fide nihil sit nisi mors et desperatio»; n. 8: «Multo ineptius est, quod finxerunt dilectionem Dei in contritione mereri remissionem peccatorum, cum corda perterrefacta non possint diligere Deum, nisi prius fide remissionem peccatorum apprehenderint.» *Corp. Ref.* XII 507.

[8] *M. Lutherus*, Sermo de poenitentia (a. 1518): «Contritio duplici via paratur. Primo per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, qua quis (ut dicunt) recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum gravitatem, damnum, foeditatem, multitudinem, deinde amissionem aeternae beatitudinis ac aeternae damnationis acquisitionem et alia, quae possunt tristiciam et dolorem excitare. Haec autem contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem, quia solum timore praecepti et dolore damni id facit. Et tales omnes indigne absolvuntur et communicantur, et si libere deberent (remoto praecepto et minis poenarum) confiteri, certe dicerent, sibi non displicere eam vitam praeteritam, quam sic coguntur displicere confiteri, immo quo magis timore poenae et dolore damni sic conteruntur, eo magis peccant et afficiuntur suis peccatis, quae coguntur, non autem volunt odisse.» *Ed. Weimar.* I 319.

Articulus iste asseritur a Melanchthone in apologia confessionis Augustanae, cap. de confessione[1]. Item a Calvino cap. 9 n. 19, 20, 21, 23, 27, 29[2]. Item a Luthero, ut citatur a censura Parisiensi[3].

5. Enumerationem peccatorum in confessione non esse necessariam ad illorum remissionem, sed liberam et tantum hac aetate utilem ad erudiendum poenitentem et consolandum, et olim fuisse ad satisfactionem canonicam imponendam, nec necessarium esse confiteri omnia peccata mortalia, ut puta occulta et[a] quae sunt contra ultima duo decalogi praecepta, sed neque ullas circumstantias peccatorum, quas homines ociosi excogitarunt, velleque omnia confiteri esse nihil relinquere divinae misericordiae ignoscendum, imo neque licere confiteri venialia. |

Hic articulus est Lutheri in visitatione Saxonica, cap. de confessione[4]. Item eiusdem 211r
in disputatione habita anno 1518 et citatur a censura Parisiensi[5]. Item libro de ratione confitendi[6]. Item de captivitate Babilonica[7]. Item Melanchthon in locis communi-

[a] *Th. om.*

[1] De confessione sacramentali secreta nihil in hoc capite legitur. Sed negatur necessitas enumerationis omnium peccatorum, praescripta in cap. *Omnis utriusque* (de qua infra in sequenti articulo): «Nos igitur sentimus enumerationem peccatorum non esse necessariam iure divino.... Nec volumus imponere necessitatem conscientiis nostrorum per constitutionem illam *Omnis utriusque*, de qua perinde iudicamus, ut de aliis traditionibus humanis, de quibus sentimus, quod non sint cultus ad iustificationem necessarii. Et haec constitutio rem impossibilem praecipit, ut omnia peccata confiteamur.» *Bekenntnisschriften* 251.

[2] *Calvinus,* Institutionis rel. christ. secunda recensio c. 9 n. 22: «Miror autem, qua fronte ausint contendere confessionem, de qua loquuntur, iuris esse divini; cuius equidem vetustissimum esse usum fatemur, sed quem facile evincere possumus, olim fuisse liberum. Certe nullam de ea statam fuisse legem aut constitutionem ante Innocentii III tempora, eorum quoque annales narrant, et luculenta testimonia exstant tum in historiis tum apud antiquos alios scriptores.» *Corp. Ref.* XXIX 699. Etiam in aliis locis supra in textu allegatis de hac re loquitur. Cf. etiam infra p. 236 adn. 2.

[3] *Censura facultatis theologicae Parisiensis a. 1521 emanata,* Propositiones excerptae ex variis Lutheri libris, tit. III de confessione, prop. 2: «Confessio illa, quae nunc agitur occulte in aurem, nullo potest divino iure probari, nec ita fiebat primitus.» *Ch. du Plessis,* Collectio iudiciorum de novis erroribus I 2 (Parisiis 1724) 369. *Ed. Weimar.* VIII 278. Sumpta est haec propositio ex Lutheri opusculo: *Contra malignum Iohannis Ecci iudicium.... M. Lutheri defensio* (a. 1519) art. 7. *Ed. Weimar.* II 645.

[4] *Unterricht der Visitatorn an die Pfarhern ym Kurfurstenthum zu Sachssen* (a. 1528): «Die bepstische Beicht ist nicht gepoten, nemlich alle sunden zuerzelen, das auch unmüglich ist.» *Ed. Weimar.* XXVI 220.

[5] *Pro veritate inquirenda et timoratis conscientiis consolandis haec sub R. P. Martino Luthero Augustiniano disputabuntur per vices circulares pro nostro more 1518,* thesis 46: «Sicut venialia peccata non pertinent ad confessionem et absolutionem clavium, ita nec omnia mortalia.» 47: «Si homo teneretur omnia mortalia confiteri et ab eis absolvi, teneretur ad simpliciter impossibile.» 48: «Nullus hominum novit, quoties peccet mortaliter, etiam in bonis operibus propter vanam gloriam.» 49: «Ea tantum debet confiteri, quae vel sibi vel aliis certa sunt esse mortalia, id est crimina.» 50: «De reliquis desperando seipsum cum fiducia in abyssum misericordiae Dei fideliter promittentis proiicere.» *Ed. Weimar.* I 633. In *Censura facultatis theol. Parisiensis a. 1521 emanata* haec leguntur propositiones ad argumentum nostrum spectantes, quae forsan ex supradicta disputatione, certe autem ex aliis quoque scriptis excerptae sunt: Propositiones excerptae ex variis Lutheri libris, tit. III de confessione, prop. 4: «Si oportet confiteri occulta cordis, tantum ea, quae pleni sunt consensus in opus, homines debent confiteri». Prop. 5: «Peccata contra duo ultima praecepta decalogi commissa sunt prorsus a confessione secludenda.» Prop. 6: «Nullo modo praesumat homo confiteri peccata venialia.» *Du Plessis* I 2, 370. *Corp. Ref.* I 377. *Ed. Weimar.* VIII 278 sq.

[6] *M. Lutherus,* Confitendi ratio (a. 1520) cap. 6: «An peccata cordis occulta, ac sic soli Deo et homini qui fecit ea cognita, pertineant ad confessionem sacramentalem, extra meum captum est. Libentissime negarem.» Cf. etiam quae cap. 7 de hac re dicit. Cap. 8: «... sciendum, quod oporteat hominem desperare sese omnia sua mortalia peccata confiteri unquam posse, et doctrinam illam, quae vulgatur in ecclesia ex decretis, quod semel in anno omnium suorum peccatorum (sicut sonant verba) debeat facere confessionem omnis Christianus, aut esse diabolicam et homicidissimam aut egentem multo et laxo interpretamento. Oportet, inquam, non omnia confiteri nec mortalia nec venialia.» Et cap. 9: «Quare ipsa praecepta Dei breviter sunt inspicienda, in quibus sine dubio omnia peccata continentur, si recte intelligantur. Nec tamen haec omnia, sed ultima duo prorsus a confessione sunt excludenda.» *Ed. Weimar.* VI 161—164.

[7] *M. Lutherus,* De captivitate Babylonica, cap. de poenit.: «Hoc solum detestor, esse eam confessionem in tyrannidem et exactionem pontificum redactam. Nam et occulta sibi reservant, deinde nominatis a se confessoribus revelari mandant ad vexandas scilicet hominum conscientias.... Proinde ego non dubito, eum esse a peccatis suis occultis absolutum, quisquis sive sponte confessus sive correptus veniam petierit et emendaverit coram quovis privatim fratre, quicquid contra haec insanierit pontificum violentia, quando Christus et manifesta dedit absolvere cuilibet suo fideli. Adde et ratiunculam: Si occultorum valeret reservatio ulla, ut nisi eis remissis non esset salus, maxime illa impedirent salutem, quae supra memoravi, ipsa etiam bona opera et idolatriae, quas a pontificibus docemur hodie, quod si haec non impediunt gravissima, quanto minus et illa stultissime reservantur leviora.» «At ego, quicquid est circumstantiarum, consuluerim penitus contemnere. Apud Christianos una est circumstantia, quae est, peccasse fratrem.» *Ed. Weimar.* VI 546 sqq.

bus[1]. Item Calvinus in institutione sua[2]. Item Bucerus in reformatione pro Coloniensibus[3].

6. Confessionem omnium peccatorum, quam ecclesia faciendam praecipit, esse impossibilem traditionemque humanam a piis abolendam, neque confitendum esse tempore Quadragesimae.

Assertio haec est Lutheri in lib. de captivitate Babilonica[4]. Item in suo testamento[5]. Item in assertionibus[6]. Item Calvini cap. 9 n. ⟨28⟩[a 7]. Item Melanchthonis in locis communibus[8].

7. Absolutionem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo credat se esse absolutum, etiam si non sit contritus aut sacerdos non serio, sed ioco absolvat. Imo etiam sine confessione peccatoris sacerdotem eum absolvere posse.

Hic articulus asseritur a Luthero in suis assertionibus[9]. Item a Melanchthone in apologia[10] et cathecismo [!][11]. Item a Luthero in responsione ad eius condemnationem factam a Leone papa X[12]. Item a Calvino cap. 9 n. 25[13].

8. Sacerdotes non habere potestatem ligandi et solvendi, nisi Spiritus Sancti gratia et charitate sint praediti, et non eos solos esse ministros absolutionis, sed omnibus et

[a] *Th* 29

[1] *Ph. Melanchthon,* Locorum communium secunda recensio, cap. de confessione: «Dicamus autem prius de confessione. Non est necessaria, nec iure divino mandata enumeratio peccatorum. Nullum enim extat hac de re mandatum in scripturis. Praeterea talis enumeratio impossibilis est iuxta illud [*Ps.* 18, 13]: *Delicta quis intelligit?* Idem testantur et prudentiores canonistae, hanc enumerationem non esse iuris divini. Postremo graeca ecclesia iam olim abolevit hunc morem propter stupratam a diacono mulierculam, ut recitat historia tripartita. Non potuisset autem hic mos aboleri, si esset iuris divini. Cum autem constet, quanta carnificina conscientiarum fuerit illa acerba exactio enumerationis, prodest moneri pias mentes, ut sciant canonem illum, qui praecipit de enumeratione, tantum traditionem humanam esse.» *Corp. Ref.* XXI 493 sq.

[2] *I. Calvinus,* Institutio rel. christ. c. 9 n. 27: «Hinc sequitur, huiusmodi [i. e. privatam] confessionem liberam esse oportere, ut non ab omnibus exigatur, sed iis tantum commendetur, qui ea se opus habere intelligent. Deinde ne hi ipsi, qui illa utuntur pro sua necessitate, ad enumeranda omnia peccata vel praecepto aliquo cogantur vel arte inducantur; sed quoad interesse sua putabunt, ut solidum consolationis fructum referant.» *Corp. Ref.* XXIX 703 sq.

[3] *L. Seckendorf,* Commentarius de Lutheranismo lib. III (Francofurti et Lipsiae 1692) 446 de doctrina circa poenitentiae sacramentum a M. Bucero in libello Reformationis Coloniensis (a. 1543) explicata scribit: «Privatam confessionem retineri iubet, non quidem ut maxime necessariam, sed ut perutilem, nec ut omnia peccata enumerentur, sed ea potissimum, quibus conscientia angitur et ad quae vitanda consilio pastoris opus est, utque hic occasionem instruendi auditores habeat.»

[4] Cf. supra p. 235 adn. 7.

[5] *M. Lutherus,* Bekentnuß der Artickel des Glaubens etc. (a. 1528); in primis duabus huius libelli editionibus ait: «Auß diser ursache halt ich vil von der heimlichen Beicht ... so ferr, daß man niemand dieselbigen mit gesetzen und geboten auffdringe, sunder lasse sie frey sein, eim yglichen für seine not, wenn und wo er wil, derselbigen zugebrauchen, gleich wie es frey ist, rat und trost, bericht oder lere zuholen, wenn und wo die not odder wille fodert, unnd daß man nicht alle sünde zu zelen oder zuberichten zwinge ...» *Ed. Weimar.* XXVI 507.

[6] *M. Lutherus,* Assertio omnium articulorum (a. 1520) art. 8 et 9. *Ed. Weimar.* VII 117 sq.

[7] *I. Calvinus,* Institutio rel. christ. c. 9 n. 31: «Quod autem legem imponunt de omnium peccatorum enumeratione, quod peccatum dimitti negant, nisi sub conditione, si votum confitendi firmiter conceptum fuerit, quod nullum superesse ingressum paradisi garriunt, si facultas confitendi neglecta fuerit, istud vero nullo modo ferendum est. Omniane peccata enumeranda sunt? At David, qui secum probe, ut arbitror, meditatus erat peccatorum confessionem, tamen exclamabat [*Ps.* 18, 13]: Errores *quis intelliget? Ab occultis meis munda me,* Domine.» Et n. 33: «Dicam in summa, qualis lex illa [i. e. enumerationis omnium peccatorum] fuerit. Primum simpliciter est impossibilis.» De eadem re agit etiam n. 32, 34. *Corp. Ref.* XXIX 707 sqq. Cf. etiam p. 235 adn. 2.

[8] Cf. adn. 1.

[9] *M. Lutherus,* Assertio omnium articulorum ... art. 10—12. *Ed. Weimar.* VII 119 sq.

[10] In apologia confessionis Augustanae *Ph. Melanchthon* de potestate clavium sic ait: «Porro potestas clavium administrat et exhibet evangelium per absolutionem, quae est vera vox evangelii.» *Bekenntnisschriften* 259. «Nam et nos confessionem retinemus praecipue propter absolutionem, quae est verbum Dei, quod de singulis auctoritate divina pronuntiat potestas clavium.» *Ibid.* 272. De fide ad remissionem peccatorum necessaria haec apologiae verba adducantur: «Sed quia adversarii nominatim hoc damnant, quod dicimus homines fide consequi remissionem peccatorum, addemus paucas quasdam probationes, ex quibus intelligi poterit remissionem peccatorum contingere non ex opere operato propter contritionem, sed fide illa speciali, qua unusquisque credit sibi remitti peccata.» *Ibid.* 263.

[11] *Ph. Melanchthon,* Catechesis puerilis, cap. de absolutione: «Privata absolutio est illustre testimonium, ostendens in evangelio institutum esse ministerium annuntiandi remissionem peccatorum multis aut singulis, iuxta illud: *Quorum remiseritis peccata* etc....» «Semper autem meminerimus addendam esse fidem, quae vere credat voci evangelii, quae nobis applicatur et annuntiat remissionem peccatorum propter Christum, et cum obstrepunt cogitationes illae, humanam remissionem irritam aut incertam esse, cum solius Dei sit remittere peccata, revocanda est mens ab his cogitationibus ad evangelium.» *Corp. Ref.* XXIII 188.

[12] *M. Lutherus,* Wider die Bulle des Endchrists (a. 1520) art. 10—12. *Ed. Weimar.* VI 627 sqq. Quos articulos Lutherus iterum propugnavit in libro Grund und Ursach aller Artikel D. Martin Luthers, so durch römische Bulle unrechtlich verdammt sind (a. 1521). *Ed. Weimar.* VII 371—379.

[13] *I. Calvinus,* Institutiones rel. christ. c. 9 n. 36: «Habemus potestatem clavium esse simpliciter evan-

singulis Christianis esse dictum: Quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in | coelo etc. Quorum verborum virtute absolvere possunt peccata, publica quidem per correctionem, si correctus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem[a]. 211v

Auctor huius articuli est Lutherus in responsione ad condemnationem factam a Leone X[1]. Item de captivitate Babilonica[2].

9. Absolutionis ministrum, etiam si contra prohibitionem superioris absolvat, vere nihilominus absolvere a culpa et coram Deo. Ideo casuum reservationem non impedire absolutionem. Nec episcopos habere ius eos sibi reservandi nisi quoad externam politiam.

Articulus iste est Lutheri in disputatione habita anno 1518[3], et Melanchthonis in apologia confessionis Augustanae, cap. de confessione et satisfactione[4].

10. Totam poenam et culpam simul remitti semper a Deo satisfactionemque poenitentium non esse aliam quam fidem, qua appraehendunt Christum pro eis satisfecisse, ideoque satisfactiones canonicas quondam exempli causa[b] vel disciplinae vel probandi fideles causa fuisse a patribus institutas et in concilio Niceno exortas, nunquam autem ad remissionem poenae.

Hic articulus est Lutheri, ut citatur a censura Parisiensi[5]. Item idem in visitatione Saxonica, cap. de satisfactione[6]. Item Melanchthon in apologia confessionis Augustanae[7]. Item Calvinus cap. 9 n. 50[8].

[a] *M* voluntatem [b] *Th* gratia

gelii praedicationem nec tam potestatem esse quam ministerium, si ad homines respicimus. Non enim hominibus hanc potestatem proprie Christus dedit, sed verbo suo, cuius homines ministros fecit.» *Corp. Ref.* XXIX 711. Similiter n. 29: «At vero quum de clavibus agitur, semper cavendum est, ne facultatem aliquam somniemus ab evangelii praedicatione separatam.» *Ibid.* 705.

[1] *M. Lutherus,* Grund und Ursach ... (cf. p. 236 adn. 12) art. 13, qui secundam nostri articuli partem respicit. *Ed. Weimar.* VII 380—385. Ad primam nostri articuli partem ibid. ait: «Szo ist droben gesagt, wie die ketzer, Donatisten, die alle sacrament an die heylikeit der priester pinden wolten und nit an den glawben der puszer, von Augustin uberwunden, dennoch leydlicher und pesser geweszenn sein denn der Bapst und seine Bischoff, die do wollen die sacrament an die hohe und gewalt pindenn. Denn szo eyn heyliger priester nit mehr thut ynn den sacramenten wenn eyn sundiger, wye mag eyn groszer, hoher priester mehr thun, denn ein nidriger und geringer, szo heilickeyt viel mehr denn gewalt gilt?» Item in assertionibus art. 13. *Ibid.* VII 120 sq.

[2] *M. Lutherus,* De captivitate Babylonica, cap. de sacramento poenitentiae. *Ed. Weimar.* VI 547.

[3] *Pro veritate inquirenda* ... (etc. ut supra p. 235 adn. 5) thesis 35: «Potest sacerdos abuti clave et peccare absolvendo quem non debuit utpote restrictus, (thesis 36) sed non ideo absolutio est nulla, nisi fides simul absoluti esset nulla.» 37: «Sicut in baptismo et synaxi etiam restricta clavis et prohibita vere baptisat et communicat, ita in poenitentia quantumlibet prohibita vere absolvit, modo absit dolus absoluti.» 39: «Sacerdos etiam levis ac ludens seu scienter contra restrictionem agens, vere tamen baptisat et absolvit.» *Ed. Weimar.* I 632.

[4] *Apologia confessionis Augustanae,* cap. de confessione et satisfactione: «Mandatum Dei est, ut ministri evangelii absolvant hos, qui convertuntur iuxta illud: Potestas nobis data est ad aedificationem. Quare reservatio casuum politica res est. Est enim reservatio poenae canonicae, non est reservatio culpae coram Deo in his, qui vere convertuntur. Proinde recte iudicant adversarii, cum fatentur, quod in articulo mortis illa reservatio casuum non debeat impedire absolutionem.» *Bekenntnisschriften* 291.

[5] *Censura facultatis theol. Parisiensis a. 1521 emanata,* Propositiones excerptae ex variis Lutheri libris, tit. V de satisfactione, prop. 1: «Peccata Deus semper et gratis remittit atque condonat, nihil a nobis invicem requirens, quam ut in posterum bene vivamus.» Prop. 2: «Sententia est Apostoli poenam et culpam simul finiri.» Prop. 3: «De industria damnat Propheta sententiam probantium satisfactionem, dicens: *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem; holocaustis non delectaberis.*» Prop. 4: «Irridet Michaeas propheta eos, qui per opera satisfacere volunt.» Prop. 5: «Virtute clavium iactant quidam solvi poenas per divinam iustitiam requisitas, quod non credo verum, nec probabitur.» *Du Plessis* I 2, 370. *Corp. Ref.* I 378 sq. *Ed. Weimar.* VIII 280.

[6] *Unterricht der Visitatorn an die Pfarhern ym Kurfurstenthum zu Sachssen* (a. 1528), cap. Von der rechten Christlichen Genugthuung fur die sunde: «Genugthuung fur unser sunde sind keine unsere werck, Denn allein Christus hat für unsere sunde genug gethan. Und dieses stücke der Buße gehört zu vergebung der sunde und zum glauben, das wir wissen und glewben, das unsere sunde umb Christus willen vergeben werden.» *Ed. Weimar.* XXVI 220.

[7] *Ph. Melanchthon,* Apologia confessionis Augustanae, cap. de confessione et satisfactione: «Nolebant sancti patres recipere lapsos aut famosos, nisi prius cognita et spectata poenitentia eorum, quantum fieri poterat. Et huius rei multae videntur fuisse causae. Nam ad exemplum pertinebat castigare lapsos, sicut et glossa in decretis admonet, et indecorum erat homines famosos statim admittere ad communionem. Hi mores diu iam antiquati sunt. Nec necesse est eos restituere, quia non sunt necessarii ad remissionem peccatorum coram Deo. Neque hoc senserunt patres mereri homines remissionem peccatorum per tales mores aut talia opera.... Retinenda est enim sententia de fide, quod fide consequamur remissionem peccatorum propter Christum, non propter nostra opera praecedentia aut sequentia ... Sed tamen fatentur adversarii, quod satisfactiones non prosint ad remissionem culpae. Verum fingunt satisfactiones prodesse ad redimendas poenas seu purgatorii seu alias.... Haec tota res est commentitia, recens conficta sine auctoritate scripturae et veterum scriptorum ecclesiasticorum.... Scholastici viderunt in ecclesia esse satisfactiones. Nec animadverterunt illa spectacula instituta esse tum exempli causa, tum ad probandos hos, qui petebant recipi ab ecclesia. In summa, non viderunt esse disciplinam et rem prorsus politicam.» *Bekenntnisschriften* 275 sqq.

[8] De iis, quae in articulis 10—12 continentur, *Calvinus* in fine cap. 9 suae institutionis longe disserit, ita ut impossibile sit omnia, quae huc per-

11. Optimam poenitentiam esse novam vitam poenisque temporalibus a Deo inflictis minime satisfieri, sed neque voluntarie susceptis, ut ieiuniis, orationibus, elemosynis et 212r aliis | bonis operibus non praeceptis a Deo, quae super[er]ogationes vocantur.

Haec assertio est Lutheri in sermone de poenitentia[1] et Melanchthonis in confessione Augustana, cap. de confessione et satisfactione[2]. Item eiusdem in locis communibus, cap.[a] de satisfactione[3] ac etiam Calvini cap. ⟨9⟩[b] n. 44, 48, 49[4].

12. Satisfactiones non esse cultus Dei, sed traditiones hominum doctrinam de gratia et vero Dei cultu atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes, et fictiones esse, quod virtute clavium aeterna supplicia in poenas temporales commutentur, cum illarum non sit munus poenas imponere, sed absolvere.

Articulus iste asseritur a Melanchthone in apologia confessionis Augustanae[5]. Et

[a] *C 118, C 119, Th* et [b] *Th* 10

tineant, ad verbum afferre. Sufficiant pauca, quae sequuntur. In cap. 9 n. 44 dicit: «Tertium locum satisfactioni in poenitentia assignant, de qua quidquid blaterant uno verbo subverti potest. Dicunt, non sufficere poenitenti a praeteritis malis abstinere, et mores in melius commutare, nisi de iis, quae facta sunt, satisfaciat Domino. Esse autem multa praesidia, quibus peccata redimamus, lacrymas, ieiunia, oblationes, caritatis officia. Iis Dominum propitiandum, iis debita iustitiae Dei persolvenda, iis compensanda delicta, iis veniam emerendam; quamvis enim Dominus largitate misericordiae culpam remiserit, poenam tamen retinere disciplina iustitiae.... Talibus mendaciis oppono gratuitam peccatorum remissionem, qua nihil in scriptura clarius praedicatur.» *Corp. Ref.* XXIX 718. Et cap. 9 n. 49: «Quid, quaeso, nobis praestitisset Christus, si adhuc pro peccatis poena exigeretur? Nam quum dicimus eum pertulisse omnia peccata nostra in corpore suo super lignum, non aliud significamus, quam defunctum poena et vindicta, quae peccatis nostris debebatur.... En clare vides, Christum peccatorum poenas sustinuisse, ut suos ab illis eximeret.» *Corp. Ref.* XXIX 722. Et cap. 9 n. 59: «Vocarunt autem ut plurimum satisfactionem non compensationem, quae Deo redderetur, sed publicam testificationem, qua qui excommunicatione mulctati fuerant, quum in communionem recipi vellent, ecclesiam reddebant de sua poenitentia certiorem.... Ex antiquo eo ritu sumpserunt originem confessiones et satisfactiones, quae hodie in usu sunt.» *Corp. Ref.* XXIX 730.

[1] *M. Lutherus,* Sermo de poenitentia (a. 1518): «Verissimum est enim proverbium et omni doctrina de contritionibus hucusque data praestantius, quo dicitur teutonice: «Nymmer thun die hochste pusz, Optima poenitentia nova vita.» *Ed. Weimar.* I 321. Et paulo inferius: «Tertia [pars] est satisfactio, de qua quidem nihil legitur in scripturis. Dicunt tamen eam duobus modis fieri: Uno modo per impletionem operum, quae sunt elemosynae, ieiunia, orationes, alio modo per indulgentias. Sed de his habetis vulgarem sermonem nuper impressum, ideo ad praesens omitto: lege ibidem.» *Ed. Weimar.* I 324. Cf. ad hoc Eynn Sermon von dem Ablasz unnd gnade (a. 1517), ad quem Lutherus hic alludit et qui prius saepe una cum citato sermone de poenitentia typis excusus est. Ex quo huc pertinet: «Es ist eyn großer yrthum, das yemand meyne, er wolle gnugthun vor seyne sund, so doch got die selben altzeit umbsunst ausz unschetzlicher gnad vortzeyhet, nichts darfur begerend, dann hynfurder woll leben. Die Christenheyt ſurdert woll etwas, alszo mag sie und sall auch dasselb nachlassen und nichts schweres adder untreglich aufflegen.» *Ed. Weimar.* I 245.

[2] *Ph. Melanchthon,* Apologia confessionis Augustanae, cap. de confessione et satisfactione: «Quamquam externa opera facere possumus non mandata lege Dei, tamen illa est vana et impia fiducia, quod legi Dei sit satisfactum. Et verae orationes, verae elemosynae, vera ieiunia habent praecepta Dei; et ubi habent praeceptum Dei, non possunt sine peccato omitti. Verum illa opera, quatenus non sunt praecepta lege Dei, sed habent certam formam ex humano praescripto, sunt opera traditionum humanarum, de quibus Christus dicit: Frustra colunt me mandatis hominum.... Haec vocat Christus inutiles cultus, quae non prosunt ad placandam offensam Dei, ut adversarii loquuntur. Et tamen haec opera magnificis titulis ornantur, vocantur opera supererogatoria, tribuitur eis honos, quod sint pretium pro morte aeterna.» *Bekenntnisschriften* 282 sq.

[3] *Ph. Melanchthon,* Loci communes, cap. de satisfactione: «Si quis quaerat: An non est postulanda diligentia cohercendi carnem et ieiunia et alia exercitia? Respondeo: Haec exercitia maxime et requirenda sunt, idque hoc fine, non ut sint pretia pro praeteritis delictis, sed ut carnem coherceant, ut in posterum minus peccet. Atque haec diligentia cohercendi carnem est opus debitum et mandatum a Deo, non opus indebitum.... Quomodo autem se quilibet exercere debeat, relinquitur cuiusque conscientiae. Non enim potest similis forma praescribi omnibus aut quocunque tempore, nec sunt laquei conscientiis iniiciendi. Praeterea haec exercitia debent esse perpetua, non tantum certi alicuius temporis; ideoque de eis praecipit ecclesia perpetuo in concionibus.» *Corp. Ref.* XXI 498 sq. In quantum Melanchthon admittit necessitatem poenitentiae, videas ex sequenti: «Ac prodest in ecclesia docere utrumque, quod poenae et propositae sint pro delictis et mitigentur nostra poenitentia; loquimur enim de tota poenitentia, non de illis ridiculis satisfactionibus, quas fingunt valere, etiam cum fiunt in peccato mortali.» *Corp. Ref.* XXI 497.

[4] Cf. supra p. 237 adn. 8.

[5] *Ph. Melanchthon,* Apologia confessionis Augustanae, cap. de confessione et satisfactione: «Quamquam igitur sentimus, quod poenitentia debeat bonos fructus parere propter gloriam et mandatum Dei, et boni fructus habent mandata Dei, vera ieiunia, verae orationes, verae elemosynae etc., tamen hoc nusquam reperimus in scripturis sanctis, quod poenae aeternae non remittantur, nisi propter poenam purgatorii aut satisfactiones canonicas, hoc est, propter certa quaedam opera non debita, aut quod potestas clavium habeat mandatum commutandi poenas aut remittendi.» *Bekenntnisschriften* 281 sq. Et paulo inferius prosequitur: «Deinde obscuratur poenitentia et gratia ...» etc. *Ibid.* 283.

eiusdem in locis communibus, cap. de satisfactione[1]. Item in disputatione de partibus poenitentiae[2]. Item a Calvino cap. 9 n. ⟨13⟩[a] et 39, 42[3].

De sacramento extremae unctionis.

1. Extremam unctionem non esse sacramentum novae legis a Christo institutum, sed ritum tantum acceptum a patribus aut figmentum humanum.

Hic articulus est Lutheri in lib. de captivitate Babilonica[4] et Melanchthonis in apologia confessionis Augustanae, cap. de numero et usu sacramentorum[5]. Item asseritur a Calvino[6] et Bucero[7].

2. Extremam unctionem non conferre gratiam neque remissionem peccatorum, sed neque alleviare infirmos, qui olim per gratiam curationum sanabantur, atque ideo eam cum primitiva ecclesia cessasse, sicut et gratiam curationum. |

Articulus iste est Melanchthonis in locis communibus[8] et in apologia confessionis 212v
Augustanae, cap. de numero et usu sacramentorum[9], et etiam Calvini[10].

[a] *M* 53

[1] *Ph. Melanchthon,* Loci communes, cap. de satisfactione: «Ex his omnibus satis liquet, non esse onerandas conscientias satisfactionibus illis usitatis. Primum enim claves habent mandatum remittendi peccata et docent de gratuita remissione peccatorum, non habent mandatum imponendi poenam. Secundo falsum est, mortem aeternam aboleri nostra compensatione. Tertio, opinio de satisfactionibus legem et evangelium obscurat, et falso amplificat traditiones humanas. Et tamen sentiendum est tota nostra poenitentia ac debitis operibus mitigari poenas temporales. Ergo augendum est studium bene operandi etiam hac adhortatione, quia calamitates mitigentur nostra poenitentia.» *Corp. Ref.* XXI 498.

[2] *Ph. Melanchthon,* Disputatio de partibus poenitentiae et de discrimine satisfactionum et poenarum: «3. Et satisfactio olim fuit quaedam ecclesiastica disciplina, exempli causa ab episcopis instituta atque inde nomen in ecclesia reliquum est. Caeterum illa doctrina de satisfactionibus, quam nunc docent Scholastici, tota commenticia et falsa est. 9. Satisfactiones repudiamus, quia multis modis obscurant evangelium. 10. Recte fatentur adversarii, quod satisfactiones non mereantur remissionem culpae. 11. Falsa est imaginatio remitti poenas aeternas propterea, quia commutentur in poenas temporales. 12. Falsum et hoc est potestatem clavium habere mandatum, ut partem temporalium poenarum remittat, partem irroget. 13. Falsum et hoc est opera indebita persolvere illas poenas et quidem in peccato mortali. 14. Hae imaginationes Scholasticorum nec scriptura nec scriptorum ecclesiasticorum auctoritate nituntur, sed sunt merae κενοφωνίαι et obscurant tum beneficium Christi tum legem Dei. 22. Etiamsi peccata merentur poenas, tamen potestas clavium non habet mandatum aut remittendi aut irrogandi temporales poenas. Et illud certe falsissimum est, non remitti aeternas poenas, nisi propterea quia commutentur in temporales. 24. Infligere sibiipsi poenam opere aliquo, ut vocant, indebito, est ex eo genere cultuum, de quo Christus ait: Frustra colunt me mandatis hominum. Et quod Paulus vocat ἐθελοθρησκείαν.» *Corp. Ref.* XII 510 sq.

[3] Cf. supra p. 237 adn. 8.

[4] *M. Lutherus,* De captivitate Babylonica, cap. de sacramento extremae unctionis: «Quare hanc unctionem eandem ego esse arbitror, quae Marc. 6 de apostolis scribitur: *Et ungebant oleo multos aegrotos et sanabant,* ritum scilicet quendam primitivae ecclesiae, quo miracula faciebant super infirmis, qui iam dudum defecit.... Non ergo sacramentum est extrema ista, id est ficta, unctio, sed consilium Iacobi, quo possit qui velit uti, sumptum et relictum ex evangelio Marc. 6.» *Ed. Weimar.* VI 569 sq.

[5] *Ph. Melanchthon,* Apologia confessionis Augustanae, cap. 13 de numero et usu sacramentorum: «Confirmatio et extrema unctio sunt ritus accepti a patribus, quos ne ecclesia quidem tamquam necessarios ad salutem requirit, quia non habent mandatum Dei. Propterea non est inutile hos ritus discernere a superioribus, qui habent expressum mandatum Dei et claram promissionem gratiae.» *Bekenntnisschriften* 293.

[6] *I. Calvinus,* Institutiones rel. christ., cap. 19 de ultima unctione: «Certo certius perspicimus, eorum unctionem sacramentum non esse, quae nec ceremonia est a Deo instituta nec ullam promissionem habet.» *Corp. Ref.* XXIX 1080.

[7] *M. Bucerus,* Bestendige Verantwortung ausz der Heiligen Schrifft usw. (Bonn 1545) fol. 65v: «Von der Oelung. Die Oelung der krancken ist ein zeichen göttlicher gnaden gewesen den Apostolen, welche die krancken mit Oel salbeten unnd also von ihren kranckheiten entledigten. Marci 6.... Wie dan nun unsere Elteren diese gabe noch verheissung mit solicher salbung die krancken zu heilen nicht haben, so haben sie auch keinen befelch disz zeichen zu gebrauchen....» Fol. 66v: «Die Oelung der krancken hat auch nit weiter Befelch dann auff die, denen der herr die gabe, die leibliche gesundheit damit zu verleihen, gegeben hat.... In besuchen und trösten der krancken würdt das unnötig zeichen des Oligs, weil man sein werck nit hat, die leibliche gesundtheit zu geben, und es inn vilfeltigen aberglaubischen miszbrauch gezogen ist, nachgelassen.»

[8] In Locorum communium secunda recensione *Ph. Melanchthon* iisdem fere verbis ac in Apologia confessionis Augustanae (cf. supra adn. 5) de unctione loquitur. Fusius explicat opinionem suam in tertia Locorum recensione (a. 1543 sqq.), cap. de unctione: «Unctio olim curatio medica fuit. Nam Deus ut auctoritatem aliquam patribus et prophetis circumdaret, inde usque ab initio ornavit eos dono sanandi, ut Abraham, Isaac, Iacob, Iesaias et similes viri professione medici fuerunt. Estque per hos viros una cum doctrina verae religionis propagata doctrina physica de plantis et multis naturae partibus. Hunc veterem morem renovavit Christus, cum misit apostolos, iussit eos mederi aegrotis et instruxit dono sanandi. Hoc donum mansit in ecclesia etiam postea, et certum est adhuc multos precibus ecclesiae sanari. Haec moneri utile est, ut discamus Dei donum esse corporis incolumitatem, quam tribuit, ut aliis inserviamus. Hanc vult peti et quadam diligentia foveri. Sed ritus unctionis, qui nunc est, tantum est superstitiosa ceremonia; et accessit mortuorum invocatio, quae est impia. Ideo unctio illa cum suis appendicibus reiicienda est.» *Corp. Ref.* XXI 853.

[9] Cf. supra adn. 5. Expressius Melanchthon in Apologia de extrema unctione non disserit.

[10] *I. Calvinus,* Institutionis rel. christ. cap. 19 de ultima unctione: «Tertium fictitium sacramentum

3. Extremae unctionis ritum et usum non observari ab ecclesia Romana iuxta B. Jacobi apostoli sententiam ideoque eum mutandum esse posseque a Christianis absque peccato contemni.

Haec assertio est Lutheri in suo testamento[1] et Calvini cap. 19 disserentis de extrema unctione[2] et Melanchthonis in locis communibus[3].

4. Extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem, presbyterosque ecclesiae, quos B. Jacobus adducendos ad infirmum ungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate.

Asseritur hoc a Melanchthone in locis communibus[3] et apologia [confessionis] Augustanae[4] et Calvini cap. 19[2].

Ex quibus locis sententiae per theologos dicendae deduci debeant.

Sententiae per theologos dicendae deducantur ex sacra scriptura, traditionibus apostolicis[a], sacris et approbatis conciliis, summorum pontificum et sanctorum patrum constitutionibus et auctoritatibus ac consensu ecclesiae catholicae.[a] Sint breves nec vagentur per inutiles quaestiones fugiantque protervas contentiones.

Ordo servandus in sententiis dicendis.

Ordo autem in sententiis dicendis talis erit: Primo loco dicent missi a S^mo D. N.; 2° missi ab imperatore; 3° Lovanienses missi a Ser^ma Maria regina vidua Hungariae; 4° qui sunt apud DD. sacri imperii electores; 5° clerici saeculares, qui sunt apud DD. praelatos iuxta eorum promotiones; postremo regulares iuxta eorum ordinem. |

213r Intimatio diei examinationis ipsorum articulorum.

Examinatio vero dictorum articulorum intimatur ipsis theologis eadem die 15. Octobris his verbis videlicet: Incipient primi die Martis proxima hora 20; deinde singulis diebus prosequentur bis in die, scil. de mane ab hora 14 usque ad 17, et post prandium a 20 usque ad 23.

[a] *Th* apostolorum

est extrema unctio.... Eius duas esse virtutes fingunt: peccatorum remissionem et corporalis morbi levamen, si ita expediat, sin minus, animae salutem.» *Corp. Ref.* XXIX 1078. «Ridiculos ergo se faciunt, dum gratia curationum praeditos sese iactant. Adest sane suis Dominus omnibus saeculis et eorum languoribus, quoties opus est, medetur, non minus quam olim; sed manifestas illas virtutes non ita exserit, sed miracula per apostolorum manus non dispensat.» *Ibid.* 1079. «Iacobus omnes infirmos vult inungi, isti non infirmos, sed semimortua cadavera sua pinguedine inficiunt.... Iacobus vult infirmum ungi a senioribus ecclesiae, isti unctorem non admittunt, nisi sacrificulum. Quod apud Iacobum presbyteros interpretantur sacerdotes et pluralem numerum ad decorem positum nugentur, nimis frivolum est; quasi vero ecclesiae eo tempore sacrificorum examinibus abundarint, ut in longa pompa procedere potuerint ad ferendum sacri olei ferculum. Iacobus, dum simpliciter ungi infirmos iubet, non aliam unctionem mihi significat, quam vulgaris olei; nec aliud habetur in Marci narratione. Isti oleum non dignantur, nisi ab episcopo consecratum, hoc est, multo halitu calefactum, multo murmure incantatum, et novies flexo genu salutatum.» *Ibid.* 1080. «Isti per sacram suam, id est abominabilem unctionem, peccata remitti impie mentiuntur.... Ac ne diutius sit nobis in probatione laborandum, hac difficultate nos eorum quoque annales liberant. Referunt enim Innocentium papam, qui Augustini aetate Romanae ecclesiae praefuit, instituisse, ut non presbyteri modo, sed omnes etiam Christiani oleo uterentur, in suam suorumque necessitatem ungendo.» *Ibid.* 1080.

[1] *M. Lutherus,* Bekentnuß der Artickel des Glaubens etc. (a. 1528): «Die ölunge, so man sie nach dem evangelio hielte Marc. 6 und Iac. 5 liesse ich gehen. Aber das ein sacrament draus zu machen sey, ist nichts, denn gleich wie man an stat der Vigilien und seel messen wol möcht eine predigt thun vom tod und ewigem leben und also bey dem begrebnis beten und unser ende bedencken (wie es scheinet, das die alten gethan haben), also were es auch wohl feyn, das man zum krancken gienge, bettet und vermanet, und so man daneben mit öle wolt yhn bestreichen, solt frey sein ym namen Gottes.» *Ed. Weimar.* XXVI 508.

[2] Cf. supra p. 239 adn. 10.

[3] Cf. supra p. 239 adn. 8. [4] Cf. supra p. 239 adn. 9.

Congregatio theologorum. Incipit examinatio articulorum de poenitentia et extrema unctione.

Die Martis **20.** eiusdem mensis **Octobris** hora 20 incepta est examinatio suprascriptorum articulorum de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis per D[nos] theologos, quorum hodie dixit suam sententiam R. sac. theologiae magister

Iacobus Laynes[1], clericus saecularis congregationis Iesu, ⟨natione Hispanus, unus ex missis a S[mo] D. N.,⟩[a] qui primo se super contritione, confessione et absolutione dicturum praemisit, cum super satisfactione et extrema unctione dicturus esset eius socius Alphonsus Salmeron. ⟨Cuius D. Iacobi sententiam ego Angelus Massarellus {de S. Severino Camerinensis, sacri concilii secretarius,}[a] hic adnotabo, prout (iuxta meum institutum), dum ipse hodie[b] loquebatur, percipere potui; non quidem per singula verba, sed in summa quadam, quando[c] sat sit ex hisce meis notationibus posse[d] sanctam synodum[e] intelligere, quid quisque theologus super propositis articulis senserit. Ad hoc enim ego his congregationibus assisto idque praecipuum ex officio mihi onus incumbit.⟩[f] Quo igitur ad primum articulum: *poenitentiam non esse sacramentum a Christo institutum* etc., multis modis haereticum esse probavit. Primo ex diffinitione sacramenti, quod sit sacra ceremonia habens pactum gratiae Dei[2]. Poenitentia autem est huiusmodi; ergo est sacramentum. Quod vero sit, ostendit ex verbis Christi Matth. 18 [18] et Ioa. 20 [23]: *Quaecunque ligaveritis* etc.[g], quod | non 213v sine aliqua ceremonia fuit. Idem etiam habetur ex traditione, ut[h] in concilio Florentino[3] et Constantiensi sess. 15[4] et in hoc ipso Tridentino sess. 7[5], et ex cap. [9] *Ad*[i] *abolendam* [X] de haeret. [V 7] et cap. [1] *Firmiter* [X] de Summa Trinitate et fide catholica [I 1] ac etiam ex Augustino in Psalm. 146[k 6]. Vocatur etiam a patribus aliquando impositio manuum, prout etiam a Paulo 1 Tim. 5 [22]. Quod idem est ac sacramentum. Ostendit idem rationibus. Prima: Hic error iam damnatus est ab ecclesia et fuit Novatianorum, ut Tertullianus[7], Cyprianus[8], Ambrosius[9] idem etiam testantur. Non igitur est hoc novum dogma. Fuerunt etiam Messalliani, de quibus Damascenus in haeresi 80[10]. Est etiam error Iacobitarum et omnes iam damnati[11]. Ergo ecclesia catholica aliud tenet, scil. poenitentiam esse sacramentum. Item alia ratione: Sicut multum refert librum esse canonicum vel non, et id declarare ad ecclesiam pertinet, idem etiam in ceremoniis[l], quae habeant vel non habeant pactum gratiae[f] Dei. Sed ecclesia iudicavit poenitentiam esse huiusmodi et sacramentum esse; ideo poenitentia sacramentum est[12]. Quo vero ad secundam partem primi articuli: *nec recte secundam tabulam* etc., probavit eam vocem esse antiquam[m], et ita appellari a

[a] *Th et Grisar om.* [b] *C 119 om.* [c] *Grisar* quantum [d] *Grisar* possit
[e] *Grisar* s. synodus [f] *M om.* [g] *M add.* Accipite Spiritum Sanctum etc.
[h] *Grisar* et [i] *C 119, Th, Grisar om.* [k] *M add.* sacramentum eam appellant
[l] *Grisar add.* obtinet [m] *M* ex patribus

[1] Cuius votum edidit ex Theinero *H. Grisar,* Iacobi Lainez Disputationes Tridentinae II (Oeniponte 1886) 197—204.
[2] Cf. sessio VII can. 6 de sacramentis in genere. Conc. Trid. V 995 l. 19 sqq.
[3] In decreto pro Armenis. *Mansi* XXXI 1057 sq.
[4] *Mansi* XXVII 749.
[5] Cf. supra adn. 2 et can. 1 de sacramentis in genere, in quo poenitentia inter sacramenta enumeratur. Conc. Trid. V 995.
[6] *Augustinus,* Enarratio in Psalmum 146 n. 8. *Migne,* P. lat. XXXVII 1903 sq. — Advertendum est, historiam sacramenti poenitentiae usque ad novissima tempora satis obscuram fuisse. Ex libris Petri Galtier, Bernardi Poschmann, Aemilii Göller et aliorum nostri temporis studiosorum, qui de historia sacramenti poenitentiae egerunt, facile elucet, falsum, imo impossibile esse, consuetudines circa hoc sacramentum hodie et etiam saeculo XVI vigentes in omnibus suis partibus antiquorum patrum testimoniis defendere, ut non solum patres concilii, sed etiam recentioris aevi theologi interdum fecerunt. Haud raro de poenitentia agunt antiqui patres, cogitantes tantummodo de poenitentia in genere, non autem de sacramento poenitentiae. Alius fuit usus huius sacramenti, quem antiqui patres prae oculis habuerunt, alius usus saeculi XVI. Quae omnia fugerunt multos concilii patres; quare in eorum votis non pauci circa historiam errores inveniuntur, quos singillatim emendare impossibile est. Propterea reiicimus benevolum lectorem ad opera historicorum supradictorum.
[7] *Tertullianus,* De pudicitia c. 21 (*Migne,* P. lat. II 1023—1026) testis est doctrinae Montanistarum, qui potestatem ecclesiae peccata capitalia post baptismum commissa remittendi negabant. Cum quibus postea Novatiani, idem sentientes, convenerunt.
[8] Cyprianus multis in locis scripturarum et epistularum suarum de hac Novatianorum haeresi loquitur.
[9] *Ambrosius,* De poenitentia lib. I c. 7 n. 33. *Migne,* P. lat. XVI 476.
[10] *Migne,* P. gr. XCIV 727.
[11] *Mansi* XXXI 1735.
[12] Cf. supra adn. 5.

Tertulliano lib. de poenitentia[1], Ambrosio ad virginem lapsam[2], Hieronymo ad Demetriadem[3]. Gasparque Sagerus[a] verba illa interpraetatur: Ut navis[b] sit ⟨in statu⟩[c] innocentiae, prima tabula baptismus, secunda vero poenitentia ⟨in lapsis⟩[d] [4]. Et Petrus id confirmat de archa Noe[5]. Et haec est differentia inter primam et secundam tabulam, ut est ire in navi vel in tabula fracta navi. Poenitentia enim habet strictiora ⟨et duriora⟩[e] pacta quam baptismus sive quoad ministros sive quoad praeparationem sive ceremoniam sive effectum, ut asserunt Tertullianus lib. de poenitentia[6], Chrysostomus hom. 9 ad Hebr.[f] [7], Augustinus lib. de utilitate poenit.[8], Socrates in hist. tripartita[9]. Quo autem ad tertiam partem ipsius primi articuli, baptismum esse sacramentum poenitentiae, eam etiam falsam esse ostendit. Nam sicuti in veteri lege circumcisio distinguebatur ab aliis expiationibus,
214r ita et in nova lege baptismus a poenitentia. Praeterea apud | Ioannem Baptistam fit etiam discrimen inter poenitentiam et baptismum[10]. Nam lotio totius corporis distat a lotione pedum; quod est baptismus et poenitentia. Ac etiam poenitentia, quae fit ante baptismum, differt ab ipso baptismo; praecedit enim ipsum baptismum. Quod et Petrus docet, ⟨cum inquit: *Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum*⟩[g] [11]. Discipuli quoque baptizabant ante mortem Christi[12]; sed Christus instituit sacramentum poenitentiae post mortem, ut habetur Ioa. 20 [23]; ergo inter se differunt. Quod etiam patres senserunt. Leo epist. 89[13]; Ambrosius lib. 1 de poenit. cap. 7[14]. Articulum 4 etiam haereticum comprobavit, et confessionem de iure divino esse ostendit. Quod enim a Deo immediate institutum est, id iuris divini dicitur; sed confessio est a Christo instituta, ergo etc. Et hoc quoad confessionem sacramentalem ⟨in genere, ut[h] quidam dicunt⟩[e], sed quod sit publica vel secreta esse[i] iuris positivi. ⟨Quod falsum esse ostendit⟩[k], omnemque confessionem sive publicam sive secretam, dummodo sacramentalis sit, esse iuris divini. Idque corroboravit primo ex figuris veteris testamenti. Dominus enim ab Adam confessionem quesivit[15], et habetur multis in locis in Levitico[16] et lib. Numeri[17]. Et in evangelio legitur, quod ibant ad Ioannem Baptistam *confitentes peccata sua*[18]. Et ut doctores interpraetantur verba illa Christi

[a] *M* Sagellus [b] *M* prima navis [c] *Grisar* status
[d] *M* et secunda dicitur respectu baptismi [e] *M om.* [f] *M add.* Ambrosius
[g] *M* ut poenitentiam facerent, deinde baptizarentur [h] *Grisar om.* [i] *Th, Grisar* est
[k] *M* ut etiam essentialia, ut denudare pectus suum, sed quod hoc vel illo modo fiat, est ab ecclesia institutum, ut quidam aiunt; ipse autem tenet

[1] *Tertullianus,* De poenitentia c. 4: «Ergo poenitentia vita est, cum praeponitur morti. Eam, tu peccator, mei similis . . . ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicuius tabulae fidem. Haec te peccatorem fluctibus mersum prolevabit.» *Migne,* P. lat. I 1233.

[2] *Pseudo-Ambrosius,* De lapsu virginis consecratae c. 8 n. 38: «Sed tu, quae iam ingressa es agonem poenitentiae, insiste, misera, fortiter inhaere tanquam in naufragiis tabulae, sperans per ipsam te de profundo criminum liberari.» *Migne,* P. lat. XVI 379.

[3] *Hieronymus,* Epistola 130 ad Demetriadem c. 9: «Verum nos ignoremus poenitentiam, ne facile peccemus. Illa quasi secunda post naufragium miseris tabula sit, in virgine integra servetur navis.» *Migne,* P. lat. XXII 1115.

[4] Non legendum esse Carolum Sagerium, ut innuit *H. Grisar,* Iacobi Lainez disputationes Tridentinae II (Oeniponte 1886) 199 adn. 1, sed potius *Gasparem Schatzgerum (Schatzgeier)* omni dubio maius est. Inter cuius Opera omnia (Ingolstadii 1543) invenitur (fol. 302r sqq.) Liber de poenitentia evangelica, in quo legis (fol. 309r): «[Christus] veniens ad nos salvandos navem innocentiae fractam reparavit et restauravit. . . . Ordinavit et duas tabulas, per quas homini ad navem praefatam ad naufragium evadendum sive submersionem pateret regressus. Harum prima est baptismus, qui ad innocentiae adducit navem, cum qua tamen innocentia et ab originali et actuali culpa immunitate stat et remanet in carne peccatum. . . . Secunda est poenitentia, qua post gratiam baptismalem amissam iterum ad innocentiae navem peccator adducitur, non tamen in tanto gradu, in quanto baptismus. Est igitur baptismus post primum naufragium prima tabula, poenitentia vero secunda, per quam, cum ad innocentiae navem advehitur, reviviscunt omnes divinae promissiones ecclesiae sanctae et sanctis patribus factae, quae omnes navem per Christum reparatam respiciunt. Bene ergo senserunt doctores, qui poenitentiam secundam tabulam dixerunt.»

[5] Cf. *1 Petr.* 3, 20 sqq.

[6] *Tertullianus,* De poenitentia c. 9. *Migne,* P. lat. I 1243 sq.

[7] *Chrysostomus,* In epist. ad Hebraeos hom. 9 n. 4. *Migne,* P. gr. LXIII 80 sq.

[8] *Augustinus,* Sermo 352 de utilitate poenitentiae c. 3 n. 8. *Migne,* P. lat. XXXIX 1558.

[9] *Socrates,* Historia ecclesiastica lib. V c. 19. *Migne,* P. gr. LXVII 615/16. In *Cassiodori* Historia tripartita est lib. IX c. 35. *Migne,* P. lat. LXIX 1151.

[10] Cf. *Matth.* 3, 6—8.

[11] *Act.* 2, 38.

[12] Cf. *Io.* 4, 2.

[13] *Leo I,* Epistula 108 ad Theodorum Foroiuliensem episcopum c. 2. *Migne,* P. lat. LIV 1011 sq. Quae epistula in c. 10 *His qui in tempore* C. XXVI q. 6 sub numero 89 citatur.

[14] *Ambrosius,* De poenitentia lib. I c. 8 n. 36 sq. *Migne,* P. lat. XVI 477.

[15] *Gen.* 3, 12.

[16] Ex. gr. *Lev.* 16, 21; 26, 40.

[17] Ex. gr. *Num.* 5, 7.

[18] *Matth.* 3, 6; *Marc.* 1, 5.

de Lazaro: Solvite illum[1]. ⟨Et si in lege veteri habebatur, multo magis in nova, quia (ut Paulus testatur) illa erant figura[a] novae[2] et longe imperfectiora quam nostra. Et sicut Deus instituit illam, sic et istam.⟩[b] Sed longe clarius habetur apud Ioa. 20 [23]: *Quorum remiseritis* etc., et Matth. 18 [18]. Solutio enim et ligatio fieri non potest, ⟨nisi prius, quae peccata sint, cognoscantur⟩[c]. Item Iac. 5 [16]: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Quod de solis sacerdotibus intelligi debet. Et Ioa. in sua prima canonica cap. 1[c] [9]: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et iustus* etc. ⟨Ait enim: *Iustus,* quia habet pactum gratiae.⟩[d] Et 1 Tim. 5 [20]: *Peccantes coram omnibus argue.* Et: *Nemini manum cito imposueris*[3]. Patres autem | per manus impositionem sacramentum poenitentiae intelligunt. 214v Et qui cito absolvit, peccatis alienis communicat, ut ibidem Paulus dicit. Improbavitque opinionem eorum, qui locum Ioa. 20 [23] intelligunt de praedicatione et fide, cum verba illa nullo modo praedicationi quadrent, essetque idem solvere et ligare. Paulus autem etiam absens Corinthios absolvebat et ligabat. Ait enim 1 Cor. 5 [3 5]: *Ego quidem absens corpore, praesens*[e] *spiritu iam*[f] *iudicavi, tradere huiusmodi hominem sathanae.* Et alibi: Si quid condonavi[g] vobis[4] etc. Praeterea etiam surdis et mutis peccata remittuntur, qui tamen per praedicationem non audiunt. Insuper excommunicati et cathecumeni admittuntur ad praedicationem, non autem ad poenitentiam. Neque locus ille Ioannis de absolutione absque confessione intelligi potest, ut quidam volunt. Absolutio enim et remissio non potest fieri, nisi peccata, quae sint, audiantur et, quae remittenda vel retinenda sint, diiudicentur. Alias enim omnes deberent simpliciter eodem modo absolvi, ⟨sive multis sive paucis peccatis onusti⟩[h]. Neque etiam de generali confessione intelligenda sunt verba illa Ioannis, quia alias ecclesia errasset, ⟨quod impium est, cum sit *columna veritatis*⟩[i][5]. Improbavit etiam intelligi de confessione aliquorum peccatorum tantum. Sicut enim Deus vel omnia peccata retinet vel dimittit, sic et sacerdos facere debet neque scire posset, quae remittere deberet, nisi omnia confiterentur. Neque tantum publica confitenda sunt, sed omnia, cum Christus generaliter loquatur, et eius verba restringi non debent. Et quemadmodum Christus non minus secreta quam publica remittit, ita et sacerdos debet facere; id autem absque confessione facere non potest. Nam peccata quoque secreta poenam merentur; ergo[k] contra Deum; igitur confitenda ⟨et remittenda⟩[l]. Ad idem etiam adduxit traditionem multorum patrum. Atque etiam multis rationibus comprobavit. Prima est illa iam allegata, quia Novatianum dogma et[m] iam damnatum. Alia quia ecclesia non potuisset hoc sacramentum instituere[n]. Non enim in eius potestate est dare gratiam. Est igitur hoc pactum Dei. Neque alias de gratia Dei certi | essemus. Secunda pars 4. articuli: *neque apud* 215r *antiquos patres* etc. est etiam haeretica[o], ⟨quia patres antiqui de ea meminerunt⟩[p], et qui non scripserunt, ideo fecerunt, quia de ea non erat controversia. Meminerunt autem eius Chrisostomus hom. 10 operis perfecti[q] super Matth.[6], qui de publica et secreta confessione mentionem facit. Leo epist. 78 ad episcopos Campaniae[7]; Tertullianus lib. de baptismo[8]; Gregorius, qui ⟨de ea⟩[r] decreta edidit[9], et alii quam plurimi. Articulus 5 etiam haereticus est, quia enumeratio peccatorum est necessaria ex verbis Domini: ⟨*Quaecunque ligaveritis*⟩[s] etc.

[a] *C 119, Th, Grisar* figurae
[b] *M* Nam quae sunt in veteri testamento, sunt figura novi, ut ait Paulus, et illa erant imperfectiora, sed in lege naturae erant et in lege etiam Moysi, multo magis in lege nostra, et si Deus illam instituit, ergo et istam. Et patres et doctores ita intelligunt.
[c] *M* sine confessione
[d] *M* quod de sacerdotali confessione intelligitur, quia quadrant illa verba: «Fidelis est et iustus», quia habet pactum
[e] *Grisar add.* autem [f] *Grisar om.* [g] *Grisar* donavi [h] *M* quod est contra illa verba
[i] *M* et esset rea multarum animarum, et sine causa aliquos infamaret; quorum nullum verum est, sed omnia falsa et blasphema, quia est columna veritatis et errare non potest
[k] *Grisar add.* sic [l] *M* ut remitti possint [m] *Grisar* est [n] *M add.* neque confessionem
[o] *M* falsa [p] *M om.* [q] *Grisar* imperfecti [r] *M* super confessione secreta
[s] *M* Quorum retinueritis

[1] *Io.* 11, 44. Cf. ex. gr. *Augustini* expositionem super hunc locum in tractatu 49 in Ioannis evangelium n. 24. *Migne,* P. lat. XXXV 1756 sq. Similiter sermo 352 de utilitate agendae poenitentiae c. 3 n. 8. *Ibid.* XXXIX 1558 sq.
[2] Cf. *1 Cor.* 10, 6 11. [3] *1 Tim.* 5, 22.
[4] Cf. *2 Cor.* 2, 10. [5] *1 Tim.* 3, 15.
[6] *Chrysostomus,* Comm. in Matth. hom. 10 n. 2 5 6. *Migne,* P. gr. LVII 185 sq. 189 sq. Sed cf. infra p. 250 adn. 1.
[7] *Leo I,* Epistula 168 ad episcopos Campaniae c. 2. *Migne,* P. lat. LIV 1210 sq. In decreto Gratiani (c. 61 *Sufficit* de poenit. dist. 1) citatur sub numero 78.
[8] *Tertullianus,* Liber de baptismo c. 20. *Migne,* P. lat. I 1222.
[9] Lainium hoc loco cogitare de c. 2 *Sacerdos* de poenit. dist. 6, qui sub Gregorii papae I nomine legitur, sed incerti est auctoris, probabile mihi videtur.

Non potest autem aliquod retineri, nisi audiatur per confessionem. Ut igitur dignoscantur, quae remitti et quae retineri debent, oportet, ut per confessionem aperiantur. Et alia omnia in 5. articulo contenta haeretica sunt. ⟨Circumstantiae enim loci, temporis, personarum attendendae sunt.⟩[a] Item venialia confiteri licet, ut usus ecclesiae recipit. 6. articulus etiam haereticus est, quia ecclesia ea peccata praecipit confiteri, quorum quis memoriam habet. Alias autem Christus impossibilia praecepisset, non ecclesia, quia confessio est praeceptum Dei, non ecclesiae, quae neque confessionem ipsam tollere posset. 7. articulus haereticus est, cum absolutio sit vere actus iudicialis. Paulus enim 1 ad Cor. [5, 3] ait: Absens iudicavi. Et si quid donavi, in persona Christi donavi[b][1]. Et: *Quid* ad nos *de iis, qui foris sunt, iudicare*[2]*?* Et: Potestatem habemus ulciscendi omnem inobedientiam[3]. Et secunda etiam pars 7. articuli haeretica est. Sola enim fides non sufficit, sed requiritur poenitentia, timor, dilectio, contritio, absolutio etc. 8^{s} etiam falsus est, cum etiam[b] *super cathedram Moysi sederunt scribae et pharisei*[4]. Item ea pars etiam: *non eos solos* etc., quia etiam in antiqua lege sacerdotes distincti erant a laycis[c]. Et verba Christi: *Quorum remiseritis,* ad solos apostolos et successores dicta sunt. Et Paulus ait: Reliqui te Cretae, ut presbyteros constitueres[5] etc. 9. articulus haereticus[d] quoque est, quia absolutio est actus iudicialis; ergo requirit iurisdictionem, et alias confusio esset in ecclesia. Et episcopi
215v exemplo principum et etiam Moysi[6] casus sibi reservant, ut alias | factum est in aliis, ut in contractibus, qui olim liciti erant, postea fuerunt prohibiti; idem de multis cibis. Et sic quidem expedit, ut melius iudicium fiat in poenitente[e].

Alfonsus Salmeron, clericus saecularis Hispanus[f] congregationis Iesu, ⟨missus etiam a S^{mo} D. N.⟩[f], incepit examinationem suam a 9. articulo comprobavitque dicta per antecessorem consocium suum circa praecedentes articulos. 10. igitur articulum haereticum esse declaravit improbans primo ea, quae haeretici falso Catholicis impingunt, videlicet quod per satisfactionem aliquid plus fiat, quam lex Dei praecipiat[g]. Et quod ⟨per satisfactiones culpae remittantur⟩[h]. Et quod nos satisfaciamus pro peccatis actualibus, Christus autem satisfecerit pro originali tantum. Et quod per merita satisfactionum mereamur vitam aeternam. Quae omnia mere calumniae sunt, ⟨cum longe aliter ecclesia catholica doceat. Praemisit insuper differentiam, quae est inter haereticos et Catholicos circa hoc sacramentum. Haeretici enim tenent, quod semper remissa culpa remittatur omnis poena etiam temporalis; Catholici vero non ita sentiunt, sed quod post remissionem culpae et poenae aeternae in sacramento poenitentiae remaneat exolvenda aliqua poena temporalis. Quod multis modis verum esse comprobavit⟩[i]. Primo exemplo Adae, cui remisso peccato multae poenae remanserunt. Cui Adae remissum fuisse peccatum ostendit Tertullianus lib. 2 contra Marcionem[7]. Item habetur lib. Sapientiae cap. 10 [1 sq.]. Remansit autem ipsi Adae poena multa. *In sudore vultus tui vesceris pane.* ⟨Et: De tribulis et spinis terrae etc.⟩[k][8] Et Iob ultimo: *Ego me repraehendam et ago poenitentiam*[9]. Et tamen Deus vocat eum rectum[10]. Et cap. 9 [28]: *Verebar omnia opera mea sciens, quod non parces delinquenti.* Quod Gregorius lib. 9 cap. 27 interpraetatur, quia peccatum sine punitione non remanet[11]. Item de Moyse et Aaron Num. 20 [12]: *Quia non credidistis* etc., non intrabitis in terram promissionis. De quibus tamen ait David: *Invocabant Deum et ipse exaudiebat eos et in columna nubis loquebatur ad eos, et ulciscens in omnes adinventiones eorum*[12]. Item [de] Davidis ad-
216r ulterio, 2 Reg. | cap. 12 [13 sq.], Nathan ait: *Dominus transtulit peccatum tuum;* sed filius

[a] *M* Et circumstantia loci et temporis attenditur in scriptura in omnibus: «An non habetis domos ad manducandum, vel ecclesiam Dei contemnitis etc.»
[b] *Grisar om.* [c] *M* aliis [d] *M* falsus
[e] *M add.* et alios omnes etiam hereticos esse comprobavit [f] *Th om.*
[g] *M add.* ut ait Melanchthon [h] *M* satisfactiones pro remissione culpae intelligantur
[i] *M* et falso ab hereticis Catholicis imposita. Item praemisit intelligere nodum harum assertionum et nodum controversiae inter nos et hereticos in hoc sacramento poenitentiae, videlicet quod in eo remanet poena temporalis exolvenda post remissionem culpae, quod heretici negant. Probavit autem remanere poenam temporalem post remissionem culpae.
[k] *M* etc. de aliis

[1] Cf. *2 Cor.* 2, 10. [2] *1 Cor.* 5, 12.
[3] Cf. *2 Cor.* 10, 6. [4] *Matth.* 23, 2.
[5] *Tit.* 1, 5.
[6] Cf. *Ex.* 18, 21 sq.; *Deut.* 1, 17.
[7] *Tertullianus,* Adversus Marcionem lib. II c. 25. *Migne,* P. lat. II 314 sq.
[8] *Gen.* 3, 18 sq.
[9] *Iob* 42, 6.
[10] *Ibid.* 42, 7 sqq.
[11] *Gregorius Magnus,* Moralia lib. IX c. 34 n. 54. *Migne,* P. lat. LXXV 889.
[12] *Ps.* 98, 6 sqq.

tuus morietur. Unde ipsemet David in Psalm. 50 [4] aiebat: *Amplius lava me*, Domine, *ab iniquitate mea*. Quod de poena, non de culpa intelligitur. Et 2 Mach. 7 [18] de martyrio illorum septem dicentium: Nos digne patimur peccantes coram Domino. In novo etiam testamento Ioannes Baptista ait: *Agite poenitentiam*, et: *Fructus dignos poenitentiae*[1]. Et Paulus: *Digna poenitentiae opera facientes*[2]; et ad Hebr. 6 [6] et 10 [26]: *Peccantibus voluntarie nobis iam non relinquitur pro peccatis hostia*. Quae verba non de poenitentia[a], sed de baptismo intelliguntur, quia in poenitentia poena remanet, et per eam non renovamur sicut in baptismo, ut omnes patres interpraetantur. Ac etiam Ioannes in priori sua ait: Si peccaverimus, *advocatum habemus apud Patrem*[3]. Advocatus autem exigit a iudice, ut mitius et aequius agatur. Et 1 Petr. 4 [1] dicitur Christum desiisse a peccatis. Et paralitico dixit: *Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquod contingat*[4]. Ac etiam Paulus de se ait Col. 1 [24]: Adimpleo in corpore meo etc., ⟨quod de poena intelligitur⟩[b]. Et alibi: Si nosipsos iudicaremus, non utique diiudicaremur[5], iuxta Augustini et Basilii expositionem. Item Paulus 2 Cor. 7 [10][c]: *Tristitia, quae secundum Deum est, poenitentiam in salutem stabilem operatur*. Praeterea idem habetur ex traditione, ut in 6. synodo can. 102[6] et 8. synodo actione 9[7]; concilium Lateranense cap. 21[8], concilium Florentinum in unione Armenorum[9]; hoc etiam Tridentinum ⟨sess. 6 can. 30⟩[d][10] ac etiam concilium 3 Carthaginense can. 76[11]. Item Clemens epist. 2[12], Leo epist. 89[13]; ⟨Anacletus epist. 2 ad episcopos Italiae[14]; Calixtus I epist. 2 ad Galliae episcopos[15]; Felix epist. ad episcopos diversarum provinciarum[16]; Innocentius I epist. 22[17]; Vigilius epist. ad Eleutherium[18];⟩[e] Gregorius epist. ad Tentitium[f] patritium[19]; ⟨Gregorius VII lib. 1 epist. {3}[g] ad Anselmum episcopum[20]; Sixtus IV in damnatione articulorum Petri Oxomensis[21] et Leo X in damnatione articulorum Lutheri[22].⟩[e] Item Ireneus lib. 3 cap. ⟨5⟩[h][23]; Tertullianus lib. de poenitentia[24]; |

[a] *In M corr. ex* remissione culpae, sed poenae, ut
[b] *In M hoc loco extat lacuna*
[c] *M add.* Contristari secundum Deum vindictam parit
[d] *M* decreto de iustificatione et can. 30 eiusdem Tridentini concilii [e] *M om.*
[f] *In M lacuna* [g] *Th* 9 [h] *M add.* et 4 cap. 26

[1] *Matth.* 3, 2 et 8. [2] *Act.* 26, 20.
[3] *1 Io.* 2, 1. [4] *Io.* 5, 14.
[5] *1 Cor.* 11, 31.
[6] Synodus quini-sexta sive Trullana (a. 692) can. 102. *Mansi* XI 987.
[7] Synodus VIII in actione 9 (die 12. Febr. 870) iis, qui contra patriarcham Ignatium mendaciter iuraverant, diuturnas satisfactiones imposuit. *Mansi* XVI 152 sq.
[8] Concilium Lateranense IV a. 1215 c. 21, nunc c. 12 *Omnis utriusque* X de poenit. et remiss. V 38.
[9] Cf. supra p. 241 adn. 3.
[10] Can. 30 de iustificatione. Conc. Trid. V 799.
[11] Agitur aut de concilii Carthaginensis III (a. 397) can. 30 (*Mansi* III 923) aut de concilii Carthaginensis IV (a. 398) can. 76 et sequentibus (*ibid.* III 957). Cf. c. 8 C. XXVI q. 6 et cc. 5 et 6 C. XXVI q. 7.
[12] *Pseudo-Clemens*, Epist. 2 ad Iacobum fratrem Domini, quae est originis Pseudo-Isidorianae. *Hinschius* 49. Etiam in Clementis epist. 2 (spuria) ad Corinthios c. 16 de operibus poenitentiae agitur. *F. X. Funk*, Patres apostolici I² (Tubingae 1901) 204/05.
[13] Cf. supra p. 242 adn. 13.
[14] Est originis Pseudo-Isidorianae. *Hinschius* 77.
[15] Etiam est Pseudo-Isidori. *Hinschius* 137—143 (praesertim circa finem epistolae).
[16] *Felix III* omnibus episcopis per diversas provincias constitutis; quae epistola originis est Pseudo-Isidorianae. *Hinschius* 697 sqq.
[17] In multis *Innocentii I* epistulis de operibus poenitentiae agitur. Forse hic allegat epist. 25 ad Decentium c. 7. *Migne*, P. lat. XX 559.
[18] Est *Vigilii* papae ad Profuturum episcopum Bracarensem epistola, cui in editionibus antiquioribus inscriptio erat: Eutherio (sive Eleutherio) episcopo. *Migne*, P. lat. LXIX 15 sqq. et adn. a. *Hinschius* 710 sqq. Ultimum caput est originis Pseudo-Isidorianae.
[19] Rectius ad Theoctistam patritiam lib. XI ep. 45. *Migne*, P. lat. LXXVII 1156—1164. *Hinschius* 742 ad 746.
[20] *Gregorius VII*, Lib. I epist. 21 ad Anselmum Lucensem episcopum: «Ut enim viam, qua ambules, postulasti tibi notificaremus, nullam novam, nullam expeditiorem scimus ea, quam nuper dilectioni tuae significavimus, videlicet te ab investitura episcopatus de manu regis abstinere, donec de communione cum excommunicatis Deo satisfaciens, rebus bene compositis, nobiscum pacem possit habere.» *E. Caspar*, Das Register Gregors VII tom. 1 (Berlin 1920) 35.
[21] Petrus Martínez de Osma, professor theologiae in universitate Salmanticensi, scripsit librum «De confessione», nunc perditum, qui ab inquisitione Caesaraugustensi anno 1478 tamquam haereticus damnatus est. Anno 1479 conventus theologorum Compluti congregatorum errores Petri de poenitentiae sacramento iterum damnavit, et Sixtus IV in bulla *Licet ea* die 9. Augusti 1479 data 8 propositiones haereticas magistri Oxomensis reiecit. Cf. de eo *F. Stegmüller*, Pedro de Osma, in: Römische Quartalschrift XLIII (1935) 205—266. Salmeron de propositione 5 cogitare videtur: «Et non peracta poenitentia confitentes absolvi non debere.» *Stegmüller* 245. *F. Gaude*, Bullarium Romanum V (Augustae Taurinorum 1860) 265.
[22] Leo X in bulla *Exsurge Domine* die 15. Iunii 1520 data propositio 5. *F. Gaude* l. c. 750.
[23] *Irenaeus*, Adversus haereses lib. III c. 5 n. 2. *Migne*, P. gr. VII 859.
[24] *Tertullianus*, Liber de poenitentia c. 9. *Migne*, P. lat. I 1243 sq.

216v Cyprianus lib. 1 epist. 3[1] et ⟨lib. 3 epist. 14⟩[a][2] et sermone de ieiunio[3]; Origenes homil. ⟨8⟩[b] in Levit.[4]; Lactantius ⟨lib. 4 cap. 17 et⟩[c] lib. 6 cap. 13 ⟨et 24⟩[c][5]; item lib. de ira Dei cap. 21[6]; Ilarius ⟨in Psalm. 126[7] et⟩[c] in Matth. cap.[d] 4[8] ⟨et in illud: *Sufficit diei malitia sua* can. 5[9]; Basilius hom. 21 in Psalm. 37[10] et homilia super illis verbis: Attende tibi ipsi[11]; Gregorius Nazianzenus orat. 14[12]; Eusebius Caesar. lib. 3 hist. eccl. cap. 7[13]; Chrisostomus lib. 3 de sacerdotio cap. 5[14] et homil. 1 de poenitentia[15] et homil. 41 et homil. 3 in Matth.[16]; Theophil[us] lib. 1 pasch.[17]; Antoninus[e] episcopus Constantiensis epist. ad Archadium[18]; Thimoteus Massiliensis lib. 1[19];⟩[c] Ambrosius lib. 2 ⟨de poenitentia cap. 5[20] et epist. ad corruptam[21];⟩[f] ⟨Hieronymus super Malachiam[22] et in vita B. Paulae[!][23];⟩[c] Augustinus in enchiridion cap. 70[24] ⟨et de medicina poenitentiae cap. 3[25]⟩[c] et tractatu 125 super Ioa.[26] ⟨et lib. de continentia cap. 6[27] et in Psalm. 37[28]; Theodoretus lib. divin. decretorum, cap. de poenitentia[29]; Arnobius in Psalm. 106[30]; Cassianus collatione 20 cap. 7[31]; Bernardus in sermone de cena Domini[32]; Ambrosius lib. 2 cap. 10 de poenitentia[33]; Chrisostomus hom. 9 in epist. ad Hebr.[34]; Augustinus de visitatione infirmorum cap. ultimo[35]; Gregorius lib. 9 cap. 27 in illud Iob [9, 28]: *Verebar omnia opera mea*[36]. Item concilium Romanum 4 sub Sylvestro[37] et synodus Romana sub Gre-

[a] *M* libro 4 epist. 2 [b] *C 119* 3 [c] *M om.* [d] *Codd.* can.
[e] *C 119 et Th* Antonius [f] *M* cap. 2 de poenitentia

[1] Nunc est epistola 55 ad Cornelium papam; ad nostrum argumentum videas c. 13 et 14. *Migne,* P. lat. III 812—822.

[2] Nunc est epistola 9 ad clerum. *Migne,* P. lat. IV 250—253.

[3] In *Ernaldi,* abbatis Bonaevallis, libro «De cardinalibus operibus Christi», antea S. Cypriano attributo, capiti 5 inscriptio est: «De ieiunio et tentationibus Christi»; quo in capite de operibus poenitentiae in genere agitur. *Migne,* P. lat. CLXXXIX 1633—1641.

[4] *Origenes,* Homilia 8 in Leviticum n. 11. *Migne,* P. gr. XII 504 sqq. Etiam in aliis homiliis in Levit. de poenitentia loquitur, praesertim in hom. 2 n. 4. *Ibid.* 418 sq. Die griech. christl. Schriftsteller der ersten drei Jahrh., *Origenes* VI 1, 411—417 296 sq.

[5] *Firm. Lactantius,* Divinae institutiones lib. IV c. 17 et lib. VI c. 13 et 24. *Migne,* P. lat. VI 501 684 sqq. 722—728.

[6] *Migne,* P. lat. VII 139 sqq.

[7] *Hilarius,* Tractatus in Psalmum 126 n. 1. *Migne,* P. lat. IX 693.

[8] *Idem,* Comment. in Matth. c. 4 n. 19. *Ibid.* IX 938.

[9] *Matth.* 6, 34. *Hilarius,* Comment. in Matth. c. 5 n. 13. *Migne,* P. lat. IX 949 sq.

[10] *Basilius,* Homilia in Psalmum 37, cui titulus «Doctrina confessionis», quae tamen est auctoris incerti. *Migne,* P. gr. XXX 81—104.

[11] *Idem,* Homilia in illud «Attende tibi ipsi» (*Deut.* 15, 9) c. 4. *Migne,* P. gr. XXXI 205/06.

[12] *Gregorius Nazianzenus,* Oratio 14 de pauperum amore c. 39 et 40. *Migne,* P. gr. XXXV 905 sqq.

[13] *Eusebius,* Historia eccles. lib. III c. 7 agit de poenis, quibus Iudaei post urbis Ierusalem excidium afflicti sunt, et de Iacobi, episcopi Hierosolymitani, praedicatione, qua eos post mortem Domini ad poenitentiam agendam admonuit. *Migne,* P. gr. XX 233 sqq. Die griech. christl. Schriftsteller der ersten drei Jahrh., *Eusebius* II 1, 210—215.

[14] *Migne,* P. gr. XLVIII 643.

[15] Alludit ad homiliam 5 de poenitentia, quae in editionibus saeculi XVI erat prima, in qua passim de operibus poenitentiae agitur. *Migne,* P. gr. XLIX 305—314.

[16] Probabile mihi videtur allegari homilias 3 et 41 operis imperfecti in Matth. (*Migne,* P. gr. LVI 646—657 859—865), quamvis etiam in homiliis 3 et 40 (quae erat 41 in versionibus latinis saec. XVI) operis perfecti (genuini) de nostro argumento auctor loquitur. *Migne,* P. gr. LVII 31—40 439—446.

[17] *Theophilus Alexandrinus,* Epistola 1 paschalis (a. 401) c. 20. *Migne,* P. lat. XXII 789. Cf. quae supra p. 117 adn. 18 diximus.

[18] *Antoninus Honoratus,* episcopus Constantiniensis (Constantina in Africa), Epistola consolatoria ad Arcadium. *Migne,* P. lat. L 567—570. Cf. *Bardenhewer* IV 548.

[19] *Salvianus Massiliensis,* Adversus avaritiam lib. I c. 12. *Migne,* P. lat. LIII 187 sq. Qui liber ab auctore sub *Thimothei* nomine editus est. De quo cf. *Bardenhewer* IV 576.

[20] *Migne,* P. lat. XVI 506.

[21] *Pseudo-Ambrosius,* De lapsu virginis consecratae c. 8—10. *Migne,* P. lat. XVI 376—384.

[22] *Hieronymus,* Comment. in Malachiam prophetam, passim. *Migne,* P. lat. XXV 1541—1578.

[23] *Hieronymus,* Vita S. Pauli primi eremitae c. 13 sq. *Migne,* P. lat. XXIII 26.

[24] *Migne,* P. lat. XL 265.

[25] Allegatur c. 63 *Non sufficit* de poenit. dist. 1, ubi *Augustini* sermo 351 de utilitate agendae poenitentiae c. 5 n. 12 (*Migne,* P. lat. XXXIX 1549) citatur sub titulo «De poenitentiae medicina.»

[26] Potius tract. 124 n. 5. *Migne,* P. lat. XXXV 1972 sq.

[27] *Ibid.* XL 358.

[28] C. 24 *Ibid.* XXXVI 409 sq.

[29] *Theodoretus Cyrensis,* Haereticarum fabularum lib. V (cui titulus «Divinorum decretorum epitome») c. 28 de poenitentia. *Migne,* P. gr. LXXXIII 551/52.

[30] *Arnobius iunior,* Comment. in Psalmum 106. *Migne,* P. lat. LIII 488 sqq.

[31] *Migne,* P. lat. XLIX 1156—1159.

[32] *Bernardus Claraevallensis,* Sermo in coena Domini c. 3: «Lavari quidem cito possumus; ad sanandum vero opus est curatione multa.» *Migne,* P. lat. CLXXXIII 272.

[33] *Migne,* P. lat. XVI 518—521.

[34] C. 4. *Migne,* P. gr. LXIII 80 sq.

[35] Rectius c. 6. *Migne,* P. lat. XL 1150 sq. Sed opus est incerti auctoris.

[36] Cf. supra p. 244 adn. 11.

[37] Quia sub Silvestro I papa quatuor concilia Romana habita non sunt, probabile mihi videtur hoc loco alludi ad concilium IV Romanum sub Symmacho (a. 503), ut legitur in summario de poenitentia a Salmerone anno 1547 in concilio Bononiensi ex

gorio VII[1] et synodus Valentina sub Damaso can. 22[2]; Matisconense can. 4[3]; Cabilonense can. 8[4]. Faciunt etiam canones multorum conciliorum praecipientes imponi poenitentiam iuxta qualitatem criminis, ut Africanum 3 can. 21[5]; Toletanum 3 can. 11[6]; Vormatiense[7]; Remense can. 16[8]; Innocentius III epist. 1 cap. 9[9]; concilium 4 Carthaginense can. 78[10]⟩[a]. Quod etiam rationibus comprobavit. Divinae enim iustitiae ratio exigit, ut aliter tractentur infideles peccantes quam baptizati, cum illi ex ignorantia, isti, qui fidem habent, scienter[b] peccent. Deus etiam debet suae misericordiae rationem habere, ut ea nos non abutamur in pactis gratiae. Ac etiam Deus in suis pactis facit nos Christo similes. Si autem pro peccatis non satisfaceremus, Christo similes non ita essemus. Item alias ruerent indulgentiae. | Item 217[r]
rueret purgatorium. Item non esset locus satisfactioni[c] pro peccato occulto. Item maius est[d], quod opera facta in charitate vitam aeternam mereantur quam remissionem poenae Sed dicta opera ipsam vitam aeternam merentur, ut declaratum est in hoc concilio Tridentino sess. 6[11]; ergo multo magis remissionem poenae temporalis. Responditque ad obiectiones adversariorum. Primo de Ezechiele: Si quis egerit poenitentiam etc., iniquitatum eius amplius non recordabor[12]. Ibi exigi multa, ut peccata ita omnino remittantur. Item loquitur de morte aeterna. Ad illud de Magdalena[e] [13], latrone[14] et aliis, quibus legitur in evangelio Christum simpliciter remisisse peccata[f], non esse ibi remissa peccata per viam absolutionis, sed ex ⟨plenitudine gratiae Dei, qui non alligatur sacramentis⟩[g]. Item Paulus ad Rom. 4 [8]: *Beatus vir, cui Dominus non*[h] *imputavit peccatum.* Respondit non imputari ad mortem aeternam; de quibus ait Christus: Quos amo, castigo et corrigo[15], ut interpraetatur Ambrosius lib. de poenit. 2 cap. 2[16]; Gregorius Nazianzenus et alii. David etiam dixit: *Confitebor* etc. et: *Tu remisisti impietatem peccati mei*[17], scil. reatum, non poenam. Et ita omnes articulos de satisfactione haereticos esse, ⟨diserte admodum et docte comprobavit⟩[i].

Et licet etiam super extrema unctione loqui vellet, cum tamen pulsata esset iam hora 24, dimittitur congregatio et vocatur in crastinum ad horas iam praescriptas. ⟨Cui quidem congregationi interfuerunt R[mus] legatus, praesidentes, cardinalis Tridentinus, tres ecclesiastici electores et {quarti orator}[k], scil. Brandeburgensis, tres oratores imperatoris, duo regis Romanorum, 6 archiepiscopi, 40 episcopi, tres abbates, unus generalis, scil. Heremitarum S. Augustini, et ultra 50 theologi ac multi I. U. doctores et nobiles quamplurimi ac denique multitudo magna populi. Nam in his congregationibus theologorum admittuntur omnes interesse volentes, publiceque ianuis apertis habentur, ut hactenus in hoc sacro concilio observatum est.⟩[a]

[a] *M om.* [b] *Th* scientes [c] *Th* satisfactionis [d] *M add.* disponere ad gratiam et
[e] *M* peccatore [f] *M add.* absque ulla poena [g] *M* plenaria eius gratia [h] *Th om.*
[i] *M* asseruit [k] *Th* sex oratores principum

aliorum patrum votis composito. (*Conc. 14* fol. 161[v].) Verba autem huius concilii (quod est apud *Mansi* tertium sub Symmacho) ibidem allegata haec sunt: «. . . qui, quod dicebatur, maiori iudici servamus, instruentes eos, quia per nos illis Christus innotuit, non esse ovium lupi insidias praevidere, sed pastoris, maxime quia in causa praefata multos, qui se dedignabantur agnoscere et Deo satisfacere, error involverat.» *Mansi* VIII 250.

[1] Concilium Romanum a. 1078 habitum can. 5. *Mansi* XX 510; c. 6 *Falsas poenitentias* de poenit. dist. 5.

[2] Concilium Valentinum a. 374 habitum can. 2. *Mansi* III 494. *Hinschius* 324. Etiam can. 3 et 4 huius synodi de satisfactionibus pro certis criminibus praestandis agunt.

[3] Concilium Matisconense II a. 585 celebratum can. 4: «Decernimus, ut omnibus dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris et mulieribus offeratur tam panis quam vini, ut per has immolationes et peccatorum suorum fascibus careant et cum Abel vel ceteris iustis offerentibus promereantur esse consortes.» *Mansi* IX 951. In summario pro concilii Bononiensis usu confecto Salmeron ita prosequitur: »Haec ibi, ubi per immolationes, quae satisfactiones sunt, constat et meritum accedere ac per hoc in gratia eas fieri et fasces peccatorum levare non quidem quoad culpam, quia non meretur gloriam, sed quoad poenam.» (*Conc. 14* fol. 162[v].)

[4] Concilium Cabilonense circa a. 650 habitum can. 8. *Mansi* X 1191.

[5] Probabiliter allegat concilium Carthaginense III can. 31. *Mansi* III 885; c. 5 C. XXVI q. 7.

[6] Concilium Toletanum III a. 589 habitum cap. 11 et 12. *Mansi* IX 995.

[7] Concilium Vormatiense a. 868 habitum can. 25. *Mansi* XV 873

[8] Concilium Rhemense a. 813 habitum can. 16. *Mansi* XIV 78.

[9] Nescio, quam epistulam hic allegare voluerit. In Salmeronis summario (cf. supra p. 246 adn. 37) nil de hac re invenitur.

[10] Concilium Carthaginense IV can. 78: «Poenitentes, qui in infirmitate viaticum eucharistiae acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint.» *Mansi* III 957; c. 8 C. XXVI q. 6 (circa finem). Quem canonem Salmeron sic interpretatur: «Absolutio autem a poena debet intelligi temporali, quia sine absolutione a culpa non daretur eis viaticum . . .» (*Conc. 14* fol. 162[v]).

[11] Sessio 6 can. 32 de iustificatione. Conc. Trid. V 799.

[12] Cf. *Ez* 18, 21 sq. [13] *Luc.* 7, 47 sq.

[14] *Luc.* 23, 43. [15] Cf. *Apoc.* 3, 19.

[16] *Ambrosius,* De poenitentia lib. II c. 5 n. 35. *Migne,* P. lat. XVI 505 sq.

[17] *Ps.* 31, 5.

217v Congregatio theologorum super examinatione eorundem articulorum de poenitentia et extrema unctione.

Die Mercurii **21.** eiusdem mensis **Octobris** mane hora 14 celebrata missa de Spiritu Sancto habita est congregatio theologorum, qui prosecuti sunt examinationem eorundem articulorum de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis, primusque loquitur

Ruardus Tapper[1], ⟨clericus secularis {natione Flandrus⟩[a], decanus ⟨et cancellarius⟩[a] Lovaniensis, missus ad concilium a Ser^{mis} imperatore, Maria regina Hungariae vidua ⟨et ipsa universitate Lovaniensi,}[b] vir gravis, senex magnique nominis et doctrinae⟩[a]. Primo praemisit, se omnia dicturum sub correctione sanctae synodi, ostenditque ⟨difficultatem constituendi aliquod dogma haereticum[c]⟩[d], quod scil. sacrae scripturae et fidei catholicae adversetur. Deinde accepit primum articulum, quem sacris litteris adversari et haereticum esse ostendit in primis 3 partibus; in ultima autem non ita aperte, sed ob metaphoram et sensum male intellectum. Quoad primam partem, quae in duas dividitur, ut poenitentia non sit sacramentum, et, si est, quod non sit ad reconciliationem, utraque falsa est et damnanda, et ibi *ad reconciliationem* posset addi *saltem*, ut distinguerentur duae illae assertiones. Quod autem falsae sint, patet ex Ioa. 20 [23]: [e] *Quorum remiseritis peccata* etc. Quae verba ad rationem veri sacramenti pertinent et ad eius diffinitionem, etiam eam, quae ab haereticis ponitur, ut[f] sit signum a Deo institutum, ut est forma absolutionis, quae a Deo instituta est, et efficit, quod significat, quantum est ex parte sacramenti, ut peccata remittat, quod ex Christi institutione habet, cum dicat: Remissa erunt et in coelo[2]. Quae promissio gratiae et effectus est, ut in sacramento requiritur. Et ecclesia catholica ita semper intellexit, quae ideo Novatianos damnavit negantes absolutionem sacerdotis et sic ipsum sacramentum poenitentiae[3]. Omne enim iudicium dedit Pater Filio[4] et Filius sacerdotibus, ut B. Gregorius diserte docet[5], ⟨et Chrysostomus de dignitate sacerdotali[6]; Cyprianus in prima epist. primi libri[7] et Ilarius in 16 Matth.[8]⟩[g]. Et quod impossibile erat, Dominus possibile fecit. Quodque secunda tabula apte appelletur, etiam probavit, quia
218r fracta navi per naufragium, | id est peccatum, tabula opus est, ne omnino quis mergatur, quae poenitentia est, ut Tertullianus[9], Chrysostomus[10] et alii sancti patres intellexerunt. Et est sacramentum necessarium ad effectum, ad quem institutum est, ⟨scil. pro relapsis⟩[a], sicut baptismus pro intraturis ad Christum. Et doctores omnes verba Christi Ioa. 20 [23], Matth. 16 [19] et 18 [18] de hoc sacramento intelligunt, ut Augustinus lib. 20 de civit. Dei[11]. (Et est quoddam tribunal a Deo institutum.) Et lib. 1 cap. ultimo de adulterinis[12] et homil. 49[13]. Ultima vero pars primi articuli etiam falsa est. Improbavitque fundamenta adversariorum[14], ut est Augustinus de fide ad Petrum[15]. Et quod Ioannes Baptista prae-

[a] *M om.* [b] *Th om.* [c] *Th* haereticorum
[d] *M* qualiter aliquod hereticum esse probari debeat
[e] *M add.* Sicut misit me Pater etc.; accipite Spiritum Sanctum
[f] *M add. supra lineam* aiunt [g] *In M in margine*

[1] De Ruardo Tapper, celeberrimo universitatis Lovaniensis theologo, cf. *Biographie Nationale,* publiée par l'Académie Royale de Belgique XXIV 555—577. *H. de Iongh,* L'ancienne faculté de théologie de Louvain (Louvain 1911) 180—186. *Lexikon für Theologie u. Kirche* IX 992 sq. *P. F. X. de Ram,* Mémoire sur la part que le clergé de Belgique et spécialement les docteurs de l'Université de Louvain ont prise au Concile de Trente, in: Nouv. Mém. de l'Académie Royale de Belgique XIV (Bruxelles 1841) 31—47. — Votum eius de poenitentia et extrema unctione, quod una cum Leonardo Hassellensi, Francisco Sonnio et Iodoco Ravesteyn in scriptis exhibuit, videas in App. III n. 1; votum ab eo etiam nomine aliorum theologorum Lovaniensium super satisfactione in specie datum in App. III n. 2.

[2] Cf. *Matth.* 18, 18.

[3] In synodo Romana sub Cornelio papa a. 251 habita. *Mansi* I 688.

[4] Cf. *Io.* 5, 22.

[5] *Gregorius Magnus*, Homilia 24 in evang. n. 4 sqq. *Migne,* P. lat. LXXVI 1199 sqq.

[6] *Chrysostomus,* De sacerdotio lib. III c. 5. *Migne,* P. gr. XLVIII 643.

[7] Potius lib. I ep. 2, ut in voto scripto. *Migne,* P. lat. III 854 sq.

[8] *Hilarius,* Comment. in Matth. c. 16 n. 7. *Migne,* P. lat. IX 1009 sq.

[9] Cf. supra p. 242 adn. 1.

[10] Potius Hieronymus, ut in voto scripto. Cf. supra p. 242 adn. 3.

[11] C. 9 n. 2. *Migne,* P. lat. XLI 673 sq.

[12] *Augustinus,* De coniugiis adulterinis lib. I c. 28. *Migne,* P. lat. XL 470.

[13] Allegatur c. 44 *Agite* de poenit. dist. 1, qui sumptus est ex *Augustini* homilia 392 (al. hom. 49 inter 50 homilias) ad coniugatos c. 3. *Migne,* P. lat. XXXIX 1711.

[14] Praesertim cogitat de Calvino, ut apparet ex voto scripto.

[15] Liber «De fide ad Petrum», olim Augustino adscriptus, est *Fulgentii Ruspensis.* Ut ex voto scripto videri potest, hic alludit ad cap. 30. *Migne,* P. lat. XL 775 et LXV 702.

dicabat *baptismum poenitentiae*[1] etc. Sed Augustinus intellexit in adultis non prodesse baptismum, nisi retroactae vitae poeniteant[a] et in Christum credant. Et Ioannes Baptista praedicabat baptismum in remissionem peccatorum, ut vere est baptismus Christi. Non autem sacramentum poenitentiae excludit, quod ad iam baptizatos pertinet. Articulus igitur primus in omnibus haereticus est. 2[s] vero, si intelligatur de partibus integralibus, non est haereticus, quia sunt rationes pro utraque parte, ut Scotus disserit, ut pars principalis et vera sit absolutio[2]. Unde concilium Florentinum non vocat partes, sed actus et quasi materiam[3]. Nomen igitur partium in canone[b] omitti debet, ut sequatur sancta synodus concilium Florentinum. Includuntur tamen haec tria in hoc sacramento tanquam partes potentiales, sine quibus ipsum sacramentum consistere non potest. Nam peccator debet[c] primum dolere de peccatis et Christum offendisse; alias ad ipsum Christum venire non posset. Et cum dolet, libenter confitetur se errasse. Et deinde necessario requiritur iudicium sacerdotis[d]. Secunda pars 2. articuli: *sed duas tantum* etc.; advertendum est, quod haeretici non ita docent, cum vel hoc sacramentum omnino negent, vel, si admittunt, confite[a]ntur esse necessariam contritionem, quam terrores conscientiae incussos ob peccata commissa appellant et eam primam partem vocant, secundam fidem, qua Christum pro nobis satisfecisse agnoscunt; et iis duobus secundum eos poenitentia | perficitur. Quod 218v
ab hoc sacro concilio sessione 6 damnatum est[4]. 3. articulus haereticus etiam est et iam damnatus a Leone X, sed aliis verbis[5]; ideo ponantur verba propria haereticorum. Contritio enim ista praeparat et meretur contrito gratiam. Et damnatus etiam in eadem 6. sessione huius sanctae synodi[6]. De qua contritione meminit David Psalm. 50 [19]: *Cor contritum et humiliatum Deus non despiciet*[e]. Augustinus tract. 9 super[f] Ioa. comparat timorem poenae setae per foramen intranti[7], ut postea fiat contritio; sed timor talis non remittit peccata nec illa contritio; igitur articulus in ea parte: *neque remittere peccata* etc. non videtur haereticus, cum absque absolutione peccata non remittantur. Caetera vero huius 3. articuli stulta sunt usque ibi *magis peccatorem*. In ultima parte ibi *eamque contritionem coactum esse dolorem, ⟨non liberum⟩*[g], advertendum, quod Lutherus non addit *liberum,* sed inquit tantum, violentum esse illum dolorem[8]. Quod etiam falsum est. In 4. articulo considerandum est, quod ius divinum non praecipit confessionem magis[g] secretam ⟨quam liberam⟩[g], sed tantum in genere. Est autem iudicium ecclesiae, quod secreta vel publica fiat. In eo igitur sensu articulus non est haereticus. Intelligendo vero, ut est confessio sacramentalis, etiam secreta, qua hodie ecclesia utitur, haereticus est. Iure enim divino instituta est atque praecepta, quia illud iudicium, quod sacerdos debet facere super peccatore, non potest fieri de ignotis, sed oportet, quod peccata audiantur, ut discerni possit, quid remittendum sit, quid non. Insinuative igitur confessio est a Christo instituta et praecepta. Secunda pars 4. articuli, ibi *neque apud antiquos* etc., ⟨est falsa et blasphema⟩[h],

[a] *C 119 et Th* eos poeniteat [b] *M* condemnatione [c] *C 119 om.*
[d] *M add.* Quae tria necessario in poenitentiae sacramento includuntur et requiruntur
[e] *C 119 et Th* despicies
[f] *M add.* epistolam [g] *M om.*
[h] *M* non est haeretica, sed maligna et falsa

[1] *Marc.* 1, 4; *Luc.* 3, 3.

[2] *Ioannes Duns Scotus,* in IV. Sent. d. 14 q. 4 n 3: «Et hoc est, quod dictum est in ratione poenitentiae, quod poenitentia est absolutio, id est quaedam sententia diffinitiva absolvens reum, non tamen sententia iudicis principalis, sed iudicis secundarii vel commissarii.» Et ibid. d. 16 q. 1 n. 7: «De poenitentiae sacramento dico, quod ista tria i. e. contritio, confessio, satisfactio nullo modo sunt partes eius, quia ut dictum est dist. 14, poenitentiae sacramentum est illa absolutio sacramentalis facta certis verbis etc. Huius autem nulla pars est contritio, quae est quoddam spirituale in anima, neque confessio, quia nihil est ipsius sententiae sacerdotis, sed actus rei accusantis se, neque satisfactio, sed sequitur illam absolutionem sacramentalem. Haec tamen tria ad sacramentum poenitentiae ad hoc, ut digne recipiatur, requiruntur vel praevia vel sequentia.»

[3] In decreto pro Armenis: «Quartum sacramentum est poenitentia, cuius quasi materia sunt actus poenitentis, qui in tres distinguuntur partes; quarum prima est cordis contritio ..., secunda est oris confessio ..., tertia est satisfactio ...» *Mansi* XXXI 1057.

[4] De iustificatione cap. 14. Conc. Trid. V 796.

[5] In bulla *Exsurge Domine* a. 1520 n. 6: «Contritio, quae paratur per discussionem, collationem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis ac aeternae damnationis acquisitionem, haec contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem.» *F. Gaude,* Bullarium Romanum V (Augustae Taurin. 1860) 750.

[6] De iustificatione can. 8 (etiam cap. 6). Conc. Trid. V 798 793.

[7] *Augustinus,* Tractatus 9 in epistolam primam Ioannis c. 4. *Migne,* P. lat. XXXV 2047 sq.

[8] De qua re cf. votum scriptum.

quia ab omnibus antiquis patribus de ea mentio fit, ut Chrysostomo[1], Sozomeno[2], Socrate hist. tripart. et aliis, qui de ea ut antiqua loquuntur, lib. 5 cap. 19[3]. Aiunt enim: Haec antiquitatis consuetudo a Nectario[a][4] etc. Meminit etiam Dionisius ad Demophilum monachum[b][5]. Articulus 5 etiam haereticus est in omnibus[c], quia hoc sacramentum per modum iudicii exercetur, quod numerationem peccatorum requirit et omnia alia, quae in
219r eo articulo | negantur. Et ibi *ad satisfactionem canonicam imponendam* addatur *tantum;* alias id verum esset, quia vere satisfactio imponitur, sed non sola, ut Novatiani dicebant[6], sed peccata etiam absolvuntur; et etiam cum adiectione *tantum* pars illa non est haeretica, sed falsa. De circumstantiis autem optime meminit Hieronymus in commentariis super 16 Matth.[7] et alii sancti patres. Item in lege veteri, ut Exodi multis modis peccata considerantur. Ultima autem pars non ita ponitur a Luthero: ⟨*Non licere venialia* etc.⟩[d], sed dicit: Non praesumas venialia[e] confiteri[8]. Ideo verba propria ponantur. 6. articulus etiam falsus est; et cap. *Omnis utriusque* concilii Lateranensis intelligitur de iis peccatis, quorum quis meminit praevia discussione, quod facile et possibile est. Quam interpraetationem facit concilium Florentinum[9] et usus ecclesiae. Et ibi *traditionem humanam* notandum, tempus confessionis fuisse ⟨ab ecclesia statutum⟩[f]. Tertia pars 6. articuli de confessione Quadragesimae: Hoc non videtur esse praeceptum neque ⟨divinum neque⟩[g] ecclesiae[10]. 7. articulus etiam haereticus est, quia hoc est iudicium quoddam, ut Chrysostomus[11], Cyprianus[12], Ilarius[13] et alii asserunt; neque pronunciant sacerdotes tantum, sed vere etiam absolvunt, Christo dicente: *Quorum remiseritis* etc.

Et licet ipse super aliis etiam articulis dicere vellet, tamen, cum iam esset hora 17 ⟨cum dimidia⟩[d], dimittitur congregatio. Et dicitur ei, quod afferret in scriptis ea, quae ultra praemissa per eum dicenda erant, ut etiam illa a sancta synodo considerari possint. ⟨Cui quidem congregationi interfuerunt omnes in haesterna[h] congregatione nominati.⟩[d]

Congregatio theologorum super examinatione eorundem articulorum de poenitentia et extrema unctione.

Eadem die Mercurii **[21. Octobris]** hora autem 20 fuit etiam congregatio ipsorum theologorum, quorum infrascripti prosequuti sunt examinationem eorundem articulorum de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis, cepitque hodie suam sententiam |

219v **Petrus Malvenda**[14], clericus secularis ⟨Hispanus, unus ex missis ab invictissimo imperatore,⟩[i] 2 articulum de poenitentia disserendum accepit, quem haereticum esse comprobavit, responditque ad obiectiones adversariorum[k]. Primo ut contritio omnium peccatorum sit impossibilis. Unde clamat Propheta: *Delicta quis intelligit?* Et: *Ab occultis*

[a] *Th* Nestorio [b] *Th* monarchum [c] *M* septem partibus in eo contentis [d] *M om.*
[e] *Th* venialiter [f] *M* traditionem ecclesiae [g] *M* etiam [h] *C 119 falso* externa
[i] *Th om.* [k] *M add.* primo quia partes istae non sunt a Christo institutae et

[1] Chrysostomum non esse testem confessionis secretae hodie omnibus fere doctis constat. Cf. *Chr. Baur,* Der hl. Johannes Chrysostomus I (München 1929) 301—304, ubi invenis nomina aliorum, qui de hac re disseruerunt. Antiquiores autem theologi scripta spuria allegantes aut genuina falso explanantes eum de confessione secreta loqui opinabantur.

[2] *Sozomenus,* Historia ecclesiastica lib. VII c. 16. *Migne,* P. gr. LXVII 1457—1464.

[3] *Socrates,* Historia ecclesiastica lib. V c. 19. *Migne,* P. gr. LXVII 613—620.

[4] Quae verba sumpta sunt ex Historia tripartita lib. IX c. 35, ubi legitur: «Et ex illo antiquitatis consuetudo sublata est» etc. *Migne,* P. lat. LXIX 1151 sq.

[5] *Pseudo-Dionysius-Areopagita,* Epistola 8 ad Demophilum n. 1. *Migne,* P. gr. III 1087/88.

[6] Cf. de hoc votum scriptum.

[7] *Hieronymus,* Comment. in Matth. c. 16 v. 19. *Migne,* P. lat. XXVI 118.

[8] His verbis assertio Lutheri damnatur a Leone X in bulla *Exurge Domine,* propositione 8. *F. Gaude,* Bullarium Rom. V 750.

[9] In decreto pro Armenis: «... oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter.» *Mansi* XXXI 1057.

[10] Sola communio in cap. *Omnis utriusque* tempore Paschae praecipitur, non autem confessio, quae solummodo *semel in anno* ab omnibus requiritur.

[11] Cf. supra p. 248 adn. 6.

[12] Cf. supra p. 248 adn. 7.

[13] Cf. supra p. 248 adn. 8.

[14] Petrus Malvenda, de cuius vita perpauca tantum nobis nota sunt (cf. Conc. Trid. XI 668 adn. 3), Antonium de Granvela de rebus conciliaribus certiorem fecit aliquibus litteris, quae ad nos pervenerunt, et ex quibus dignosci potest, eum non omnino approbavisse modum tractandi res per legatum in concilio adhibitum, imo partes Caesaris strenue defendisse. Conc. Trid. XI n. 475 487 508 532 545 560. Eius doctrinae summas laudes tribuit Franciscus Vargas die 28. Octobris 1551. Conc. Trid. XI 682 l. 7 sqq.

munda me Domine[1]. Item quia ex fide sola[a] peccata remittuntur; unde Paulus: *Ex fide iustificati*[2]. Item quia absolutio remittit peccata, non contritio; et multa alia adversarii contra contritionem afferunt. Et contra confessionem argumentantur, quod non habeatur ⟨in sacra scriptura, et contra satisfactiones Ezechielis 18; et: *Ego dixi: Confitebor* etc.; et: *Tu remisisti impietatem peccati mei*[3] etc. Respondit autem, ecclesiam non exigere a peccatore impossibile, sed quod faciat, quantum in se est, praevia matura discussione et ea, quorum recordatur⟩[b]. Et Propheta loquitur de occultis quotidianis. Et quod ex fide sola peccata non remittuntur, qua credit se absolvi, ut damnatum est in hoc sacro concilio in sess. 6[4]. Et quod non obscuratur doctrina clavium per contritionem, quia tunc habet in voto confessionem et accipiendi absolutionem. Alias enim contritio nihil ⟨esset, perfecta scilicet⟩[c]. Et quod in scripturis habetur confessio, ut Ioa. 20 [23] iuxta adductionem a praecedentibus factam. Et quod dicunt esse institutionem[d] pontificum, ut videtur dicere Sozomenus[5], respondit, ⟨pontifices multa declarasse, nihil autem instituisse⟩[e]. Et Ezechielem seipsum in fine illius capitis declarare. Igitur 2. articuli prima pars est falsa et haeretica, aliae duae falsae. 3. articuli duae primae sunt haereticae[f], tertia et quarta falsae. 4. articuli prima est falsa, secunda temeraria. 5[i] omnes (excepta penultima[g] et ultima) sunt in fide erroneae, antipenultima temeraria, ultima erronea. 6. articuli omnes falsae. 10[i] omnes contrariae sunt doctrinae sanctorum patrum. ⟨Super reliquis articulis nihil dixit.⟩[h]

Ioannes Arze, clericus secularis ⟨Hispanus, missus etiam ab imperatore,⟩[i] praemissa solita submissione etc., primum articulum de poenitentia haereticum esse asseruit et iam damnatus a Leone X[6] et concilio Tridentino sessione 7[7] | et a consensu ecclesiae, quae 220r
semper docuit, septem esse sacramenta. Et quia diffinitio sacramenti huic poenitentiae convenit. Est enim signum et habet gratiae promissionem, Ioa. 20 [23]: *Quorum remiseritis* etc., quo in loco est eius institutio. Et quem significat effectum, facit, ut sonant verba: *Erunt remissa et in coelo* etc. Et secunda tabula recte appellatur, ut Tertullianus de poenitentia[8], et Hieronymus ad Demetriadem[9], et ab aliis sanctis patribus vocatur, et haec metaphora optime quadrat, ut navis intelligatur de statu innocentiae, ⟨fractura per peccatum Adae⟩[k]; prima tabula sit baptismus, secunda poenitentia ⟨in relapsis⟩[k]. Tertia pars primi huius articuli etiam haeretica est, quia baptismus est separatus a poenitentia, et quia baptismus non reiteratur, poenitentia sic. Sed haec assertio damnanda est in sensu haereticorum, quia in aliquo sensu haec ultima pars non esset falsa. 2. articulus etiam haereticus est; et probat dicta per antecessores circa eum ostenditque passionem Christi pro omnibus satisfecisse; sed non prodest, nisi quibus communicatur per fidem scil. et sacramenta; satisfactiones vero nostrae sunt pro poena temporali, quae remissa culpa remanet; pro qua etiam Christus satisfecit, sed voluit ob eius iustitiam, ut etiam nos satisfaciamus. Verum ipsa nostra satisfactio etiam Christi satisfactio est, quia ei innititur et ob eam meretur, et sic omnia ad Christi merita referuntur. Licet etiam non semper poena tem-

[a] *M* solum
[b] *M* in scripturis, neque etiam in quibus sacramentum poenitentiae statuitur, ut Io. 20 [23] et Matth. 16 [19]. Et alia etiam argumenta contra enumerationem peccatorum et circumstantias et satisfactiones etc., ut Ezech. 8 [7—18]. Contra quae ecclesia catholica dicit, tres partes scilicet esse poenitentiae. Item quod contritio debet esse perfecta. Et omnia peccata confitenda, si sint mortalia, et ea omnia, quae superioribus adversantur, quae omnia probavit. Quod sit sacramentum poenitentia, probatur Io. 20 et in sessione 6, legitque ex scripto suam sententiam. Ad quod superius contra adducebatur, respondit requiri, quod in se est peccatori, et non impossibilia etc., sed quorum recordatur.
[c] *M* faceret [d] *M* constitutionem
[e] *M* esse declaratum, non institutum a pontificibus. Quod adducitur ex Chrysostomo, quod unus sacerdos esset praepositus, ut confessiones audiret, respondit: praepositus, sed ut secreto audiret, licet publice praepositus maneret[?], sed ipse postea populo nunciabat absque nomine personae, unde dicebatur secreti tenens. Et Chrysostomus loquitur de publica poenitentia. Et Ioannes Baptista dicebat: Facite fructus dignos poenitentiae.
[f] *M* falsae [g] *M* antepenultima
[h] *M* Undecimi omnes sunt erroneae in fide; duodecimi omnes hereticae, ultima erronea et falsa etc.
[i] *Th om.* [k] *M om.*

[1] *Ps.* 18, 13. [2] *Rom.* 5, 1 et saepius.
[3] *Ps.* 31, 5.
[4] Sessio 6 can. 14 de iustificatione. Conc. Trid. V 798.
[5] Cf. supra p. 250 adn. 2.
[6] Implicite tantum, non autem expressis verbis damnatur in Leonis X bulla *Exurge Domine* id, quod asseritur in primo articulo de poenitentia.
[7] Sessio 7 can. 1 de sacramentis in genere. Conc. Trid. V 995.
[8] Cf. supra p. 242 adn. 1.
[9] Cf. supra p. 242 adn. 3.

poralis remaneat, ut cum tanta est contritio, ut omnia mereatur peccator, ut de Magdalena et[a] de latrone dicitur. 3. articulus etiam haereticus est. Ait enim scriptura: *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animae meae*[1]. Neque absque contritione Deus peccata remittit. ⟨Et Psalm. 50 [19]: *Cor contritum et humiliatum Deus non despiciet*[b].⟩[c] 4. articulus etiam est haereticus, quia a Christo instituta est confessio tam secreta quam publica, ita ut secreta peccata secreto, publica autem publice confiteantur, cum ecclesia eam ordinare non posset, sed ad Deum pertineat. Quod autem sit de iure divino confessio, quantum scil. ad obligationem, probavit ex Ioa. 20 [23] et ex aliis locis per magistrum Laynes
220v adductis[2], praesertim Iac. 5 [16]. | Nam Ioa. 20 [23] non potest fieri iudicium, quod Christus praecipit, nisi peccata audiantur, sacerdosque dono Spiritus Sancti absolvit; non autem oportet, quod Spiritum Sanctum habeat, ut Valdenses dixerunt, qui damnati sunt[3]. Item retineri non possunt, nisi sacerdos sciat, quae sint retinenda. Scire autem non potest, nisi peccatoris omnia peccata audiat; retinere autem est non absolvere. Praeterea cum sacerdotes habeant claves aperiendi coelum, si ii non solverent, non aperirent coelum et claves frustra haberent, si per aliud quam per confessionem ⟨et absolutionem⟩[c] peccator ingredi in coelum posset. Quem locum ita omnes doctores intellexerunt, ut Damascenus, Tertullianus, Augustinus, Leo et alii. Item ex illo Iacobi [5, 16]: *Confitemini alterutrum peccata vestra*. Et ita ecclesia hunc locum semper intellexit et patres. Augustinus lib. de visit. infirmorum hom. 12[4]; Bernardus lib. meditationum cap. 9[5]; Theodorus episc. Cantauriensis[d] in libro poenitentiali[e][6]; Beda super hunc locum Iacobi[7], quem et etiam Nicolaus de Lyra optime declarat. Neque Iacobus explicat sacerdotibus faciendam, quia Christus explicaverat Ioa. 20 [23]. Et contraria opinio damnata est in bulla Sixti IV ⟨contra Petrum Oxomensem[8] ac⟩[c] concilio Lateranensi[9] et Constantiensi[f][10]. Ad contraria, quae adducuntur de Magdalena[11], Zaccheo[12] et aliis, respondit tunc non fuisse institutam confessionem. Item fuisse ante baptismum, quo tempore non requiritur confessio; neque Christi gratia alligatur sacramentis[g]. Et Nectarius, qui eam abrogavit, male fecit et eodem tempore repraehensus fuit a Socrate in hist. tripart.; et non ipse Nectarius fecit[h], sed suggestione illius impii presbyteri Aegyptii[13]. Quoad extremam unctionem primus articulus haereticus est, ut ecclesia tenet; contra Marci 6 [13]: *Ungebant aegrotos oleo et sanabantur*, et apostoli tradiderunt Iac. 5 [14 sq.]; et ita patres intellexerunt. Augustinus de visit. infirmorum[14]; Hieronymus super 6 Marci[15]; Theophilactus[16] et Beda super idem caput[17]; concilium Florentinum[18]; Innocentius I[19]; Innocentius III de extrema unctione[20];

[a] *Th* ut [b] *Th* despicies
[c] *M om.* [d] *C 119 et Th* Cantuariensis
[e] *M add.* ut Gratianus refert cap. fin. de consecr. [!] dist. 1.
[f] *M hic add.* quae bulla Sixti IV originalis produci potest.
[g] *M add.* Ad id: Confitebor Deo, et ipse remittet iniquitatem, id esse [h] *Th* fuit

[1] *Is.* 38, 15.
[2] Cf. supra p. 242 l. 18 sqq.
[3] *Innocentius III* in professione fidei Durando de Osca et Waldensibus praescripta inter alia eos sic iurare praecipit: «Sacramenta quoque, quae in ecclesia celebrantur ..., licet a peccatore sacerdote ministrentur, dum ecclesia eum recipit, in nullo reprobamus.» *Migne,* P. lat. CCXV 1511.
[4] *Pseudo-Augustinus,* De visitatione infirmorum lib. I cap. 2 et lib. II cap. 4. *Migne,* P. lat. XL 1148 et 1154 sq.
[5] *Bernardus Claraevallensis,* Meditationes piissimae cap. 9 n. 26. *Migne,* P. lat. CLXXXIV 500. Quod opus tamen Bernardi supposititium est.
[6] Est c. 90 *Quidam Deo* de poenit. dist. 1.
[7] *Beda Venerabilis,* Expositio super Iacobi epistulam c. 5. *Migne,* P. lat. XCIII 39 sq.
[8] *Sixtus IV* in bulla *Licet ea* sequentes damnat propositiones: «Confessionem peccatorum in specie ex universalis ecclesiae realiter statuto, non divino iure compertam fore»; «Peccata mortalia quoad culpam et poenam alterius saeculi absque confessione sola cordis contritione, pravas vero cogitationes sola displicentia deleri» et «quod confessio secreta sit, necessario non exigi.» *F. Gaude,* Bullarium Romanum V (Augustae Taurinorum 1860) 265. Cf. supra p. 245 adn. 21.
[9] Concilium Lateranense IV cap. 21, nunc c. 12 *Omnis utriusque* X de poenit. et remiss. V 38.
[10] Concilium Constantiense, Sessio 8. Errores Ioannis Wicleff n. 7: «Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis». *Mansi* XXVII 633.
[11] Cf. *Luc.* 7, 47.
[12] Cf. *Luc.* 19, 2—10.
[13] *Socrates,* Historia eccles. lib. V c. 19. *Migne,* P. gr. LXVII 613—620.
[14] *Pseudo-Augustinus,* De visitatione infirmorum lib. II cap. 4. *Migne,* P. lat. XL 1154.
[15] *Pseudo-Hieronymus,* Comment. in evang. secundum Marcum c. 6. *Migne,* P. lat. XXX 607 sq.
[16] *Theophylactus,* Enarratio in evang. Marci c. 6, 13. *Migne,* P. gr. CXXIII 549/550.
[17] *Beda Venerabilis,* Expositio in Marci evangelium lib. II c. 6. *Migne,* P. lat. XCII 188.
[18] In decreto pro Armenis. *Mansi* XXXI 1058.
[19] *Innocentius I,* Epistola ad Decentium episcopum c. 8. *Migne,* P. lat. XX 559 sqq.
[20] C. un. *Quum venisset* X de sacra unctione I 15, in quo de omnibus sacris unctionibus agitur.

Chrisostomus de dignitate sacerdotali[1]; et in oratione, qua ecclesia utitur in hoc sacramento[a 2].

[b]Dimittitur deinde congregatio hora 24, cui interfuerunt ⟨praelati et alii, de quibus supra⟩[c].

Congregatio theologorum super eisdem articulis de poenitentia et extrema unctione. 221r

Die Iovis **22.** eiusdem mensis **Octobris** mane hora 14 habita est congregatio theologorum super examinatione supradictorum articulorum de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis cepitque hodie primus suam sententiam

Ioannes Orthega[d 3], ord. Min. de observ., ⟨natione Hispanus, missus etiam ab imperatore,⟩[e] subiiciens se etc. Primum articulum de poenitentia haereticum esse confirmavit eumque per singulas partes examinavit, primo quod vocetur apte secunda tabula post naufragium per metaphoram, ut etiam a Davide dicitur: Ne absorbeat me tempestas aquae[4]. Et Esaias ait: Peccatum in cor impii fervens[5]. Et idem David: Libera me de profundo maris[6]; et in aliis locis scripturae peccatum naufragio et tempestati maris comparatur. Et quemadmodum fracta navi in medio maris quis non potest salvari nisi aliqua tabula, ita et in peccatore amissa gratia Dei, nisi per poenitentiam, quae est secunda tabula respectu baptismi, quae [!] est prima. Naufragium autem factum fuit per Adam; navis vero integra erat in statu innocentiae[f]. Respondítque ad obiectiones adversariorum, quod per poenitentiam non remittuntur peccata etc.; ⟨sed contrarium patet verum ex Ioa. 20 [23]: *Quorum remiseritis,* erunt remissa in coelo⟩[g]. Quod non sit idem cum baptismo, quia baptismus iterari non potest, poenitentia sic. Ad Rom. 6 [3]: *An ignoratis,* fratres, ⟨*quia quicunque baptizati sumus* etc. Et sicut mors Christi non reiteratur, ita neque baptismus. Unde⟩[h] Paulus: Iterum crucifigentes Christum in semetipsis[i 7]. Et quia pro peccato originali fit, quod semel deletur. Et quod poenitentia sit sacramentum, probavit ex Ioa. 20 [23]: Quaecunque solveritis, quod actum iudicialem sonat et non convenit baptismo. Et in baptismo Deus remittit peccata, in poenitentia autem sacerdos ex pacto et promissione Dei. Forma etiam et materia in illis verbis ostenditur, ut materia sit [!] peccator vel peccata, forma verba absolutionis. Et quod dicunt sacerdotem non remittere peccata, sed Deum, respondit, id esse principaliter; et sacerdos ut[k] Dei minister remittit et Christi auctoritate, non sua, ⟨et ita Deus semper dicitur remittere⟩[g]. Et hoc modo intelligenda | sunt dicta aliquorum doctorum catholicorum, qui videntur sentire, quod sacerdos non absolvat, cum clara sint verba Christi: *Quorum remiseritis,* et verba ecclesiae in absolutione: *Ego te absolvo* a sacerdote prolata. Improbavitque opinionem illorum, qui dicunt in poenitentia non conferri primam gratiam, licet non semper; tamen qui attritus accedit ad sacerdotem, fit contritus et gratiam consequitur. Secundum articulum, *non esse tres partes poenitentiae* etc., etiam haereticum ostendit, adduxitque argumenta adversariorum et eis respondit: Primo, quod timor non requiratur semper, et fides non est pars[l], sed ut[m] fundamentum et ianua in omnibus praerequiritur; peculiaria autem ipsius[n] sunt illa tria, de quibus in articulo. Et licet satisfactio sit libera in poenitente, ad integram tamen poenitentiam etiam satisfactio requiritur, et qui non satisfacit in vita, satisfacit in purgatorio. Neque peccaret mortaliter, si quis diceret, nolle satisfacere in hoc mundo per

(221v)

[a] *M add.* Theophilactus in eodem loco Iacobi et alii omnes
[b] *Quae sequuntur, Th om.; in M sunt addita alia manu.*
[c] *M* omnes praelati, oratores et ultra 50 theologi
[d] *M* Ortega [e] *Th om.* [f] *M add.* ipsius Adae [g] *M om.*
[h] *M* quia Christi mors et resurrectio significatur, quae non reiteratur, et ita ecclesia semper tenuit et
[i] *M add.* qui iterum baptizari volunt [k] *Th* et [l] *M add.* peculiaris huius sacramenti
[m] *C 118 et C 119 om.* [n] *Th add.* sacramenti

[1] *Chrysostomus,* De sacerdotio lib. III c. 6. *Migne.* P. gr. XLVIII 644.
[2] Cf. *Rituale Romanum,* cap. De sacramento extremae unctionis.
[3] Ioannes de Ortega, ord. Min. de observ., provincialis fuit sui ordinis in provincia Vallisoletana. Die 26. Ianuarii 1551 Segoviae mandatum imperatoris recepit, quo Tridentum ire iussus est. De munere provincialis se dimisit, antequam proficisceretur. Cf. *M. Ferrandis,* El concilio de Trento I (Valladolid 1928) 237 sq. 286. Conc. Trid. XI 607 n. 429; 608 l. 24; 610 l. 14 sq.; 856 adn. 1.
[4] *Ps.* 68, 16. [5] Cf. *Is.* 57, 20.
[6] Cf. *Ps.* 68, 15. [7] Cf. *Hebr.* 6, 6.

opera satisfactoria, sed velle subiicere se divinae iustitiae in purgatorio. Item quod confessio sit de iure divino, patet ex illo loco Ioa. 20 [23], quia retineri non possunt, nisi sacerdos intelligat peccata, et, quae retineri debeant, iudicet. Et quod sit poenitentia necessaria, patet: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis*[1]. Item et contritio, sine qua neminem de peccatis poenitere potest. 3., 4. et 5. articuli etiam haeretici sunt; idem 6[s], 7[s], 8[s] et 9[s] et alii omnes de poenitentia. Idem de iis, qui de extrema unctione positi sunt, in quibus probat dicta per antecessores[a].

Ioannes Hassallensis[b 2], clericus secularis ⟨Flandrus, doctor Lovaniensis, missus a Ser[ma] Maria regina Hungariae,⟩[c] ostendit primo multa, quae circa sacramenta habentur, haberi per traditiones apostolorum per manus traditas[d], ut docet Dionisius in principio histor. hier.[e 3] Quae traditio est consuetudo generalis semper in ecclesia recepta, cuius non habetur origo, ut est: Ego te baptizo, et: Ego te absolvo, quae ita non sunt instituta, sed tradita et consona verbis Christi, cum dicit: Euntes baptizate[4]. Et: *Quorum* 222r *remiseritis* etc. | Ad primum igitur articulum respondit (praemissa submissione etc.) esse haereticum ex Ioa. 20 [23], Matth. 16 [19] et 18 [18], et ita omnes scriptores, qui de poenitentia locuti sunt, intellexerunt, ut baptismus in renatis, sic poenitentia in relapsis. Et ideo damnati sunt Novatiani[5]. Ostenditque locum Socratis et Sozomeni ⟨lib. 5 cap. 19[6] maxime contra adversarios facere, licet ipsi contrarium censeant⟩[f]; et probavit Nectarium[g] non abrogasse ⟨confessionem, sed delevisse presbyteros poenitentiales publicos⟩[h]. Ait enim Sozomenus: Modus ille laboriosus confitendi sublatus est, ⟨id est quod publice fieret confessio et satisfactio. Quae confessio eodem tempore etiam antiqua erat in ecclesia, cum dicatur in eodem loco: Antiquitatis consuetudo etc. Quae omnia disertissime longa oratione ostendit et finem dicendi fecit⟩[i].

⟨Et dimittitur congregatio hora 17.⟩[c]

Congregatio theologorum. Examinantur iidem articuli de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis.

Eadem die Iovis [22. Octobris] hora vero 20 fuit etiam congregatio theologorum, quorum infrascripti prosecuti sunt examinationem eorundem articulorum de poenitentia et extrema unctione.

Franciscus Sonnius[7], clericus secularis ⟨Flandrus[k], missus etiam a reginali M[te] ex[l] eadem universitate Lovaniensi,⟩[c] submissione praevia etc., accepit primum articulum de poenitentia, quem haereticum esse ostendit, quia poenitentia est vere sacramentum, quod in[m] relapsis requiritur, licet sit aliqua poenitentia, quae non est sacramentum, ut

[a] *M add.* theologos in aliis [b] *M* Hassellensis; *Th* Hasseltensis [c] *Th om.*
[d] *Th* traditos [e] *Th* hier. eccl.
[f] *M* hereticos maxime urgere, cum dicunt ante Novatum [!] antiquitatis consuetudinem fuisse, ut poenitentes confiterentur etc. Idem refert Eusebius. Socrates lib. 5 cap. 19.
[g] *Th* Nestorium
[h] *M* omnino canonem poenitentialem antiquum, sed accessionem postea ei factam, ita ut non sit abrogata confessio secreta simpliciter, sed de publicis sacerdotibus poenitentialibus.
[i] *M om.* [k] *M add.* doctor Lovaniensis [l] *M* et [m] *C 119 om.*

[1] *Luc.* 13, 5.

[2] Ioannes Lenaerts van der Eycken, natus in Hasselt (de quo Hassalensis seu Hesselensis nominatus est) saeculo XVI ineunte, anno 1539 doctor theologiae factus est et septem annis post primus professor cathedrae sacrae scripturae Lovanii anno 1546 a Carolo V imperatore erectae. Iam mense Decembri 1551 gravi morbo correptus obiit die 5. Ianuarii 1552 Tridenti. Conc. Trid. XI 754 l. 8—16; 798 l. 32 ad 799 l. 2. *Biographie Nationale* VIII 747 sqq. *Hurter,* Nomenclator II[3] 1506 adn. 1. Eius votum «super facto Nectarii episcopi Constantinopolitani circa sublationem confessionis» in scriptis exhibitum vide in App. III n. 3.

[3] *Pseudo-Dionysius,* De eccles. hierarchia cap. 1 n. 4. *Migne,* P. gr. III 375/6.

[4] Cf. *Matth.* 28, 19.

[5] Cf. supra p. 248 adn. 3.

[6] Cf. supra p. 250 adn. 3.

[7] Franciscus van den Velde (latine De Campo), natus anno 1506 in loco Son Brabantiae (unde Sonnius est vocatus), anno 1544 professor theologiae Lovanii et anno 1545 in regionibus Flandriae inquisitor est constitutus. Eum non interfuisse concilio Tridentino annis 1546/47, ut nonnumquam asseritur, iam demonstravit *S. Merkle* in Conc. Trid. II p. L. Anno 1561 episcopus dioecesis Boscoducensis tunc noviter erectae nominatus, anno 1570 Antwerpium est translatus. Obiit die 29. Iunii 1576. Doctrina eius ex multis libris ab eo relictis elucet. *Biographie Nationale* XXIII 179—224. *E. de Seyn,* Dictionnaire des écrivains belges II (Bruges 1931) 1800 sq. *Lexikon für Theologie u. Kirche* IX 667. *van Gulik-Eubel* III 124 152. De voto in scriptis dato cf. supra p. 248 adn. 1.

illa, quae fit ante baptismum, de qua Petrus Act. 2 [38]: *Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum,* et Matth. 3 [2] de Ioanne Baptista, ⟨qui etiam praedicabat poenitentiam⟩[a]. Et Matth. 4 [17] ⟨Christus ait: *Poenitentiam agite; appropinquabit [!] enim regnum coelorum.*⟩[b] Et Marc. 6 [12] ⟨praedicabant, ut poenitentiam agerent⟩[c]. Et Luc. 3 [3] dicitur, quod Ioannes praedicabat ⟨*baptismum poenitentiae*⟩[d] *in remissionem peccatorum;* quae poenitentia est cum baptismo coniuncta; ideo cuperet addi in fine huius primi articuli, ibi *poenitentiae — quod in ecclesia habetur,* ⟨ne in[e] aliquo casu articulus videatur verus⟩[a]. | 2. articulus non videtur omnino haereticus, quia non semper requiritur satisfactio, ut in 222v morituris; et cum quis maxima devotione accedit ad sacerdotem, ⟨quia tunc remittitur omnis culpa et omnis poena,⟩[a] ut legitur de Magdalena[1] et aliis. At[f] quia ecclesia aliter definivit, esse scil. tres partes poenitentiae[2], tenet, articulum esse haereticum. Aliae duae partes 2. articuli etiam haereticae sunt, quia displicentia requiritur, ut est initium poenitentiae, prout et fides. Unde Act. 2 [37 sq.], cum Petrus praedicaret, illi ceperunt pavere[g] et credere; tamen Petrus postea consuluit, ut poenitentiam agerent. Ergo duo illa non sunt partes, sed initium poenitentiae. 3. articulus haereticus est. Ait enim scriptura: *Scindite corda vestra, et non vestimenta*[3]. Et Paulus: *Tristitia, quae secundum Deum est, poenitentiam in salutem stabilem operatur*[4]. Et Esaias 34: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae*[5]. Et Psalm. 50 [5]: [h] *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Et Luc. 15 [18 sqq.] de filio perditionis, qui primo in se reversus est ⟨et se ipsum peccatorem cognovit⟩[i]. ⟨Et Psalm. 50 [19]: *Cor contritum et humiliatum Deus non despiciet.*⟩[e] Et: *Convertimini ad me*[6] etc. Et de prodigo: *Surgam et ibo ad patrem meum*[7]. Et in curatione paralitici dicitur: *Fili confide*[8]. Et dilectio requiritur, ut de Magdalena et 1 Ioa. cap. 3 [14]: *Qui non diligit, manet in morte.* Et tunc contritio perficitur et utilis fit. Idem patres docuerunt: Cyprianus serm. de lapsis[9]; Chrisostomus super Matth.; Augustinus lib. de poenitentia[10]; Isidorus de poenitentia[11]. Sed quod dicitur in ipso 3. articulo: Neque remittere etc., advertatur, quia illa contritio per se non remittit peccata nisi cum voto confessionis, ut videtur innuere Leo epist. 69[12]. Articulus 4 etiam haereticus est, quia confessio est de iure divino, Ioa. 20 [23]; ex quo loco etiam praeceptum colligitur; alias frustra datae essent claves ecclesiae et frustra dixisset Christus: *Quorum remiseritis,* quia inaudita peccata non possunt remitti neque retineri. Item Iac. 5 [16]. Sed in articulo non deberet poni *secretam,* quia confessio in genere a Christo instituta est, ⟨non plus secreta quam publica⟩[a]. 5. articulus est etiam falsus, | quia ubicunque in scriptura fit mentio de 223r confessione, fit etiam mentio peccatorum, ut apud Ioannem Baptistam: Confitentes actus suos[13]. Idem Act. 19 [18][k], Ioa. prima sua canonica[14] et Iac. 5 [16], ex quibus habetur, quod omnia et singula peccata confiteri debent. Et iudicium non potest ferri[l] inaudita causa. Etiam circumstantiae confitendae sunt, quae notabiliter mutant speciem peccati. Augustinus lib. de poenitentia idem docet[15]. Item Chrisostomus[16], Cyprianus[17], Cyrillus[18],

[a] *M om.* [b] *M* de Christo
[c] *M* cum misit discipulos ad adnunciandum evangelium; quae poenitentia plus includit quam resipiscentiam, sed dolorem offensionis Deum [!], quae poenitentia apte nuncupatur secunda tabula. Act. 19.
[d] *M* poenitentiam [e] *Th om.* [f] *C 119 et Th* Et [g] *Th* parere
[h] *Th add.* Cor contritum et humiliatum Deus non despiciet, et Ps. 50
[i] *M om. et add. hoc loco* 2 Cor. cap. 7, et scindite corda vestra
[k] *M hic add.* confitentes et annunciantes actus suos [l] *Th* fieri

[1] *Luc.* 7, 47—50.
[2] In decreto pro Armenis. *Mansi* XXXI 1057.
[3] *Ioel* 2, 13. [4] *2 Cor.* 7, 10.
[5] *Is.* 38, 15. [6] *Is.* 45, 22. [7] *Luc.* 15, 18.
[8] *Matth.* 9, 2.
[9] *Cyprianus,* Liber de lapsis c. 29 sqq. *Migne,* P. lat. IV 489 sqq.
[10] *Pseudo-Augustinus,* Liber de vera et falsa poenitentia c. 9. *Migne,* P. lat. XL 1121 sq. Cf. *Petrus Lomb.,* Sentent. liber IV d. 15 n. 6.
[11] *Isidorus Hispalensis,* De eccles. officiis lib. II c. 17 de poenitentibus n. 6 sqq. *Migne,* P. lat. LXXXIII 803.
[12] Potius epistola 89, nunc 108 ad Theodorum Foroiuliensem (cf. supra p. 242 adn. 13). *Migne,* P. lat. LIV 1011—1014.
[13] *Matth.* 3, 6; *Marc.* 1, 5.
[14] *1 Io.* 1, 9.
[15] *Pseudo-Augustinus,* Liber de vera et falsa poenitentia c. 14. *Migne,* P. lat. XL 1124 sq. C. 1 *Consideret* de poenit. dist. 5.
[16] Ex. gr. *Chrysostomus,* Homil. 20 in Genes. n. 3. *Migne,* P. gr. LIII 170. Etiam Sermo de poenitentia et confessione c. 6. *Ibid.* L 662.
[17] *Cyprianus,* Liber de lapsis c. 27 sqq. *Migne,* P. lat. IV 487 sqq.
[18] In editionibus saec. XVI legebantur inter Cyrilli Alexandrini opera *Origenis* homiliae in Leviticum; in hom. 3 n. 4 de confessione peccatorum sic ait: «Est aliquid in hoc mirabile secretum, quod iubet pronuntiare peccatum. Etenim omni genere pronuntianda sunt et in publicum proferenda cuncta, quae gerimus. Si quid in occulto gerimus, si quid sermone solo vel etiam intra cogitationum secreta

concilium Lateranense[1]. Sed deleatur dictio *enumerationem,* quae non potest fieri; sed dicatur aliis verbis, ut sigillatim de singulis peccatis confessio fiat. 6. articulus etiam haereticus est, idem 7[s] ex Ioa. 20 [23], qui locus iudicium requirit; sed Deus potentia, Christus donatione, sacerdos delegata auctoritate Christi peccata remittit. Et sacerdos iudicium discretionis facere debet; ideo serio, non ioco debet absolvere. 8[s] haereticus quoque est; idem 9[s], quia Christus tradidit potestatem ligandi et eos misit; quae duo distincta sunt, ut missio sit cura animarum et iurisdictionem significat. Si tamen ⟨ita absolveret ioco⟩[a], credit, quod esset absolutus, ⟨etiam contra casuum reservationem.⟩[b] Quo vero ad satisfactionem ostendit, nos (Deo nobis per Christum propitio facto) satisfacere posse, neque a nobis Deum requirere, nisi quae facere possumus. Et quod sacerdos possit satisfactiones imponere, patet ex verbis: *Quorum remiseritis*[c], quia sacerdos iudicat, prout audita peccata merentur. Et: Quem Deus diligit, flagellat[2]. Et habetur exemplum in antiqua lege de Davide, de Moyse et Aaron. Ideo omnes articuli de satisfactione loquentes haeretici sunt ⟨et ab hac sancta synodo damnandi⟩[d].

Iodocus Ravesteyn[3], clericus saecularis, ⟨etiam Flandrus et doctor Lovaniensis, missus ab eadem regina,⟩[e] praevia submissione etc., examinavit articulos de extrema unctione. Primum haereticum comprobavit, cum sit extrema unctio sacramentum et a Christo institutum; non censet tamen, quod Marc. 6 [13] loquatur de hoc sacramento, quia
223v discipuli missi sunt ad praedicandum, et[f] curarent | sanarentque infirmos. Quod idem est cum eo, quod a Matth. 12 refertur, ut langores curarent[g 4], ut gratia[m] sanitatum [conferrent], quae[e] credentibus impartiretur. Unde ait: *Sequentibus signis*[5], ut eis signis maior fides ipsis discipulis adhiberetur. Ideo etiam dicitur: Et oleo unxerunt et sanaverunt multos[6]. Quae tamen unctio praefigurabat hoc sacramentum, quod postea institutum est, de quo Iacobus 5 [14 sq.], ut omnes patres intelligunt. Item quia apostoli eo tempore non erant sacerdotes, qui soli ministri sunt huius sacramenti[h]. Sed locus Iacobi optime facit, et eius verba optime quadrant definitioni sacramentorum. Nam unctio est externum signum et ceremonia; et pacti gratia ostenditur: *Et si in peccatis fuerit, dimittentur ei.* Et licet Iacobus expresse non dixerit, infirmos extremo laborantes inungendos esse, tamen id implicite sensit, cum dicit: *Et si in peccatis fuerit* etc., quoniam, dum quis vivit, sine peccato esse non potest iuxta Ioannem: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus*[7] etc. Ideo intelligitur de eo, qui ex hoc seculo transiturus est. Patres etiam intellexerunt hanc unctionem esse sacramentum. Innocentius I epist. ad Decentium episcopum[8]; Chrisostomus in 3. lib. de dignit. sacerd.[9]; Bernardus in vita Malachiae episcopi[10]. Quod autem sit a Christo institutum, patet ex eius effectu, cum sit signum efficax, quod ab homine fieri non potest. 2. articulus etiam falsus est ex supradictis, quia, si hoc sacramentum remittit peccata, ut Iacobus ait, remittendo confert gratiam; et docetur a concilio Florentino[11]; atque etiam infirmos alleviat, ut idem Iacobus dicit, si ita saluti animae noverit Deus expedire. 3. articulus haereticus[i] quoque est, quia etiam hodie unguntur infirmi et super eos fit oratio, ut Iacobus docet. 4[s] est etiam haereticus, quia Iacobus de sacerdotibus intellexit, ⟨et semper in ecclesia fuerunt distincti sacerdotes a laycis, tam in lege veteri

[a] *M* ille esset absolutus
[b] *M* tamen considerandum est, an expediat fieri tantam casuum reservationem
[c] *M* retinueritis [d] *M om.* [e] *Th om.* [f] *Th* ut
[g] *M add.* et serpentes calcarent etc., et legitur ibidem, quod discipuli iverunt et languores curarunt
[h] *M add.* quod tunc neque etiam sacramentum institutum erat [i] *M* erroneus

commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri; proferri autem ab illo, qui et accusator peccati est et incentor.» *Migne,* P. gr. XII 429. Die griech. christlichen Schriftsteller der ersten drei Jahrh., *Origenes* VI 308.

[1] In cap. 12 *Omnis utriusque* X de poen. V 38.

[2] Cf. *Hebr.* 12, 6; *Prov.* 3, 12.

[3] Iodocus van Ravesteyn, natus anno 1506 in Thielt (Tiletanus) et anno 1546 professor theologiae in universitate Lovaniensi nominatus multis scriptis doctrinam catholicam confutavit. Mortuus est 7. Febr. 1570. *Biographie Nationale* XVIII 802 ad 806. *H. de Iongh,* L'ancienne faculté de théologie de Louvain (Louvain 1911). *E. de Seyn,* Dictionnaire des écrivains belges II (Bruges 1931) 1961. *Lexikon für Theologie u. Kirche* VIII 665 sq. De voto in scriptis dato cf. supra p. 248 adn. 1.

[4] Cf. *Matth.* 10, 1; *Luc.* 9, 1.

[5] *Marc.* 16, 20.

[6] Cf. *Marc.* 6, 13. [7] *I Io.* 1, 8.

[8] *Innocentius I,* Epistola 25 ad Decentium episcopum Eugubinum c. 8. *Migne,* P. lat. XX 559 sq.

[9] *Chrysostomus,* De sacerdotio lib. III c. 6. *Migne,* P. gr. XLVIII 644.

[10] *Bernardus* abbas Claraevallensis, De vita et rebus gestis S. Malachiae c. 24. *Migne,* P. lat. CLXXXII 1103 sq.

[11] In decreto pro Armenis: «Effectus vero est mentis sanatio et, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis.» *Mansi* XXXI 1058.

quam nova.⟩[a] Deinde accepit 12. articulum de poenitentia in ultima parte, ibi *et fictionem esse* etc., quam haereticam ostendit, intelligendo hanc commutationem, non ut proprie aeternae poenae in temporales commutentur, sed iuxta qualitatem conversionis peccatorum poenae placantur | et ex aeternis temporales fiunt ex meritis conversionis illius. Postea 224r probavit etiam 10. et 11. articulos haereticos esse, responditque ad obiectiones adversariorum, et quod maxime asserunt nostras satisfactiones esse[b] superfluas, cum Christus plene satisfecerit etc., respondit, id verum esse quoad omnem culpam et poenam aeternam.

[c]Deinde dimittitur congregatio hora 23, ⟨cui interfuerunt omnes conciliares.⟩[b]

Congregatio theologorum super examinatione eorundem articulorum de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis.

Die Veneris **23.** eiusdem **Octobris** mane hora 14 fuit congregatio theologorum, qui prosecuti sunt examinationem eorundem articulorum de poenitentia et extrema unctione, dixitque primus hoc mane suam sententiam infrascriptus, videlicet

Ioannes Valterius [1], ord. Praed., ⟨Flandrus, missus etiam ex universitate Lovaniensi a reginali M[te].⟩[d] Primum articulum de poenitentia haereticum esse comprobavit et primo ⟨exemplo veteris legis, in qua Deus ob poenitentiam peccata remittebat,⟩[b] Ezech. 18 [27 sq.]: *Si averterit impius ab impietate sua, vita vivet* etc.; Psalm. 31 [5]: *Dixi confitebor* etc., *et tu remisisti impietatem peccati mei.* Et 2 Reg. 12 [13] de Davide, cum ait: *Peccavi* etc., et respondetur: *Transtulit Dominus peccatum tuum.* Et de Ninivitis, quibus acta poenitentia Deus pepercit [2]. Si ergo in antiqua lege poenitentia habebat promissionem gratiae, multo magis in nova, ⟨quae nobilior est et refertior gratia per Christum.⟩[b] Conveniunt etiam huic sacramento omnia, quae ad definitionem sacramentorum requiruntur, non, ut adducitur, quod sit ceremonia externa cum promissione gratiae, ⟨quia eodem modo datio elemosinarum, condonatio iniuriarum et similia essent etiam sacramenta, cum sint et ceremoniae quaedam et habeant gratiae promissionem.⟩[b] Sed sacramentum est invisibilis gratiae visibilis forma, ut ab Augustino diffinitur [3]. Requiritur igitur, quod sit aliqua res sensibilis et rem | spiri- 224v tualem significet[e], et quod efficiat, quod significat, ut scilicet hominem sanctificet, quod a Deo dependet; ⟨quae non conveniunt in datione elemosinarum, condonatione iniuriarum et similibus, sed apte in hac poenitentia.⟩[f] Habet enim actionem sensibilem ex Christi institutione, non quidem in actu semper, sed semper in voto, quae est actus poenitentis et actus absolventis, ut B. Thomas dicit [4], et patet ex Christo Ioa. 20 [23]: *Quorum remiseritis,* quae remissio non est absque aliqua iurisdictione. Et etiam cum dicit: *Quorum retinueritis,* quia Deus non remittit peccata in eo, qui non prius movetur, quod etiam facere debet sacerdos. Peccator igitur debet prius moveri ⟨adversus peccata⟩[b] et illa confiteri ad hoc, ut remittantur; neque remittuntur absque sententia vocali[g]; ideo neque etiam absque vocali peccatoris confessione. Quae actio sacerdotis efficit, quod significat, quia vere peccata remittit. Ait enim Christus: Remissa erunt et in coelo [5]. Sed sacerdos non quidem principaliter, sed ut Christi[b] minister peccata remittit. ⟨Quod iudicium iustum esse debet, ita ut⟩[h] sacerdos digna dignis remittere et indigna indignis retinere debeat. Quare Christus praemisit: *Accipite Spiritum Sanctum* [6], ut cum iudicio iudicium illud fieret, quod sine manifestatione fieri non potest. Igitur confessio necessaria est, ut Iacobus ostendit [7]. Et publica etiam confitenda sunt, quia, licet sacerdoti nota sint, debet tamen sacerdos cognoscere, an confitens peccator sit dignus, ut ea remittantur, ⟨quod nisi audito eius animo facere non potest.⟩[b] Et quod adducitur contra, quod confessio sit gravius iugum in ecclesia, quam fuerit in lege veteri, respondit, verum esse in hac parte, sed factu[i]

[a] *M* neque omnes ex aequo sunt sacerdotes, ut clare constat, et semper in ecclesia tam veteri quam nova observatum, ut discrimen esset inter sacerdotes et laycos.
[b] *M om.* [c] *Th om., quae sequuntur.* [d] *Th om.*
[e] *M add.* ut est in omnibus sacramentis et requiritur
[f] *M* et hoc modo datio elemosinae, praedicatio etc. non sunt sacramenta. Sed quod poenitentia habeat omnia tria in sacramento requisita patet (et in antiqua lege poenitentia non erat sacramentum)
[g] *Th* vocati [h] *M* et [i] *C 119* facta

[1] Eius Votum in scriptis datum vide in App. III n. 4.
[2] *Ion.* 3. [3] Cf. supra p. 201 adn. 11.
[4] *Thomas Aquinas,* Summa theol. pars 3 q. 84 a. 1.
[5] *Matth.* 18, 18. [6] *Io.* 20, 22.
[7] *Iac.* 5, 16.

facile. Quod etiam est in baptismo puerorum, cum quibus mitius in lege veteri agebatur quam in nova; dabantur enim octo dies ante circumcisionem, ut, si obiissent, salvarentur[1]; in nova autem nullus dies ⟨neque momentum temporis⟩[a], si decedant ante baptismum, datur, ut salventur. Primus igitur articulus in omnibus suis partibus haereticus est ex
225r supradictis, quia et est | sacramentum poenitentia[b] et est secunda tabula ⟨post naufragium⟩[c], et non est baptismus, cum de originali peccato non requiratur iudicium (in omnibus enim aequale est), neque etiam de aliis peccatis impiorum, de quibus Paulus ait: *Quid* ad nos *de iis, qui foris sunt, iudicare*[2]? Quod autem dicitur de secunda tabula, est erroneum, non haereticum. Ad id quod adducitur a Lutheranis, quod fides sit secunda tabula iuxta Ioa. 3 [15]: Ut omnes, qui credunt in eum, habeant vitam aeternam, respondit, requiri quidem fidem, sed quae per dilectionem operatur, ita ut etiam mandata Dei observet. Unde de baptismo dicit Christus: *Qui crediderit,* et addit (quasi fides sola non sufficiat): *et baptizatus fuerit*[3]. Tertia pars, quod baptismus sit poenitentiae sacramentum, est haeretica, quia haec duo ad diversa ordinantur. Et unum reiteratur, aliud non.

Ioannes Mahusius[4], ord. Min. de observ., ⟨Flander, missus etiam a reginali M[te] ex eadem Lovaniensi universitate,⟩[d] primum articulum de poenitentia haereticum esse confirmavit, tum ex dictis et allegatis ab aliis, ut Ioa. 20 [23], ex quo forma explicite elicitur, cum dicit: *Quorum remiseritis,* ut docet concilium Florentinum[5]. Et gratia promittitur[e], cum ait: Remittuntur in coelo[6]. Materia autem est peccator secundum concilium praedictum[7]. ⟨Tum etiam aliis rationibus⟩[c]. Neque enim iudicium de ignotis fertur tam apud ius humanum quam divinum. Gen. enim 3 [8—13] de Adam et 18 [16—33] de Sodomitis et Deut. 1 de Mose. Et in evangelio de villico[8]. Et Act. 25 [4 sq. 16] de Festo[f]. Et Ioa. 18 [29]: *Quam accusationem affertis?* Unde Hieronymus super cap. 16 Eccles. ait, sacerdotem esse ut medicum[g 9]. Et damnatur in scriptura, qui sine causae cognitione ⟨in abscondito⟩[c] iudicat. Ioa. enim 3 [20] dicitur: *Qui male agit, odit lucem.* Et Paulus Eph. 5 [12]: Quae in abscondito fiunt etc. Et 1 Reg. 17: Homo non iudicat nisi quae videt[10]. Est igitur necessarium, ut peccator aperiat peccata sua per confessionem, si remissionem consequi vult[h]. Poenitentia itaque est sacramentum a Christo institutum ad reconciliationem
225v pro relapsis. Unde Propheta | ait, peccata dividere inter Deum et nos[11]. Neque etiam baptismus est poenitentiae sacramentum iuxta Paulum: *Quid* ad nos *de iis, qui foris sunt, iudicare*[12]? ⟨Sed bene de iis, qui sunt asciti in familiam Christi, per peccatum autem exciderunt. Est igitur hoc sacramentum iudicium quoddam pro renatis relapsis;⟩[i] neque etiam ideo peccatum originale delet. Unde Apoc. 2 [5] dicitur: *Memor esto, unde excideris; age poenitentiam* etc. In baptismo enim submerguntur omnia peccata, Rom. 6, ut dicitur de Pharaone in mari submerso, Exod. 12[13]. Articulus 2 etiam haereticus est. Contritio enim necessaria est. Et legitur in veteri lege exemplum de Manasse[14], de Ninivitis[15] et aliis, quibus Deus ob poenitentiam pepercit. Et Luc. 15[k] de filio prodigo, in quo apparet contritio, cum dicitur[16]: *Reversus in se;* confessio inquiens: *Peccavi;* satisfactio: *Iam non sum dignus;* et amor: *Ibo ad patrem.* Et ⟨idem in servo debitore contrit[i]o⟩[l 17]: Pro-

[a] *M om.; C 118 et C 119 hic add.* ut [b] *Th* poenitentiae [c] *M om.* [d] *Th om.*
[e] *M* est [f] *M add.* Non est Romana consuetudo etc. [g] *Codd.* medicus; *Th* medium
[h] *M add.* et Matth. 22, qui non habebat vestem nuptialem, obmutuit.
[i] *M* ergo poenitentia sacramentum; quod est iudicium, non applicatur non renatis
[k] *M falso* 25 [l] *M* de villico timor

[1] Cf. *Gen.* 17, 12 sqq; *Lev.* 12, 3.
[2] *1 Cor.* 5, 12. [3] *Marc.* 16, 16.
[4] Ioannes de Mahieu (Mahusius), O. Min. de obs., natus in Andenaarde, post studia in universitate Lovaniensi peracta fuit lector scripturae sacrae in collegiis ordinis sui Antwerpii et Lovanii. Anno 1561 promotus est ad sedem episcopalem Daventriensem, in cuius possessionem tamen non venit ob civium novis doctrinis adhaerentium oppositionem. Resignavit anno 1570; ultimos vitae annos in insula quadam Scaldis fluminis peragens anno 1572 a Geusis illam regionem occupantibus captus, percussus et semianimis relictus est. Mortuus est die 10. Maii 1577. *Biographie Nationale* XIII 156 sqq. *E. de Seyn,* Dictionnaire des écrivains belges I (Bruges 1930) 520. *van Gulik-Eubel* III 202. Votum eius in scriptis datum in App. III n. 5.
[5] In decreto pro Armenis: «Forma huius sacramenti sunt verba absolutionis, quae sacerdos profert, cum dicit: Ego te absolvo etc.» *Mansi* XXXI 1058.
[6] Cf. *Matth.* 18, 18.
[7] Non peccatorem materiam vocat concilium Florentinum in decreto pro Armenis, sed actus poenitentis quasi materiam esse docet. *Mansi* XXXI 1057.
[8] *Luc.* 16, 1 sqq.
[9] *Hieronymus,* Comment. in Ecclesiasten c. 10. *Migne,* P. lat. XXIII 1096.
[10] Cf. *1 Reg.* 16, 7. [11] Cf. *Is.* 59, 2.
[12] Cf. supra adn. 2.
[13] Rectius *Ex.* 14, 28.
[14] *2 Par.* 33, 12 sq. [15] *Ion.* 3, 10.
[16] *Luc.* 15, 17 sq.
[17] *Matth.* 18, 26.

stratus ad pedes Domini; confessio: Fatetur debitum; satisfactio: *Patientiam habe et omnia reddam tibi.* Alii etiam articuli omnes haeretici sunt.

Rogerius Iuvenis[1], ord. S. Augustini, ⟨Flander, missus ex eadem universitate Lovaniensi⟩[a], articulum primum de poenitentia haereticum declaravit confessionemque esse de iure divino, sive secretam sive publicam, tum ex scriptura, tum ex traditione. Iudicium enim causa incognita fieri non debet. Unde Exod. 18 [24 sqq.] electi sunt, qui populum iudicarent. De qua confessione meminit Clemens I, qui fuit Petri successor[b], in epist. prima suae ordinationis eiusque verba consona sunt verbis Christi· *Quorum remiseritis*[2]. Quae Clementis traditio a iure divino est, non autem ex se excogitata. Dicit enim in ea epistola: Quotidiana Petri praedicatio inter divina praecepta erat etc.[c 3]. Et Dionisius epist. 8[d] docet confitenda esse occulta[4]; qui fuit auditor apostolorum. Ireneus lib. 1 cap. 9 et lib. 2 cap. 4[5]; Fabianus epist. 2 ad Orientales[6]; Tertullianus lib. de poenit., qui etiam refert poenitentiam Christianorum differre a poenitentia gentilium, et | qualiter illa poeni- 226r tentia debet fieri per confessionem et satisfactionem et bona opera etc.[e 7] Quo ad extremam unctionem primum articulum haereticum asseruit; de quo sacramento[f] Exod. 40 habetur in figura[8]. Et si ita fuit Deo[g] curae[h], ut Israelitae inungerentur, multo magis Christiani, qui nobiliores sunt. Unde habetur Marc. 6 [13], quod etiam apostoli ungebant infirmos oleo; quod et Iacobus explicat, apud cuius verba omnia, quae in sacramento requiruntur, habentur: Ut materia oleum, forma oratio, gratia: *Si in peccatis fuerit, remittentur ei*[9], qui principalis effectus est, licet et sanatio corporis sequatur, quando Deo videtur ad salutem animae expedire. Et Iacobus promulgavit hoc sacramentum, non instituit.

⟨Solvitur deinde congregatio hora 17.⟩[i] Cui quidem congregationi interfuerunt duo oratores ducis Virtembergensis, Lutherani[k], sed privato nomine; ⟨nondum enim eorum mandatum ostenderunt.⟩[g]

Adventus archiepiscopi Tessalonicensis Graeci.

Eadem die **[23. Octobris]** applicuit Tridentum R. D. Macharius, archiepiscopus Tessalonicensis, natione Graecus ex insula Kio[l], ut concilio intersit.

Congregatio theologorum. Examinantur iidem articuli de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis.

Eadem die Veneris **[23. Octobris]** hora vero 20 fuit etiam congregatio theologorum, qui prosecuti sunt examinationem eorundem articulorum ⟨de poenitentia et extrema unctione⟩[i].

Alexander Candidus[10], ⟨Flandrus⟩[i], ord. Carmelitarum, ⟨missus etiam a reginali

[a] *Th om.; M add.* a reginali Maiestate [b] *M* auditor
[c] *M add.* seminaria prima omnium bonorum operum (et haec confessio) etc. [d] *M* 6
[e] *M add.* igitur 2. et 3. articuli heretici sunt. [f] *M* oleo [g] *M om.*
[h] *Th* cura [i] *Th om.* [k] *M* haeretici [l] *C 119* Chio

[1] Rogerius De Ionghe (Jung, Iuvenis), natus anno 1482 Brugiis Flandriae, anno 1506 ordinem Eremitarum S. Augustini ingressus est et studiis peractis in ordinis sui collegiis varia munera obtinuit. Annis 1531—1551 et 1561—1564 provincialis fuit provinciae Coloniensis; anno 1548 a generali missus Parisias venit ad pacem inter fratres sui ordinis ibidem restituendam. Mortuus est die 21. Oct. 1579. *Biographie Nationale* V 222 sqq. *H. Jedin,* Girolamo Seripando I (Würzburg 1937) 202 sq. 215 ad 218. Votum eius in scriptis exhibitum invenis in App. III n. 6.

[2] Epistola prima *Clementis I* ad Iacobum fratrem Domini (quae est originis Pseudo-Isidorianae) n. 11. *Hinschius* 33.

[3] Eadem epistola n. 41. *Hinschius* 44.

[4] *Pseudo-Dionysius,* Epistola 8 ad Demophilum monachum n. 1 (Cf. votum scriptum). *Migne,* P. gr. III 1087/88.

[5] *Irenaeus,* Adversus haereses lib. I c. 13 r. 5 et lib. III c. 4 n. 3 (cf. votum scriptum). *Migne,* P. gr. VII 587/88 856 sq.

[6] *Fabianus* papa, Epistola ad omnes orientales episcopos n. 18; (est originis Pseudo-Isidorianae). *Hinschius* 164.

[7] *Tertullianus* in libro de poenitentia c. 6 de poenitentia a catechumenis ante baptismum praestanda, c. 7 sqq. de poenitentia baptizatorum in peccata relapsorum loquitur; c. 9 de operibus huius poenitentiae fusius agit. *Migne,* P. lat. I 1236—1244.

[8] Cf. *Ex.* 40, 9—13; 30, 30. Sed potius de unctione ad sacerdotium his locis agitur.

[9] *Iac.* 5, 15 sq.

[10] Alexander Candidus (Blankaert), O. Carm., anno 1551 factus est professor theologiae in universitate Coloniensi. Obiit die 31. Dec. 1555. *Lexikon für Theologie u. Kirche* II 726 sq. *A. Postina,* Beitrag zur Geschichte des Trienter Konzils, 2. Periode, in: Römische Quartalschrift XVIII (1904) 385 ad 390.

M^{te}⟩[a], accepit articulum 4, quod confessio non sit de iure divino, ⟨quem haereticum ostendit, ac ius divinum scriptum et ex traditione haberi docuit, afferens multa testimonia scripturarum, imo et ipsa duo evangelia Marci et Lucae a Petro et Paulo tradita sunt; et ipse 226v Paulus | multis in locis suarum epistolarum de suis traditionibus meminit, ut ad Thessalonicenses: *State, et tenete traditiones* meas[1]; et Christus apud Ioannem ait: Multa alia habeo, quae *non potestis portare modo;* sed Spiritus Sanctus[2] etc. Confessio autem habetur tum ex Ioa. 20 [23] et Iac. 5 [16], tum ex traditione apostolica⟩[b] perpetuo in ecclesia Romana ⟨observata et⟩[c] retenta. De ipsa etiam meminit Ireneus lib. 3 cap. 4 adversus haereses Valentiniani, ⟨qui recurrendum ad ecclesiam Romanam in questionibus docet⟩[d], in qua apostoli conversati sunt, ⟨et perpetuam[e] successionem⟩[f] conservavit[g] [3]. Cum igitur ⟨omnes sancti patres⟩[h] de ipsa confessione meminerint et continua apostolorum traditione ad nos devenerit, eam iure divino esse tenendum est. ⟨Deinde alios etiam articulos omnes haereticos esse confirmavit.⟩[i]

Sigismundus Phedrius, ord. min. Convent.[k], ⟨de Diruta, provinciae Umbriae, concionator R^{mi} et Ill^{mi} D. cardinalis Tridentini,⟩[l] sumpsit examinandos articulos extremae unctionis, quorum primum haereticum asseruit, et fuit error Valdensium, qui iam damnati sunt. Adduxit argumenta adversariorum. Primo negant epistolam Iacobi[4], vel, si est, quod Apostolus non potuit instituere sacramentum[5]. Et quod Iacobus omnes infirmos inungi praecipit, nos nonnisi in extremo laborantes[6]. Ad primum, quod sit Iacobi epistola illa, patet ex consensu totius ecclesiae et ex patribus. Hieronymus enim in proemio ad Paulinum[7] et in lib. scriptorum ecclesiasticorum de ea meminit[8]; Augustinus lib. 2 de doct. Christ.[9]; concilium Africanum can. 84[10]; concilium hoc Tridentinum sess. 4[11]. Et iste Iacobus fuit frater Domini, non autem ille minor, qui ab Herode occisus est, cum hic Iacobus interfuerit postea in concilio apostolorum habito Hierosolymis[12], et ad eundem scripsit Clemens I[13]. Et hanc unctionem praeludebat illa, de qua Marc. 6 [13], quae non erat sacramentum. Quod dicitur Iacobum non potuisse instituere, verum est; at promulgavit, non instituit; imo (ut Augustinus ait) per eum Dominus. Et quod tantum extreme laborantes ungantur, 227r id esse, ut transituri ex hoc mundo | mundi omnino exeant, si qua peccata remansissent post confessionem, per hoc deleantur, ut dicit Apostolus, et ut firmius cum diabolo in extremo pugnent. Articulus igitur primus in omnibus haereticus et impius est. 2^{s} etiam et contra verba Iacobi: *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Neque gratia illa curationum erat sacramentum, sed quaedam confirmatio praedicationis apostolorum, ut dicitur: *Domino*

[a] *Th om.; M add.* doctor Coloniensis, subiiciens se etc.

[b] *M aliam textus formam exhibet* Et primo ostendit, quid sit lex divina: Est signum verum datum rationali creaturae etc., quae est Io. Iersonis [!]. Aliqua est lex divina in scriptura, alia voce tradita, in mentibus hominum scripta, alia scripta imperio Dei. Et ita ostendit confessionem esse de iure divino. De traditione autem divina 2 ad Cor. 3 et 1 ad Cor. 2 Paulus agit; 2 ad Thess. [2, 15]: «State fratres et tenete traditiones.» Et evangelium ipsi evangelistae a Christo per traditionem acceperunt et aliqui ab apostolis, ut Marcus a Petro et Lucas a Paulo; et Christus apud Io. [16, 12 sq.] dixit: «Multa alia habeo, sed non potestis modo portare, sed Spiritus Sanctus» etc. Et Paulus [2] ad Cor. [3, 2]: «Vos estis epistola mea» etc. Ez. 36, ad Hebr. 8, Ierem. Quod autem sit de iure divino, probavit ex traditione.

[c] *M om.* [d] *M* et qui, cum de aliquo disceptatio est, docet recurri ad ecclesiam Romanam

[e] *Th* perpetuo [f] *M* quae ecclesia Romana continuam successionem ab apostolis

[g] *M add.* Origenes de principio . . . *[lacuna]* et Tertullianus in libro de corona militis

[h] *M* multi patres antiqui

[i] *M* 2., 3. et 4. articulus hereticus est; 5^{s}, 6^{s}, 7^{s} et 8^{s}, quia sacerdos non sua, sed Christi auctoritate absolvit.

[k] *M* de observantia [l] *Th om.*

[1] *2 Thess.* 2, 15. [2] *Io.* 16, 12 sq.

[3] *Irenaeus,* Adversus haereses lib. III c. 4 n. 1 (de traditione ecclesiae). *Migne,* P. gr. VII 855. Quoad confessionem cf. supra p. 259 adn. 5.

[4] De opinionibus Lutheri aliorumque saec. XVI theologorum circa epistulam Iacobi vide *M. Meinertz,* Der Jakobusbrief und sein Verfasser in Schrift und Überlieferung (Freiburg i. Br. 1905) 216—236.

[5] *Lutherus* in libello De captivitate Babylonica dicit: «Omitto enim, quod hanc epistulam non esse apostoli Iacobi nec apostolico spiritu dignam multi valde probabiliter asserant ...; si etiam esset apostoli Iacobi, dicerem non licere apostolum sua auctoritate sacramentum instituere.» *Ed. Weimar.* VI 569.

[6] Cf. supra p. 239 adn. 10.

[7] *Hieronymus,* Epistula 53 ad Paulinum n. 8. *Migne,* P. lat. XXII 548.

[8] *Hieronymus,* De viris illustr. c. 2. *Migne,* P. lat. XXIII 609.

[9] *Augustinus,* De doctrina christ. lib. II c. 8 n. 13. *Migne,* P. lat. XXXIV 41.

[10] Conc. Carthaginense III a. 397 can. 47. *Mansi* III 891. Qui canon cum multis aliis huius concilii canonibus ex concilio Hipponensi a. 393 sumptus est.

[11] Conc. Trid. V 91.

[12] De quaestionibus historicis circa auctorem huius epistulae cf. *Lexikon für Theologie und Kirche* V 268 sqq. vel libros introductionis in Novum Testamentum.

[13] Quae epistulae sunt originis Pseudo-Isidorianae.

cooperante, sermonem confirmante sequentibus signis[1]. Neque curationes omnes fiebant per unctionem, sed per manuum etiam impositionem ⟨et aliis modis, ut sola oratione,⟩[a] ut de Paulo in Act. Apost.[2] Nunc autem ecclesia confirmata signis non eget. 3. articulus etiam haereticus est, quia in ritu, quem ecclesia Romana observat, habentur omnia, quae a Iacobo docentur. 4. articulus haereticus quoque est, quia soli presbyteri sunt ministri huius sacramenti. Et in omni lege semper presbyteri a laycis distincti sunt. Quod etiam docet Paulus ad Titum: *Huius rei gratia reliqui te Cretae, ut constituas per civitates presbyteros*[3].

Congregatio theologorum. Discutiuntur iidem articuli de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis.

Die sabbati **24.** dicti mensis **Octobris** hora 14 habita est congregatio theologorum super discussione supradictorum articulorum de poenitentia et extrema unctione et loquitur primus

Melchior de Cano, ord. Praed., ⟨Hispanus, missus etiam ab imperatore; sed⟩[b] quia aegrotabat, suo loco non dixit. Disseruit articulum 2: *Non esse tres poenitentiae partes* etc., ⟨quem haereticum esse comprobavit.⟩[c] Adduxitque argumenta adversariorum, qui primo dicunt omnia in absolutione consistere, et gratiam conferri. Et, si actus illi essent causa efficiens nostrae gratiae, opera nostra ⟨nos iustificarent et⟩[c] essent causa efficiens gratiae nostrae. Et contritio non est signum sensibile; ergo ad sacramentum non pertinet. Et sola attritione perficitur sacramentum; quod si contritio esset pars de iure divino, semper requireretur. Et confessio non est semper[e] necessaria, ut, | si quis amit- 227v
teret verba in infirmitate, tamen illis [!] debetur absolutio, ⟨si nutu eam postulent absque confessione, ut habetur multis in locis:⟩[c] Conc. 3 Carthaginense ca[n]. 34[4] et Leo in epist. 69[5], dum se esse peccatores annuant. Et: Confessio est inventum humanum[d]; ad quod allegant Sozomenum et Socratem in histor. tripartita[6] et Chrysostomum hom. 2 in Psalm. 50[7] et in oratione de B. Philogonio[8] et hom. 4 de Lazaro[9] et in aliis locis, ut refert Gratianus cap. [87] *Quis aliquando* de poenit. dist. 1. Et adducunt ecclesiam graecam sub Nectario. Contra satisfactionem adducunt, quod illa sit posterior ipso sacramento, ergo non pars, sed accidens adveniens. Et repugnat gratuitae remissioni peccatorum et sic evangelio. Esai. 52 et 55: Gratis redempti[10] etc. et Esai. ⟨43⟩[e] [25]: *Ego ipse deleo iniquitates propter me.* Et ad Col. 2 [13 sq.]: Donans delicta chirographum delevit etc. Et dicitur item in scriptura: Deus delicta non imputat et non recordatur et post terga proiicit[f][11]; ergo satisfactio ad nihil opus est. Et Ezech. 18: Si ingemuerit etc., iniquitatum amplius non recordabor[12]. Allegant praeterea Chrysostomum hom. de poenit. ad confessionem et Augustinum, qui dicat, quod castigatio non est poena, sed medicina[13]. His adductis confirmavit veritatem catholicam tresque esse poenitentiae partes ostendit, praemittens quaedam principia, ut poenitentiam in lege veteri pro vindicta peccatorum sumi, quasi a poena poenitentia dicta, ut, cum poenam pro peccatis patimur, de quo Ambrosius

[a] *M* super aegrotos manus imponent et bene habebunt, aliquando orationibus [b] *Th om.*
[c] *M om.* [d] *Th* hominum [e] *C 118, C 119 et Th* 40 [f] *M add.* et similia

[1] *Marc.* 16, 20. [2] Ex. gr. *Act.* 14, 10.
[3] *Tit.* 1, 5.
[4] Concilium Carthaginense III a. 397 can. 34 (apud Pseudo-Isidorum): «Ut aegrotantes, si pro se respondere non possunt, quum voluntatis eorum testimonium sui dixerint, baptizentur; similiter et de poenitentibus agendum est.» *Hinschius* 299. Sed quod dicitur de poenitentibus, additamentum est Pseudo-Isidorianum. In collectione Hispana illa verba desunt. *Migne,* P. lat. LXXXIV 193.
[5] Rectius epistola 89, quae nunc est ep. 108 ad Theodorum Foroiuliensem (cf. supra p. 242 adn. 13) c. 5. *Migne,* P. lat. LIV 1013 sq.
[6] Cf. supra p. 250 adn. 2 et 3.
[7] *Pseudo-Chrysostomus,* Homilia 2 in Ps. 50 n. 5. *Migne,* P. gr. LV 581.
[8] *Chrysostomus,* Homilia in beatum Philogonium. *Migne,* P. gr. XLVIII 754 sq.
[9] *Chrysostomus,* Concio 4 de divite et Lazaro: «Non, inquit, cogo te in medium prodire theatrum ac multos adhibere testes; mihi soli dic peccatum privatim, ut sanem ulcus teque dolore liberem.» *Migne,* P. gr. XLVIII 1012. — Quae omnia invenis apud *I. Calvinum,* Institutionis rel. christ. secunda recensio cap. 9 n. 22 et 23. *Corp. Ref.* XXIX 700 sq.
[10] Cf. *Is.* 52, 3.
[11] Cf. *Ez.* 33, 16; 18, 22. *Is.* 43, 25; 38, 17.
[12] Cf. *Ez.* 18, 21 sq.
[13] *I. Calvinus,* Institutionis rel. christ. secunda recensio cap. 9 n. 53. *Corp. Ref.* XXIX 725 sq. Cf. etiam infra p. 262 adn. 3.

hom. in Psalm. 31[1] et Paulus 2 ad Cor. 7 [10]: Tristitia, quae secundum Deum est, *poenitentiam in salutem stabilem operatur*, id est vindictam, ut idem Paulus postea declarat. Unde in sacris litteris ⟨de poenitentia fit mentio quasi cum iudicio⟩[a], Ezech. 18 [5 27] et 1 ad Cor. 11 [31 sq.]: *Si nos diiudicaremus* etc., *cum iudicamur autem, a Domino corripimur*. Et eadem poena non est tam vindicativa, quam etiam medicina, ut patres omnes 228r senserunt. Unde concilium Lateranense | dicit: *more periti medici*[2] etc., et Paulus: *In salutem stabilem operatur*[b]. Ita enim Deus ut[c] iudex punit, ut pater corrigit, ut medicus medetur, cum affligit. Et in hac vindicta duo a nobis Deus exigit, poenitentiam interiorem et exteriorem, ita ut eodem tempore et animus et caro patiantur, sicut accidit in inferno[d]. Et quod Deus poenitentiam exteriorem exigat, etiam Calvinus ipse cap. 9 suae institutionis[3] et Lutherus in sermone de Magdalena fatentur[4]; interiorem autem, cum non possimus induere novum hominem, nisi prius veterem exuamus, ⟨quod ad interiorem actum pertinet⟩[e]. Et: *Cor contritum et humiliatum Deus non despiciet*[5]. Et: *Scindite corda vestra*[6]. ⟨Et: In amaritudine cordis vestri[7] etc.⟩[e] Et in multis aliis locis sacrae scripturae ac etiam in 6. sessione huius sacri concilii Tridentini[8]. Et quod etiam satisfactio exterior requiratur, patet ex multis locis. Aiebat enim Ioannes Baptista: *Facite fructus dignos poenitentiae*[9]. Quae exterior est; nam Christus ipse ait: *A fructibus eorum cognoscetis eos*[f][10]. Et 2 Cor. 7 [11]: Vindictam operatur. Et apud Ioelem [2, 12]: *Convertimini ad me in toto corde*, et quae sequuntur. Et hoc iudicium Christus commisit faciendum ecclesiae, ut Constantiense[11] et Florentinum[12] concilia declarant, ut scil. sacerdos ⟨auditis peccatis iudicium de eis faciens imponat poenas peccatoribus⟩[g]. Et ita recepit usus ecclesiae, qui habetur ex traditione apostolica, et Ioa. 20 [21]: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, ut iudicium, quod Pater Filio dedit[13], Filius sacerdotibus traderet[h]. Et: *Quorum remiseritis*, et: *Quorum retinueritis*. Quae duo in iudicio consistunt et a iurisdictione pendent. Neque apostoli missi sunt solum, ut praedicarent, ⟨sicut Lutherani dicunt⟩[e], sed ut baptizarent: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*[14] etc., et ut sacramenta alia administrarent, ut ex hoc loco: *Quorum remiseritis*. Tres sunt igitur poenitentiae partes necessariae ad hoc sacramentum: contritio, confessio et satisfactio, ut determinavit concilium Florentinum[15] et hoc 228v sacrum Tridentinum | sess. 6 in decreto de iustificatione[16]. Et sicut in iudiciis saecularibus confessio rei, actus poenitentis et vindicta iudicis sunt partes illius causae iudicialis, ita et in hoc iudicio spirituali. Alias enim poenitentia non esset sacramentum, quia in actibus poenitentis consistit. Ergo 2. articulus omnino haereticus est. Respondit deinde ad argumenta superius in contrarium adducta, primo quod dicebatur: *Solam absolutionem*[17] etc., esse falsum, quia, licet praecipua causa sit, tamen causa, quod quis absolvatur, est contritio et confessio et propositum satisfaciendi; quae tria concurrunt ad consequutionem[i] gratiae. Secundum[18]: Quod nostra opera essent caûsa nostrae gratiae, hoc non asseri a Catholicis quoad culpam, quae semper gratis a Deo remittitur, sed quoad poenam. Opera enim esse causam dispositivam, ut Deus nobis parcat. Quare dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*[19]. Remissionemque poenae vere merentur bona opera. Tertium[20]: Quod contritio non sit sensibilis etc., fatetur; sed non propterea non esse partem. Non enim oportet, ut omnes partes corporeae sint. Nam hoc est iudicium in-

[a] *M* «poenitentiam» dicitur «iudicetur» [!]
[b] *M add.* et Chrisostomus in hom. 7 ad . . . [c] *C 119* est [d] *Th* infirmo [e] *M om.*
[f] *M add.* item sancti patres [g] *M* poenas iniungat [h] *C 119 om.* [i] *M* remissionem

[1] *Ambrosius*, Enarratio in Ps. 37 (non 31) c. 13 sq. *Migne*, P. lat. XIV 1014 sq.
[2] Concilium Lateranense IV a. 1215 in cap. *Omnis utriusque*. C. 12 X de poen. et remiss. V 38.
[3] *I. Calvinus*, Institutionis rel. christ. secunda recensio cap. 9 n. 53, poenas quidem a Deo infligi concedit, sed eas esse satisfactiones pro peccatis negat. Dicit enim: «Dum nos filii Dei manu coelestis Patris affligimur, non haec poena est qua confundamur, sed castigatio dumtaxat, qua erudiamur. Qua in re plane nobiscum est Augustinus. Docet enim poenas, quibus homines pariter castigantur a Deo, varie considerandas esse, quia sanctis sunt, post peccatorum remissionem, certamina et exercitationes; reprobis, sine remissione, supplicia iniquitatis.» *Corp. Ref.* XXIX 726.
[4] *M. Lutherus*, Hauspostille 1544: Am Tag Magdalene. *Ed. Weimar.* LII 664—673.
[5] *Ps.* 50, 19. [6] *Ioel* 2, 13.
[7] Cf. *Is.* 38, 15.
[8] Sessio VI cap. 6 et 14 de iustificatione. Conc. Trid. V 793 796.
[9] *Luc.* 3, 8. [10] *Matth.* 7, 16.
[11] Cf. infra p. 267 adn. 10.
[12] Cf. supra p. 241 adn. 3.
[13] Cf. *Io.* 5, 22. [14] *Matth.* 28, 19.
[15] Cf. supra p. 255 adn. 2.
[16] Cap. 14 de iustificatione. Conc. Trid. V 796.
[17] Cf. supra p. 261 l. 15.
[18] Cf. supra p. 261 l. 15 sq.
[19] *Luc.* 7, 47.
[20] Cf. supra p. 261 l. 17.

ternum et externum. Pertinet autem ad iudicium externum, cum peccata secundum animum iudicantur. Et ipsa etiam confessio a dolore interiore proficiscitur. Quartum[1]: Esse verum, quod dicitur ⟨per contritionem aliquando remitti peccata, nunquam autem absque voto confessionis et satisfactionis.⟩[a] Et hoc sacramentum ⟨aliquando in absolutione primam gratiam non confert⟩[b], cum videlicet per contritionem iam sunt remissa peccata; alias, si est attritio, fit per ⟨confessionem et⟩[c] absolutionem contritio. Quintum[2]: De confessione non necessaria in infirmo, qui non potest loqui etc. Patres in illis casibus non loquuntur de sacramentali absolutione, sed de quadam reconciliatione, quae eo tempore in usu erat. Et concilia de poenitentia publica intelligebant[d]; alias hoc sacramentum non administraretur ut iudicium. Sextum[3] esse omnino falsum, quia confessio ipsa est de iure divino et ab apostolis | etiam tradita et in ecclesia catholica perpetuo observata, tum ex locis a prae- 229r
decessoribus allegatis, tum a Sixto IV declaratum in condemnatione cuiusdam Ozomensis[4]. Et ex Ioa. 20 [23] necessario colligitur, quia ad illum finem, de quo in illis verbis: *Quorum remiseritis* et *retinueritis,* perveniri non potest nisi per medium confessionis. Alias Christus instituisset stultum iudicium, si absque causae cognitione sacerdos iudicaret; neque cognoscere potest, quid facturus sit de peccatore, sacerdos, nisi eius peccata prius audiat. Neque medicus curare potest, nisi prius morbum noscat. Et Christus etiam secretam confessionem instituit. Non enim contra legem naturae Christus instituit, cum confessionem instituit. Evangelium etiam id praecipit, ut secreta serventur. De quo Leo epist. ⟨69⟩[e] [5]. Neque ecclesia posset facere, ut secreta confiterentur. Quod dicitur de Nectario, ut Ruffinus in 11. lib. hist. eccl. refert, is erat imperitus aulicus[6]; neque igitur mirum, si erravit, ut tantum malis externis curaret mederi. ⟨Erravit igitur Nectarius, sicut alias in multis ecclesia graeca.⟩[c] Quod addunt de Sozomeno et Socrate, ii loquuntur de publico poenitentiali presbytero, qui ⟨publice ad audiendas confessiones praepositus esset⟩[f]. Quod dicunt de Chrysostomo, ille loquitur ut de consuetudine, quae tunc erat in ecclesia Constantinopolitana, vel erravit in ea parte, ut Cyprianus de baptismo haereticorum. Ecclesia enim catholica et alii doctores omnes, tam antiqui quam moderni, contrarium senserunt. Quod adducunt contra satisfactionem, intelligi ea omnia de remissione culpae et poenae aeternae. Et poena aliquando vocatur peccatum, ut [2] Machab. 12 [46]: *Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut a peccatis solvantur.* Et alibi: *Elemosynis redime peccata tua;* et *ignoscet forsan* Deus *peccatis tuis*[7]. Et Prov. 15 [27] et 16 [6]: *Redimitur iniquitas* etc. Et David in Psalm. 50 [3]: *Miserere mei Deus.* Et tamen erat ei remissum peccatum, cum a | Nathan ei dictum fuisset: *Transtulit Dominus peccatum tuum*[8]. Et tamen etiam 229v
dicit: *Amplius lava me ab iniquitate mea*[9]. Et: *Averte faciem tuam a peccatis meis*[9]. Ergo aliquid post remissionem sui peccati remanserat. Et 2 ad Cor. 2 [10]: *Si quid donavi, in persona Christi* etc., scil. propter contristationem[g], ⟨iam remissa culpa⟩[h], ut Theophilactus, Chrisostomus et Ambrosius dicunt, poenam condonasse. Et Luc. 7 [47] dicitur: *Remittuntur peccata multa, quoniam dilexit*[i] *multum.* Et notandum, quod dicitur in praesenti: *remittuntur.* Et quod dicunt: Gratis Deus remittit, id verum esse de culpa ⟨et poena aeterna⟩[c]. Neque repugnat, quod gratis remittat et aliquid exolvatur ⟨ob divinam iustitiam⟩[c]. Unde dicitur vere: Vita aeterna gratis datur, et tamen nonnisi iuste datur ⟨per tribulationes etc.⟩[c] Quia omnia a gratia Dei habentur. Et nostra satisfactio Dei etiam est gratia. Deus enim ob suam bonitatem facit, quod, quae sua sunt gratia, nostra sint merita. Unde nostra opera, quatenus meritis Christi innituntur, meritoria sunt. Et ita intelliguntur

[a] *M super lineam* quod contritio aliquando remittat cum voto confessionis et absolutionis, *et del.* sed in tali infirmo requiritur interior contritio et confessio.
[b] *M* potest aliquando gratiam tantum conferre [c] *M om.*
[d] *M add.* cum de poenitentia meminerant [e] *M* 67; *in C 118 et C 119 corr. ex* 67
[f] *M* audiret confessiones publice et publice praepositus esset [g] *M* contestationem
[h] *In C 118 supra lineam alia manu et pallido attramento; M om.* [i] *M add.* (in praeterito)

[1] Cf. supra p. 261 l. 18 sq. quoad ultimam huius obiectionis partem.
[2] Cf. supra p. 261 l. 19 sqq.
[3] Cf. supra p. 261 l. 22.
[4] Propositio prima Petri Oxomensis in bulla *Licet ea* Sixti IV damnata: «. . . confessionem peccatorum in specie ex universalis ecclesiae realiter statuto, non divino iure compertam fore.» *F. Gaude,* Bullarium Romanum V (Augustae Taurin. 1860) 265. Cf. supra p. 245 adn. 21.
[5] Cf. supra p. 261 adn. 5.
[6] *Rufinus,* Hist. eccl. lib. IX c. 21: «Apud Constantinopolim vero Nectarius ex praetore urbano catechumenus et nuper baptisma consecutus sacerdotium suscepit.» *Migne,* P. lat. XXI 528. Die griech. christl. Schriftsteller der ersten drei Jahrh., *Eusebius* II 2, 1025.
[7] *Dan.* 4, 24.
[8] *2 Reg.* 12, 13.
[9] *Ps.* 50, 4 11.

auctoritates in contrarium adductae de peccatis integre remissis, quoad culpam et poenam[a]. Quod aliquando fit, aliquando non, ut ostensum est de Davide et aliis. Ad Augustini auctoritatem[b] respondit, se declarari in Psalm. 50 super illis verbis: *Amplius lava me.* Et illis: *Ecce enim veritatem dilexisti* etc.[1] Subiiciensque se iudicio sanctae synodi ⟨finem fecit.

Et dimittitur congregatio hora 17.⟩[c]

Congregatio theologorum. Examinantur iidem articuli de poenitentiae et extremae unctionis sacramentis.

Eadem die sabbati **[24. Octobris]** hora 20 habetur etiam congregatio theologorum, quorum infrascriptus prosecutus est examinationem supradictorum articulorum, videlicet

Martinus Olaveus, clericus saecularis, ⟨natione Hispanus, procuratur R[mi] et Ill[mi] D. Octonis Truchses S. R. E. presbyteri cardinalis Augustensis.⟩[c] Primum articulum de
230r poenitentia disseren|dum suscepit eumque haereticum confirmavit, esse scil. hoc sacramentum a Christo institutum. Et respondit ad dictum Ambrosii de Petro: Lachrymas eius lego; sed quid dixerit, non lego[2]. Ambrosium non dubitasse de Petri confessione, sed quod non usus fuerit aliqua excusatione sui criminis, ⟨neque etiam tunc hoc sacramentum institutum erat⟩[d]. Et ad illud Nectarii etc. confessus est eo tempore confessionem omnino sublatam; sed Graecos ⟨in eo errasse⟩[e], prout in aliis multis ab ecclesia catholica dissentiunt, ⟨etiam nunc. Quae Graecorum ecclesia non est attendenda,⟩[d] sed quod ecclesia ⟨sancta catholica apostolica⟩[d] Romana semper illibatum perpetuo retinuit et docuit, id ex fide ab omnibus tenendum est. Confirmavitque magna laude dicta per patrem de Cano hoc mane, et necessitatem huius sacramenti ostendit, et Deum sacramenta omnia per actum aliquem sensibilem ordinasse, quibus gratiam suam daret, ut, cum id videremus, animum ad spiritualia erigeremus. Nam ad quid per aquam Deus in baptismo gratiam dat? Cur non per solam fidem? Et quemadmodum pro impiis illum instituit, ita pro relapsis poenitentiam; quae tamen non est proprie regeneratio, ut haeretici dicunt. Quod damnari etiam cupit. Et est hoc sacramentum tanquam tribunal quoddam, ante quod, qui a gratia exciderunt, se purgant dolore et accusatione suorum delictorum. Et firmavit hanc poenitentiam non posse sine illis tribus partibus vel actibus consistere, quae tres adeo sunt inter se necessariae, ut una sine aliis esse non possit. Ita contritio vera continet confessionem et satisfactionem. Neque enim alias quis vere de peccato dolere potest, ⟨nisi et votum confitendi habeat et satisfaciendi.⟩[d] Ita et confessio quoque nulla esset, nisi et simul de peccatis doleret et satisfaciendi haberet propositum. Itidem et satisfactio alias duas continet. Et licet Christus plene pro omnibus satisfecerit et quoad culpam et
230v quoad poenam, tamen ⟨ex quadam divinae iustitiae | ratione⟩[d] noluit Christus, quod nos absque eo, quod[f] cum ipso compateremur, salvaremur. Et omnis nostra satisfactio Christi est satisfactio, quia ab ea[g] dependet. Satisfactio etiam debet cum contritione et confessione coniungi, ut scil. satisfaciendo doleat et se iuste pati, quod in confessione a sacerdote impositum est, agnoscat et fateatur. Neque unquam gratia confertur sine aliquo opere operante in adulto. Non enim peccator gratiam recipere potest, nisi aversus a Deo ad Deum convertatur et se peccatorem cognoscat, et sic contritio. Satisfactionem autem dixit esse expiationem culpae nihilque aliud sonare satisfactionem poenae quam solutionem. Et satisfacimus pro offensa facta Deo, igitur pro culpa, non pro poena. Nam etiam in iudicio seculari, cum iudex imponit aliquam poenam reo exolvendam ob culpam ab eo commissam, ⟨ea poena, cum exolvitur, pro culpa commissa exolvitur,⟩[h] per quam satisfactionem vera pax cum Deo firmatur[i]. Deinde confessionem de iure divino esse ostendit, etiam secretam, et omnium peccatorum et circumstantiarum, quae speciem peccati vehementer augent. Neque alias iudicium a sacerdote de peccatis fieri posset. Im-

[a] *Th* poenitentiam [b] *M add.* quod castigatio non sit poena [c] *Th om.* [d] *M om.*
[e] *M* male tunc fecisse [f] *C 119 om.* [g] *Th* eo
[h] *M* (scriptores sunt de ea loquentes; Hugo in De satisfactione)
[i] *M add.* Ambrosius super 11 Matth.: Date elemosynas etc.

[1] *Migne,* P. lat. XXXVI 588 sq. 592 sq.
[2] *Ambrosius.* Expositio evangelii secundum Lucam lib. X n. 88: «Non invenio quid dixerit, invenio quod fleverit; lacrymas eius lego, satisfactionem non lego; sed quod defendi non potest, ablui potest.» *Migne,* P. lat. XV 1825.

probavit deinde articulum: *Nisi gratia Spiritus Sancti praediti* etc. Et de casuum reservatione etc.[a]

Dimittiturque congregatio hora ⟨23⟩[b] et vocatur in crastinum (licet sit Dominica) ad horam 20. Cui congregationi interfuerunt primum duo procuratores R. D. episcopi Leodiensis, videl. decanus illius ecclesiae et quidam theologus ord. Praed. ⟨nomine Gregorius⟩[c]. Quibus datur locus retro sedes electorum. Interfuit etiam primum R. D. archiepiscopus Thessalonicensis, Graecus[d], cui datur locus post alios archiepiscopos latinos[c]. ⟨Supradictisque congregationibus interfuit semper orator electoris Brandeburgensis, cui datus est locus retro sedes oratorum imperatoris. | Interfuit etiam ipsi congregationi primum R. D. epi- 231r
scopus Constantiensis, natione Germanus.⟩[c]

Congregatio theologorum. Discutiuntur iidem articuli de poenitentiae et extremae unctionis sacramentis.

Die Dominica **25.** eiusdem mensis **Octobris** mane, ut daretur commoditas interessendi divinis, non est habita congregatio theologorum, sed habetur a prandio hora 20, in qua infrascriptus prosequutus est examinationem eorundem articulorum de poenitentia et extrema unctione.

Ioannes Gropperus[1], clericus saecularis, ⟨Germanus, familiaris R[di] et Ill[mi] D. electoris Coloniensis,⟩[e] accepit examinandum primum articulum de poenitentia, non esse scil. poenitentiam sacramentum; quae assertio est Lutheri in fine sui libelli de captivitate Babilonica[2] et Buceri in libello contra Antididagma Coloniensium[3]. Qui moventur tribus

[a] *M add.* sed non ei placere, quod Romae confitentes [!] poenitentiarii faciunt, ut super uno crimine quemquam absolvant, deinde coram alio sacerdote alia sua peccata confiteantur, cum dimidiata non debeat esse confessio.
[b] *Th* 24 [c] *M om.* [d] *M add.* nomine Macharius, patria ex insula Klio [e] *Th om.*

[1] Ioannes Gropper (1503—1559), doctor iuris civilis, scholasticus ecclesiae Coloniensis, in controversiis religionis huius temporis strenuus fidei catholicae defensor fuit. Cum ipse archiepiscopus Coloniensis Hermannus de Wied ad novam religionem se converteret et Martinus Bucerus Bonnae in ecclesia maiori concionaretur, Ioannes Gropperus his periculis ita fortiter se opposuit, ut per eum catholicam fidem in archidioecesi Coloniensi servatam fuisse nemo sit, qui neget. Catholicorum et Protestantium dissidia placari posse credidit doctrina sua de duplici iustitia, quam in libris suis «Enchiridion» et «Antididagma» exposuit; reiecta tamen hac doctrina in concilio Tridentino (1547), eam amplius non defendit. Archiepiscopus Adolphus III de Schaumburg eum et Eberhardum Billicum Carmelitanum secum theologos ad concilium duxit, quo die 10 Octobris 1551 pervenerunt. Literis die 14. Decembris 1551 datis rector et magistri universitatis Coloniensis Gropperum, Billicum et Alexandrum Candidum petiverunt, ut universitatem in concilio repraesentarent; eadem die eos in hoc munere apud legatos et patres confirmarunt. Quae literae editae sunt in *Annalen des Histor. Vereins für den Niederrhein* XXI—XXII (1870) 213—216. Doctores Colonienses eruditione ita excelluerunt in concilio, ut Eberhardus Billicus in literis die 25. Ian. 1552 ad Casparum Dorolerium datis speraret, «non paucos, ubi redierint ad suas ecclesias, missuros esse Coloniam eos, quos cupiunt bene in literis et re theologica institutos». *A. Postina,* Der Karmelit Eberhard Billick (Freiburg i. Br. 1901) 205. De Gropperi vita et scriptis cf. *W. van Gulik,* Johannes Gropper (Freiburg i. Br. 1906); de gestis eius in concilio vide *ibid.* 148—156. *Lexikon für Theologie und Kirche* IV 710 sq. *W. Schwarz,* Römische Beiträge zu Joh. Groppers Leben und Wirken, in: Histor. Jahrbuch VII (1886) 392—422 594—607.

[2] *M. Lutherus* in libro De captivitate Babylonica poenitentiam inter sacramenta expresse numerat. *Ed. Weimar.* VI 501. Sed in fine eiusdem libri solummodo baptismum et Eucharistiam proprie sacramenta appellari posse asserit: «Proprie tamen ea sacramenta vocari visum est, quae annexis signis promissa sunt. . . . Quo fit, ut, si rigide loqui volumus, tantum duo sunt in ecclesia Dei sacramenta, baptismus et panis. . . . Nam poenitentiae sacramentum, quod ego his duobus accensui, signo visibili et divinitus instituto caret, et aliud non esse dixi quam viam ac reditum ad baptismum. Sed nec scholastici dicere possunt suam diffinitionem posse convenire poenitentiae, qui et ipsi sacramento signum visibile ascribunt, quod formam ingerat sensibus eius rei, quam invisibiliter operatur. At poenitentia seu absolutio tale signum nullum habet, quare et ipsi cogentur propria diffinitione aut negare poenitentiam esse sacramentum et sic numerum eorum imminuere aut aliam sacramentorum afferre definitionem.» *Ibid.* VI 572.

[3] M. Bucerus, Bestendige Verantwortung ausz der Heiligen Schrifft usw. (Bonn 1545) fol. 65[v]: «Von der Penitentz. Sie machen auch die Penitentz ein Sacrament, nicht allein on die Hl. Schrifft unnd on exempel aller Heiligen vätter, sonder auch entgegen irer eygen definition, in deren sie doch setzen, das die h. Sacramenten sichtpare zeichen seien der unsichtbaren gnaden gottes. Nun aber ist die Penitentz, wie die hl. Schrifft und alle hl. Vätter diese namen brauchen, kein sichtbar zeichen, sonder ware reuwe unnd leidt der sünden, und Penitentz thun mit den waren Buszwercken und fruchten die ware reuwe der Sünden beweisen. Das absolvieren von Sünden ist der Sünden ledig sprechen unnd mit Gott unnd der Kirchen versönen. . . .» Similiter fol. 213[v] sq.

argumentis: Primo, quod non sit invisibilis gratiae visibilis forma. Et: Non esse nisi ministerium sacerdotis a Deo demandatum, neque ullum signum habere, nisi mandatum[a]. Dicunt etiam, quod haec poenitentia non vocatur a patribus sacramentum. Deinde fundando catholicam veritatem supradicta omnia falsa esse ostendit. Et primo dixit, omnem visibilem formam invisibilis gratiae esse sacramentum vel externum signum cum promissione gratiae a Christo institutum. Sed poenitentia est huiusmodi; ergo est sacramentum. Non omnis tamen poenitentia est sacramentum, sed quae in absolutione perficitur. Quod autem poenitentia habeat signum a Christo institutum patet, quia est absolutio sacerdotis, quae facit, quod significat iuxta verba Domini: *Quaecunque ligaveritis* etc., *in coelo ligata sunt,* Matth. 16 [19] et 18 [18] et Ioa. 20 [23]. Signum est igitur, quod in coelo erunt remissa, absolutio sacerdotis, et externum est signum habetque promissionem gratiae, ut constat ex illis verbis: ⟨*Erunt remissa,* vel *ligata in coelo*⟩[b]; ergo est sacramentum, neque sa-
231v cerdos | sine divina promissione peccata remittere posset. Et Paulus 2 Cor. 5 [18 sq.] ait: ⟨*Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum*⟩[c] *et dedit nobis ministerium*[d] *reconciliationis.* ⟨Et: *Posuit in nobis verbum reconciliationis.*⟩[h] Quae verba diriguntur a Paulo ad baptizatos. Ergo Paulus aliquod ministerium sentiebat esse in ecclesia pro reconciliatione relapsorum apud Deum. Sed nihil aliud est in ecclesia quam poenitentia; ergo illa est reconciliatio. Ait enim: *Posuit in nobis verbum reconciliationis.* Et: Fungi nos *legatione pro Christo*[1]. Et quod Paulus ad hanc poenitentiam respexerit, probatur per ea, quae ipse scribit in 7. cap. eiusdem epistolae: *Si quid donavi*[e] (quae verba signum significant); et cum dicit: *Donavi in persona Christi*[2], significat promissionem et Christi auctoritatem. Iterumque ostendit poenitentiam habere[f] signum a Christo institutum, et esse absolutionem, quae est virtus promissionis Christi et promissio gratiae: *Quorum remiseritis.* Et efficax, cum dicit: *Erunt remissa et in coelo.* Et hoc est, quod Ambrosius in Lucam dicit, ibi: *Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus*[3]? Quod scilicet sacerdos non suo iure remittat peccata, sed Christi auctoritate. Exterior igitur absolutio sacerdotis est signum huius sacramenti a Christo institutum. Nec obstat, quod dicitur in concilio Florentino de tribus illis actibus, esse quasi materiam[4]; hoc enim verum est et forma sunt verba, quibus sacerdos in absolutione utitur. Ipsa enim duo a signo differunt. Nam illi tres actus non sunt signum. Contritio enim non, quia in corde manet; neque confessio et satisfactio, quia sunt ex parte poenitentis, et signum debet esse ex parte conferentis sacramentum, et quia satisfactio fit post sacramentum. Sunt igitur illa tria materia huius sacramenti; signum autem absolutio. Cui quidem signo coniunctum est aliud signum ex traditione apostolica, quod est manuum impositio. Quae impositio signum est, quod peccata
232r nobis remittuntur. Ipsa autem manuum impositio a[g] | patribus tradita est et semper a[h] Romana apostolica ecclesia observata, ⟨de qua ipsa ecclesia meminit in oratione, qua potestas absolvendi confertur,⟩[i] [5] manusque in sacris litteris nihil aliud significat quam Dei potestatem, ut: *Emitte manum tuam ex alto*[6]. Et: *Aperis manum tuam et imples omne animal benedictione*[7]. Et: *Calix in manu Domini*[k] [8]. Et Chrysostomus cum vult aliquid probare esse ex traditione apostolica, allegat haberi id in ecclesia[l] [9]. Facit, quod Ambrosius lib. 6 de fide dicit, quod in hoc sacramento sit signum, de quo supra[10]. Unde et Christus in primitiva ecclesia in conferendis gratiis aliquo signo mirabili utebatur. Augustinus

[a] *M add.* ut dicitur de annunciatione, quae facta est Petro [Act. 12, 7 sqq.], et Paulo in carcere existenti, Act. [16, 35] nomine tribuni
[b] *M om.* [c] *M* Quoniam quidem Deus erat in Christo [d] *M* misterium
[e] *M hic add.* ob Christum donavi, *quod postea est del.* [f] *In M corr. ex* esse
[g] *Th om.* [h] *Th* in
[i] *M* unde dicitur in absolutionis oratione (ab ecclesia, id est episcopo, dum confert ordines) de hac manuum impositione etc.
[k] *M add.* etc., quae sequuntur, in quibus verbis misericordia et iustitia continetur
[l] *M add.* graeca, multo magis in Romana

[1] *2 Cor.* 5, 20. [2] *2 Cor.* 2, 10.
[3] *Luc.* 5, 21. *Ambrosius,* Expositio evangelii sec. Lucam lib. V n. 13. *Migne,* P. lat. XV 1639.
[4] Cf. supra p. 258 adn. 7.
[5] Quae impositio manuum hodie quoque symbolice observatur, cum sacerdoti poenitentem absolventi praecipitur in Rituali Romano preces absolutionis dicere «dextera versus poenitentem elevata». Sed nihil legitur de hac manuum impositione in Pontificali Romano (etiam saec. XVI) in oratione, qua potestas absolvendi traditur.
[6] *Ps.* 143, 7.
[7] *Ps.* 144, 16.
[8] *Ps.* 74, 9; cf. *Is.* 51, 17; *Ier.* 25, 15 sqq.; 51, 7.
[9] *Chrysostomus,* Comment. in epist. 2 ad Thess. homil. 4 n. 14. *Migne,* P. gr. LXII 488.
[10] In Ambrosii quinque libris de fide locum non inveni, qui huc pertineret.

lib. 3 cap. 16 de baptismo contra Donatistas, qui refert, quod in confirmatione descendebat ⟨in confirmatos⟩[a] visibilis Spiritus Sanctus[1], ut venit in apostolos in die Penthecostes[2], et in Ephesios Act. 19 [6][b]. Nunc autem per signum in nos descendit, quod fide credimus, ac si oculis videremus. Et Christus Matth. 9 [25 29] et Luc. 5 [13] etiam signis in sanando usus est. Et paralitico post remissionem peccatorum dedit visibile signum, ut grabatum tolleret et ambularet[3]. Idem faciebant apostoli, ut, quae dicebant, miraculis confirmarent[4]. Et quoniam infidelibus signa dabantur, postea accepta fide defecerunt signa miraculorum; sed loco eorum relictum est signum impositionis manuum. Et Paulinus in vita B. Ambrosii refert de quodam, qui ab Ambrosio sathanae traditus statim visibiliter a sathana absortus est[5], quod fuit signum visibile illius ligationis[c]. Et ideo ⟨in ferenda⟩[d] excommunicatione extinguuntur luminaria et proiiciuntur[6]. Praeterea absolutio sacerdotis significat primo absolutionem Christi, secundo reconciliationem omnium membrorum Christi; peccator enim peccans Spiritum Sanctum contristat et omnia Christi membra; igitur per absolutionem reconciliatur Spiritus Sanctus et omnia membra. Unde sancti patres Dei illachrimabant peccata hominum in genere, ut D. Bernardus et alii, ita ex reconciliatione gaudebant. | Significat item illa absolutio sacerdotis iudicium futurum in fine saeculi. Quae 232r comparatio non est a longe, quia omnis, qui absolvitur, debet cogitare se futurum ad dexteram Dei in futuro[e] iudicio, et e contra, qui ligantur[f]. Deinde probavit proprium sacramentorum esse, non pendere ex dignitate ministri, sed Dei; quod idem est in hoc sacramento, ut non conficiatur merito absolventis, sed Christi verbis. Unde apud Ioannem Baptistam dicitur de Spiritu Sancto: Is est, qui baptizat[7]. Et Paulus 1 ad Cor. [1, 13]: *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? Aut in nomine Pauli baptizati estis?* Omnia igitur ex Christo pendent. Quare damnati sunt Donatiani[g]. Et licet intentio ministri requiratur, ut definitum est ab hoc sacro concilio sess. 7[8], si tamen minister alio animum vertit et verbis nihilominus vel baptismi vel absolutionis utitur, ille absolutus ⟨vel baptizatus⟩[a] erit, quia quantum ad accipientem intentio eius requiritur. Et ex supradictis patet, poenitentiam esse sacramentum a Christo institutum. Idem probatur ex conciliis. Lucius III in sua constitutione in concilio Veronensi[h][9]. Item concilium Constantiense[10] et Florentinum[11]. Idem ex patribus: Augustinus in Psalm. 146[12]; Ambrosius in sermone natalitio Petri et Pauli[13] (qui etiam secretam confessionem probat) et in exhortatione ad poenitentiam cap. 7[14] et lib. 2 de poenitentia cap. 3[15]; Basilius in regula monachorum cap. ⟨21⟩[i], qui fundatur in Matth. 3 et Act. 19 [17—19][16], ubi probantur plane tres illae poenitentiae partes: contritio enim cum dicitur: *Cecidit timor super omnes illos et magnificabatur nomen Domini Iesu;* confessio autem, cum dicit: *Multi veniebant confitentes et annunciantes actus suos;* quae confessio quod fuerit baptizatorum, patet cum dicit: *Multi credentium veniebant* etc.; satisfactio vero, cum dicit: *Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros et combusserunt eos coram omnibus; et computatis pretiis illorum invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium*[k]. | ⟨Idem Basilius[l] in dicta regula monachorum cap. 98.⟩[m] 233r

[a] *M om.* [b] *M add.* et in domo . . . *[lacuna]* Act. 18. [c] *Th* legationis [d] *C 119 om.*
[e] *M* extremo [f] *C 119 et Th* ligatur
[g] *M add.* Unde dicit Augustinus in Numeris ad Aaron et Moysen
[h] *M add.* et habetur in cap. «Ad abolendam» [i] *Th* 2 [k] *Codd. et Th* millia
[l] *Codd.* Ambrosius [m] *M* et in eodem libro cap. 98

[1] *Migne,* P. lat. XLIII 148 sq.
[2] *Act.* 2, 3.
[3] Cf. *Matth.* 9, 2—8; *Marc.* 2, 3—12; *Luc.* 5, 18—26.
[4] Cf. *Marc.* 16, 20; *Act.* 14, 3.
[5] *Paulinus,* Vita S. Ambrosii c. 43. *Migne,* P. lat. XIV 42.
[6] *Pontificale Romanum,* in ritu ferendi solemnem excommunicationem post formulam anathematis, quam legere debet pontifex, hanc habet rubricam: «Quo facto tam pontifex quam sacerdotes debent proiicere in terram candelas ardentes, quas in manibus tenebant.»
[7] *Io.* 1, 33 de Christo dicitur: *Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.*
[8] Can. 11 de sacramentis in genere. Conc. Trid. V 995.
[9] Cap. 9 *Ad abolendam* X de haer. V 7, quod est a Lucio III in concilio Veronensi a. 1185 emissum.
[10] Concilium Constantiense, sessio 8, Errores Ioannis Wicleff n. 7. *Mansi* XXVII 633; Interrogationes Wicleffitis et Hussitis proponendae n. 20 ad 22. *Mansi* XXVII 1212.
[11] Cf. supra p. 241 adn. 3.
[12] *Augustinus,* Enarratio in Ps. 146 n. 8 et 14. *Migne,* P. lat. XXXVII 1903 sq. 1908.
[13] Probabiliter agitur de Ambrosii sermone supposititio in natali Petri et Pauli, cui initium «Cum omnes beati apostoli . . .», qui invenitur inter opera Augustini et etiam Maximi Tauronensis. *Migne,* P. lat. XXXIX 2120 sqq.
[14] In Ambrosii operum editionibus saec. XVI duos libros de poenitentia sequebatur «S. Ambrosii de poenitentia agenda adhortatio».
[15] *Migne,* P. lat. XVI 500 sq.
[16] Probabiliter cogitat de *Basilii* regulis brevius tractatis cap. 288, ubi duo illa loca *Matth.* 3, 6 et *Act.* 19, 18 allegantur. *Migne,* P. gr. XXXI 1283 sq.

Et apud Matth. 9 [12] dicit Christus: *Non est opus bene habentibus medico, sed male habentibus.* Ergo confessio est necessaria, quia peccatores male habentes indigent omnino medico, ut sanentur. Chrysostomus item lib. 3 de sacerdotio ⟨appellat poenitentiam sacramentum[1] et ostendit, quod⟩[a] sicut Pater dedit omnem potestatem Filio, ita Filius sacerdoti etc. Dicitque hoc sacramentum esse necessarium. Item idem Chrysostomus hom. ⟨41⟩[b] in Matth.[2] Prima igitur pars primi articuli haeretica ⟨et falsa⟩[c] est, prout etiam secunda, cum dicit hoc sacramentum non esse ad reconciliationem pro relapsis. Quae haeresis est Anabaptistarum[d]. Nam Matth. 18 [21 sq.] mandavit Christus remitti non septies tantum, sed septuagies septies. Et loquitur de baptizatis, cum loquatur de fratribus; ⟨ait enim Petrus: *Quoties peccabit in me frater meus* etc.?⟩[c] Et 2 Cor. 12 [21]: *Ne iterum cum venero humiliet me Deus apud vos et lugeam*[e] *multos*[f] *ex iis, qui peccaverunt et non egerunt poenitentiam* etc. Et Paulus Corinthiis iam baptizatis loquitur. Petrus etiam per poenitentiam purgavit peccatum suum; reversus enim ad se *flevit amare*[3]. Qui Petrus iam erat etiam baptizatus, cum ei a Christo dictum fuisset: *Qui lotus est, non indiget*[4] etc. Et Paulus docet Colossenses, qui a gratia exciderunt, per poenitentiam reverti[5]. Adducunt tamen Anabaptistae contra nos cap. 6 [4 6] ad Hebr.: *Impossibile est, eos, qui semel illuminati sunt et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam.* Et Hebr. 11: *Voluntarie peccantibus nobis iam non relinquitur pro peccatis hostia*[6]. Respondit primo, ⟨ut Ambrosius intelligit, de baptismo ea verba intelligi debere⟩[g][7]. Unde dicit Paulus *renovari;* per poenitentiae autem sacramentum quis proprie non renovatur; imo ⟨peccatorum iam sanatorum⟩[c] cicatrices restant, ⟨ut Basilius ait⟩[c][8]. Et cum dicit Paulus: Iterum Christum crucifigentes[9] etc., ⟨quae Christi mors proprie per baptismum⟩[h] repraesentatur[i]. Et improbavit, quod heri
233v quidam dixit[10], | quod satisfactio sit pro culpa et faciat ad remissionem culpae, quia offensa Dei est infinita neque per nos solvi potest. Et doctores dicentes peccata deleri per satisfactiones, intelliguntur de poenis. Sed veram responsionem ad dicta duo loca Pauli ad Hebr. ostendit esse, quod intelligantur de peccato in Spiritum Sanctum, quasi dicat Paulus Hebraeos prius ignoranter Christum negasse et crucifixisse; deinde postea illuminati ⟨per baptismum⟩[c] adhuc Christum negabant, quod est peccatum in Spiritum Sanctum. Loquitur igitur Paulus Hebraeis ⟨iam baptizatis⟩[c], qui iterum labentes Christum negabant, et iis locus salutis non restat. Quare dicit: *Voluntarie peccantibus*, quia non iam per ignorantiam, ut prius, peccabant. Per ignorantiam enim peccantes non voluntarie peccant. Unde etiam dicit: Iterum Christum crucifigentes *et ostentui habentes*[11]. Cuperetque a sancta synodo illa duo loca ita exponi et declarari, quid sit peccatum in Spiritum Sanctum, et differentiam [esse] inter peccata mortalia et venialia. Deinde ostendit, Nectarium non abrogasse confessionem semperque in ecclesia graeca fuisse confessionem secretam secretorum et publicam publicorum peccatorum. Et[k] in antiqua ecclesia semper pro publicis peccatis actam fuisse poenitentiam publicam, ut dicit Cyprianus in serm. de lapsis, Ambrosius lib. 1 de poenitentia, idem Augustinus, Hieronymus et alii dicunt[12], quod scilicet manifesta crimina non possunt secreto expiari. Nectarius autem delevit, quod de secretis peccatis publica fieret poenitentia, et delevit illam consuetudinem, quod secreta crimina secreto audita publicarentur et publice ⟨de eis poenitentia fieret⟩[l]. Et statuit, ne quis invitus ⟨de secretis delictis publice cogeretur poenitere⟩[m], idque reliquit arbitrio ⟨et con-

[a] *M* inquit etiam [b] *Th* 4 [c] *M om.* [d] *M add.* et est falsa
[e] *C 118, C 119 et Th* lugeant [f] *C 119 et Th* mu ti
[g] *M* intelligi de poenitentia baptismi secundum Ambrosium et de baptismo
[h] *M* quod in baptismo
[i] *M add.* sed cum Paulus dicat etiam: «Renovamini spiritu mentis vestrae» *[Eph. 4, 23]*.
[k] *Codd. add.* quod [l] *M* poeniterent non publicata persona
[m] *M* publicaretur et publice poeniteret

[1] Cf. supra p. 248 adn. 6. Sed «sacramentum» non appellat poenitentiam.
[2] *Pseudo-Chrysostomus*, Opus imperfectum in Matth. hom. 41 n. 4: «Qui percussus a diabolo et vulneratus est in peccatis, inveniet ibi medicinales cibos, qui eum per poenitentiam revocent ad salutem.» *Migne*, P. gr. LVI 862.
[3] *Matth.* 26, 75; *Luc.* 22, 62.
[4] *Io.* 13, 10.
[5] *Col.* c. 2 et 3.
[6] *Hebr.* 10, 26.
[7] *Ambrosius*, De poenitentia lib. II c. 2. *Migne*, P. lat. XVI 497 sqq.
[8] *Basilius*, Homilia de poenitentia n. 6. *Migne*, P. gr. XXXI 1487/88.
[9] Cf. *Hebr.* 6, 6.
[10] Qui erat Martinus Olavaeus. Cf. supra p. 264 l. 38—43.
[11] *Hebr.* 6, 6.
[12] De publica in antiqua ecclesia poenitentia vide libros historicorum supra p. 241 adn. 6 laudatorum.

scientiis⟩[a] confitentium. Quod etiam in concilio ⟨7⟩[b] Carthaginensi ⟨canone 5⟩[c] [1] decretum est. Praepositus igitur erat quidam presbyter, qui pro secretis delictis publicam poenitentiam imponebat, quem poenitentiarium presbyterum Nectarius abolevit, | et reliquit 234r omnes in sua conscientia, si voluissent de secretis peccatis publicam poenitentiam agere vel secretam. Confessio autem ipsa tam secreta quam publica pro ratione criminum semper in ecclesia graeca retenta fuit; de qua Chrysostomus hom. 43 in Matth.[2] optime meminit et multis aliis in locis. Et Cyrillus super illis verbis: *Quorum remiseritis*[3]. Et publicam poenitentiam in usum reponi consuluit. Ad illud, quod adducitur de Chrisostomo[d]: Non dico tibi, ut te prodas in publicum[4] etc., respondit intelligi de eo more, qui a Nectario sublatus erat.

Et cum diserte admodum ipsos articulos examinasset et maxima cum attentione ac plausu[e] auditus fuisset, pulsata iam hora 24 dimittitur congregatio.

Congregatio theologorum. Examinantur iidem articuli de sacramento poenitentiae et extremae unctionis.

Die lunae 26. eiusdem mensis **Octobris** hora 14 habita est congregatio theologorum super examinatione supradictorum articulorum de poenitentia et extrema unctione cepitque hodie suam sententiam primus

Everhardus Billicus[5], ord. Carmelitarum, provincialis inferioris Germaniae, ⟨familiaris R. et Ill. D. electoris Coloniensis, Germanus.⟩[f] Disseruit primum articulum de poenitentia et ostendit, ⟨qualiter Lutherani super hoc contrariantur sibi ipsis. Nam⟩[g] Lutherus in assertionibus fatetur poenitentiam esse sacramentum[6]; in libello autem de captivitate Babilonica id negat[7]. Et Melanchthon etiam in locis communibus poenitentiam sacramentum esse asserit[8]; sed in eisdem locis id negat[9]. ⟨Et rursus idem aliquando fatetur, aliquando negat in apologia confessionis Augustanae.⟩[h] [10] Qui adversarii etiam negant eam poenitentiam posse secundam tabulam appellari, quia (aiunt) semper manent illibata verba illa: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*[11]. Qui baptismus perpetuus est et semper salvat credentes. | Et dicunt etiam, quod non refert, quod quis labatur et a gratia ex- 234v cidat. Allegantque 2 Tim. 2 [13]: ⟨*Si non credimus, ille fidelis permanet* etc.⟩[i] Et asserunt navem baptismi rumpi non posse. Quoties igitur peccator ad baptismum respicit, ⟨gratiam recuperat⟩[k]. Et afferunt exemplum transitus maris rubri, ⟨ad quem in gratiis[l] petendis

[a] *M om.* [b] *M* 3
[c] *In C 118 add. supra lineam; dubium est, utrum legendum sit* canone 3 *an* 5; *in C 119 et Th legitur* canone 3
[d] *M add.* ad Hebr. [e] *M* laetitia [f] *Th om.*
[g] *M* primo, quid sit poenitentia apud Lutheranos. (Poenitentia est iustificatio, et quod sit renovatio vitae) et
[h] *M* et in apologia confessionis Augustanae, licet et in eadem apologiae defensione rursus id confitetur art. 13. At poenitentiam vere esse sacramentum declaravit.
[i] *M* Manet fidelis Deus et quod tu neges et pecces [k] *M* revertitur in gratiam
[l] *Th add.* a Deo

[1] *Mansi* IV 438.
[2] *Chrysostomus*, Homilia 42 (al. 43) in Matth. n. 3. *Migne*, P. gr. LVII 454 sq. In hom. 43 operis imperfecti nihil de hac re legitur.
[3] *Cyrillus Alexandrinus*, Comment. in Ioannis evangelium cap. 20, 23. *Migne*, P. gr. LXXIV 721/722.
[4] Cf. supra p. 261 adn. 9.
[5] Eberhardus Billicus, ord. Carmel. (1499[?] ad 1557), doctor theologiae, qui multum pro religione catholica in archidioecesi Coloniensi servanda et pro disciplina in ordinis sui monasteriis restauranda laboraverat, provincialis fuit provinciae Germaniae inferioris, cum archiepiscopum Coloniensem anno 1551 ad concilium comitaretur. De eius vita cf. *A. Postina*, Der Karmelit Eberhard Billick (Freiburg i. Br. 1901); non paucas litteras dedit e concilio priori conventus Coloniensis et aliis, quas invenis *ibid.* 203 sqq. Cf. etiam *Lexikon für Theologie und Kirche* II 357.
[6] *M. Lutherus*, Assertio omnium articulorum ... art. 1: «Sic in sacramento poenitentiae datur absolutio ...» *Ed. Weimar.* VII 101.
[7] Cf. supra p. 265 adn. 2.
[8] *Ph. Melanchthon*, Loci communes, secunda recensio, cap. de poenitentia: «Utiliter recensetur inter sacramenta et sacramentum poenitentiae.» *Corp. Ref.* XXI 485.
[9] Quod tamen fecit in prima locorum recensione; cf. supra p. 233 adn. 3.
[10] In apologia confessionis Augustanae poenitentiam vel potius absolutionem sacramentum esse non negatur. Nescio, de qua re hic cogitet Billicus.
[11] *Marc.* 16, 16.

semper Iudaei respiciebant⟩[a]. Idem (aiunt) Christiani facientes de baptismo salvantur[1]. Deinde catholicam veritatem firmavit, quod baptismus futura peccata non deleat, sed ea deleri solummodo per poenitentiam, quae proprie secunda tabula dicitur, etiam in sacris litteris. Paulus enim 1 Tim. 1 [19] dicit: *Quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.* Et idem Corinthium fornicatorem ab ecclesia tanquam ex navi eiicit[2]. Et Petrus peccatores[b] ⟨in luti volutabro refert⟩[c][3]. Et Ioannes in Apoc. 2. cap.[d] [5]: *Memor esto, unde excideris,* quasi videl. ex navi. Et quod baptismus solum ad praeterita peccata respiciat, docet catholica ecclesia et Paulus Rom. 3 [25]: Christum posuit Deus propitiatorem *propter remissionem praecedentium delictorum.* Et id etiam declarat Cyprianus[e] in sermone de lotione pedum, quod intelligatur de baptismo[4]. ⟨Et ad Hebr. 9 [15]:⟩[f] *Ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento* [etc.]. Et Ambrosius in epistola ad Rom. cap. 11 docet poenitentiam ante baptismum non requirere satisfactionem[g][5]; atque etiam Cyprianus serm. de eleemosyna allegat exemplum Christi, qui cum sanasset[h], praecepit, ne amplius peccaret, ne quid deterius ei contingeret[6]. Deteriora igitur contingunt peccatoribus post baptismum quam ante. Et idem Cyprianus in sermone de lotione pedum dicit[i], quod per poenitentiam post baptismum non[k] recipimus idem lucrum, quod in baptismo recipitur[7]. Idem lib. 1 epist. 3[8] et lib. 3 epist. 14[l][9]. Basilius in serm. de poenitentia contra Novatianos scribit, 235r quod ⟨in relapsis post baptismum, licet per poenitentiam vulnera sint sanata⟩[m], re|manent tamen cicatrices[n][10]. Et Robertus in Leviticum[11] Igitur post baptismum peccantes indigent poenitentia, neque sufficit ad baptismum respicere, ut Lutherus ait[12]. Et licet Christus sufficienter satisfecerit, cum Ioannes in sua 1. canonica cap. 2 [2] dicat, quod non solum pro nostris, sed pro totius mundi peccatis propitiatio est, non salvabuntur tamen, nisi quibus merita Christi applicantur. Unde et Turcae et Iudaei et alii impii[m] non salvantur. Quod tamen videtur contra verba Ioannis: Pro peccatis totius mundi; sed intelliguntur de unitis in Christum vel per baptismum in impiis vel per poenitentiam in[o] relapsis, quibus necesse est, ut Christum denuo induant per mortificationem ⟨et alias passiones⟩[p], ut simul cum Christo compatientes cum Christo conglorificentur[q][13]. Unde Paulus ait, ut nos ipsos imolemus hostiam puram Deo[14]. Neque per hoc Christi passio obscuratur; ex ea enim provenit, quod nostra satisfactio nobis prosit et Deo Patri accepta sit. Et Cyprianus etiam in sermone de lotione pedum dicit, quod oportet, quod nos omni tempore lavemur[15], et lib. 4 epist. 4 idem Cyprianus docet nos semper orare, ut Deo in Christo satisfaciamus[16]. Quare in evangelio dicebat villicus: *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi*[17]. Et scriptura dicit: *Omni habenti dabitur* et non habenti *auferetur ab eo*[18].

[a] *M* Israeliti semper ad illam liberationem respiciebant et salvabantur [b] *C 119 om.*
[c] *M* ad suum lutum reverti docet; *Codd. et Th* in luto volutari refert
[d] *M add.* ad Ephesinum episcopum [e] *M add.* homil. 50 [f] *C 118, C 119 et Th om.*
[g] *M add.* sed quae post baptismum fit requirere [h] *Th add.* paralyticum [i] *Th* dixit
[k] *Th* nos [l] *C 118, C 119 et Th* 4 [m] *M om.* [n] *M add.* vulnerum post poenitentiam
[o] *M add.* renatis [p] *M* etc. [q] *C 119 et Th* glorificentur

[1] *M. Lutherus* in libro de captivitate Babylonica necessitatem poenitentiae non negat quidem, sed eam sine baptismi recordatione haud fieri posse asserit in cap. de baptismo: «Quare dum a peccatis resurgimus sive poenitemus, non facimus aliud quam quod ad baptismi virtutem et fidem, unde cecideramus, revertimur et ad promissionem tum factam redimus, quam per peccatum deserueramus. . . . Proinde non parum profuerit, si poenitens primo omnium baptismi sui memoriam apprehendat et promissionis divinae, quam deseruit, cum fiducia recordatus eandem confiteatur Domino, gaudens se tantum adhuc in praesidio habere salutis, quod baptizatus sit detestansque suam impiam ingratitudinem, quod a fide et veritate eiusdem defecerit.» *Ed. Weimar.* VI 528. In fine autem eiusdem libri, ubi negat poenitentiam proprie sacramentum esse, solis baptismo et Eucharistiae nomen sacramenti tribuens, sic ait: «Baptismus autem, quem toti vitae tribuimus, recte pro omnibus sacramentis satis erit.» *Ibid.* VI 572.

[2] Cf. *1 Cor.* 5, 11. [3] *2 Petr.* 2, 22.

[4] *Ernaldus,* abbas Bonaevallis, Liber de cardinalibus operibus Christi (tum Cypriano adscriptus, cf. supra p. 171 adn. 4) cap. 7 de ablutione pedum. *Migne,* P. lat. CLXXXIX 1650—1653.

[5] *Pseudo-Ambrosius,* Comment. in epist. ad Romanos cap. 11 v. 29. *Migne,* P. lat. XVII 154.

[6] *Cyprianus,* Liber de opere et eleemosynis n. 1. *Migne,* P. lat. IV 603.

[7] Supra adn. 4.

[8] *Cyprianus,* Epist. 55 ad Cornelium. *Migne,* P. lat. IV 348.

[9] *Idem,* Epist. 9 ad clerum n. 2. *Migne,* P. lat. IV 251.

[10] Cf. supra p. 268 adn. 8.

[11] *Rupertus Tuitiensis,* Comment. in Leviticum lib. I cap. 18. *Migne,* P. lat. CLXVII 762 sq.

[12] Cf. supra adn. 1. [13] Cf. *Rom.* 8, 17.

[14] Cf. *Rom.* 12, 1. [15] Cf. supra adn. 4.

[16] *Cyprianus,* Epist. 7 ad clerum de precando Deo n. 5. *Migne,* P. lat. IV 243.

[17] *Matth.* 18, 26.

[18] *Matth.* 25, 29.

Respondit deinde ad argumenta adversariorum; primo cum dicunt: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*[1] etc., respondit verum esse, si baptizatus permanserit in ea gratia, ⟨quam in baptismo accepit⟩[a]. Unde dicitur apud Ioannem in Apoc.: *Memento, unde excideris; age poenitentiam*[2] etc.[b] Et Paulus: ⟨Qui se existimant stare, videant ne cadant[3]. Et⟩[a] docet poenitentiam salutem operari[4]; et Petrus in Act. Apost. ⟨dicit Simoni, ut poenitentiam ageret de nequitia sua.⟩[c 5] Ad secundum de 2 Tim. [2, 11 sqq.]: *Ille fidelis permanet* etc., respondit id ex diametro pugnare contra eos cum Paulus dicat: Si quis non crediderit, fidelis est Deus, ut scilicet eum non recipiat. Unde et dicit: *Si eum negaverimus, et ille negabit* | *nos.* ⟨Et idem dicit:⟩[d] *Si commortui sumus, et convivemus;* 235v *si sustinebimus, et conregnabimus.* Et cum dicit: Si increduli sumus, refertur secundum id, quod dixerat: Si negabimus, et ipse nos negabit, ut fidelis sit, quod si erimus increduli, nos etiam negabit. ⟨Et ita etiam Oecumenius hunc locum interpretatur.⟩[e 6] Tertium argumentum de mari rubro[f] etc.; respondit: Hebraei memorabant[g] illa beneficia, ut Deum misericordem haberent et ei ⟨debere faterentur⟩[h]. ⟨Alia autem ratio[i] est in baptismo et poenitentia, et⟩[a] alia est lex Christianorum, quae docet ⟨clare et aperte in impiis baptismo, in relapsis poenitentia opus esse⟩[k] Deinde impugnavit Melanchthonem, qui dicit baptismum esse ipsum sacramentum poenitentiae[7], qui fundat se, quod baptismus sit mortificatio et vivificatio nostra; sed respondit duplicem esse mortificationem, unam baptismi, de qua Paulus: Cum Christo *consepulti sumus per baptismum in mortem*[8]. Et tunc baptismus omnino renovat et ea mortificatio facilis est. Alia est mortificatio magis dura, de qua Paulus Col. 3 [5]: ⟨*Mortificate ergo membra vestra* etc.⟩[a]; quae mortificatio est relapsorum[a] in poenitentia, et haec non est ita plena, ut statim plene renovemur per eam, sicuti per baptismum; sed paulatim fit plena et in dies magis renovamur[9]. Deinde accepit 2. articulum: *Non esse tres poenitentiae partes* etc., quem haereticum confirmavit, improbavitque contritionem, quam ponunt Lutherani, ex eorum sententia, cum dicunt, ⟨esse terrores et fidem etc., quia cum ipsi dicant⟩[a] sola fide nos gratos effici Deo, ergo non per terrores illos, de quibus in articulo; qui cum eorum fide pugnant, ut qui solam fidem habent, pacati sint Deo; ergo non possunt terreri conscientiis, cum sint iam consolati. Postea catholicam veritatem ostendit, et omnia nostra bona opera a Deo dependere et Deum sua bonitate facere, ut mereantur et ⟨merces eis debeatur⟩[l]. Et deluit[m] multas calumnias, quas adversarii Catholicis impingunt. Et finem loquendi fecit hora 17. Et dimittitur congregatio.

Congregatio theologorum super eadem examinatione.

Eadem die lunae **[26. Octobris]** hora vero 20 congregatio theologorum habetur, 236r quorum infrascripti prosequuntur examinationem dictorum articulorum de poenitentia et extrema unctione, videlicet

Ambrosius Pelargus, ord. Praed., ⟨Germanus, familiaris R. et Ill. D. electoris Treverensis.⟩[n] Ostendit primo omnes[o] articulos propositos de poenitentia iam damnatos esse ab hoc sancto concilio sessione 6 decreto de iustificatione[10]; ⟨eos tamen etiam nunc damnandos ut haereticos confirmavit; esse scilicet poenitentiam sacramentum {a Christo in-

[a] *M om.*
[b] *M add.* sic incestuosum Corinthium Paulus non revocat ad baptismum, ut salvetur, sed eum Sathanae tradidit.
[c] *M* de Simone: «Pecunia tua sit tecum in perditionem», cum dicit: «Non est amplius tibi pars in sermone isto», quasi excideris, et docet, ut poenitentiam agat, si vult reverti et ille aiebat: «Precamini pro me» etc.
[d] *C 119 om.* [e] *In M corr. pro* Oecumenius hunc locum interpretans contrarium videtur sentire.
[f] *M add.* ita nos recurrere debemus ad baptismum [g] *C 119 et Th* memorare
[h] *M* deberent [i] *C 119* oratio [k] *M* poenitentiam etc. clare et necessario
[l] *M* placet ei mercedem eis retribuere [m] *Th* diluit
[n] *Th om.* [o] *C 119 et Th om.*

[1] *Marc.* 16, 16. [2] *Apoc.* 2, 5.
[3] Cf. *1 Cor.* 10, 12.
[4] Cf. *2 Cor.* 7, 10.
[5] Cf. *Act.* 8, 22.
[6] *Pseudo-Oecumenius,* Comment. in epist. 2 Tim. cap. 4. *Migne,* P. gr. CXIX 213 sqq. De genuinis Oecumenii operibus cf. *K. Staab,* Pauluskommentare aus der griechischen Kirche (Münster i. W. 1933) 423—469.
[7] Cf. supra p. 233 adn. 3. [8] *Rom.* 6, 4.
[9] Cf. *2 Cor.* 4, 16.
[10] Praesertim in cap. 14. Conc. Trid. V 796.

stitutum}[a].⟩[b] Circa tamen tertiam partem primi articuli admonuit, non ita dici a Protestantibus, sed ordine inverso, videlicet sacramentum poenitentiae esse ipsum baptismum. Adduxitque argumenta adversariorum[c] et ea optime solvit. Ac etiam 2. et 3. articulos pari ratione esse haereticos asseruit; et quod fides requiratur; sed necesse est, ut praecedat ut via ad poenitentiam, ⟨prout ad alia omnia⟩[d]; ergo non est pars ipsius sacramenti. Et cum dicunt contritionem, cum non sit visibilis, non esse partem huius sacramenti, respondit: Contritio de per se sola non est pars[e], sed quatenus habet votum confitendi et satisfaciendi[f], pars efficitur. Et in hoc 2. articulo loco *partes* cuperet dici *actus.* Et ex 3° vellet deleri *dolorem coactum.* Ostenditque detestationem peccatorum esse necessariam, etiam per timorem poenae, quae inducit ad bonam contritionem, non faciunt autem hypocritam, ut Lutherani dicunt[1]. Et ibi *neque peccata remittere* advertatur, quia simplex contritio non remittit nisi cum voto confessionis. 4. articulus: Ibi *secretam* vellet hoc modo dici: *sacramentalem, quae*[g] *hodie in ecclesia secreto fit;* confessionemque hanc sacramentalem iuris divini esse, ex Ioa. 20 [23]: *Quorum remiseritis;* ergo oportet, ut audiantur peccata. Nullus enim unquam iudex absque causae legitima cognitione iudicavit. Et nisi ipse reus accuset se et errores confiteatur, iudicari non potest. Satisfactio etiam
236v necessaria est, ut ab aliis probatum est. Et etiam | peccata omnia confitenda sunt. Et in eodem articulo 4 vellet addi ibi *mentionem factam — neque de ea aliquas editas fuisse constitutiones.* 7. articulus etiam haereticus est, licet Hieronymus[2] et Magister sententiarum[3] videantur idem sentire, quod sacerdos non vere absolvat, sed pronunciat absolutos, ut in veteri lege sacerdotes faciebant de leprosis[4]. Quoniam si per contritionem remittuntur peccata, quid sacerdos remittit? Respondit contritum non esse absolutum sacramentaliter, nisi a sacerdote absolvatur, et quia vera contritio oportet, quod habeat votum confessionis et absolutionis; et cum postea a sacerdote absolvitur, vere sacramentaliter absolvitur[h]. 8. articulus etiam haereticus est, alias[i] enim nemo certe absolutus dici posset. Et cum dicitur Ioa. 20 [22]: *Accipite Spiritum Sanctum,* intelligitur de potestate absolvendi. Et non omnibus Christianis, sed solis apostolis et sacerdotibus dicta sunt. Et ex eodem 8° vellet deleri: *Quorum remiseritis,* praesertim cum Lutherani eo modo non loquantur. 9. articulus etiam haereticus est, cum sit hoc forum iudiciale. 10s et 11s idem. Non semper enim omnis ⟨poena cum culpa⟩[k] remittitur, sed aliquando poena aliqua[d] ex divina iustitia exolvenda manet, ut dignos fructus poenitentiae agat peccator. Satisfactionesque illae merentur. Paulus enim ait: *Si nos ipsos diiudicaremus, non iudicaremur*[5]*;* quae verba ita Augustinus exponit[6]. Et 2 Cor. 7 [11] dicitur a poenitente peccatore exigi vindictam. Et ultima pars 12. articuli damnatur per illa verba: *Quorum retinueritis,* quia cum sacerdos satisfactionem imponit, retinet.

Ioannes Delphius[7], clericus saecularis, ⟨Germanus, cum eodem R. et Ill. D. elec-

[a] *Th om.*
[b] *M* Circa igitur primum articulum nihil dixit in duobus primis partibus ut iam damnatis.
[c] *M add.* ex Augustino [d] *M om.* [e] *C 118, C 119 et Th om.*
[f] *M* solvendi [g] *M add.* etiam
[h] *M add.* Item sicut Pater misit Filium, ut contritis tantum mederetur, ita sacerdotes facere debent. Et dixit, in ministro requiri intentionem faciendi saltem quod ecclesia facit; alias non absolveret.
[i] *Th* aliter [k] *M* culpa et poena

[1] Cf. supra p. 234 adn. 8.
[2] *Hieronymus,* Comment. in evangelium Matthaei lib. III c. 16 v. 19. *Migne,* P. lat. XXVI 118.
[3] *Petrus Lomb.,* Sent. lib. IV d. 18 c. 6.
[4] Cf. *Lev.* 13, 49 sqq.; 14, 2 sq.; *Luc.* 5, 14; 17, 14.
[5] *1 Cor.* 11, 31.
[6] *Prosper Aquitanus,* Liber sententiarum ex operibus S. Augustini delibatarum sent. 211 (al. 210): «Peccata sive parva sive magna impunita esse non possunt, quia aut homine poenitente aut Deo vindicante plectuntur. Cessat autem vindicta divina, si conversio praecurrat humana. Amat enim Deus confitentibus parcere, et eos, qui semetipsos iudicant, non iudicare.» *Migne,* P. lat. LI 456 sq. Qui locus sumptus est ex *Augustini* enarratione 1 in Psalmum 58 n. 13 (*Migne,* P. lat. XXXVI 701), ubi tamen ultima verba, quae ad locum *1 Cor.* 11, 31 alludere videntur, non leguntur.
[7] Ioannes Brants, natus die 6. Martii 1524 in Delft, unde Delfium se nominabat, amicus erat Henrici de Tongern, quem magistrum suum theologiae appellat, et Petri Canisii. Anno 1549 professor philosophiae in universitate Coloniensi et die 24. Sept. eiusdem anni licentiatus theologiae factus est. Ab episcopo Trevirensi iussus mense Augusti 1551 ad concilium se contulit, ubi Eberhardo Billico teste ingenio eloquentiaque excelluit. Anno 1553 suffraganeus episcopi Argentinensis electus et die 30. Octobris 1556 a pontifice in hoc munere confirmatus est. Interfuit colloquiis Francofortensi et Pataviensi (1553), Augustensi (1555), Ratisbonensi et Vormatiensi (1557). In cathedrali Argentinensi concionator fuit et canonicus theologus. Pro religione catholica servanda et restauranda multum laboravit tam visitando dioecesim quam scribendo varia opuscula, quorum praecipuum est: Quaestiones proponendae ordinandis in maioribus (1581). Insuper

tore Treverensi,⟩[a] primum articulum de poenitentia examinandum suscepit. Et primo probavit, quod est sacramentum, et a Christo institutum esse, quia nemo alius posset sacramentum instituere. Quod autem sit poenitentia sacramentum, allegavit Ioa. 20 [23]: *Quorum remiseritis*, et: *Quorum retinueritis,* | quae verba denotant potestatem aliquam. 237r Et quod adducunt adversarii, ⟨denotare praedicationem etc.⟩[b], ostendit falsum esse, quia Christus misit eos, ut etiam baptizarent et alia sacramenta administrarent; neque in illis verbis: *Quorum remiseritis,* datur potestas praedicandi aut[c] baptizandi, cum ante eam potestatem dedisset; ergo dedit tantum potestatem remissionis peccatorum. Et quod hoc sit sacramentum, ostendit ex diffinitione, quod sit signum visibile et gratiam contineat et conferat, et habeat[d] suam materiam et formam. Et improbavit, peccata esse materiam, quia esset materia in quam; sed vera materia debet esse, per quam sacramentum conficitur[e]. Unde Augustinus dicit: Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum[1]. Sed peccata et confessio, antequam fiat, non est; ergo non pars sacramenti, quod semper est. Veram autem materiam esse impositionem manus sacerdotis et illos actus, ⟨quibus utitur in absolvendo⟩[f]. Unde Paulus dicit: *Nemini cito manus imposueris*[2], scilicet peccatoribus recipiendis ⟨et absolvendis⟩[f]. Et Marci ultimo: *Super aegros manus imponent*[3], quod etiam aliquo modo hanc absolutionem significat. Et Matth. 19 [15] ⟨de pueris, quibus manus Christus imposuit, per quam gratiam eis dedit;⟩[f] idem Luc. 18 [15][g]. Forma autem huius sacramenti sunt ipsa verba absolutionis: *Quorum remiseritis* etc., et quae profert sacerdos, cum dicit: *Ego te absolvo,* quibus ecclesia utitur. Necessitatem vero huius sacramenti ostendit, quia relapsi non alia via gratiam recuperare possunt. Alias enim claves frustra sacerdoti datae essent. Praeterea si fit ⟨per hoc sacramentum⟩[h] remissio peccatorum, ergo et reconciliatio contra secundam partem ipsius primi articuli. Tertia etiam falsa est, quia secunda tabula apte nuncupatur a sanctis patribus. Et navis est ecclesia, quae et domus firma[4] et ovile[5] et vitis[6] in evangelio dicitur. Ex qua cum quis per peccatum post baptismum excidit et per mare, ⟨id est peccata⟩[f], fluctuatur[i], non potest ad eam reverti, nisi fulciatur aliqua tabula, qua ad navim conducatur; quae | tabula est poenitentia; atque 237v ideo ultima etiam pars ipsius primi articuli haeretica est. 2. articulus idem et omnia illa tria necessaria sunt in poenitente; primo contritio, quae est principium ad hoc sacramentum accipiendum, ut cognoscat quis, se esse peccatorem, et haec contritio et peccata est [!] materia huius sacramenti in quam[k]. Oritur autem a timore poenae; sed cum accedit dilectio[l], fit contritio, et amor servilis fit filialis. Et haec contritio omnino requiritur. Confessio etiam necessaria; alias enim excluderetur usus clavium, quia nemo potest absolvi neque unquam absolveretur, nisi diceret se peccata fecisse; et ad hoc, ut sciatur, an mereantur remissionem ⟨vel retentionem⟩[m], oportet, ut dicat, quae peccata fecit. Et cum Deus aliquod instituit, id etiam videtur instituisse, sine quo ad illud explicite institutum perveniri non potest. Neque a sacerdote ad absolutionem seu retentionem perveniri potest, nisi audiat prius peccatoris delicta, praesertim cum idemmet Christus dicat: *Nolite secundum faciem iudicare,* sed iusto iudicio[7]. Satisfactio autem etiam necessaria est, quia, licet Christus plene[f] satisfecerit, nos tamen etiam satisfacere debemus, sicut, licet ipse pro nobis passus sit, oportet tamen, ut nos compatiamur, ut conglorificemur[n] [8]. Ad quod Paulus Corinthios hortatur[9]. Et quemadmodum nostra passio non valeret, nisi

[a] *Th om.* [b] *M* quod praedicationem tantum significat [c] *M* et [d] *Codd.* habet
[e] *M* confertur [f] *M om.*
[g] *M add.* de impositione manuum meminit, cum Christus manus super infantes imposuit, quibus gratiam confert.
[h] *M* per eum [i] *M* ungatur [k] *M add.* huius sacramenti [l] *M* dilectionem
[m] *M* aut ligamen [n] *C 119* glorificemur

scripsit: De potestate pontificis et notis ecclesiae (1579). Probabiliter Delfius etiam est auctor operis: Statuta et decreta Synodi dioecesanae Argentoratensis (1566), in quo non solum statuta duarum synodorum (1549 et 1560) continentur, sed etiam compendium totius theologiae pastoralis. Mortuus est die 14. Iulii 1582. *A. Postina,* Der Straßburger Weihbischof Johann Delfius 1553—1582, in: Festgabe H. Grauert (Freiburg i. Br. 1910) 233—244. *Idem,* Zum sittlichen Verhalten des Straßburger Weihbischofs Johann Delfius, in: Histor. Jahrbuch XXXIV (1913) 557 sqq. *Van Gulik-Eubel* III 339.

[1] *Augustinus,* In Ioannis evangelium tractatus 80 n. 3. *Migne,* P. lat. XXXV 1840.
[2] *1 Tim.* 5, 22.
[3] *Marc.* 16, 18.
[4] Allegare videtur *Matth.* 7, 24 sq.; quae verba tamen de ecclesia dicta non sunt.
[5] *Io.* 10, 16.
[6] Cf. *Io.* 15, 1. Sed semetipsum Christus per allegoriam vitem appellat, non autem ecclesiam.
[7] *Io.* 7, 24.
[8] Cf. *Rom.* 8, 17.
[9] Cf. *2 Cor.* 4, 17.

Christus pro nobis passus fuisset, ita neque nostra satisfactio, nisi Christus satisfecisset. Et improbavit nostras satisfactiones esse ad exemplum, ut adducitur illa Theodosii imperatoris[1]. Nam[a] exempla esse non repugnat, quod[b] illi, qui talia patiuntur, ob delicta patiantur, ⟨prout evenit in poenis mundanis⟩[c]. Et ad id, quod adducitur: Quacumque hora ingemuerit peccator, iniquitatem eius amplius non recordabor[2] etc., et alia huiusmodi loca, intelligi de culpa et poena aeterna. 3. articulus haereticus quoque est, 4[s] etiam, quia confessio est de iure divino et a sanctis patribus de ea fit mentio, ⟨etiam ante concilium
238r Lateranense⟩[d] [3]. | 5. articulus etiam haereticus est; prima pars ex supradictis, et etiam mortalia omnia et quae sunt contra[e] duo illa decalogi praecepta, quia et illa peccata sunt, dicente Christo: *Quicumque viderit mulierem ad concupiscendum, iam mechatus est in corde suo*[4]. Item et circumstantiae confitendae sunt, quia, ut Matth. 21 [12 sq.] legitur, circumstantiae ⟨non solum aggravant, sed⟩[c] peccatum faciunt. Ait enim Christus: *Domus mea domus orationis vocatur; vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Et tamen emere et vendere non est prohibitum, sed quia in ecclesia fiebat, ideo tantum a Christo repraehenditur. Et Paulus ad Corinthios: *Nunquid domos non habetis ad manducandum; aut ecclesiam Dei*[f] *contemnitis?*[5]

Solvitur deinde congregatio hora 23[g].

Congregatio theologorum super examinatione eorundem articulorum de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis.

Die Martis 27. dicti mensis **Octobris** mane hora 14 habita fuit congregatio theologorum, in qua infrascripti prosecuti sunt examinationem et discussionem eorundem articulorum de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis, videlicet

Martinus Malo, clericus secularis, ⟨Hispanus, familiaris R. D. episcopi Ovetensis;⟩[f] primo quoad materiam huius sacramenti poenitentiae improbavit dicta per praecedentes, quod[h] sint illae tres partes, quia illae sine sacramento esse possunt; neque etiam peccator, quia, cum non proprio sacerdoti quis confitetur, ille tunc non erit propria materia. ⟨Veram autem materiam dixit esse peccatorem proprie subditum poenitentem et peccata habentem. Et licet, cum quis morbo oppressus non valens loqui absolvatur, non videatur habere contritionem et confessionem, tamen id verum est exterius, interius enim et in virtute habet; unde ille non potest dici, quod[i] absolvatur absque contritione vel confessione.⟩[k]
238v Quoad 4. articulum, confessionem de iure divino esse, confirmavit ex Ioa. 20 [23]: | *Quorum remiseritis,* quod sine confessione fieri non potest. Quem locum omnes patres ita intellexerunt et ita ecclesia sancta interpraetatur[l]. Quod etiam Chrysostomus hom. de poenitentia docet[6]; Dionisius epist. 8 ad Demophilum[7] ⟨et alii omnes⟩[m]. Qui tamen negat confessionem esse de iure divino, non est haereticus, sed sapit haeresim. Deinde dixit circa 10. articulum, quem etiam haereticum esse dixit[n]; contra quem tamen facit, quod Esaias dicit: Si peccata vestra fuerint rubra etc., fiant alba sicut nix[8]. Et Augustinus testatur impium esse sperare a Deo dimidiatam veniam[o] [9]. Sed intelliguntur quoad culpam et poenam aeternam. Et ita omnes alii articuli loquentes de satisfactione haeretici sunt.

Iacobus Ferrusius, clericus secularis, ⟨Hispanus, familiaris R. D. Segobricensis,⟩[f] accepit primum articulum de poenitentia, et eum esse haereticum ostendit. Quae poe-

[a] *M* sed [b] *M* quia [c] *M om.*
[d] *M* et non igitur post concilium Lateranense tantum [e] *M add.* ultima [f] *Th om.*
[g] *M add.* cum dimidia [h] *M add.* non [i] *C 119 et Th add.* non
[k] *M* Item neque infirmus laborans non loquens debet absolvi, et tamen in eo non est contritio neque confessio neque satisfactio. Sed vera materia est peccator proprie subditus poenitens et peccata habens; et laborans non loquens in virtute habet contritionem et confessionem.
[l] *M add.* ergo est de iure divino [m] *M* et concilium Constantiense et Sixtus IV
[n] *M add.* quod poena temporalis aliqua exolvenda maneat intermissa culpa et poena aeterna
[o] *M* remissionem

[1] Cf. *Rufini* historiam eccles. lib. II c. 18. *Migne,* P. lat. XXI 525. Historia tripartita lib. IX c. 30. *Migne,* P. lat. LXIX 1144—1147. Theodosium poenitentia sua aliis exemplum dedisse ostendit *Augustinus* in sermone 392 c. 3. *Migne,* P. lat. XXXIX 1711.
[2] *Ez.* 18, 21 sq.
[3] Cf. supra p. 243 adn. 7—9 et p. 250 adn. 1—5.
[4] *Matth.* 5, 28. [5] *1 Cor.* 11, 22.
[6] Cf. supra p. 255 adn. 16.
[7] Cf. supra p. 250 adn. 5.
[8] Cf. *Is.* 1, 18.
[9] *Pseudo-Augustinus,* Liber de vera et falsa poenitentia c. 9 n. 24. *Migne,* P. lat. XL 1121.

nitentia in sacris litteris semper commendatur. Luc. 15 [7]: Maius *gaudium erit in coelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis* etc. Et verba illa intelliguntur de iam baptizatis. Patet ex exemplo ovium, quae sunt in ovili, id est ecclesia. Et cum dicit: Ovis amissa, ergo aliquando erat iusta. Et cum dicit: Deperdita, et revertitur, ⟨quae aliquando fuisse in ovili ostenditur⟩[a]. Et Paulus ad Hebr.: Iterum crucifigentes Christum in semetipsos[1]. Circa secundam partem 2. articuli, poenitentiam constare ex terroribus et fide etc., id falsum esse asseruit, primo, quia in terrore non est dilectio, quae omnino necessaria est. Ait enim Christus: *Remittuntur peccata multa, quia dilexit multum*[2]. Et dicit: *Dilexit*, quia dilectio praecesserat remissionem. Et Paulus: *Tristitia, quae secundum Deum est*, id est secundum Deum dilectum, ⟨*poenitentiam in salutem operatur*[3] etc.⟩[a] Et cap. 2 [4] ad Rom.: *Benignitas Dei vos ad poenitentiam adducit.* Unde Augustinus dicit: Sine amore non datur gratia[4]. Requiritur igitur primo motus primus in Deum. Ex quo dicitur: *Converte nos, Domine, ad te*[5]. Et: *Sto ad ostium et pulso*[6]. Et Act. 7 [51]: | *Vos semper restitistis Spiritui Sancto.* Et: Porrexi 239r
manum meam et non fuit, qui aspiceret[7]. Item requiritur actus fidei. Unde dicitur: *Oportet accedentem ad Deum credere*[8]. ⟨Et: *Sine fide impossibile est placere Deo*[9]⟩[a]. Ex quo oritur detestatio peccatorum, et ⟨in spem⟩[b] erigitur et incipit diligere. Unde Deus primam gratiam dat. Quae tamen dilectio non est naturalis, sed fit a gratia Dei, licet amor naturalis etiam adiuvet. Non igitur fides illa sola, de qua in articulo, est pars, sed principium et fundamentum omnis iustificationis. Et si etiam timor esset pars poenitentiae, sequeretur, quod, quanto magis quis timeret et terreretur, magis appropinquaret ad poenitentiam[c]. Nam sicut dicimus detestationem peccatorum esse partem, et quod, quanto magis quis detestatur peccata, tanto magis poenitentiam attingit, ergo idem de terrore dicendum esset, si ille esset poenitentiae pars; sed hoc est falsum, ergo et illud. Et quod neque etiam fides, de qua in articulo, quod scilicet quis credat sibi remissa esse peccata, sit pars poenitentiae, patet, quia certi esse non possumus, quando[d] nobis sint remissa peccata. Unde Hieronymus optime exponit locum Ioelis 2 [14]: Quod si Deus convertatur et ignoscat[10]. Secretum enim divinae sapientiae penetrare non possumus.

Solvitur deinde congregatio hora 17.

Congregatio theologorum super eadem examinatione articulorum poenitentiae et extremae unctionis.

Eadem die Martis **27. Octobris** hora vero 20 habetur iterum congregatio theologorum, quorum infrascripti prosecuti sunt eandem examinationem articulorum poenitentiae et extremae unctionis, videlicet

Franciscus de Toro, clericus secularis, ⟨Hispanus, cum R. D. Granatensi.⟩[e] Quoad 3. articulum, quod contritio non praeparet ad gratiam, id haereticum esse ostendit. Et primo declaravit timere | non esse peccatum, quia est naturale; alias id[e] imputandum 239v
esset conditori talis naturae. Ergo dolor de peccatis, etiam ob metum geennae, non est peccatum neque malum; ⟨imo iuvat⟩[a]. Unde dicitur: *Initium sapientiae timor Domini*[11]. Et: *Timor Domini expellit peccatum*[12]. Et Esai. 26 [18]: A timore tuo concepimus et peperimus spiritum salutis. Et Luc. 15 [17] de filio prodigo[f]: *Quanti mercennarii in domo patris mei* etc.; *ego autem fame pereo.* Et Deus statim creato homine incutit timorem: Quacunque hora comedetis, morte moriemini[13] etc. Et Exod. 20 [20]: *Ut terror illius esset in vobis, ne peccaretis*[g]. Et Paulus a terrore cepit converti[14]. Et Matth. 23[h]: *Omnis arbor, quae non facit fructum, excidetur et in ignem mittetur*[15]. Et alibi Christus: Timete

[a] *M om.* [b] *Th* spes [c] *M add.* sed contra fit, ergo. [d] *M* an [e] *Th om.*
[f] *M add.* qui primo timuit etc. [g] *M add.* ait Moyses ad populum.
[h] *M add.* Gemina viperiarum [!] etc. *[Matth. 23, 33].*

[1] Cf. *Hebr.* 6, 6. [2] *Luc.* 7, 47.
[3] *2 Cor.* 7, 10.
[4] *Pseudo-Augustinus*, Liber de vera et falsa poenitentia c. 9 n. 24: «Sine amore Dei consequeretur [aliquis] indulgentiam, sine quo nemo unquam invenit gratiam?» *Migne,* P. lat. XL 1121.
[5] *Thren.* 5, 21. [6] *Apoc.* 3, 20.
[7] *Prov.* 1, 24. [8] *Hebr.* 11, 6. [9] *Ibid.*
[10] Legendum est: *Quis scit, si convertatur et ignoscat* etc. *Hieronymus,* Comment. in Ioelem c. 2, 14. *Migne,* P. lat. XXV 967 sq.
[11] *Eccli.* 1, 16. [12] *Ibid.* 1, 27.
[13] Cf. *Gen.* 2, 17. [14] Cf. *Act.* 9, 6.
[15] *Matth.* 7, 19.

eum, qui potest perdere animam et mittere eam in geennam ignis[1]. Et iam diffinitum in can. 8 sessionis 6 Tridentinae[2]. Qui timor potest etiam esse cum dilectione. Et licet Ioannes dicat, quod timor non est cum charitate, id intelligitur de perfecta charitate. Unde idem Ioannes dicit: Qui perfecte diligit, non timet[3]. 4. articulus etiam haereticus est, quia confessio est de iure divino a Christo instituta. Iac. 5[a] [16]: *Confitemini* etc., ut omnes patres intelligunt. Hugo lib. 2 de sacramentis id declarat[4]. Et ex Ioa. 20 [23]: *Quorum remiseritis*. Quae potestas non potest exerceri absque confessione peccatorum. Et sacerdos vere absolvit. Unde falsum est, quod dicitur in 7. articulo. Neque verum est, quod aliqui dixerunt in hoc sacramento nunquam conferri primam gratiam, quia alias nunquam verificaretur, quod sacerdos dicit: Ego te absolvo[b]. Et improbavit etiam impositionem manuum esse materiam huius sacramenti[c], quia aliquando absolvuntur sine impositione manuum; neque etiam ⟨esse peccatorem⟩[d], quia alias in baptismo etiam ipse homo esset materia, quod falsum est; ⟨sed materiam esse illos tres actus⟩[e]. Et peccator tenetur recipere sub poena peccati satisfactionem a sacerdote impositam, alias sacerdos
240r non esset iudex, prout in seculari tribunali reus tenetur iussa iudicis facere. | Ac etiam omnia peccata[f] et circumstantiae confitendae sunt, quia faciunt ad iudicium recte a sacerdote ferendum. Et cum hoc sit iudicium et actus iudicialis pendens a iurisdictione, is, cui limitata est potestas a superiore, non potest in casibus prohibitis absolvere, prout neque quisque omnes absolvere potest, ut determinatum est in concilio Lateranensi[5], quod etiam addit non posse induci consuetudinem in contrarium[g].

Melchior a Vosmediano, clericus secularis, ⟨Hispanus, cum R. D. Pacensi,⟩[h] disseruit primum articulum de poenitentia, quam sacramentum esse declaravit ⟨ex locis iam allegatis⟩[i] Matth. 16 [19] et 18 [18] et Ioa. 20 [23]. Item ex patribus: Augustinus hom. 2 in Apocalypsim[6] et in hom. ultima 50 homiliarum[7] et hom. 46[8] et 49[9]; Cyrillus lib. 12 in Ioa. cap. 19[10]; Clemens epist. ad Iacobum[11]; Origenes [hom.] 17 in Lucam[12]; Basilius in regula monachorum cap. 21 et 28[13]; Ambrosius de poenitentia cap. 2 et 3[k][14] et conciliis Florentino[15] et hoc sacro Tridentino sess. 6 cap. 14[16] et sess. 7 cap. 1[17] et cap. *Ad abolendam*[18]. Secunda pars primi articuli maligna[l] est et dicta contra Hieronymum, qui ad Demetriadem[19] et in cap. 6 Esaiae poenitentiam secundam tabulam appellat[20]. Quae secunda pars non est haeretica, sed temeraria. 5. articulus ⟨etiam haereticus est⟩[m], quia ea ratione, qua quis tenetur confiteri tria aut quatuor peccata, eadem tenetur confiteri omnia, si vult de eis remissionem consequi. Impium est enim, dimidiatam veniam a Deo sperare[21]. Item et circumstantiae; patet exemplo Eliodori, 2 Mach. 7[22]. ⟨Articulus 7 et 8 haeretici quoque sunt et 8[s]⟩[n] damnatus in concilio Constantiensi sess. 15[23].

[a] *M* 6; *Th* 1
[b] *M add.* et materiam huius sacramenti esse tres illos actus, qui requiruntur ad veram poenitentiam
[c] *M add.* prout quidam heri dixerunt [d] *M* quod hoc mane dictum est, quod sit peccator
[e] *M* quia si homo ficte accederet, non reciperet sacramentum
[f] *M add.* quorum quis memoria habetur [!]
[g] *M add.* Ergo non est illud, quod quis omnes casus absolvat, de iure divino [h] *Th om.*
[i] *M add.* Luc. 24 [47]: Oportebat praedicare poenitentiam [k] *M add.* Hieronymus in epist.
[l] *M add.* et invidiosa
[m] *M* Enumerationem peccatorum etc., probavit omnia peccata confitenda esse
[n] *M* Deinde accepit 7. articulum, quem etiam falsum dixit, 8[m] idem et

[1] Cf. *Matth.* 10, 28.
[2] Sessio VI can. 8 de iustificatione. Conc. Trid. V 798.
[3] Cf. *1 Io.* 4, 18.
[4] *Hugo de S. Victore*, De sacramentis christ. fidei lib. II pars 14 c. 1. *Migne*, P. lat. CLXXVI 552.
[5] C. 12 *Omnis utriusque* X de poen. et remiss. V 38.
[6] *Pseudo-Augustinus*, Expositio in Apocalypsim b. Ioannis hom. 2. *Migne*, P. lat. XXXV 2420.
[7] Nunc est sermo 351 c. 9. *Migne*, P. lat. XXXIX 1545.
[8] Inter *Augustini* sermones spurios nunc est sermo 56 c. 1. *Migne*, P. lat. XXXIX 1851.
[9] Cf. supra p. 248 adn. 13.
[10] *Cyrillus Alexandrinus*, In Ioannis evang. lib. XII c. 20, 23. *Migne*, P. gr. LXXIV 719—722.
[11] Cf. supra p. 245 adn. 12.
[12] *Migne*, P. gr. XIII 1846. Die griech. christl. Schriftsteller der ersten drei Jahrh., *Origenes* IX 119.
[13] *Basilius*, Regulae brevius tractatae n. 288 (= cap. 21) et 229 (= cap. 98, non 28). *Migne*, P. gr. XXXI 1283/84 et 1235/36.
[14] *Ambrosius*, De poenitentia lib. I c. 2 et 3. *Migne*, P. lat. XVI 467—472.
[15] Cf. supra p. 241 adn. 3.
[16] Conc. Trid. V 796.
[17] Sessio VII can. 1 de sacramentis in genere. Conc. Trid. V 995.
[18] Cf. supra p. 267 adn. 9.
[19] Cf. supra p. 242 adn. 3.
[20] In *Hieronymi* commentariis in cap. 6 Isaiae prophetae nihil huiusmodi legitur.
[21] Cf. supra p. 274 adn. 9.
[22] Rectius *2 Mach.* 3.
[23] Cf. supra p. 267 adn. 10.

Quoad extremam unctionem primus articulus haereticus est, quia habet haec unctio omnia requisita ad sacramentum, ut patet Iac. 5 [14 sq.]; ergo est a Christo institutum, quia homines non possunt instituere aliquod, per quod peccata remittantur, nisi Christus, etiam quod eius institutionis locum ignoremus; alias enim Iacobus id non dixisset. Nam etiam Paulus dicit: *Beatius est dare quam accipere*[1]. Quod tamen in sacris litteris non legitur[2]. Idem asserit Gelasius papa[3] et habetur in cap. 1 sessionis 7 Tridentinae[a][4]. Deinde probavit in ecclesia graeca semper fuisse | confessionem et de ea meminisse Chry- 240v sostomum hom. 29[5] et Basilium in lib. de virginitate[6] et Origenem in 2. cap. Levit. hom. 2[7].

Petrus Frago, clericus secularis, ⟨Hispanus, cum eodem R. D. Pacensi,⟩[b] examinavit primum articulum de poenitentia, quem haereticum esse confirmavit, quia poenitentia et est sacramentum et a Christo est institutum, ut per quod amissa gratia[c] resurgamus. Et ita quidem ⟨divinae bonitati⟩[d] decebat, ut, cum nos regeneraverit per baptismum, quia tamen sciebat nos non esse impeccabiles, sed facile in peccatum labi, daret nobis remedium, ut, si post baptismum iterum laberemur, haberemus, per quod surgere possemus. Et hoc est ipsum sacramentum poenitentiae. Quod autem sacramentum sit, patet, quia omnia, quae in diffinitione sacramentorum habentur, in ea reperiuntur[e]; et materia sunt actus poenitentis, ut docet concilium Florentinum[8]; forma verba absolutionis, minister sacerdos. 3. articulus etiam haereticus est[f], et contritio ita necessaria est, ut absque ea aliae duae partes subsistere non possint. Et contritio vel saltem displicentia peccatorum de iure naturae est. Nam primo Deus nos vocat: *Convertimini ad me et ego convertar [ad vos]*[9]. Et Ierem.: Revertimini filii ad me[10]. Et: *Sto ad ostium et pulso*[11]. Et nos Deum ad nos converti precamur: Converte Domine ad nos[12]. Et in oratione ecclesiae: *Converte nos Deus salutaris noster*[13]. Conversi ad Deum dolemus de peccatis ob poenam prius, deinde propter Deum. Inde peccata confitemur cum voto satisfaciendi, quod et facimus habita absolutione[g]. Quod autem non semper omnis ⟨culpa et poena⟩[h] remittatur, patet ⟨in veteri lege⟩[i] in Iosue et Caleph, quibus etsi oratione Moysi Deus pepercerit, voluit tamen, ut poenam exsolverent[14]; et de exemplo ipsius Moysi et Aaron[15] ⟨et Davidis[16] et aliorum⟩[k].

Dimittitur deinde congregatio hora 24.

Congregatio theologorum. Examinantur iidem articuli de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis.

Die Mercurii **28.** eiusdem mensis **Octobris** hora 20 (mane enim ob festum apo- 241r stolorum Simonis et Iudae non habetur) fuit congregatio theologorum, in qua infrascripti prosequuntur discussionem eorundem articulorum de poenitentia et extrema unctione.

Ioannes Zaballos, clericus saecularis, ⟨Hispanus, familiaris R. D. Auriensis,⟩[b] articulum primum haereticum esse confirmavit; ⟨quae poenitentia tam in impiis ante baptismum, quam in relapsis post baptismum necessaria est. Quare tantopere poenitentia

[a] *M add.* et cap. «Ad abolendam»; ex quo ceterae partes falsae probantur, quae sequuntur. 4. articulus etiam haereticus est.
[b] *Th om.* [c] *M et Th add.* per peccatum [d] *C 119 et Th* divinam bonitatem
[e] *M add.* ut sit [in]visibilis gratiae visibilis forma, et illa tria, quae in quolibet sacramento requiruntur, in hoc sunt: materia, forma et minister
[f] *M add.* tres scilicet esse partes poenitentiae [g] *M add.* et satisfactione imposita a sacerdote
[h] *M* poena cum culpa [i] *M* exemplo Israelitarum [k] *M om.*

[1] *Act.* 20, 35.
[2] Id est, in evangeliis non legitur hoc verbum pronuntiatum esse a Christo; nihilominus Paulus Ephesiis hoc verbum Christi retulit.
[3] Forse cogitat de c. 2 D. XCV, ubi in notis Gratiani ad Gelasii canonem de extrema unctione agitur.
[4] Cf. supra p. 276 adn. 17.
[5] Cf. supra p. 250 adn. 1.
[6] *Migne,* P. gr. XXX 730. Est Basilii Ancyrani.
[7] Cf. supra p. 246 adn. 4 et p. 255 adn. 18.
[8] Cf. supra p. 258 adn. 7.
[9] *Zach.* 1, 3; cf. *Mal.* 3, 7.
[10] Cf. *Ier.* 3, 14 22. [11] *Apoc.* 3, 20.
[12] Cf. *Ps.* 84, 5.
[13] *Ibid.;* quo versu utitur ecclesia in principio Matutini.
[14] *Num.* 14. At non Iosue et Caleb peccaverant, sed populus contra Dominum murmuraverat; ideo et populus poenam exsolvere debebat, non Iosue et Caleb.
[15] *Num.* 20, 12 sq. [16] *2 Reg.* 12, 13 sq.

ipsa in sacris litteris inculcatur et a Ioanne Baptista[1] primum et deinde a Christo⟩[a] Luc. 13 [3 5]: Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Quam et Petrus Act. 2 [38] docet et alii apostoli Act. 11 [18]: Poenitentiam Deus concessit gentibus ad vitam. Et Ierem. 18 [8]: *Si poenitentiam egerit gens illa, agam et ego poenitentiam.* Articulus 2 etiam haereticus est, ⟨3[s] etiam. Illi enim actus sunt materia huius sacramenti suntque in poenitente necessarii. De contritione enim et timore loquitur Paulus ad Phil. [2, 12]⟩[b]: Cum timore *et tremore salutem vestram operamini.* Et Ezech. 5: *Noli de propitiato peccato*[c] *esse sine metu*[2]. ⟨Confessio etiam necessaria est, cum absque ea non possint executioni demandari verba Christi: *Quorum remiseritis.* Et de satisfactione quoque sunt multa exempla in sacris litteris et de ea optime meminit Chrysostomus hom. 29 de poenitentia[3]. Neque Magdalena dilexit solum, sed illachrimata est et multos alios actus verae poenitentiae ostendit[4], quibus a Domino meruit remissionem peccatorum.⟩[d] Articuli 3 et 4 etiam haeretici sunt. Confessionemque sacramentalem de iure divino esse corroboravit, quod etiam ipsemet Lutherus fatetur in conclusione 7 de indulgentiis et conclusione 6 et 20[5], licet contrarium teneat in libello de captivitate Babilonica[e 6].

Reginaldus de Genua, ord. Praed., ⟨prior S. Laurentii extra muros Tridentinos,⟩[f] examinavit 7. articulum eumque haereticum esse confirmavit, quod scilicet quilibet possit absolvere omnes casus, etiam prohibitos; et est error damnatus in concilio Florentino[7].
241v Si autem sacerdos alias absolveret, non vere | absolveret, quia ille tunc non esset legitimus[g] minister illius sacramenti; neque etiam sacramentum esset, quia deficeret minister, cum talis sacerdos neque propriam neque delegatam haberet auctoritatem. Neque cum sacerdos ioco absolvit, vere absolvit; requiritur enim intentio ministri, ut definitum est in concilio Florentino[8] et hoc eodem Tridentino sessione 7[9]. Et idem docet B. Thomas[10], qui etiam ostendit poenitentiam esse sacramentum, cum in ea habeantur, quae in sacramentis requiruntur, ut forma sit absolutio, materia actus et facta peccatoris[11]. Et improbavit, ⟨quod alii dixerunt, quod materia huius sacramenti sit impositio manus, tum quia est contra concilium Florentinum[12], tum quia peccata non semper remittuntur per impositionem manuum; et in tali casu illa absolutio non esset sacramentum, quia deficeret materia. Neque sacramentum impositionis manuum dicitur, cum id magis conveniat sacra-

[a] *M* quod sit sacramentum poenitentia, et quod non sit ipsum baptisma, et quod poenitentia sit necessaria relapsis, patet, quia, etsi Ioannes Baptista praedicavit poenitentiam et baptizavit, eisdem tamen Christus postea iam baptizatis poenitentiam praedicabat et

[b] *M* et materiam huius sacramenti esse tres hos actus, ut dicitur a concilio Florentino, ut quasi materia sint, et confessionem esse de iure divino et contritionem etiam; nam Paulus ad Philippenses inquit

[c] *Codd. falso* peccatorum

[d] *M* (et David: In timore fremebant.) Et satisfactio etiam necessaria est. Chrisostomus serm. 29 de poenitentia, et adduxit orationem, qua Germania ad horam canonicam primam recitandam utitur, et quod contra adducitur de Magdalena, quod dimissa sint ei peccata, quia dilexit multum [?], immo esse contra eos, quia etiam lachrymavit, actus poenitentiae fecit.

[e] *M add.* quoad articulos de extrema unctione: primus est haereticus, quia est sacramentum et a Christo institutum. Matth. 26 de unctione Magdalenae, cum ait Iesus: «Quod ipsa fecit, ad sepeliendum me fecit», et paulo post Christus capitur et occiditur; et Luc. 12 idem dicit: Nam in diem sepulturae servavit illam *[Io. 12, 7]*, de eadem unctione.

[f] *Th om.* [g] *M om.*

[1] Cf. *Matth.* 3, 2 et parall. [2] *Eccli.* 5, 5.

[3] Potius hom. 9. *Migne,* P. gr. XLIX 343 sqq.

[4] Cf. *Luc.* 7, 38.

[5] *M. Lutherus,* Resolutiones disputationum de indulgentiarum virtute, conclusio 7, scribit: «Stante autem hac misera suae conscientiae confusione, [peccator] non habet pacem neque consolationem, nisi ad potestatem ecclesiae confugiat suisque peccatis et miseriis per confessionem detectis postulet solatium et remedium.» *Ed. Weimar.* I 540. In aliis supra citatis conclusionibus nihil de confessione dicitur.

[6] *M. Lutherus,* De captivitate Babylonica, cap. de poenitentia sic ait: «Non est dubium, confessionem peccatorum esse necessariam et divinitus mandatam.... Si enim sanctis non licet negare peccatum suum, quanto magis publicis aut magnis peccatis obnoxios oportet confiteri.... Occulta autem confessio, quae modo celebratur, etsi probari ex scriptura non possit, miro modo tamen placet et utilis, imo necessaria est, nec vellem eam non esse.» *Ed. Weimar.* VI 546. Et in cap. de extrema unctione dicit: «Sic omnia citra iudicium legunt et sequuntur [papistae]. Eadem enim oscitantia et confessionem auricularem ex hoc apostolo [Iacobo] hauserunt, dicente: Confitemini alterutrum peccata nostra.» *Ed. Weimar.* VI 569.

[7] In decreto pro Armenis dicitur: «Minister huius sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam vel ex commissione superioris.» *Mansi* XXXI 1058.

[8] *Ibid.* 1054.

[9] Can. 11 de sacramentis in genere. Conc. Trid. V 995.

[10] *Thomas Aquinas,* Summa theol. pars III qu. 64 art. 8 et 10.

[11] *Idem,* Summa theol. pars III qu. 84 art. 1.

[12] Cf. supra p. 258 adn. 7.

mento ordinis, et quia hoc sine impositione manuum consistere potest. Articulos de satisfactione etiam haereticos censet.〉[a]

Aloysius de Cathania, ord. Praed., 〈Siculus, familiaris R. D. Panormitani,〉[b] accepit 2. articulum 〈de poenitentia, quem haereticum declaravit allegans argumenta adversariorum, primo, quod illae tres partes non sint materia,〉[c] quia uniuscuiusque rei una est materia, sed illae sunt tres; ergo non materia, quia una 〈de per se〉[d] non, alia non, ergo nulla, si omnes simul. Et quia satisfactio non perficitur, nisi per multum tempus, aliquando per totam vitam; ergo nunquam hoc sacramentum perficitur[e]. Neque est impositio manuum, quia materia habet rationem patientis, non agentis[f]. Et contra formam huius sacramenti adducitur, quia Luc. 13 dicitur de praedicatione *poenitentiae in remissionem peccatorum*[1], 〈et apud Mattheum: *Docete omnes gentes*[2], et Ioa. 20 [21]: *Sicut misit me Pater* etc., scilicet ad praedicandum, ut peccata remitterentur[g] credentibus per praedicationem etc.〉[h] Deinde ostendit veritatem esse, quod illae tres partes sint 〈verae partes poenitentiae〉[i]. 〈Contritio enim omnino requiritur, ut primo quis doleat de peccatis.〉[d] Et satisfactio non | [242r] est posterior, sed una cum ipsa contritione, quia vere contritus habet votum confessionis et satisfactionis; imo ipsa contritio est satisfactio, quia contritum poenitet; ergo habet poenam, ergo satisfacit. In confessione etiam duae aliae partes sunt. Nam confessio non potest esse sine erubescentia et dolore de peccatis et voto satisfaciendi, qui tres actus sunt virtutis, et a Spiritu Sancto initiantur. Item tres illae partes sunt omnino necessariae. Ioa. 20 [23]: *Quorum remiseritis.* Nam si confitens diceret, se complacere in peccatis, confessor ei non remitteret peccata; ergo contritio est necessaria ad salutem. Item confessio ob finem illorum verborum: *Quorum remiseritis,* ut scilicet peccantes a suis peccatis mundentur, quod intendere debet peccator; igitur tenetur propalare sua peccata, ut absolvatur ab eis; ergo confessio necessaria est ad remissionem peccatorum. Idem et satisfactio ex verbis Christi: *Poenitentiam agite*[3]. Differentia est enim inter poenitere et poenitentiam agere. Nam agere[k] poenitentiam est satisfacere et *fructus dignos poenitentiae*[4] facere[l]. Et in[m] parabola ovis deperditae dicitur, iustum non indigere poenitentia[5]; ergo peccator indiget poenitentia, id est, ut poenitentiam agat. Et de Ninivitis ait Christus, quod resurgent, quia poenitentiam egerunt[6], in cinere scilicet, fletu[d] et ieiunio. Ergo aliud quoddam est facere poenitentiam et poenitere. Respondit postea ad obiectiones, primo, quod sit una res sacramentum; ergo una materia etc. Illas tres partes esse invicem coniunctas et unam materiam facere, cum una sine aliis esse non possit. Et est etiam materia visibilis, quia, licet contritio 〈non videatur〉[n], parit tamen effectum visibilem. Ad secundum de satisfactione longa etc. respondit, illam esse executionem satisfactionis; satisfactio autem cum acceptatur, statim satisfactio dicitur. Et licet Christus satisfecerit sufficienter, tamen peccatori requiruntur duae satisfactiones, una, quae debetur aversioni a Deo, | [242v] et haec est 〈poena aeterna〉[o], pro qua Christus satisfecit; alia est, quae debetur conversioni ad peccatum. Et huic respondet satisfactio temporalis, quae delectationi peccati opponitur; quae non remaneret etiam exolvenda, si contritus summe[p] doleret; 〈tamen ut plurimum remanet.〉[d] 〈Et cum ego pro ea satisfacio, etiam Christus satisfacit, quia ego satisfacere non possem, nisi passio Christi mihi applicaretur. Unde

[a] *M. aliam minus claram formam exhibet* quae ab aliis in contrarium dicta sunt, quod ibi tres actus non sint materia, cum dicant contra concilium Florentinum, quod fieri non debet, praesertim quod sit impositio manus, neque quod hoc sacramentum vocetur sacramentum impositionis manuum, quia et sacramentum ordinis idem est, et quia peccata non remittuntur per manuum impositionem ut in baptismo et in aliis, quia hoc sacramentum sine impositione manuum potest consistere; ergo in tali casu huiusmodi sacramento deficeret materia.

[b] *Th om.* [c] *M* non esse tres partes etc., et primo adduxit rationes pro articulo

[d] *M om.* [e] *M add.* in hac vita, quia ad hoc, ut sit materia, oportet, quod ponatur in esse.

[f] *M add.* ut est impositio [g] *Th* remitterent

[h] *M* quae sunt eadem cum illo Io. 20 [21] et Matth. [28, 19], et ista omnia simul debent intelligi, ut credentibus peccata remittantur, scil. per praedicationem; et dicitur Deum misisse Filium, non ut iudicaret mundum, sed ut mundus per eum salvetur, neque adulteram Christus voluit condemnare, sed dimisit illam. Venit igitur Christus tantum ad praedicandum, et sicut Pater eum misit, ita Christus discipulos misit, Io. 20 [21]: «Sicut misit me Pater» etc. Et Zacharias dicebat: «Ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum» *[Luc. 1, 77]*.

[i] *M* partes sacramenti

[k] *Codd. et Th* facere [l] *Codd. et Th* agere [m] *Codd. et Th* de

[n] *M* sit invisibilis de per se [o] *Th* poenae aeternae [p] *M* maxime

[1] *Luc.* 3, 3. [2] *Matth.* 28, 19. [3] *Matth.* 4, 17. [4] *Luc.* 3, 8. [5] Cf. *Luc.* 15, 7. [6] Cf. *Matth.* 12, 41; *Luc.* 11, 32.

et Christi satisfactio nostra dicitur et nostra Christi.⟩[a] Christus autem optimam politiam instituit, ut non essemus dormientes, sed laborantes in virtutibus, ⟨et sicut pro bonis operibus mercedem acciperemus, ita⟩[b] et pro delictis lucraremur[c] poenas. Et ut simul cum Christo compatientes simul cum eo conglorificaremur[1]. Et ad id, quod adducitur contra formam, priores auctoritates ⟨de praedicatione et remissione peccatorum credentibus etc.⟩[b] declarantur per Ioa. 20 [23], qui clare loquitur ⟨de sacramento poenitentiae ultra praedicationem in illis verbis: *Quorum remiseritis* etc., ut ab aliis etiam diffusius demonstratum est.⟩[d]

Et dimittitur congregatio hora 23.

Congregatio theologorum super eadem discussione articulorum de poenitentia et extrema unctione.

Die Iovis **29.** eiusdem mensis **Octobris** hora 14 habita etiam fuit congregatio theologorum, quorum infrascripti prosequuntur examinationem supradictorum articulorum de poenitentia et extrema unctione.

Bernardinus de Colloredo, ord. Praed., ⟨Foroiuliensis, familiaris R. D. Cenetensis,⟩[e] primum articulum discutiendum suscepit et poenitentiam sacramentum esse ostendit, et ordinem poenitentiae retulit, ut primo necessarius sit timor et detestatio peccatorum et fides, ex qua spes et ex ea dilectio oriatur, et confiteri deinde proponat et absolutionem accipere a sacerdote et, quod ab eo impositum fuerit, satisfacere. Et haec[f] sunt partes poenitentiae. Et quod poenitentia valeat ad salutem, patet, quia impenitentia[g]
243r nocet ad interitum aeternum. | Benignitas enim Dei vocat nos ad poenitentiam[2]. Quod si obstinati esse voluerimus et Spiritui Sancto resistere, peribimus. Ad quod dolor de peccatis requiritur, ⟨qui nullo modo malus est, ut adversarii dicunt.⟩[h] Unde filius prodigus in se reversus dicit: *Surgam et ibo*[3], ⟨dolens, quod a patre suo recessisset.⟩[b] Et publicanus a longe permanens percutiebat pectus suum ⟨et dolebat⟩[b]; ex quo reversus est iustificatus in domum suam[4]. Et ut legitur: Poenitentiam agentes, spiritu gementes[5]. Praeterea etiam confessio oris[b] necessaria est, ut habetur Ioa. 20 [23]: *Quorum remiseritis* etc. Oportet autem, ut, quae sint peccata, patefiant, ⟨ut dignosci possit, an remitti an retineri debeant.⟩[b] Satisfactio insuper[i] requiritur, quae duplex est, una pro natura, alia pro peccatis ⟨ut culpis⟩[b]. Et haec [!] a solo Christo fieri possunt[k]. Alia est poenalis. Et haec vel poenae aeternae vel temporalis. Pro aeterna solus Christus satisfecit; pro temporali autem nos etiam satisfacere possumus, ⟨licet et pro ea Christus satisfecerit. Quod facit, ut nos satisfacere possimus[l].⟩[b] In qua satisfactione semper Deus nobiscum benigne agit. Unde Propheta inquit: *Nunquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas*[6]? Et ideo eae poenae sunt mitiores, quia a Deo placato per poenitentiam infliguntur[m], amice et benigne[n], et compensat eas cum aeternis, quas infligeret, si poenitentia non fuisset facta. Et tales satisfactiones sunt satisfactoriae pro peccatis, quia Deus eas[o] ob suam iustitiam infligit pro delictis commissis, quibus, etsi debeatur[p] aeterna, ob poenitentiam tamen infligit[q] temporalem tantum. Praeterea ex iusto Dei iudicio debetur cuique secundum opera sua. Et ut virtutibus merita, ita delictis poenae debentur. Nam iniuria est damnum immerito illatum. Quare si Deo iniuriam facimus, debemus ei etiam satisfacere. Deus igitur ex iustitia poenas infligit. Unde Ethnicus ait: Discite iustitiam moniti et non temnere divos. Ex quo dicitur in oratione Manasse:
243v Poenitentiam iustis non imponit Deus[7]. Et Christus ipse satisfaciens fecit, | quod nostrae satisfactiones validae essent; alias enim nihil valerent. Et ⟨conscientiae etiam⟩[r] remorsus

[a] *M* Et cum mihi applicatur passio Christi per meam satisfactionem, Christus etiam pro me satisfecit.
[b] *M om.* [c] *C 118* lucremus; *C 119* lucraremus
[d] *M* et ultra praedicationem poenitentiae sacramentum instituit: «Quorum remiseritis.»
[e] *Th om.* [f] *M* hae tres [g] *Th* in poenitentia [h] *M* et non est peccatum
[i] *Th* igitur [k] *M* potest [l] *Th* possumus [m] *Th* affliguntur [n] *M* clementer
[o] *C 119 et Th om.* [p] *C 119 et Th* debetur [q] *Th* affligit [r] *Th* conscientia et

[1] Cf. *Rom.* 8, 17. [2] Cf. *Rom.* 2, 4.
[3] *Luc.* 15, 18. [4] Cf. *Luc.* 18, 13 sq.
[5] Cf. *Sap.* 5, 3. [6] *Ps.* 76, 10.
[7] Oratio Manassae, regis Iudae, in canonem librorum Veteris Testamenti recepta non est, sed legitur in Appendice Vulgatae.

maxima est poena. Unde Ethnicus ait: ⟨Rostroque immanis[a] obunco immortale iecur tondens.⟩[b] Et cum satisfactiones et poenae ad probationem, exemplum et eruditionem impositae sint, id etiam maxime pro peccatis inflictas esse denotat, ut scilicet Deum iustum esse et peccata punire cognoscamus. Voluntariae etiam poenae satisfaciunt ⟨et Deum placant.⟩[c] Unde David septem diebus ad evitandam pueri mortem se afflixit[1]. Et cum ei nunciata esset pestis trium[d] dierum, per afflictionem voluntariam eam effugit[2]. Id etiam habetur in Ninivitis[3]. Christus quoque satisfacere dicitur, cum nos satisfacimus, cum ipse sit caput, nos membra[4]. Ex quo eadem est sua et nostra operatio. Sicut enim Christi satisfactio nostra est, ita et nostra sua est. Quare Paulus dicebat: Adimpleo in corpore meo, quae desunt passioni Christi[5]. Praeterea si opera nostra aeternam gloriam merentur, multo magis poenae remissionem, quod minus est. Unde dicitur: *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae*[6]. Et Paulus ait: Quod est momentaneum et leve tribulationis nostrae, *poenitentiam in salutem stabilem operatur*[7]. Et ipsemet Christus inquit: Beati estis, *si feceritis, quae praecipio vobis*[8]. Et in ultimo iudicio dicet: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum vobis paratum* etc., *quia ⟨sitivi et dedistis mihi bibere⟩*[e][9] etc. Et de satisfactione Christi eo magis quis participat, quo magis dolet. Ideo posset quis tantum dolere, ut omnes poenae simul cum culpa deleantur[f].

Didacus Chiaves[10], ord. Praed., Hispanus[g], disseruit primo articulum 4 de extrema unctione, videlicet de ministro, contra quem adduxit Lutherus epistolam Innocentii I ad Decentium, qui videtur dicere, quod cuilibet Christiano liceat inungere[11]. Respondit id licere ⟨in casu necessitatis⟩[h], et tunc ea unctio non esset sacramentum, prout neque confessio facta layco in eodem casu necessitatis, ut clarum est. | Deinde dixit quoad 2. articu- 244r lum de poenitentia, an contritio sit pars necessaria huius sacramenti; et aliqui dicunt, quod non, quia aliquando aliquis solum attritus accedens ad hoc sacramentum fit contritus; ergo non est necessaria contritio, quia eo casu non doleret propter Deum. Sed contrarium dixit esse verum, ⟨quia sacramentum hoc aliquando confert primam gratiam,⟩[c] ut tenet B. Thomas 3. parte qu. 80 ad 5, qui dicit febricitantibus dari ⟨hoc sacramentum⟩[i][12]. Idem Alexander de Ales[13] et Durandus[14] tenent, ac etiam Roffensis in 5. articulum Lutheri[15]. Praeterea si sacramentum in voto susceptum confert gratiam, multo igitur magis realiter susceptum. Semper ergo hoc sacramentum dat gratiam. Deinde probavit sigillum confessionis esse de iure divino, quia, qui illud non servaret, confessionem evelleret[k]; sed confessio est de iure divino; ergo omne id, quod eam destruit, adversatur iuri divino, sicut omne id, quod eam struit[l], ⟨facit secundum ius divinum⟩[m]; alias enim liceret in aliquo casu prodere peccata[n], quod falsum est et prohibitum in concilio Lateranensi[o][16]. Quod etiam multis aliis rationibus probavit etc.

Desiderius de Verona, ord. Praed., ⟨Italus, theologus in monasterio S. Laurentii extra muros Tridentinos,⟩[p] examinavit 8. articulum de poenitentia super ea parte, quod omnibus Christianis sit dictum: *Quorum remiseritis* etc., quod haereticum esse asseruit, improbato omnes Christianos ex aequo esse sacerdotes, adducens primo argumenta adversariorum, primo ex cap. 5 [10] Apoc.: *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotium.*

[a] *Th hic uncis includit* vultur [b] *M* Manet immortale iecur etc. [c] *M om.*
[d] *M* septem [e] *M* esurivi et dedistis mihi manducare [f] *Th* delerentur
[g] *M add.* socius patris de Cano [h] *M* omnibus Christianis in absentia sacerdotum
[i] *M* baptismum et poenitentiam [k] *M* everteret [l] *M* astruit
[m] *M* est de iure divino [n] *C 118 et Th om.*
[o] *M add.* licere autem, si esset de iure naturali, propalare prodere volentem patriam [p] *Th om.*

[1] Cf. *2 Reg.* 12, 16 sqq.
[2] Cf. *2 Reg.* 24, 15—25. [3] Cf. *Ion.* c. 3.
[4] Cf. *Col.* 1, 18; *1 Cor.* 6, 15; *Eph.* 4, 15; 5, 30.
[5] Cf. *Col.* 1, 24. [6] *Hebr.* 5, 9.
[7] *2 Cor.* 7, 10.
[8] *Io.* 15, 14.
[9] *Matth.* 25, 34 sq.
[10] Didacus de Chaves, ord. Praed., professor in universitate Salmantina, et post concilium confessor principis Caroli, filii Philippi II, et Elisabethae a Pace reginae, et anno 1578 etiam ipsius Philippi II. Anno 1576 in causa Bartholomaei de Carranza, ord. Praed., cum duobus aliis sui ordinis theologis Romam missus est, ut consultoris partes sustineret. Obiit die 17. Iunii 1592. *I. Quétif-I. Echard,* Scriptores ordinis Praedicatorum II (Lutetiae Parisiorum 1721) 305 sq.
[11] Ubi Lutherus pro opinione sua auctoritatem Innocentii papae alleget, non inveni. Sed forse Didacus Chiaves cogitavit de Calvino, qui Innocentii epistula utebatur. Cf. supra p. 239 adn. 10.
[12] *Thomas Aquinas,* Summa theol. pars III qu. 84 art. 5 et 6.
[13] *Alexander de Ales,* Summa theol. pars IV qu. 14 membrum 2 art. 1 § 2 et 3.
[14] *Durandus,* Comment. in IV. Sent. dist. 17 q. 1.
[15] *Iohannes Fischer,* Assertionis Lutheranae confutatio (Parisiis 1523) fol. XLVr.
[16] C. 12 *Omnis utriusque* X de poen. et remiss. V 38.

Et Apoc. 1 [6]: *Fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo.* Et 2 Petr.: *Vos gens sancta, regale sacerdotium*[1]. Et Exod. 19 [6]: Eritis mihi sacerdotium, genus electum. Postea declaravit sacerdotium proprie et improprie accipi. De propriis loquitur Paulus ad Hebr. 5, qui docet, quale sit officium sacerdotum et pontificum (sacerdos enim et pontifex idem est). De impropriis autem loquitur [1] Petrus 2 [5]: *Aedificamini tanquam lapides vivi, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerentes spirituales*[a] *hostias.* Unde
244v David | ait: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*[2] etc. Et ad Rom. 10: Offerentes hostiam Deo placabilem[3]. Et ad Hebr. 13 [15 sq.]: Offeramus semper Deo laudem etc.; *talibus enim hostiis promeretur Deus.* Et Sap. 3 [6]: Quasi holocaustum accepit vos Dominus. Et Psalm. 4 [6]: *Sacrificate sacrificium iustitiae.* Et Petr.: Offerentes vos hostias Deo placentes[4]. Et Paulus docet, qualis debeat esse ⟨verus sacerdos⟩[b], scilicet ut eligatur, pro hominibus constituatur et offerat sacrificia pro populo[c][5]. Quae tria non inveniuntur in omnibus Christianis; ergo non omnes sunt sacerdotes. Deinde respondit ad argumenta. Petrum loqui de spiritualibus sacerdotibus in prima auctoritate; in secunda et Ioa. in Apoc. intelligi de propriis, ut scilicet de Christianis possint fieri reges et sacerdotes[d]. Et alia ratione, ut dicitur, regnum Dei non est [esca], sed iustitia[6]. Et, si omnes sunt sacerdotes, quomodo ab aliquibus assumuntur, et quomodo pro hominibus constituuntur et pro criminibus populi offerunt? Si igitur omnes sunt sacerdotes, ergo nullus est sacerdos ex auctoritate Pauli.

Postea dimittitur congregatio hora 17[e].

Congregatio theologorum super eadem examinatione articulorum de poenitentia et extrema unctione.

Eadem die **29. Octobris** hora autem 20 habita fuit etiam congregatio theologorum, quorum infrascripti prosequuntur examinationem eorundem articulorum de poenitentia et extrema unctione, primusque hodie loquitur

Alphonsus Contreras, ord. Min. de observ., Hispanus, socius patris de Ortega. Examinavit articulum primum de poenitentia, quam sacramentum esse a Christo institutum confirmavit, et ostendit in omni lege fuisse sacramenta, ut lege naturae et Moysi; ergo multo magis debuerunt esse in evangelica, quae est omnibus aliis dignior. ⟨Et quia solummodo Christi passionem et mortem peccata dimittere et gratiam conferre patet,
245r ergo in nulla lege nisi in evangelica vera sacramenta esse potuerunt.⟩[f] | Et quod omnia sacramenta a Christo instituta sint, patet, quia a nemine alio institui poterant. Nullus enim nisi solus Christus instituere potuisset aliquod signum, quod gratiam contineret et conferret. Quo vero ad extremam unctionem et 4. articulum de ministro reprobavit dicta per patrem de Chiaves hoc mane super epistola Innocentii ad Decentium, quia ipse Innocentius pontifex[a] non dat licentiam, quod hoc sacramentum conferatur ab omnibus Christianis, sed quod[g] omnibus Christianis ⟨liceat recipere hoc sacramentum per legitimum tamen ministrum dispensatum⟩[g], ut verba ipsa Innocentii clare sonant, cum ait: Omnibus Christianis uti liceat etc.[7] Reversus est deinde ad sacramentum poenitentiae et omnes propositos[h] articulos haereticos esse confirmavit, quia sunt contra doctrinam sanctae ecclesiae, ad quam spectat de rebus fidei declarare et docere. Et tres esse partes poenitentiae roboravit, sed non poenitentiae, ut est sacramentum, sed ut conversio ad Deum. 7., 8. et 9. articuli etiam haeretici sunt, quia sacerdos vere absolvit. Nam Matth. 16 [19] pro-

[a] *Th om.* [b] *M* qui est sacerdos [c] *M* peccatis
[d] *M add.* ut intelligitur illa auctoritas Exod. 19, quae fuit vera in tribu levitica de sacerdotio, de regno in aliis tribubus, scil. quod apud Hebreos primi essent reges et sacerdotes. Ita et in Christianis et reges sunt sacerdotes, quia in spiritualibus regibus imperant.
[e] *M add.* cum dimidia
[f] *M* Praeterea Christi sanguine et passione solum peccata dimittuntur et gratia confertur, ergo in lege evangelica vera sacramenta sunt et esse debent et congrue septem sunt, ut Sap. dicitur: Aedificavi mihi domum supra septem columnis etc. *[Prov. 9, 1]* et rei publicae Christianae, et omnia septem esse ostendit.
[g] *M om.* [h] *C 119 et Th* primos

[1] *1 Petr.* 2, 9. [2] *Ps.* 50, 19. [3] Cf. *Rom.* 12, 1. [4] Cf. *1 Petr.* 2, 5. [5] Cf. *Hebr.* 5, 1. [6] Cf. *Rom.* 14, 17. [7] Cf. supra p. 281 l. 18 sqq et p. 252 adn. 19.

misit Christus claves, quas dedit postea Ioa. 20 [23]: *Quorum remiseritis* etc. Quae verba potestatem significant. Et superiores possunt sibi casus reservare. Quod clare in aliis verbis ostenditur[a], cum dicit: *Quorum retinueritis.* Et quod dicit claves in plurali, notant claves scientiae et potestatis. Licet autem solus Deus remittat peccata, Esai. 43 [25]: Ego solus deleo iniquitates, et dicitur in Apoc. [3, 7]: Qui librum claudit et nemo aperit, ⟨non tamen obstat, quia sacerdos auctoritate Christi, non sua, remittit⟩[b]. Unde dicit Paulus: Sic se existimet homo, ut sit minister[1] etc. Neque omnes Christiani sunt ministri, sed soli sacerdotes. Ideo dicitur Act. 20 [28]: *Attendite vobis et universo gregi* etc. ⟨Alias non possent distingui pastores ab ovibus.⟩[c] Et ad id, quod dicitur: Ubi Spiritus Domini, ibi omnis potestas et libertas[2], ⟨respondit intelligi⟩[d] de scientiae potestate et libertate. ⟨Et verbum *potestas* additum est textui Pauli a Luthero.⟩[c 3]

Antonius de Uglioa, ord. Min. de observ., Hispanus[e], accepit 2. articulum de poenitentia, ⟨cuius tria illa, de | quibus in articulo, partes esse declaravit, ut iam definivit 245v
concilium Florentinum[4], eaeque necessariae sunt,⟩[f] et primo contritio, contra quam arguit Lutherus, quia incipit a timore poenae, ergo hypocrisis, quia odio poenarum, non virtute avertit se a peccando[5]. Oportet enim, ut sit timor[g]. Item quia timet legem contra eum editam, ergo magis peccat; avertit enim se a peccando propter legem[h]. Respondit dolorem ipsum non facere hypocritam, ⟨sed vere probum⟩[i], quia, etsi doleat ob poenam vel legem, non dolet, quod lex sit vel quod Deus puniat, sed quod ipse contra legem et Deum fecerit. Ex quo vertit se ad divinam misericordiam et incipit postea diligere. Deinde examinavit 4. articulum, an confessio[k] sit de iure divino, et probavit partem affirmativam veram esse, etiam cum adiectione *secretam,* ut definitur a censura Parisiensi[6], et Sixtus IV[l] in damnatione Petri Ozomensis[7], et Leo in epist. 78[8]. Et ostendit Chrisostomum nunquam sensisse contra hanc confessionem, ut clare demonstrat super cap. 20 Ioa. et lib. de sacerdotio[9]; qui Chrisostomus monet, ut non erubescamus confiteri peccata; sed erubescentia non cadit, nisi nos confiteamur sacerdoti. Postea dixit quoad satisfactionem, articulos propositos etiam haereticos esse; et improbavit opinionem illorum, qui[m] dixerunt, Christum non satisfecisse pro poena temporali, sed reliquisse eam nobis satisfaciendam. Quod falsum declaravit, quia licet nos satisfaciamus, nostra tamen satisfactio ideo meretur, quia Christus satisfecit[n], et nostra satisfactio est etiam Christi satisfactio. Deinde improbavit esse de iure divino publicam confessionem vel publicam satisfactionem, cum ea non habeatur in ecclesia neque retenta fuerit. Quod non ita factum fuisset, si de iure divino esset. Et quod dicit Paulus: *Peccantes* publice *coram omnibus argue*[10], intelligitur de adductis iam in iudicio.

Franciscus Tranensis, ord. S. Augustini[o], ⟨qui est cum R. P. generali,⟩[p] disseruit 2. articulum de poenitentia de tribus partibus, quas necessarias esse ostendit. De satisfactione enim Petrus ait: *Satagite, | ut per vestra bona opera*[11] etc., quae etiam merentur, 246r
ut docet Augustinus lib. 80 quaest. cap. 4[12], adducens exemplum Nabuchodonosor, qui doluit[c], penituit, ingemuit et flevit et regnum recipere meruit[13]. Pharao autem, qui non est conversus, damnatur[14]. Et licet Deus misericorditer donet, tamen dicimur etiam mereri, prout idem Augustinus Psalm. 100 ostendit[15], qui allegat exemplum Pauli, cui donata est

[a] *Th* ostendit [b] *M* respondit sacerdos [!] etiam auctoritate Christi, non sua propria remittere
[c] *M om.* [d] *M* a Lutheranis intelligitur [e] *Th om.; M add.* socius patris de Castro
[f] *M* de partibus poenitentiae, et an sint materia ipsius sacramenti, et respondit, quod sic iuxta concilium Florentinum, et per singulas esse necessarias declaravit
[g] *M* amor; *postea add.* ut cum dicitur de iis, qui metu tempestatis proiiciunt merces suas in mari [!]; fingit enim; nam non animo proiicit.
[h] *M add.* non quia sit virtutis etc. [i] *M* esse falsum [k] *M add. supra lineam* secreta
[l] *M add.* in concilio Toletano [m] *M add.* in superioribus congregationibus
[n] *Th* satisfacit [o] *M add.* Italus [p] *Th om.*

[1] Cf. *1 Cor.* 4, 1.
[2] Cf. *2 Cor.* 3, 17.
[3] Nec in sacrae scripturae versionibus germanicis Lutheri, quae inter annos 1522 et 1546 in lucem prodierunt, nec in Vulgatae emendatione ab eo facta (anno 1529) verbum *potestas* hoc loco additum est. *Ed. Weimar.,* Die deutsche Bibel VII 146/47 cum apparatu critico, et V 667 sq.
[4] Cf. supra p. 241 adn. 3.
[5] Cf. supra p. 234 adn. 8.
[6] Cf. supra p. 235 adn. 3.
[7] Cf. supra p. 252 adn. 8.
[8] Cf. supra p. 243 adn. 7.
[9] Cf. supra p. 250 adn. 1.
[10] *1 Tim.* 5, 20. [11] *2 Petr.* 1, 10.
[12] *Augustinus,* De diversis quaestionibus 83 liber unus. In 4. cap. nihil de satisfactione vel de bonis operibus legitur; de quonam capite hic agatur, non decidam. *Migne,* P. lat. XL 11—100.
[13] *Dan.* 4. [14] *Ex.* 14.
[15] *Augustinus,* Enarratio in Ps. 100 n. 2. *Migne,* P. lat. XXXVII 1283 sq.

primum[a] gratia in baptismo; tamen semper postea laboravit. Unde ipse ait: *Bonum certamen certavi* etc., *reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi iustus iudex*[1]. Ergo dans Deus mercedem bonis operibus non solum gratuito, sed iuste et ex debito iustitiae[b] reddit[c]. Quo vero ad confessionem vocalem de ea optime meminit Augustinus lib. confessionum cap. 3 et epist. 111[d] [2]; idem contra Faustum lib. 22 cap. 87[3] et epist. 54 ad Macedonium[4] et[e] cap. 12 de vera poenitentia[5] et ad Iulianum[6] et Ambrosius in lib. de Abel et Chaim [!][7]. De confessione quoque secreta auriculari idem Augustinus meminit hom. 27[8] et hom. 41[9] et 49[10] et 50[11]. ⟨Et adduxit Cirillum de exemplo sui nepotis, qui cum in obitu contempsisset confiteri, apparuit ei damnatus ad aeternas poenas⟩[f].

Solvitur deinde congregatio hora 23.

Adventus R. D. episcopi Curiensis.

Eadem die **[29. Octobris]** applicuit Tridentum R. D. Thomas de Plantanis[g], episcopus Curiensis, ⟨natione Suitensis.⟩[h]

Congregatio theologorum. Discutiuntur iidem articuli de poenitentia et extrema unctione.

Die Veneris **30. Octobris** mane hora 14 habetur congregatio theologorum, qui prosequuntur examinationem supradictorum articulorum de poenitentia et extrema unctione.

Marianus Feltrinus, ord. S. Augustini, ⟨prior S. Marci Tridentini, Italus[i],⟩[k] primum
246v articulum de | poenitentia examinavit, eumque in omnibus partibus haereticum esse ostendit, primo quod poenitentia sit sacramentum, quia diffinitio sacramenti, etiam quae ab haereticis ponitur, ei convenit, ut sit ceremonia externa habens pactum Dei. Et sic quidem congruit divinae bonitati, ut, quemadmodum remedium pro peccato originali instituit, quod est baptismus, ita pro actualibus aliquod remedium institueret, quod est poenitentia. Neque baptismus est sacramentum poenitentiae. Illa enim sunt eadem, quorum diffinitiones conveniunt; sed baptismi et poenitentiae diffinitio differt, quia unum est omnis ablutio et regeneratio; aliud non; ⟨ergo non sunt idem⟩[b]. Neque etiam poenitentia[l], quae fit ante baptismum, quia ea praecedit baptismum, ergo non est baptismus. Ita neque ea, quae subsequitur pro relapsis, quia post baptismum fit. Deinde examinavit 5. articulum, cuius omnes partes haereticas comprobavit, excepta ultima, quae scandalosa est, videlicet quod non liceat peccata venialia confiteri; quinimo in aliquo casu quis tenetur confiteri venialia, ut cum dubius est, an aliquod peccatum sit veniale vel mortale. Et omnia peccata confitenda sunt una cum eorum circumstantiis. Unde Levit. 5 fit differentia inter peccatum ignoranter vel scienter factum, ut, cum additur iuramentum vel non. Et eis ordinatur diversum sacrificium. Id vero fieri non posset, nisi peccator fateretur et aperiret omnia sua peccata et eorum qualitates. Et si in veteri lege id fiebat, multo magis debet

[a] *Th* prima [b] *M om.*
[c] *M add.* etiam tribulationes a Deo inflictae, si patienter sufferantur
[d] *M add.* idem Cyprianus in sermone de poenitentia [e] *Th* ut
[f] *M* Et omnes tres partes necessariae sunt; allegavit Cyrillum de suo nepote, qui cum non confessus fuisset in obitu, qui apparuit ei cathenis legatus.
[g] *C 119* Platanis [h] *M* electus 1549 die 21. Decembris. [i] *M* Feltrensis
[k] *Th om.* [l] *Codd. et Th* poenitentiae

[1] *2 Tim.* 4, 7 sq.
[2] Nunc est epist. 148 ad Fortunatianum, in qua tamen de nostro argumento nihil legitur. *Migne,* P. lat. XXXIII 622—630.
[3] *Migne,* P. lat. XLII 458 sq.
[4] Nunc est epist. 153. *Migne,* P. lat. XXXIII 653—665.
[5] *Pseudo-Augustinus,* De vera et falsa poenitentia; de confessione agitur cap. 10 et 11. *Migne,* P. lat. XL 1122 sq.
[6] *Augustinus,* Contra Iulianum Pelagianum libri 6. De quo loco hic cogitet, decidere non audeo. *Migne,* P. lat. XLIV 641—874.
[7] *Ambrosius,* De Cain et Abel lib. II cap. 7—9. *Migne,* P. lat. XIV 353—357.
[8] *Augustinus,* Sermo 352 (olim 27 inter 50 hom.) n. 8. *Migne,* P. lat. XXXIX 1558 sq.
[9] *Idem,* Sermo 393 (olim 41 inter 50 hom.). *Migne,* P. lat. XXXIX 1713 sqq.
[10] *Idem,* Sermo 392 (olim 49 inter 50 hom.) n. 3. *Migne,* P. lat. XXXIX 1710 sq. Cf. c. 44 de poen. dist. 1.
[11] *Idem,* Sermo 351 (olim 50 inter 50 hom.) n. 9. *Migne,* P. lat. XXXIX 1545. Cf. c. 85 de poen. dist. 1.

fieri in evangelica. Si etiam omnia peccata non confiterentur, sequeretur, quod sacerdos non haberet auctoritatem retinendi, cum scire non posset, quae retinenda essent vel non. Item sequeretur, quod unicuique danda esset eadem satisfactio, quia omnes eodem modo peccasse viderentur, si peccatores dicerent tantum: Peccavimus. ⟨Adam etiam et peccatum et circumstantias confessus est tribuens causam mulieri.⟩[a] [1] Et Nathan proposuit Davidi peccatum et circumstantias in illa parabola ovis pauperis et divitis. Et David respondit: *Peccavi Domino,* fatens delictum[2]. | 9. articulus posset habere bonum sensum, ut cum 247r
quis summa contritione accederet[b] ad confitendum aliquod grave peccatum, quod esset sacerdoti ipsi prohibitum, ne absolveret, et ipse nihilominus absolveret, illi esset remissum huiusmodi peccatum coram Deo ob eius contritionem; sed non esset absolutus sacramentaliter. Circa extremam unctionem primus articulus haereticus est; est enim sacramentum a Christo institutum et a Iacobo promulgatum[3]. ⟨Et ostendit⟩[c] semper illud conferre gratiam, ut alia sacramenta omnia. Et alia habet, quae in sacramentis requiruntur.

Adeodatus Senensis, ord. S. Augustini, ⟨Italus, familiaris R. D. Panormitani,⟩[d] accepit 10. articulum de satisfactionibus eumque haereticum comprobavit ex Augustino de poenitentiae medicina lib. 2 cap. 5[4] et serm. 7 de tempore[5]. Gregorius hom. 34[6]; Ambrosius lib. 2 de poenitentia cap. 10[7]; Hieronymus in regula monachorum cap. 14[8]. Neque poenitentia est nova vita; ⟨imo nova vita repugnat poenitentiae, quia, cum quem poenitet, iam non est in nova vita,⟩[e] sed praeparat se[d] ad ⟨novam vitam⟩[f]. Nova autem vera[g] vita[h] fit per baptismum. Poenitentia vero non ita renovat, sed restant adhuc multi dolores[i] et tribulationes. Unde haec poenitentia, quae post baptismum restat, est longe durior quam illa, quae fit ante baptismum. Haec enim non est sola nova vita; sed oportet, ut etiam poenitens patiatur; alias frustra Paulus diceret: *Et lugeam multos, qui non egerunt poenitentiam* suorum scelerum[9], si tantum nova vita sufficeret. Et frustra etiam angelus in Apoc. diceret: *Memento, unde excideris; age poenitentiam et priora*[k] *opera fac*[10]. Et Act. 8 de Simone, ⟨cum[l] admoneret, ut ageret poenitentiam⟩[g]. Praeterea aliud est poenitere, aliud bene vivere. De hoc enim bene vivere ait Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*[11], quod ad iustos pertinet. Peccatores autem non solum hoc, sed etiam poenitentia suorum peccatorum egent. Eis enim dicitur: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis*[12]. Quae verba necessitatem arguunt, ut illa: *Nisi quis renatus fuerit*[13] etc., et illa: *Nisi manduca|veritis*[14] etc. Neque vero omnes poenitentes ad novam vitam per- 247v
veniunt. De quibus ait Paulus: *Omnes quidem currunt; sed unus accipit bravium*[15]. Et dicitur de mittente manum ad aratrum et retro respiciente[16]. Cuperet tamen, ubi dicitur *nova vita,* addi *tantum,* quia aliquo modo poenitentia est nova vita, sed non ea tantum. Et quod additur, quod tristitia non sit eadem cum poenitentia, cum Paulus dicat, quod tristitia operatur poenitentiam[17], respondit, quod illa tristitia non est fructus poenitentiae, sed dolor primus de peccatis, qui poenitentiam operatur. Et etiam geennae dolor utilis est, quia praeparat. Unde is dolor toties commendatur et inculcatur[m] in sacris litteris, tam in veteri lege, quam nova; alias et lex mala esset, quae ad hoc data est, contra id, quod Paulus dicit: Sed lex mala est ea male utentibus; alias ducit ad iustitiam[18]. Unde David ait: *Legem pone mihi, Domine, viam iustificationum tuarum*[19]. Quoad confessionem adduxit Chrysostomum lib. 2 de sacerdotio, ut ipse non videatur eam negare[20], sicut quidam male dixerunt.

Et dimittitur congregatio horâ 17.

[a] *M* Et Adam confessus est peccatum et addidit circumstantias, ut illud diminueret tribuens illud mulieri.
[b] *Codd. om.* [c] *M* Et respondit ad quaedam argumenta adversariorum [d] *Th om.*
[e] *C 119 et Th om.* [f] *M* renovationem novae vitae [g] *M om.*
[h] *M add.* proprie [i] *M* labores [k] *Th* prima [l] *Th* eum
[m] *In C 118 corr. ex* conculcatur

[1] Cf. *Gen.* 3, 12. [2] *2 Reg.* 12, 1—15.
[3] *Iac.* 5, 14 sq.
[4] *Augustinus,* Sermo 351 cap. 5 n. 12 (olim sub titulo «De poenitentiae medicina» divulgatus). *Migne,* P. lat. XXXIX 1549. Cf. c. 63 de poen. dist. 1.
[5] *Pseudo-Augustinus,* Sermo 117 (olim 7 de tempore) n. 10. *Migne,* P. lat. XXXIX 1980.
[6] *Gregorius Magnus,* Homilia 34 in evangelia n. 15 16 et saepius. *Migne,* P. lat. LXXVI 1255 sqq.
[7] Cf. supra p. 246 adn. 20.
[8] Regula monachorum ex scriptis Hieronymi collecta cap. 14. *Migne,* P. lat. XXX 353—359.
[9] *2 Cor.* 12, 21. [10] *Apoc.* 2, 5.
[11] *Matth.* 19, 17. [12] *Luc.* 13, 5.
[13] *Io.* 3, 5. [14] *Io.* 6, 54. [15] *1 Cor.* 9, 24.
[16] Cf. *Luc.* 9, 62. [17] Cf. *2 Cor.* 7, 10.
[18] Cf. *1 Tim.* 1, 8. [19] *Ps.* 118, 33.
[20] Cf. supra p. 250 adn. 1.

Congregatio theologorum. Absolvitur examinatio suprascriptorum articulorum de poenitentia et extrema unctione.

Eadem die Veneris [30. **Octobris**] hora autem 20 habita fuit iterum congregatio theologorum, in qua prosequuti sunt discussionem eorundem articulorum de poenitentia et extrema unctione infrascripti, videlicet

Desiderius Panormitanus[1], ord. Carmelitarum, ⟨Siculus, familiaris R. D. Bossanensis.⟩[a] Primum articulum de poenitentia haereticum confirmavit, et iam damnatum a Lucio papa in cap. *Ad abolendam*[2], et in concilio Lateranensi[b 3] et concilio Constantiensi[4] et Florentino[5] et Sixto IV[6], Leone X[7] et tandem in sessione 6 et 7 huius sacri Tridentini concilii[8]. Et quod poenitentia sit sacramentum, patet, quia omnia ad sacramentum requisita habet: ⟨Materia seu signum tres illi actus poenitentis; et actus absolventis forma: *Ego te absolvo.*⟩[c] Gratia autem promissa est in illis verbis: *Quorum remiseritis* etc.[d]
248r ⟨2. et⟩[e] 3. articuli etiam haeretici sunt, idem 4[s]; | ⟨sed confessio in genere est de iure divino, non quod sit magis secreta quam publica.⟩[f] 5. articulus etiam haereticus est. Neque enim alias peccata dimitti possent, nisi, quae essent, audirentur. Circa extremam unctionem primus haereticus est, quia omne, quod habet requisita ad sacramentum, sacramentum est. Sed extrema unctio est ita; ergo etc. Habet enim extrema unctio materiam, quae est oleum[g]; formam verba collationis; pactum gratiae: *Alleviabit eum Dominus et, si in peccatis fuerit, dimittentur ei*[9]. Quod sacramentum Christus instituit. Neque enim homo peccata dimittere poterat; a Iacobo igitur promulgatum fuit, non institutum. Instituit autem Christus Marc. 6 [13]. Neque est ibi figura huius sacramenti, ⟨ut aliqui dixerunt⟩[e 10], quia figurae cessaverunt in nova lege. Quem locum ita intelligunt Chrisostomus lib. 3 de sacerdotio[11], Gregorius, Basilius, Hieronymus[12] et Hugo de S. Victore[13]. Articulus 4 etiam haereticus est. Soli enim sacerdotes huius sacramenti ministri sunt, cum requiratur oratio, quae in persona ecclesiae fit, quae solis sacerdotibus competit.

Franciscus de Viglialua[h], ord. S. Hieronymi, ⟨Hispanus, familiaris R. D. Granatensis,⟩[a] accepit 7. et 8. articulos, an absolutio sacerdotis sit actus iudicialis, et an verba illa: *Quorum remiseritis,* omnibus et singulis Christianis dicta sint. Quoad 8[m] adduxit primo argumenta adversariorum, quod verba illa ⟨omnes tangant, cum⟩[e] dicta sint in genere, ut illa: *Euntes docete omnes gentes*[14]. Sed quilibet omnes docere potest; ergo et[a] quilibet omnes absolvere potest. Et contra 7[m] argumentantur: Si quis non est

[a] *Tn om.* [b] *M add.* cap. «Omnis utriusque»

[c] *M* Forma est absolutio ipsa: «Ego te absolvo»; materia vel quasimateria sunt tres illi actus poenitentis (et ad istas partes sequuntur tres partes penales, ut contritio sit pena) et actus poenitentis et actus absolventis sunt materia et signum huius sacramenti.

[d] *M add.* Ergo poenitentia est vere sacramentum. Secunda de reconciliatione etiam falsus [!] est, unde Matth. 18 [15] dicitur: «Si peccaverit in te frater tuus, corripe» etc. Et ad Gal. 6 [1] et Apoc. 2 [5]: «Age poenitentiam et prima opera fac.» Et 2. articulus etiam haereticus est, et fides est fundamentum omnium sacramentorum, non autem pars ipsius sacramenti.

[e] *M om.*

[f] *M* sed verba illa «confessio secreta» non sunt iuris divini, sed confessio ut sit secreta, non est de iure divino, sed quod quis confiteatur in genere est de iure divino.

[g] *M add.* consecratum [h] *M* Vigliarva

[1] Desiderius Mazzapica a S. Martino, Siculus, patria Panormitanus, procurator generalis Carmel. in curia regis Catholici pro Hispaniarum provinciis fuit. *G. Wessels,* Bibliotheca Carmelitana I (Romae 1927) 384 sq. Sed anno 1562 non interfuit concilio Tridentino, ut ibidem asseritur.

[2] C. 9 *Ad abolendam* X de haer. V 7.

[3] C. 12 *Omnis utriusque* X de poen. et remiss. V 38.

[4] Inter errores Ioannis Wicleff n. 7. *Mansi* XXVII 1207.

[5] Cf. supra p. 241 adn. 3.

[6] Cf. supra p. 245 adn. 21.

[7] Cf. supra p. 245 adn. 22.

[8] Cf supra p. 249 adn. 4 et p. 241 adn. 5.

[9] *Iac.* 5, 15.

[10] Ex. gr. Jodocus Ravesteyn, supra p. 256 l. 18—25.

[11] *Chrysostomus,* De sacerdotio lib. III n. 6, ubi allegat *Iac.* 5, 14 sq. De loco *Marc.* 6, 13 nihil tamen ibi legitur. *Migne,* P. gr. XLVIII 644.

[12] Extremae unctionis sacramenti perpauca testimonia prioribus fidei christianae saeculis existere omnibus notum est. Apud patres hic allegatos nihil de hoc sacramento legitur. Cf. *F. Lehr,* Die sakramentale Krankenölung im ausgehenden Altertum u. im Frühmittelalter (Karlsruhe 1934).

[13] *Hugo de S. Victore,* De sacramentis christ. fidei lib. II pars 15 dicit: «Sacramentum unctionis infirmorum ab apostolis institutum legitur», adducens locum *Iac.* 5, 14 sq. *Migne,* P. lat. CLXXVI 577. Similiter in Summa sententiarum tract. 6 cap. 15 dicit: «Hoc sacramentum institutum fuit ab ipsis apostolis.» *Ibid.* 153. Ergo Hugo de S. Victore minime pro opinione Desiderii Panormitani adduci potest.

[14] *Matth.* 28, 19.

contritus, non accipit digne absolutionem; si autem vere est contritus, iam accepit absolutionem, antequam ad sacerdotem accedat. Ergo nunquam sacerdos vere absolvit. Antequam responderet, declaravit, duas esse potestates, una spiritualis, quae ordinatur ⟨ad effectum spiritualem et⟩[a] ad administrandum bona spiritualia, et alia etiam spiritualis, quae ordinatur ad finem[b] spiritualem. ⟨Et haec erat in lege naturae et in lege Moysi; prima vero⟩[c] est in lege evangelica, quae vocatur claves ecclesiae. | Apostoli igitur, licet 248v
ut singuli habuerint alias potestates, quam nunc habeant episcopi, ut miraculorum, sanitatum, prophetiae etc., tamen eaedem potestates, si non sunt in episcopis ut singulis, sunt tamen in ecclesia, ut Paulus ostendit[1]. 8. igitur articulus haereticus est. Et alias non possent verificari verba Pauli ad Timotheum: *Nemini cito manum imposueris*[2], et: Noli despicere gratiam, quae data est tibi per manuum impositionem[3], si ipse, ut alii omnes Christiani, eandem potestatem habebat. Et idem Paulus dicit, quod *divisiones gratiarum* diversae sunt, sed *idem* est *Spiritus*[4]. Et 1 ad Cor. 11 ait diversa membra in uno corpore esse et diversa membra diversos[d] effectus habere[5]; ergo ⟨omnia non omnes⟩[e] habent. Quod contra esset, si omnes eandem potestatem haberent. Unde dicitur ecclesia ornata viro suo *circundata varietate*[6]. Responditque ad argumenta, quod illa verba sint ut illa de baptismo[f], id non esse verum, quia etiam illa ad solos sacerdotes spectant, excepto casu necessitatis, in quo quilibet posset, ⟨non sic autem absolvere, ut verba ipsa clare ostendunt: *Quorum* etc.⟩[g] Postea 7. articulum etiam haereticum affirmavit, quia Deus Pater misit Filium, ut remitteret peccata. Quo etiam modo ipse discipulos suos misit[h]. Frustrarenturque claves ecclesiae, nisi sacerdotes solverent et ligarent. Ad id, quod dicebatur ⟨de contritione⟩[i], respondit sacerdotem verum iudicium proferre et per se absolvere; ⟨et si illi fuerunt peccata remissa, etiam fuit⟩[k] virtute absolutionis sacerdotis, quia eo casu oportuit eam habere in voto. ⟨Et dum attritus a sacerdote absolvitur, fit contritus.⟩[l]

Et cum nemo alius dicturus esset, imponitur finis examinationi dictorum articulorum quoad ipsos theologos[m]; quod a me A n g e l o M a s s a r e l l o secretario eis alta voce nunciatum est. ⟨Et dimittitur congregatio hora 23.⟩[l] [7]

Congregatio generalis. Eliguntur tres patres pro hospitiis dirigendis et quatuor pro examinandis excusationibus absentium ac decernitur dicendas prius sententias patrum super articulis propositis, quam canones formentur etc.

Die Iovis 5. supradicti mensis **Novembris** hora 20 habita fuit congregatio generalis, 250r
in qua R^{mus} et Ill^{mus} D. **legatus** ⟨post lectam orationem Sancti Spiritus consuetam⟩[n] ⟨proposuit patribus, qualiter, cum iam aucta sit frequentia patrum, et in dies multae differentiae oriantur inter praelatos et Tridentinos super pensionibus hospitiorum et rerum utensilium⟩[o], deligendi essent aliqui patres, qui una cum commissario apostolico ipsorum hospitiorum curam susciperent ⟨et pensiones aequas statuerent⟩[a]. ⟨Et quoniam inter caetera, quae in concilio necessaria sunt, id maxime procurandum est, ut annonae copia adsit, et res iusto precio vendantur et emantur, esse etiam diligentiam adhibendam, ut, quantum fieri potest, annonae ipsius caritas adimatur; cuius[p] rei curam demandandam

[a] *M om.* [b] *M* effectum *et supra lineam add.* et finem
[c] *M* Prima erat in antiqua lege, secunda [d] *M add. supra lineam* actus et
[e] *M* non omnia omnes [f] *M add.* et praedicatione
[g] *M* Nam baptizare et docere ad sacerdotes ex iure pertinet.
[h] *M add.* Ergo misit ad dimittenda peccata, quo patet: «Quorum remiseritis.» Praeterea quid aliud operarentur claves datae ecclesiae.
[i] *M* quod contrito non remittit sacerdos [k] *M* et illa remissio facta contrito est facta
[l] *M et Th om.* [m] *M add.* ad Dei laudem et gloriam [n] *Th om.*
[o] *M* fecit verbum de pensionibus domorum et hospitiorum, ut super eis aliqua forma imponatur
[p] *Th* huius

[1] Cf. *I Cor.* 12. [2] *I Tim.* 5, 22.
[3] Cf. *I Tim.* 4, 14. [4] *I Cor.* 12, 4.
[5] *I Cor.* 12, 12 sqq.
[6] *Ps.* 44, 10.

[7] In *Conc. 118* f. 248v—249v sequuntur nomina theologorum, qui in praecedentibus congregationibus de poenitentia et extrema unctione vota dederunt.

esse R^{mo} et Illmo D. Tridentino, civitatis principi[1]. Praeterea retulit advenisse quamplures procuratores absentium, qui se a veniendo ad concilium excusant; ideo deligendos etiam esse aliquos patres, coram quibus excusationes ipsae allegentur et mandata ostendantur, qui deinde omnia in sacra congregatione referant.⟩[a] Quo vero ad ⟨materias tractandas⟩[b] commendavit summopere brevitatem expeditionis; ⟨nollet tamen eius verba in sinistrum sensum interpraetari, prout quidam ante praeteritam sessionem fecerunt⟩[c], sed ita intelligi, ut unicuique sit liberum dicendi, quod voluerit et quantum et quamdiu voluerit[2]. Verum cum articuli iam propositi de poenitentia et extrema unctione sint exactissime discussi et examinati a theologis ⟨et tempus sessionis instet, omnis ratio postulat, ut patres sint breves⟩[d] in sententiis dicendis. ⟨Quod etiam utile ipsis patribus videri debet, ut eo citius rebus, quae restant, absolutis ad propria revertantur.⟩[e] Patres igitur dicant, quid eis videatur condecentius pro faciliori expeditione negociorum. Retulitque aliquibus videri, ut doctrina et canones nunc proponantur et simul cum materia examinentur abs-
250v que eo, quod in articulis discutiendis ulterius tempus conte|ratur, licet videatur hac via posse dari ansam adversariis obloquendi, quod eorum causa indiscussa damnata sit[f] et quod nimium theologis tribuatur, ⟨ut eorum tantum testimonio articuli damnentur⟩[g]. Sed ⟨ii respondent posse formari⟩[h] canones ⟨absque anathemate et⟩[g] sub dubio, an ⟨scilicet videatur hoc vel illud damnandum necne et sic de doctrina, ita ut non tanquam res firmata, sed examinanda et firmanda proposita videretur⟩[i]. Remisit se tamen patribus, quorum super omnibus supradictis sententias rogavit.

R^{mus} et Ill^{mus} D. card. **Tridentinus** laudavit omnia[k] dicta per R^{mum} et Ill^{mum} legatum; sed quoad curam annonae ⟨cuperet haberi ab eodem commissario et deputatis, ut ipse ab eo onere liberaretur; retulitque optimas provisiones factas esse, ut frumenti et carnium copia habeatur, in quo Caesarem omne auxilium et favorem impendisse indulsisseque, ut ex eius regnis et dominiis huc asportari liceat; idemque egisse Ser^{mum} Romanorum regem⟩[l]. ⟨Commendavit etiam deputationem faciendam super hospitiis dirigendis ac excusationibus absentium audiendis⟩[m], quas tamen vellet publice in sacra congregatione referri. Quo vero ad modum procedendi, cum articuli propositi sint iam fere omnes damnati in concilio Florentino et plene a theologis discussi, placeret, quod canones et doctrina[n] nunc proponere[n]tur, prout dixit R^{mus} et Ill^{mus} legatus, ut brevitati temporis consulatur.

R. et Ill. D. archiepiscopus **Maguntinus** elector[o] probavit dicta per R^{mum} legatum de hospitiis, annona et excusationibus absentium. Quo autem ad res tractandas viderentur deligendi aliqui patres, qui canones et doctrinam formarent eamque proponerent examinandam patribus, ut tempus redimatur et labores incassi fugiantur.

[a] *M* Quo vero ad annonam dixit convenire, ut cardinalis Tridentinus eius curam habeat, cui negocium commendavit etc. Deinde proposuit, causam excusationum absentium praelatorum esse aliquibus etiam committendam, ut eorum mandata et excusationes reciperent et examinarent, et coram eis causa ipsorum absentium proponatur et tractetur etc.
[b] *M* concilium
[c] *M* sed doluit, quod hortatio facta circa hoc in alia sessione in malum sit habita
[d] *M* et brevitatis ratio urget, brevi patres possunt se expedire
[e] *M* Quod non solum utile, sed necessarium esse ostendit, ut quanto citius expediemur [!] et citius ad propria revertemur [!].
[f] *M add.* et suspicio contra nos oriretur [g] *M om.*
[h] *M* pro alia adducitur, quod materia est iam damnata et possent poni
[i] *M* hoc sit dicendum etc. et tunc non esset sententia certa
[k] *M* quoad hospitium
[l] *M* libenter accepit hoc onus quoad se, sed optaret, ut commissarius et deputati etiam id una cum eo procurarent, praesertim cum Caesar in eo maximum auxilium praestet ex eius regnis et dominiis
[m] *M* De excusatione praelatorum laudavit dicta per legatum
[n] *M add.* sine anathemate et sub dubio [o] *Th om.*

[1] Cf. quae supra p. 179 adn. 1 de episcopo Bellicastrensi, commissario apostolico, et de penuria annonae diximus. Difficultates mense Octobri 1551 diminutae non sunt, immo aggravatae, quia numerus praelatorum et aliarum personarum in concilio in dies augebatur. De quibus oratores Caesarei die 20. Oct. 1551 ad imperatorem scripserunt. Cf. Conc. Trid. XI 676 l. 7—24.

[2] Quamvis nota non sunt nomina eorum, qui de praecipitatione rerum in concilio conquesti sint et verba legati de brevitate votorum in congregatione die 21. Sept. (cf. supra p. 143 l. 25 sqq.) pronuntiata in sinistrum sensum acceperint, tamen dicere possumus eos fuisse imprimis episcopos Hispanos. Oratores Caesarei die 12. Oct. 1551 deplorabant perlongas theologorum et praelatorum orationes, qui doctrina et eruditione praecellere velint. Sed postea et ipsi de praecipitatione in tractandis dogmatibus et de ipsius legati violento agendi modo ad Granvelam dederunt litteras diebus 26. et 28. Nov. Conc. Trid. XI 668 l. 23—36; 708 l. 30—37; 711 l. 4—14.

R. et Ill. D. archiepiscopus **Coloniensis** elector[a] probavit dicta per R^{mos} et Ill^{mos} D. legatum, Maguntinum et Tridentinum. |

R. et Ill. D. archiepiscopus **Treverensis** elector[a] laudavit[b] sententiam Maguntini. 251r

R. D. [episcopus] **Zagabriensis** probat dicta per R^{mum} et Ill^{mum} legatum de hospitiis et annona; et deputati omnes locationes revideant ⟨et eas ad iustas pensiones deducant⟩[c]. De absentium excusationibus placet, quod publice referantur[d]. Et de modo procedendi placet, quod canones proponantur sine anathemate et doctrina, ⟨quae una examine[n]tur⟩[c].

R. D. [episcopus] **Viennensis** probat[e] in omnibus proposita a R^{mo} et Illmo legato.

[a]R. D. [archiepiscopus] **Turritanus** de modo procedendi probat sententiam Tridentini et ⟨in aliis⟩[f] dicta per legatum.

[a]**Antibarensis** probat in omnibus sententiam R^{mi} et Ill^{mi} Tridentini.

[a]**Upsalensis** probat dicta per legatum circa domos et absentes et de processu dicta per Tridentinum confirmat.

[a]**Panormitanus** probat in omnibus dicta per legatum et Tridentinum.

Granatensis circa 3 prima capita probat dicta per Tridentinum. Quoad modum procedendi cuperet examinari etiam a praelatis articulos propositos, ⟨antequam canones formentur⟩[c], nolletque, quod immutaretur ordo hactenus in concilio observatus; laudavitque brevitatem. Neque convenit, ut canones formentur, antequam patres suas sententias dicant, ⟨cum iuxta eas canones deinde formandi sint⟩[c]. Neque audisse theologos sufficit, cum patres etiam eis meliora aliquando afferant[g].

Calaritanus probat dicta per R^{mum} et Ill^{mum} legatum circa hospitia, annonam et absentes, quorum vellet contumaciam accusari et deinde eorum excusationes audiri. Quoad processum placeret dici prius sententias a patribus, quam canones formari, ita tamen, quod brevitas servaretur[h], vel quod procederetur per classes et cuilibet praesideret unus praesidens, ⟨sicuti hactenus aliquando factum est. Et in eis quisque ad arbitrium loqueretur⟩[i]. Deinde omnia in generali congregatione referantur[k] etc.[l]

⟨**Thessalonicensis,** cum nesciat linguam latinam et tantum graece loquatur, nihil dixit, sed ab | interprete interrogatus laudavit omnia dicta per R^{mum} D. legatum.⟩[c] 251v

[m]R. D. [episcopus] **Feltrensis** probat in omnibus dicta per R^{mum} et Ill^{mum} legatum.

[n]**S. Marci** idem probavit; et quoad processum: forma et materia simul examinentur.

Maioricensi placeret examinari a patribus articulos, qui inter theologos controversi sunt et alii tanquam iam damnati relinquantur[o]. In reliquis probat sententiam R^{mi} Tridentini.

Camerinensis probat dicta per R^{mum} legatum quoad tria prima capita. De modo autem procedendi non placet, quod immutetur ordo hactenus observatus, ne causa indiscussa damnetur, sed articuli etiam a patribus examinentur.

Castellimaris. In 3 primis propositis placent dicta per R^{mum} legatum; sed non placet, quod modus procedendi mutetur, quia, cum canones sint formandi secundum sententias patrum, quomodo ii patribus inauditis formari poterunt?[p]

Argentinus probat dicta per D. Maguntinum.

Constantiensi placet sententia D. Tridentini.

Lancianensis circa 3 prima capita probat dicta per legatum. Modus autem procedendi non immutetur, ne videatur violari libertas concilii, ut patribus inauditis canones formentur.

[a] *Th om.* [b] *M add.* dicta per legatum et [c] *M om.* [d] *M add.* per eos acta

[e] *Th* et alii 8 patres probant [f] *M* quoad absentium causam etc.

[g] *M add.* Tessalonicensis Graecus non dixit, quia graece tantum loquitur.

[h] *M add.* ut: talis articulus videtur damnandus

[i] *M* in quibus patres ad saturitatem loquantur [k] *Th* referentur

[l] *M add.* sed placebit, quod legatis placet

[m] *Th om.; M ampliorem formam huius voti exhibet* Feltrensis probat dicta per legatum circa domos et Tridentinum de excusationibus etc.; deputetur aliqui[s] protector, et contumacia ponatur [?] accusanda a promotore, et synodus decerneret monitorium etc. Quoad processum placent dicta per legatum, ut materia et forma simul examinaretur.

[n] *Th om.; M* S. Marci quoad domos et annonam placent dicta per Tridentinum et fiat deputatio pro absentibus; quoad processum placent dicta per legatum, ut canones sine anathemate edantur; quibus examinatis etiam materia examinabitur.

[o] *M add.* quod si non placet patribus, probabit quod maiori parti placet

[p] *M add.* patres autem breves sint

Algarensi circa 3 prima capita placet sententia Tridentini; ⟨circa alia probat dicta per D. legatum, ut canones formentur, cum articuli propositi iam ab aliis conciliis damnati sint; et nunc non possunt non etiam damnari.⟩[a]

Misiensis. De modo procedendi placet audiri prius patres, saltem theologi, ⟨et postea canones formari⟩[b]. Reliqua placent, ut proposita sunt a R^{mo} et Illmo legato.

Siracusanus probat sententiam R^{mi} Tridentini in 3 primis; ⟨sed in aliis cupit prius audiri patres, quam canones formentur⟩[c]. |

252r **Vigorniensis** quoad processum probat dicta per D. Calaritanum, in aliis dicta per Tridentinum.

Bituntinus probat dicta per R^{mum} D. legatum de hospitiis, ⟨annona et absentibus⟩[d]. De modo procedendi probat, quod canones et doctrina formentur et deinde proponantur et examinentur.

Bellicastrensi placent dicta per R^{mum} legatum de hospitiis et annona et absentibus et de modo procedendi, ut dixit Bituntinus.

Auriensis in 3 primis adheret R^{mo} Tridentino, sed in reliquis non placet, quod inauditis patribus canones formentur, ⟨sed examinentur prius articuli⟩[e] et dentur etiam illi super reformatione.

Pacensis probat dicta per Tridentinum circa 3 prima et[f] in futura[g] sessione contumacia accusetur. Quoad procedendi modum ⟨patres prius audiantur, quam canones formentur⟩[h].

Constantinensis probat 3 proposita per R^{mum} et Ill^{mum} D. legatum; sed non placet, quod mutetur ordo procedendi; ⟨sed patres sententias etiam super articulis dicant; deinde canones formentur⟩[i].

Oscensis probat sententiam R. Granatensis et Camerinensis[k].

[l]**Clodiensis** probat in omnibus proposita a R^{mo} D. legato.

Solonensis probat 3 prima et canones et doctrina iam formata proponatur.

Calaguritano placent 3 prima proposita. Quoad modum procedendi remittit se theologis[m]. Et cuperet accusari contumaciam absentium ⟨in sessione⟩[n].

Elnensis probat sententiam Tridentini in 3 primis; sed sententiae patrum prius audiantur, quam canones formentur.

Cenetensis circa 3 prima probat sententiam Tridentini; sed ordo observatus in procedendo non mutetur. Igitur patres prius audiantur, quam canones formentur.

Monopolitanus probat dicta circa ⟨3⟩[o] prima per Tridentinum; ⟨sed articuli propositi examinentur etiam per patres⟩[p]. |

252v **Legionensi** prima 3 proposita placent[q]. Non placet autem, quod canones formentur, antequam patres super articulis audiantur.

[l]**Ovetensis** circa tria probat sententiam Tridentini, circa modum procedendi dicta per Legionensem.

Tudensi 3 prima placent. De modo autem procedendi non placet, quod canones formentur, antequam sententiae patrum audiantur, ⟨praesertim super articulis, qui non sunt alias damnati⟩[r].

Lacorensis probat in omnibus sententiam R^{mi} Tridentini.

Guadicensis in 3 primis probat dicta per Tridentinum; in aliis autem cupit prius audiri patres et deinde proponi canones.

Astoricensi prima 3 placent, ut dixit Tridentinus, et contumacia absentium accusetur et excusationes publice referantur. In ordine vero procedendi prius audiantur patres, quam canones formentur. Et dentur etiam articuli de reformatione.

[a] *M* de modo procedendi videretur [!] de iam damnatis articulis canones formandi, cum ii non possint non damnari, circa alios etiam canones formentur, sed sine anathemate; et placet, quod dixit legatus.
[b] *M* super iis articulis
[c] *M* de processu: formentur canones et simul cum materia examinentur, sed cupit prius audiri patres
[d] *M* de annona Tridentino remittatur; quoad absentes etiam alii eligantur
[e] *M* sed sint breves et praefigatur hora una pro quolibet
[f] *M add.* patres eligantur pro absentibus et [g] *M* publica
[h] *M* placet, quod canones non dentur absque sententiis patrum, sed articuli examinentur et dentur etiam illi de reformatione
[i] *M* ut dixit Granatensis, et probat dicta per Auriensem [k] *M add.* et alios [l] *Th om.*
[m] *M* ad patres theologos; *et add.* ut ipsi deciderent [n] *M om.* [o] *M* 2
[p] *M* et de absentibus etiam probat dicta per legatum; de processu placet, quod patres audiantur
[q] *M add.* [ut] dixit Tridentinus
[r] *M* sed articuli examinentur, ii scilicet, qui iam non sunt damnati

Virdunensi 3 prima placent; sed patres audiantur et deinde canones formentur.

Salaminensi 3 proposita prima placent et canones et doctrina proponatur et examinetur [!].

Bossanensi placet, quod proponantur canones una cum doctrina, ut simul materia ⟨et forma⟩[a] examinetur. In aliis placet etiam sententia R^{mi} et Ill^{mi} Tridentini.

Mutinensis. De modo procedendi observetur modus audiendi prius[b] sententias quam formandi canones, prout in aliis conciliis factum est, etiam in illo apostolorum; circa alia placent dicta per Tridentinum.

R. **abbati Flandro** placent omnia proposita et[c] canones formentur et proponantur.

R. **abbates Itali** probant in 3 primis sententiam R^{mi} Tridentini, in aliis dicta per Bituntinum.

R. P. **generalis Heremitarum S. Augustini** probat dicta per R^{mum} et Ill^{mum} Tridentinum in primis 3 capitibus; sed de modo procedendi audiantur patres et deinde formentur canones.

⟨Quibus sententiis dictis et per me secretarium numeratis repertum fuit, vota esse paria pro utraque | parte. Nam cum patres omnes essent numero 50 et ex his non 253r
numeraretur Thessalonicensis, cum loqui nesciret, et Calaguritanus in neutram partem declinare voluerit, ex 48, qui restabant, 24 in una et 24 in altera parte erant. Quare res eadem iterum in deliberationem posita est dictisque iterum a patribus sententiis duo ex una in aliam partem descenderunt, placuitque 26, quod prius audiantur sententiae patrum, et deinde doctrina et canones formentur, 22 autem contrarium.⟩[d] Et ita conclusum est et decretum, quod maiori parti placuit.

Rogantur deinde patres super congregationibus faciendis, an bis in die vel semel haberi deberent. Placuit pro nunc haberi semel tantum et deinde, prout temporis exigentia postulabit. Deinde rogantur sententiae super hora habendae congregationis et placuit haberi hora 14.

Postremo R^{mus} et Ill^{mus} D. legatus nominavit patres deputatos, de quibus supra, videlicet

Deputati pro hospitiis moderandis:
R. D. episcopus Bellicastrensis, commissarius apostolicus
R. D. episcopus Castellimaris
R. D. episcopus Siracusanus
R. D. episcopus Algarensis.

Deputati pro excusationibus absentium:
R^{mus} et Ill^{mus} cardinalis Tridentinus
R. et Ill. elector Coloniensis
R. D. episcopus Calaguritanus
R. D. episcopus Auriensis.

Archiepiscopus Thessalonicensis, Graecus, incorporatur concilio etc.

Antequam autem hodierna congregatio inciperet, orta est questio inter patres, an admittendus esset in concilio archiepiscopus Thessalonicensis[1], Graecus, cum Graeci

[a] *M om.* [b] *Th add.* patrum [c] *Th* ut

[d] *M* Et cum essent paria vota, iterum interrogantur patres super eadem re. Tridentinus idem dixit, quod prius dixerat. Et auditis iterum patribus et numeratis sententiis repertum est, quod omnes patres sunt numero 50, ex quibus 26 placuit, quod sententiae prius audiantur super articulis, et deinde formentur canones, et 24 contrarium.

[1] Qui archiepiscopus, Macarius nomine, die 23. Octobris 1551 Tridentum advenit (cf. supra p. 259 l. 25 sq.). Cum litteris die 30. Iulii 1551 datis Ludovicus Beccatellus, apud Venetiarum rempublicam nuntius, Massarello commendavit archiepiscopum Heracleae in Macedonia: «L'apportator di questa sarà un' arcivescovo greco detto l'arcivescovo d'Heraclea delle parti di Macedonia, il qual di Grecia capitò qui l'anno passato et è dipoi stato a Roma et in Augusta ancora, è persona a guidicio mio modesta et civile et non è senza lettere della lingua sua. Dice venirsene a Trento chiamato da Mons. R^{mo} et Illmo di Trento et ha voluto, ch'io l'accompagni per essere introdutto a Mons. R^{mo} et Illmo legato, il che ho fatto volentieri per aiutare li peregrini et massime di questa natione, ancora che a questi tempi siano poco amici per la maggior parte alla sede apostolica, così Dio gl'illumini et gli perdoni, non dico già questo per conto di questo arcivescovo, ma più presto per gli altri, che lo vedono mal

ipsi, praesertim qui sub Turcico imperio ecclesias habent, sint schismatici et electi ab eorum patriarcha, qui a Turcarum tyranno praeficitur et Constantinopoli degit, etiam ipso schismatico. Propterea visum fuit patribus, prius interrogandum esse de eius fide. [253v] Cum igitur praefatus D. | archiepiscopus Thessalonicensis intromitteretur et coram patribus constitutus esset, publice professus est, se in omnibus et per omnia recepturum[a] esse, quae ab hac sancta synodo decernentur[b]; cui synodo se in omnibus submisit ac subiecit interpraetante et referente eius verba R. D. episcopo S. Marci. Et ita concilio ipsi incorporatur, decretumque fuit, ut in omnibus actibus conciliaribus admittatur[c], et datus est ei locus post archiepiscopos occidentales.

Congregatio vero dimittitur hora 24.

Congregatio generalis. Incipit examinatio articulorum de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis inter praelatos.

Die Veneris 6. eiusdem mensis **Novembris** mane hora 14 habetur congregatio generalis, in qua ⟨post celebratam missam de Spiritu Sancto per unum ex cappellanis et per R^{mum} et Ill^{mum} D. legatum solitam eiusdem Sancti Spiritus orationem recitatam,⟩[d] retulit ipse **legatus** patribus, non esse eis datas adnotationes factas a theologis in articulis ab eis examinatis de poenitentia et extrema unctione, ut fieri consuevit, cum sint parvi momenti, et ut brevitati temporis consuleretur, et earum si qua ratio habenda esset, haberetur in confectione canonum; ⟨easque censuras et notationes legatus ipse patribus recitavit atque nullius momenti esse ostendit. Sunt vero infrascriptae, videlicet:⟩[e]

Notationes, quae factae sunt a theologis in examinatione articulorum de poenitentia et extrema unctione.

In 1. articulo. Quod[f] dicitur de secunda tabula, non videtur aliquibus haereticum, sed temerarium. Tertia pars huius primi articuli videretur alicui damnanda in sensu haereticorum, cum aliquo modo videretur vera, quod baptismus sit poenitentia; ideo quidam cuperet addi ibi *poenitentia — quae in ecclesia habetur*. Quidam etiam admonuit esse advertendum, quod haec tertia pars ponitur a Luthero ordine inverso, ut dicatur: Sacramentum poenitentiae est ipsum baptisma. |

[254r] In 2. articulo. Quidam loco *partes* cuperet dici *actus*, sicut dixit concilium Florentinum, cum non videantur esse vere partes huius sacramenti. Et ibi *sed duas tantum* etc. aliquis admonuit, non sic dici ab haereticis, cum vel hoc sacramentum omnino negent, vel, si admittunt, confitentur etiam contritionem. Cuidam etiam non videtur simpliciter haereticum, quod hic dicitur de satisfactione, quae non semper necessario requiritur, prout in morituris, et cum quis summa contritione accedit ad sacerdotem.

In 3. articulo. Aliquis admonuit considerandum haec non esse verba haereticorum, unde hic articulus damnatur a Leone X aliis verbis, quibus etiam nunc damnetur. Et ibi *neque remittere peccata* etc. advertendum quidam censent, quia ea contritio non remittit peccata. Ideo articulus in ea parte non videtur falsus. Et ibi *dolorem coactum et non liberum* asserit quidam, non addi a Luthero *et non liberum*.

In 4. articulo. Quidam dicunt confessionem secretam non esse a Christo institutam, ideo velle[n]t ex hoc articulo deleri secretam. Et dicatur *confessionem, quae hodie in ecclesia secreto fit*. Secunda pars ibi *neque apud antiquos* non videtur aliquibus haeretica, sed maligna etc.

[a] *C 119, et Th* suscepturum [b] *Th* decerneretur [c] *C 119 et Th* admitteretur [d] *Th om.*
[e] *M* tamen petentibus patribus legatus ipse eas notationes retulit, quae in fine huius congregationis describentur. [f] *Th* Quid

volentieri qui per esser, come dice esso, amico de Latini. Io lo raccomando alla S. V. pregandola, che voglia per carità farlo basciar la mano a Mons. R^{mo} et Illmo legato et haverlo per raccommandato in quello, che gli parerà potere con honor suo» (*Conc. 139* f. 182^{r}, or., rec. 6. Aug. 1551). Quem archiepiscopum Heracleae eundem esse crediderim ac illum, de quo supra in Actis. Haud impossibile mihi videtur eum iam die 6. Aug. Tridentum pervenisse, ut receptionis adnotatio in litteris originalibus demonstrat, sed postea, quia concilii labores nondum erant incepti, in alium locum se contulisse et die 23. Octobris Tridentum rediisse.

In 5. articulo. Quidam loco *enumerationem* cuperet dici *sigillatim singula peccata* etc., quia alias dicit eam enumerationem esse impossibilem. Et ibi *ad satisfactiones canonicas* aliqui vellent addi *tantum,* quia alias articulus non est falsus. Et ibi *neque licere venialia* advertendum monuerunt quidam Lutherum non sic loqui, sed dicere: Non praesumas venialia confiteri etc. |

In 6. articulo. Quidam dixit articulum verum, quia confessio omnium peccatorum 254v
est impossibilis. Et quod dicitur de confessione in Quadragesima aliquis dixit non esse falsum, quia de hoc non habetur praeceptum neque divinum neque ecclesiae.

In 8. articulo. Vellet quidam deleri ex hoc articulo illa auctoritas [!]: *Quorum remiseritis,* cum Lutherani non utantur, ut ipse ait, hoc modo loquendi.

In 11. articulo. Aliqui dixerunt ibi *novam vitam* esse addendum *tantum,* cum poenitentia aliquo modo sit nova vita.

Quibus censuris recitatis rogavit sententias super ipsis articulis de poenitentia et extrema unctione.

[a]R^mus et Ill^mus D. card. **Tridentinus** dixit, se daturum in scriptis secretario concilii votum suum[1], ut brevitati consulat, cuius summam recitavit. Primus articulus haereticus est, cum poenitentia sit vere sacramentum et omnia habeat, quae ad sacramenta requiruntur. Et est institutum a Christo, ut[b] habetur Matth. 18 [18]: *Quaecunque ligaveritis,* et Ioa. 20 [23]: *Quorum remiseritis* etc., ad relapsos post baptismum reconciliandos, contra Novatianos olim anno Domini 255 a Cornelio papa damnatos[2]. Et secunda tabula apte nuncupatur, ad quam fracta gratiae baptismalis navi manum admovemus, cuius beneficio ex naufragio peccatorum ad portam salutis pervenimus. Posset etiam dici sacra Christianorum anchora. Differt autem a baptismo. Neque enim septies aut septuagies septies tantum[3], sed quotiescunque ingemiscit peccator, reiteratur; baptismus autem irreiterabilis est, ut Paulus ait Hebr. 6 [4 sqq.]. Articulus 2 etiam haereticus est, et tria illa omnino requiruntur, ut ostenditur in filio prodigo, ut contritio: *Quanti mercennarii*[4] etc.; confessio, qua ait: *Peccavi*[5]; et satisfactio, cum fructus dignos poenitentiae facimus, ut Zachei exemplo, | saltem in voto, cum solvendo [!] non sumus, reddimus quadruplum defraudato[6]. 255r
Fides autem non est pars, sed ianua, prout aliorum etiam sacramentorum. 3. articulus etiam falsus est. Neque enim contritio illa, quae a timore servili oritur, facit hypochritam, sed praeparat ad filialem amorem, ut inde ad Dei misericordiam oculos attollamus. Neque dolor ille coactus est, sed liber, a Deo suaviter movente[c] inspiratus. Quod ex libello Augustini de eccles. dogmatibus cap. 21 scire possumus[7]. Articulus 4 etiam haereticus est, quia confessio est de iure divino et semper in ecclesia usitata, etiam tempore apostolorum, Act. 19 [18]. Articulus 5 etiam falsus est. Recogitandi enim sunt nobis omnes anni vitae actae in amaritudine[8], ⟨et fontes⟩[d] et rivuli nostrarum aegritudinum omnes medico spirituali aperiendi sunt, ut D. Cyprianus scribit in sermone de lapsis[9]. Articulus 6 etiam est haereticus; ea enim confiteri iubemur, quae facto scrutinio diligenti, de quo Apostolus: *Probet se ipsum homo*[10] etc., nobis occurrunt. Articulus 7 idem; ipsa namque verba *Quorum remiseritis* notant absolutionem sacerdotis esse actum iudicialem. Aliud est enim absolvere, aliud absolutum declarare. Octavus etiam est haereticus. Titus enim a Paulo Cretae relictus est, ut constitueret episcopos per civitates et presbyteros[11], quibus ea cura incumbit: *Quorum remiseritis* etc. Reservatio etiam illa casuum sancte decerpta

[a] *M huius voti formam brevissimam exhibet* Cardinalis Tridentinus dixit se posuisse suam sententiam in scriptis, quam secretario dabit, deinde legit eiusdem sententiae compendium. Primus articulus haereticus est in omnibus partibus, et posset secunda tabula dici Christianorum sacra anchora. 2^s etiam haereticus est; dedit exemplum de filio prodigo, in quo illa tria reperiuntur. 3^s idem, et timor ille servilis adiuvat ad filialem. 4^s idem, quia confessio est de iure divino. 5^s idem ex Psalm.: «Recogitabo omnes annos meos» etc. *[Is. 38, 15].* 6^s idem; idem 7^s, quia actus iudicialis est absolutio. 8^s idem, 9^s idem, et de exemplo electorum a Moyse, et omnes articuli de poenitentia damnandi sunt ut haeretici, et etiam illi de extrema unctione et a sancta synodo damnandi.

[b] *Th* et [c] *C 119 et Th* monente; *in C 118 lectio est dubia* [d] *Th om.*

[1] Desideratur.
[2] Cf. supra p. 248 adn. 3.
[3] Cf. *Matth.* 18, 22.
[4] *Luc.* 15, 17.
[5] *Ibid.* 15, 18.
[6] *Ibid.* 19, 8.
[7] Qui liber est *Gennadii Massiliensis. Migne,* P. lat. XLII 1216 sq. et LVIII 985 sq.
[8] Cf. *Is.* 38, 15.
[9] Non ad verbum haec leguntur apud *Cyprianum,* sed cf. Librum de lapsis c. 14. *Migne,* P. lat. IV 477.
[10] *1 Cor.* 11, 28.
[11] Cf. *Tit.* 1, 5.

est a patribus, Exod. 18 [21 sq.], a Iethro ad Moysem dicente: Providendum tibi de viris est, *qui iudicent populum omni tempore; quicquid autem maius fuerit, referant ad te* etc. Et omnes articuli de poenitentia haeretici sunt et per synodum damnandi. Idem de extrema unctione, quae vere est sacramentum a Christo institutum et a Iacobo promulgatum. Quare et ii 4 articuli etiam damnentur sub anathemate.

R. et Ill. D. elector **Maguntinus** dixit, ipsos tres electores fecisse compendium eorum, quae circa hos articulos dicenda videntur[1], et ipse ea nomine omnium referet, ne tempus longius protrahatur, subiicientes omnia iudicio sanctae synodi. Primus igitur articulus[a] in primo capite haereticus est, quia poenitentia est vere sacramentum; idem
255v in tertia parte de baptismo; secunda | vero pars est contumeliosa et blasphema; in omnibus itaque partibus primus articulus feriatur anathemate. Articulus 2 ⟨etiam haereticus est et⟩[b] prima pars iam damnata in concilio Florentino[2] et hoc Tridentino, decreto de iustificatione[3]; secunda pars de terroribus etc. etiam falsa est et haeretica. Articuli 3 prima pars est erronea; secunda vero ibi *neque remittere peccata,* est catholica, quia illa contritio, ⟨de qua in articulo⟩[b] non remittit peccata; tertia pars est erronea; quarta autem posset habere bonum sensum de dolore coacto; ⟨ideo melius declaretur⟩[b]. Articulus 4 in prima parte est haereticus; secunda ibi *neque apud antiquos* etc., est mendax, quia ante concilium Lateranense de confessione patres meminerunt[c]. Articuli 5 prima est haeretica, secunda ibi *et tantum hac aetate* etc., et tertia *et olim* etc., ⟨etiam falsae sunt, sed⟩[b] damnandae cum dictione *tantum;* quarta ibi *neque necessarium* etc., est impia, et ibi *sed neque ullas* etc., est ⟨impia et haeretica⟩[d]. *Et velle omnia* etc. est erronea. Et *imo neque licere* etc. etiam erronea est. Articuli 6 prima pars est iniuri[os]a et calumniosa, quia[e] intelligitur, quorum quis meminit debere confiteri. Secunda ibi *neque confitendum* etc., non videtur falsa, cum non habeatur de eo praeceptum, cum iuxta concilium Lateranense sufficiat confiteri semel in anno ⟨quocumque tempore⟩[b 4]. Articuli 7 prima [pars] est haeretica, contraria sacris litteris; secunda ibi *modo credat* etc., non videtur damnanda, quia in poenitente fides requiritur; tertia ibi *etiam quod non sit contritus* etc., est falsa; et ibi *aut sacerdos* etc. erronea; et *imo sine* etc. reproba. Damnetur igitur hic articulus in omnibus dempta particula *modo credat* etc. Articuli 8 prima est erronea, secunda *non eos solos* etc. haeretica. Articuli 9 prima falsa et impia, licet posset dari casus, in quo talis absolutio valeret, si confitens esset constitutus in extremis, ⟨neque superioris[f] copia haberetur⟩[b]; secunda *ideo casuum* etc. est erronea; ⟨idem de tertia⟩[g]. Articuli 10 prima contraria sacrae scripturae; secunda est falsa; tertia et quarta etiam falsae sunt, ⟨idem et quinta⟩[h]. Articuli 11 prima est erronea, quia nova vita subsequitur poenitentiam, cuius est finis; secunda ibi *poenisque* est falsa. Et *sed neque* etc. est contraria sacris litteris,
256r cum dicatur: *Peccata tua elemosynis | redime*[5]. Articuli 12 prima malitiosa et falsa, ⟨secunda falsa⟩[i], tertia haeretica. Quoad extremam unctionem articuli primi prima pars haeretica[k], secunda falsa. Articuli 2 prima falsa et contra Iacobum; secunda et tertia sunt impiae et fatuae. Articuli 3 prima est falsa, secunda et tertia impiae. Articuli 4 prima est temeraria, secunda ⟨et tertia⟩[b] erroneae et damnandae. Et ita pro se et duobus suis collegis electoribus sententiam dixit.

R. et Ill. D. elector **Treverensis** confirmavit dicta per D. Maguntinum.

R. et Ill. D. elector **Coloniensis**[6] etiam dicta per Maguntinum confirmavit, dans nihilominus suam sententiam in scriptis[7].

[a] *M add.* (legens ex scripto eorum sententiam) [b] *M om.*
[c] *M add.* igitur damnetur hic articulus [d] *M* etiam haeretica et blasphema
[e] *C 118, C 119 et Th* qui [f] *Th* confessoris [g] *M* tertia «neque episcopos» etiam damnanda
[h] *M* quinta «nunquam autem» etc. etiam falsa et totus falsus articulus
[i] *M* «et fictiones esse» damnanda etiam [k] *M* falsa

[1] Desideratur.
[2] Cf. supra p. 249 adn. 3.
[3] Sessio 6 cap. 14 de iustificatione. Conc. Trid. V 796.
[4] Cf. supra p. 250 adn. 10.
[5] *Dan.* 4, 24.
[6] Adolphus III de Schaumburg, natus 1511 anno 1535 archiepiscopo Coloniensi Hermanno de Wied novis Lutheri opinionibus adhaerenti coadiutor cum iure successionis datus et anno 1547 archiepiscopus Coloniensis nominatus est. Magna cum diligentia contra novae fidei praedicatores pugnavit eorumque loco alios catholicae fidei viros in archidioecesim vocavit. Die 10. Oct. 1551 cum duobus theologis, Ioanne Groppero et Eberhardo Billico, Tridentum advenit. Mortuus est die 20. Iunii 1556. Cf. de eo *Lexikon für Theologie und Kirche* I 105 cum libris ibi laudatis. *van Gulik-Eubel* III 188. Conc. Trid. XI passim.
[7] Quae ad nos non pervenit.

R. D. [episcopus] **Zagabriensis** dixit, se etiam cum suo collega contulisse et eorum sententiam in scriptis redegisse [1], quam secretario darent, subiicientes se sanctae synodo etc. ⟨Et primo adduxit quaedam argumenta adversariorum [2] circa primum articulum, quod poenitentia non debeat dici sacramentum, cum Ioa. 20 [23] nulla fiat mentio de poenitentia; sed deberet dici potius sacramentum absolutionis, tanquam denominatio a digniori. Praeterea si esset sacramentum poenitentia, deberet accipi non ex Ioa. 20 [23],⟩[a] sed ex aliis locis, ubi ea praecipitur, ut Luc. 13 [3 5]: *Nisi poenitentiam habueritis* etc., et Marc. 1 [15]: *Poenitemini et credite evangelio.* Et contra satisfactiones adduxit, quod sacerdos non habeat facultatem eas imponendi, cum de eis non habeatur mentio ⟨apud Ioa. 20 [23] neque alibi in nova lege. Nihil autem refert, quod habeatur⟩[b] in antiqua, quia illa erat lex irae, nostra autem gratiae, et Ioa. 20 [23] loquitur in utroque casu de culpa tantum [c]. Et contra extremam unctionem etiam adduxit, quod adversarii dicunt, quod non sit a Christo instituta, cum non habeatur ex scripturis, ut etiam tenet Alexander de Ales [3]. ⟨Quae argumenta reliquit solvenda patribus theologis. Deinde legit ex scripto suam et collegae sententiam, quae est⟩[d]: Primus articulus haereticus est, cum in poenitentia omnia conveniant, quae in diffinitione sacramenti requiruntur [e], et est iam damnatus in concilio Florentino [4] et Tridentino [5]; et est a Christo institutum, | ut habetur 256v
Matth. 16 [19] et 18 [18] et Ioa. 20 [23]. Et apte vocatur a Hieronymo [6] et Tertulliano [7] secunda tabula, et est optima metaphora. Huius autem sacramenti materia sunt actus poenitentis et forma absolutio sacerdotis. Quarta pars de baptismo etiam haeretica est. Primus igitur articulus damnetur in omnibus ut haereticus. 2. articulus idem, quia tres illae partes in poenitente necessario requiruntur, et terrores illi et fides non sunt partes, sed poenitentiam praecedunt. Articulus 3 etiam falsus est et impius et contra Deum, qui timorem incutit, ut illud: Timete eum [f], qui animam potest mittere in geennam [8] etc. Et illud: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis* [9]. Et multis aliis in locis. Et David ait: *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animae meae* [10]. Articulus 4 etiam falsus est. Confessio enim a Christo instituta est et semper in ecclesia fuit, etiam sub apostolis, ut habetur Act. 19 [18]. Et Ioannes ait: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est* Deus [11] etc. Longe igitur de ea facta est mentio ante concilium Lateranense. Articulus 5 etiam haereticus est et damnatus in concilio Constantiensi [12] et damnandus nunc quoque in omnibus. 6. articulus calumniosus et falsus est; ecclesia enim praecipit confiteri ea peccata, quorum quis meminit [13]. Articulus 7 blasphemus est et sacris litteris contrarius. 8. articulus idem in omnibus; sed prima pars posset reservari, cum agetur de ordine; secunda pars haeretica est. 9. articulus est scandalosus et damnandus; nollet tamen, quod reservatio casuum tantum multiplicaretur. Articulus 10 etiam falsus est et iam damnatus in multis conciliis. 11. articuli ⟨prima pars non est simpliciter falsa, cum⟩[g] poenitentia sit nova vita, ut cum (iuxta Paulum) veterem hominem exuentes novum induimus [14]. In aliis autem partibus falsus est et sacris litteris contrarius, ut: *Elemosinis tuis peccata tua redime* [15] etc. 12. articulus in omnibus partibus erroneus est et impius. Omnes igitur articuli de poenitentia damnandi sunt sub anathemate. Quoad extremam unctionem primus articulus haereticus est, quia est vere sacramentum et a Christo institutum et omnia habet, quae in sacramentis requiruntur, ut ostendunt verba Iacobi [16]; et fuit praefiguratum Marc. 6 [13]. Secunda pars primi articuli impia et blasphema est. 2. | articulus etiam falsus est, 3[s] et 4[s] 257r

[a] *M* Dixit tamen circa tertiam partem primi articuli, quam falsam confirmavit, et adduxit quaedam argumenta adversariorum, quod hoc sacramentum non sit poenitentia, neque poenitentia appellari debet, sed absolutionis, cum a digniori debeat sumi denominatio, et quia Io. 20 [23] nullum verbum de poenitentia
[b] *M* nisi [c] *M add.* quae duo relinquit theologis patribus solvenda
[d] *M* Eorum autem sententia est in scriptura illa, cuius compendium faciet, sed legit eam ad longum
[e] *M add.* ut sit forma visibilis invisibilis gratiae etc.
[f] *Th* Deum; *in C 119 corr. ex* Deum [g] *M om.*

[1] Quod votum a Friderico Nausea elaboratum exhibemus in App. III n. 7.
[2] Quae in voto scripto non leguntur.
[3] *Alexander Alensis,* Summa theol. pars 4 q. 5 membrum 2 art. 1.
[4] Cf. supra p. 241 adn. 3.
[5] Cf. supra p. 241 adn. 5.
[6] Cf. supra p. 242 adn. 3.
[7] Cf. supra p. 242 adn. 1.
[8] Cf. *Matth.* 10, 28; *Luc.* 12, 5.
[9] *Luc.* 13, 5.
[10] *Is.* 38, 15; sed sunt verba Ezechiae regis, non Davidis.
[11] *1 Io.* 1, 9.
[12] Concilium Constantiense, sessio 8, Errores Ioannis Wicleff n. 7. *Mansi* XXVII 633.
[13] In decreto pro Armenis. *Mansi* XXXI 1057.
[14] Cf. *Eph.* 4, 22 sqq.; *Col.* 3, 9 sq.
[15] *Dan.* 4, 24.
[16] *Iac.* 5, 14 sq.

idem. Ergo et isti de extrema unctione una cum aliis sub anathemate a sancta synodo damnandi sunt.

R. D. [episcopus] **Viennensis** confirmavit in omnibus dicta per D. Zagabriensem.

R. D. [archiepiscopus] **Antibarensis**[1] probavit sententiam Ill^mi^ Tridentini.

Upsalensis. Articuli 1, 2, 3, 4 et alii omnes de poenitentia haeretici sunt et anathemate feriendi, quia poenitentia est sacramentum a Christo institutum; et omnia peccata confitenda sunt, cum dicatur a Christo, quod non septies, sed septuagies septies corrigendi sunt peccatores[2], ⟨et non possunt remitti peccata, nisi omnia audiantur⟩[a]. De extrema unctione etiam omnes articuli haeretici sunt et sub anathemate damnandi veniunt.

Panormitanus. Omnes articuli propositi, tam de poenitentia, quam extrema unctione haeretici sunt et sacris litteris, ⟨conciliis, sanctis patribus et ecclesiae consensui⟩[b] contrarii; ideo damnandi sunt sub anathemate. ⟨Neque placet, quod aliqui dixerunt, confessionem secretam non esse a Christo institutam, cum id falsum sit.⟩[c] Neque enim secreta delicta publicari debent idque ecclesia facere non posset. ⟨Christus igitur secretam secretorum et publicam publicorum confessionem statuit. De qua secreta confessione sancti patres semper meminerunt, ut Origenes, Cyprianus, Basilius, Chrisostomus[3], et⟩[b] Gregorius Magnus poenam decrevit contra sacerdotes eam publicantes[4]. ⟨Quod autem dicitur in 11. articulo de nova vita, est advertendum, quia si dolorem et detestationem peccatorum et pro illis satisfactionem non excluderet, assertio illa esset catholica.⟩[d]

Granatensis. Primus articulus de poenitentia haereticus est et caput omnium aliorum. Responditque ad ea, quae Zagabriensis dixerat[5], quod hoc sacramentum vocetur multis modis, ut sacramentum confessionis, sacramentum absolutionis et sacramentum poenitentiae, quia est pro poenitentibus peccatoribus. Vocatur etiam et secunda tabula post naufragium. Non obstat igitur, quod dicebat Zagabriensis, quia[e] omnibus illis modis |
257v nuncupatur. Prima igitur pars primi articuli haeretica[f] est et iam damnata in concilio Florentino[6], Tridentino[7] et aliis. Quod dicitur de[g] secunda tabula, non videtur haereticum id negare; neque enim Hieronymus hoc modo loquendi utitur, ut secunda tabula sit sacramentum poenitentiae, sed simpliciter poenitentiam[8]. Neque videtur verum, quod doctores dicunt, navim esse statum innocentiae, peccatum naufragium, primam tabulam baptismum, secundam poenitentiam[9], quia poenitentia semper fuit et semper requiritur, imo ut B. Petrus ait de archa Noae[10], navis est baptismus. Sed tamen verba articuli in sensu haereticorum haeretica sunt propter id, quod ibi sequitur de baptismo, ⟨per quem poenitentiam excludunt, licet⟩[b] pars illa ultima primi articuli non videatur simpliciter falsa propter id, quod habetur Act. 11 [15—18], quia baptismus ⟨aliquo modo⟩[b] est poenitentia, non tamen sacramentum poenitentiae. Cupitque fieri canonem, quod verba illa Ioa. 20 [23] intelliguntur de hoc sacramento poenitentiae. Quod sacramentum necessarium est in relapsis. Articulus 2 etiam haereticus est, cum articulus intelligitur de poenitentia ut sacramento, non autem de poenitentia, quae[h] actus est virtutis. Vellet igitur ita formari canonem, ne doctores damnarentur, qui negant eos actus esse partes[11]; illi autem terrores sunt quidem partes, sed poenitentiae ut virtutis, qui etiam ad veram poenitentiam requiruntur, prout etiam fides, cum dicatur: *Poenitemini et credite evangelio*[12]. Articulus 3 etiam damnandus est sub anathemate et iam damnatus a Leone X[13] et ab hoc sacro concilio[14] in omnibus eius partibus. Advertendum est tamen, quod haec contritio, de qua in articulo, non remittit peccata, quia non[b] est ⟨proprie contritio, sed⟩[b] attritio, quae praeparat quidem ad gratiam, sed non sufficienter, nisi cum additur ⟨amor et votum confitendi⟩[i] etc. Articulus 4

[a] *M* etc. [b] *M om.* [c] *M* Et confessio etiam secreta de iure divino est.
[d] *M* Optima poenitentia est nova vita, sed non sola, igitur sine «sola» est catholicus.
[e] *Th add.* in [f] *M* falsa [g] *Th om.* [h] *Th* qua [i] *M* confessio

[1] Ludovicus Chieregatus, ord. Min., die 11. Maii 1528 nominatus est archiepiscopus Antibarensis; fuit insuper suffraganeus (vicarius) Vicentinus. Concilio anno 1547 tempore translationis interfuit; paulo post translationem discessit Bononia. Quamquam iam die 15. Iunii 1551 Ioannes Brunus in ecclesia Antibarensi ei successerat, tamen a Massarello in Actis archiepiscopus Antibarensis vocatur. Mortuus est Vicentiae die 4. Iulii 1573. *van Gulik-Eubel* III 123. Conc. Trid. I 161 adn. 5 et passim.
[2] Cf. *Matth.* 18, 22.
[3] De quibus cf. supra p. 243 adn. 6 et p. 255 adn. 16 sqq. [4] Cf. supra p. 243 adn. 9.
[5] Cf. supra p. 295 l. 5.
[6] Cf. supra p. 241 adn. 3.
[7] Cf. supra p. 241 adn. 2.
[8] Cf supra p. 242 adn. 3.
[9] Cf. supra p. 242 l. 2 sq. [10] Cf. *1 Petr.* 3, 20 sq.
[11] Cf. ex. gr. supra p. 249 adn. 2.
[12] *Marc.* 1, 15. [13] Cf. supra p. 249 adn. 5.
[14] Sessio 6 cap. 14 (et can. 8) de iustificatione. Conc. Trid. V 796 et 798.

haereticus est; sed non credit, quod sit de iure divino, quod confessio secreta fiat; alias non liceret confiteri, si quis vellet publice, ⟨quod falsum est⟩[a]. Vellet igitur deleri dictionem illam *secretam*. Confessio autem ipsa sacramentalis est de iure divino ⟨et sacramenti poenitentiae pars⟩[b]. Secunda pars 4. articuli | etiam falsa est. 5. articulus etiam 258r in omnibus partibus falsus est. Neque enim remitti possunt peccata, nisi audiantur per confessionem una cum eorum circumstantiis. 6s etiam[c]; sed advertendum est, quod ecclesia non praecipit confessionem, sed implementum praecepti divini. Quod autem dicitur de Quadragesima, non est falsum, quia de eo non habetur praeceptum, ⟨cum iuxta cap. *Omnis utriusque* sufficiat confiteri⟩[d] *semel in anno*[1]. Articulus 7 est etiam haereticus; sacerdos enim vere absolvit[e]. 8. articulus haereticus etiam est et iam damnatus in concilio Constantiensi[2] et Florentino[3] et etiam hoc Tridentino[4]. Articulus 9 idem[f]; 10s etiam[g]. Deus enim non semper omnem poenam cum culpa remittit, sed aliquando remanet exolvenda poena temporalis ex iustitia divina pro conversione ad peccatum, prout pro aversione a Deo aeterna debetur, quae una cum culpa semper deletur. Et licet Christus satisfecerit, tamen et nos satisfacere debemus, ut simul cum Christo compatiamur, et ut eius satisfactio nobis applicetur, ut et simul conglorificemur Sed tertia pars huius 10. articuli non videtur falsa, ibi *ideoque satisfactiones,* cum id habeatur in concilio Niceno[5]. 11. articulus etiam falsus est. Eccles. 21 et 2 Paralip.: Non posuisti poenitentiam iustis[6] etc. Et Apoc. 2 [5]: *Memor esto, unde excideris. Age poenitentiam* etc. Et aliae omnes partes haereticae sunt. 12. articulus etiam haereticus est in omnibus eius partibus. Quoad extremam unctionem primus articulus haereticus est et damnatus in sessione 7 concilii Tridentini[7] et Florentini[8], Innocentio I[9] et cap. *Ad abolendam*[10] et Iac. 5 [14 sq.]. Articuli 2 et 3 etiam falsi sunt et blasphemi, ac etiam 4s, iam damnatus ab Innocentio I[11]. Et contra Paulum, qui presbyteros sacerdotes intelligit etc.

Dimittitur deinde congregatio hora 18. ⟨Cui interfuerunt omnes patres et oratores Augusti Caesaris ac Sermi regis Romanorum. Alii autem oratores seu procuratores non admittuntur in his patrum sacris congregationibus.⟩[b]

Congregatio generalis.
Examinantur iidem articuli de poenitentia et extrema unctione.

Die sabbati 7. dicti mensis **Novembris** hora 14 habita fuit congregatio generalis, 258v in qua patres prosequuti sunt examinationem eorundem articulorum de poenitentia et extrema unctione. Celebrata igitur missa de Spiritu Sancto per unum ex capellanis et per Rmum et Illmum D. legatum recitata oratione consueta, coepit primus dicere suam sententiam infrascriptus, videlicet

R. D. [archiepiscopus] **Turritanus,** qui heri suo loco non dixerat. Prima pars primi articuli haeretica est contra concilium hoc Tridentinum sessione 6 et 7[12]. Secunda pars temeraria contra Hieronymum[13] et B. Petrum, ⟨a quo desumpta est⟩[b][14], tertia de baptismo temeraria, contra 10. cap. 7. sessionis Tridentinae[15]. Articulus 2 haereticus est et damnatus in concilio Florentino[16] et Tridentino[17]. Articulus 3 falsus est, damnatus etiam in

[a] *M* neque etiam est praeceptum ecclesiae, quod secreta fiat [b] *M om.* [c] *Th add.* falsus
[d] *M* sed de [e] *M add.* et alia, quae sequuntur etc
[f] *M* etiam falsus est de reservatione casuum [g] *M* haereticus est et impius

[1] Cf. supra p. 250 adn. 10.
[2] Bulla *Inter cunctas* a. 1418, Interrogationes 20 ad 22 Wicleffitis et Hussitis proponendae. *Mansi* XXVII 1212.
[3] In decreto pro Armenis. *Mansi* XXXI 1058.
[4] Sessio 7, can. 10 et 12 de sacramentis in genere Conc. Trid. V 995.
[5] Maxime huc pertinet can. 12. *Mansi* II 674.
[6] Cf. supra p. 280 l. 42 et adn. 7.
[7] Can. 1 de sacramentis in genere. Conc. Trid. V 995.
[8] In decreto pro Armenis. *Mansi* XXXI 1058.
[9] Cf. supra p. 252 adn. 19.
[10] C. 9 *Ad abolendam* X de haereticis V 7 non expresse nominat inter sacramenta ecclesiae extremam unctionem, sed anathematizat eos, «qui de sacramento corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi, vel de baptismate seu de peccatorum confessione, matrimonio vel reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana ecclesia praedicat et observat».
[11] Cf. supra adn. 9.
[12] Cf. supra p. 296 adn. 14 et p. 241 adn. 2.
[13] Cf. supra p. 242 adn. 3.
[14] *1 Petr.* 3, 20 sq.
[15] Can. 10 de sacramento baptismi. Conc. Trid. V 996.
[16] Cf. supra p. 249 adn. 3.
[17] Cf. supra p. 294 adn. 3.

concilio Tridentino[1]. 4s haereticus est, quia confessio, etiam secreta, a Christo instituta est, prout et publica pro publicis. Secunda pars erronea est et damnata in concilio Florentino[2]. Articulus 5 etiam falsus et haereticus; neque enim peccata remitti possunt, nisi sciantur; et damnatus in concilio Florentino[3] et Constantiensi[4]. Item et quod dicitur de circumstantiis, quatenus mutant peccatum. Et aliae partes[a] impiae sunt et ultima damnata a Leone X[5], quae perniciosa est. 6. articuli prima pars est mendax contra concilium Florentinum[6] et Lateranense[7]; secunda est erronea, tertia etiam, quia est contra cônsuetudinem ecclesiae. 7s falsus est. Vere enim sacerdos absolvit; secunda pars est falsa et damnata a Leone X[8] et concilio Florentino[9]; tertia etiam damnata ab eodem Leone[10]. 8. articulus erroneus est contra concilium Constantiense[11] et Tridentinum 7. sess. can. 12[12]. 9. articulus etiam falsus est[b]; 10s falsus, damnatus sessione 6 concilii Tridentini[13]; secunda pars est erronea et falsa, tertia et quarta idem. 11. articulus etiam falsus est, quatenus excludit dolorem et detestationem peccatorum et bona opera et damnatus sessione 6 concilii Tridentini[14]. Articuli 12 prima pars impia et haeretica, secunda falsa contra concilium Tridentinum can. ult. sess. 6[15]; ultima pars est falsa. Quoad extremam unctionem primus haereticus est contra concilium Florentinum[16] et Tridentinum[17]; secunda pars etiam haeretica est. 2. articulus etiam falsus est; 3s idem contra concilium Florentinum[18]. 4s etiam haereticus et falsus est. |

259r **Calaritanus**[c] praemisit quaedam, videlicet omnia sacramenta novae legis a Christo esse instituta, et a sacramentis antiquae legis differre et conferre gratiam et consistere in materia et forma, et esse differentiam inter sacramenta et sacramentalia, esseque numero septem, et omnia omnibus, non singulis convenire. Quo igitur ad primum articulum omnia in eo contenta haeretica sunt. Est enim poenitentia sacramentum, cui omnia superius adnotata insunt; ab eaque baptismus in multis differt. Articulus 2 etiam haereticus est contra concilium Florentinum[19], quicquid dicant Scotus[20] et Durandus[21]; ideo damnandus est; et sunt partes integrales, quia ex illis hoc sacramentum conficitur. Neque terrores et fides partes sunt, sed poenitentiam ipsam praecedunt. Articulus 3 est falsus, 4s haereticus. Confessio enim est de iure divino et quoad institutionem et quoad praeceptum, ⟨etiam quod sit secreta⟩[d], tam quoad confitentem, quam quoad confessorem, ut etiam tenet Leo 89. epist.[22] et Alexander de Ales[23] et B. Thomas[24] et alii quam plures. Neque secreta peccata publice confiteri possunt, cum esset agere contra propriam famam, quam quis tueri tenetur iuxta illud: Qui negligit famam suam, crudelis est[25], et illud: *Curam haoe boni nominis*[26]. Item sequerentur multa scandala et multi peccandi modi, ⟨alioqui ignoti⟩[e],

[a] *M add.* falsae et [b] *M add.* et contra concilia
[c] *M add.* probat dicta per antecessores in his, quae ab eo improbata non erunt
[d] *M* et secreta de secretis (et publica de publicis) [e] *M om*

[1] Cf. supra p. 249 adn. 6.
[2] De confessione secreta vel publica in concilii Florentini decreto pro Armenis nihil dicitur.
[3] Cf. supra p. 250 adn. 9.
[4] Cf. supra p. 252 adn. 10.
[5] In bulla *Exsurge Domine* a. 1520, inter errores M. Lutheri n. 8. *F. Gaude,* Bullarium Romanum (Augustae Taur. 1860) 750.
[6] Cf. supra adn. 3.
[7] Cf. supra p. 252 adn. 9.
[8] Cf. ad hunc articulum errores 9—12 M. Lutheri in bulla *Exsurge Domine* damnatos. Supra adn. 5.
[9] Cf. supra p. 278 adn. 8.
[10] Cf. adn. 8.
[11] Cf. supra p. 267 adn. 10.
[12] Can. 10 et 12 de sacramentis in genere. Conc. Trid. V 995.
[13] Cap. 14 et can. 30 et iustificatione. Conc. Trid. V 796 799.
[14] Cf. adn. praecedentem.
[15] Can. 33 de iustificatione. Conc. Trid. V 799.
[16] Cf. supra p. 297 adn. 8.
[17] Cf. supra p. 297 adn. 7.
[18] Cf. supra adn. 16.
[19] Cf. supra p. 249 adn. 3.
[20] Cf. supra p. 249 adn. 2.
[21] *Durandus,* Comment. in IV. Sent. dist. 16 q. 1: «Poenitentia autem, ut est sacramentum, partes habet, sed illae non sunt contritio et satisfactio proprie loquendo de partibus. Quod patet primo quadam communi ratione ad utrunque sic: Praeter materiam et formam in sacramentis non est dare alias partes proprie dictas, sed contritio et satisfactio non sunt materia neque forma sacramenti poenitentiae; forma enim consistat in verbis absolutionis, materia vero, si qua est, in verbis confessionis, quibus poenitens suam conscientiam aperit sacerdoti; ergo contritio et satisfactio non sunt partes sacramenti poenitentiae proprie loquendo.» Et in fine quaestionis: «Si vero pars sumatur large pro omni eo, quod requiritur ad debitam confessionem, sive antecedenter sive consequenter, sic contritio et satisfactio possunt dici partes poenitentiae.»
[22] Potius in epistola 78, nunc 168 ad episcopos Campaniae, ut supra p. 243 adn. 7.
[23] *Alexander Alensis,* Summa theol. pars IV q. 18 membrum 2 de necessitate confessionis, q. 19 membrum 2 de sigillo confessionis agit.
[24] *Thomas Aquinas,* Comment. in IV. Sent. dist. 17 q. 3 a. 1 de necessitate confessionis, dist. 21 q. 3 de sigillo confessionis loquitur.
[25] Hunc locum non inveni.
[26] *Eccli.* 41, 15.

edocerentur. Neque etiam pluribus, sed uni sacerdoti confessio facienda est, quia unus unum Christum repraesentare debet. Unde Scotus dixit, quod confessio, quae pluribus fit, non est sacramentalis[1]. Quod tamen falsum est, quia illi multi reputantur pro uno[a]. ⟨Alii etiam articuli de poenitentia⟩[b] haeretici sunt; idem et illi de extrema unctione. Primus ⟨enim est contra concilium Tridentinum[2] et Florentinum[3] et⟩[c] huic etiam sacramento omnia superius notata conveniunt; et a Christo institutum est, ut deducitur ex Marc. 6, ut patres multi docuerunt. Scotus in 4. sent. dist. 1[4]; Thomas in 4. dist. 17[5]; Durandus[d][6], Riccardus in eodem 4. dist. 21[7]. Idem asserunt Hieronymus et Augustinus; et tandem ecclesia ita docet in usu istius sacramenti. Et improbavit manuum impositionem esse necessariam | in sacramento, quod etiam ⟨forma, quam ecclesia Romana tradit, id 259v
expresse ostendit⟩[e].

[f]**Thessalonicensis** Graecus laudavit sanctum propositum sanctae synodi in damnandis haeresibus divinumque auxilium invocavit atque deprecatus est, ut ei favere vellet, et se humilem servum ipsius synodi esse declaravit eique se humillime submisit. Ex parte autem sanctae synodi responsum est, cupere ante omnia, ut de sua fide et subiectione huiusmodi publicam fidem in scriptis manu eius obsignatam ipsi synodo praesentaret; alias autem nolle eum in concilio admittere tanquam extra ecclesiam catholicam existentem, cum Graeci non conveniant cum ecclesia Romana eamque nolint cognoscere in caput aliarum et in multis aliis ab ecclesia catholica devient. Promisit ipse [se] omnia facturum et sic pro nunc indulgetur, ut in sacris congregationibus intromittatur.

R. D. [episcopus] **Feltrensis**[g][8] dixit primum articulum haereticum esse, quia poenitentia est verum sacramentum, et omnia, quae in sacramentis requiruntur, in ea habentur[h]; et secunda tabula apte nuncupatur, ut habetur in cap. [72] *Secunda [post naufragium] tabula* de poenit. dist. 1. Et quod dicitur de baptismo, falsum etiam est. Neque poenitentia, de qua apud Ioannem Baptistam, gratiam conferebat, prout confert haec sacramentalis. Articulus 2 etiam haereticus est et damnatus in concilio Florentino[9]; ⟨tria enim illa in poenitentia necessaria sunt. Nam dę contritione habetur⟩[i] Psalm. 77: *Tota die contristatus ingrediebar*[10], et Ioel 2 [12]: *Convertimini ad me in toto corde.* Esai. 38 [15]: *Recogitabo annos meos in amaritudine animae meae.* Et ⟨2 Cor.7 [10]:⟩[k] *Tristitia, quae secundum Deum est, poenitentiam in salutem stabilem operatur.* Et Luc. 5: *Beati, qui lugent*[11]. De confessione autem[l] Ioa. 20 [23]: *Quorum remiseritis.* Peccata enim pro arbitrio remitti vel retineri non debent, sed oportet, quod prius audiantur, quae sint. Et Iac. 5 [16]. Neque autem ad homines spectat, remittere peccata, sed ad Deum, qui cum id mandavit, mandavit et illud, ⟨per quod ad id pervenitur⟩[m]. Est | igitur a 260r
Christo instituta et praecepta et semper in ecclesia fuit et retenta est. Et Nectarius solum publicam poenitentiam de secretis faciendam delevit[n]. Et Chrysostomus etiam ipsam confessionem tenuit, sed morem a Nectario ablatum retinuit, et ita intelliguntur eius verba: Non dico tibi, ut in publicum prodas[12] etc. Semper igitur Graeci confessionem receperunt. De satisfactione autem omnes articuli propositi haeretici sunt. Et quemadmodum

[a] *M add.* contra Scotum [b] *M* Et omnes articuli de satisfactione [c] *M* quia
[d] *M add.* in 4. [e] *M* in forma, quae a Romana ecclesia traditur, id cavetur
[f] *M hoc votum om. Cf. adn. sequentem.*
[g] *M add.* Thessalonicensis enim Graecus nihil dixit, cum latine nesciat loqui
[h] *M add.* ut in diffinitione dicitur [i] *M* contritio autem requiritur [k] *M* Rom. 6
[l] *M add.* ante legem fiebat soli Deo, in lege sacerdoti, sed in figura, in gratia sacerdoti, sed vere, estque de iure divino
[m] *M* quod ad illud necessario requiritur [n] *M add.* ut patet ex Leone, epistola 68

[1] *Ioannes Duns Scotus,* Comment. in IV. Sent. dist. 17 q. un.: «Ex hoc patet, quod pluribus sacerdotibus simul non est confitendum necessario, ut melius iudicent. Quod si fiat, non est sacramentalis confessio.» [2] Cf. supra p. 297 adn. 7.
[3] Cf. supra p. 297 adn. 8.
[4] *Ioannes Duns Scotus,* Comment. in IV. Sent. dist. 2 q. 1.
[5] *Thomas Aquinas,* Comment. in IV. Sent. dist. 23 q. 1 a. 1 quaestiunc. 3 de institutione apud *Marc.* 6, 13. De extrema unctione in genere agitur in tota dist. 23.
[6] *Durandus,* In IV. Sent. dist. 23 q. 1—4 de sacramento extremae unctionis agit. De probabili eius institutione a Christo *Marc.* 6, 13 facta loquitur in dist. 2 q. 1.
[7] *Richardus a Mediavilla,* Comment. in IV. Sent. dist. 2 a. 1 q. 3 de institutione apud *Marc.* 6, 13. De extrema unctione in genere dist. 23.
[8] Eius votum scriptum vide in App. III n. 8.
[9] Cf. supra p. 249 adn. 3.
[10] *Ps.* 37, 7.
[11] *Matth.* 5, 4.
[12] Cf. supra p. 261 adn. 9.

post baptismum multae poenae remanent, ut mors, concupiscentia et alia multa, ita et post sacramentum poenitentiae multae poenae remanent et plures. ⟨Unde Christus ait: *Noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat.*⟩[a] [1] Quare non ita renovamur per poenitentiam sicut per baptismum[b]. Quod autem dicitur in 8°, posset remitti, cum agetur de ordine. Et in 9° advertendum, quod multi doctores contrarium tenent, quia illa absolutio est potestatis, non iurisdictionis. ⟨10., 11. et 12. articuli impii et haeretici sunt.⟩[c] Decuit enim ⟨divinae[d] iustitiae⟩[e], ut remissa culpa et poena aeterna aliquando remaneat exolvenda poena temporalis, ut simul cum Christo operemur et in hac vita ⟨non ociosi, sed⟩[a] semper laborantes essemus. Articuli etiam de extrema unctione omnes haeretici sunt.

S. Marci. Primus articulus haereticus est contra Ioa. 20 [23] et contra ecclesiam. Secunda et ultima partes falsae sunt. Articulus 2 haereticus est, idem 3^s et 4^s. Secretaque confessio est de iure divino; alias secreta non esset sacramentum, si a Christo instituta non esset, et alias multa orirentur scandala, essetque totum hoc sacramentum evertere. Articulus 5 etiam haereticus est; alias enim tolleretur absolutio, quae non potest dari de ignotis. 6. articulus contumeliosus et falsus est. 7^s est haereticus; 8^s, 9^s et 10^s idem ac 11^s et 12^s. Quod enim nos per satisfactionem solvimus, etiam Christum solvere dicimus, quia a Christo accepimus. Articuli etiam de extrema unctione omnes haeretici sunt et anathemate una cum aliis feriendi. |

260v **Maioricensis.** Omnes articuli propositi tam de poenitentia quam extrema unctione haeretici sunt ⟨et damnandi⟩[f]. In secundo tamen loco *partes* etc. vellet dici ut in concilio Florentino[2]. 3^s haereticus est, et 4^s in prima parte, in secunda autem secundum verba non est falsus, sed secundum sensum haereticorum. Cuperetque fieri canonem, in quo declararetur locum Ioa. 20 [23] loqui de institutione huius sacramenti; et etiam de confessione, quatenus secreta, esse[g] de iure divino. Deus enim eam non instituit contra ius naturale, ⟨ut quis per eam diffamaretur⟩[a]. 11^s in prima parte non est simpliciter damnandus, quod poenitentia sit nova vita, nisi cum exclusione aliorum operum, quae requiruntur. Omnes autem de extrema unctione simpliciter ut haeretici damnandi sunt.

Et dimittitur congregatio hora 18.

Congregatio generalis. Examinantur iidem articuli de poenitentiae et extremae unctionis sacramentis.

Die dominica 8. eiusdem mensis **Novembris** hora 20 (mane autem non habetur, ut quisque commodius vacare posset sacris solemniis) habita fuit congregatio generalis, in qua patres infrascripti prosecuti sunt discussionem eorundem articulorum de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis, videlicet

R. D. [episcopus] **Camerinensis.** Primum articulum haereticum esse confirmavit. Quemadmodum enim Christus pro peccato originali instituit baptismum, ita et pro actualibus in relapsis poenitentiam, quae tribus partibus constat; ergo et 2. articulus haereticus est, illaque tria necessario in poenitente requiruntur; ⟨contritio enim nisi adsit, non possunt peccata remitti, cum alias ea non detestaretur[h] propter Deum. Item et confessio ad hoc, ut cognoscantur, an sint digna remissione vel retentione. Item et satisfactio,
261r quia non semper omnis poena cum culpa | remittitur, sed ex divina iustitia remanet exolvenda poena temporalis, proqua,⟩[a] licet etiam Christus sufficienter satisfecerit, tamen et nos quoque satisfacere debemus, ⟨ut una cum eo compatiamur. Et cum nos satisfacimus, Christum satisfacere dicitur⟩[i], cum nostra satisfactio nulla esset, nisi Christi

[a] *M om.*
[b] *M add.* Et quoad contritionem vide[n]tur esse vera illa, quae ponuntur ab haereticis, ut sint terrores illi et fides etc. 3. igitur articulus haereticus est; 4^s idem; 5^s idem; 6^s idem; 7^s.
[c] *M* 10. articulus haereticus est; 11^s idem; 12^s est impius et blasphemus.
[d] *M add.* bonitati et [e] *C 119 et Th* divinam iustitiam
[f] *M* ut iam fusius a theologis et a patribus ostensum est, quae approbat. Primus articulus itaque haereticus est.
[g] *C 119* est [h] *C 119 et Th* detestarentur
[i] *M* Aliquando tamen et poena omnis cum culpa remittitur, ut cum quem summopere dolet. Et cum poena remanet, quod nos solvimus, Christum solvere dicitur

[1] *Io.* 5, 14. [2] Cf. supra p. 249 adn. 3.

satisfactioni inniteretur. Omnes igitur articuli de poenitentia haeretici sunt; item et illi de extrema unctione[a]. Non omnes tamen positiones eodem modo damnandae sunt; aliquae enim sunt haereticae, aliquae scandalosae, aliquae temerariae, aliquae falsae et mendaces, aliquae praesumptuosae, aliquae impiae et blasphemae. Quod esset in prooemio decreti exprimendum.

Castellimaris. Articuli primi pars prima haeretica est, quia poenitentia (non quatenus tamen est virtus) sacramentum est; secunda de illa metaphora est impia et blasphema; tertia de baptismo est haeretica, quia sunt duo diversa et diversos habent effectus[b]; ac etiam baptismus instituitur Ioa. 3 [5] et poenitentia Ioa. 20 [23]. Articuli 2 prima pars, si intelligatur de sacramento, ut est absolutio, non habet tria illa; si autem intelligatur de tota ipsa poenitentia, illae tres erunt[c] verae partes[d]. De contritione enim habetur Ioel 2 [12]; Luc. 16 [3]: *Quid faciam, quia Dominus aufert a me villicationem* etc.?[e] Et 2 Cor. 7 [10]: *Tristitia, quae secundum Deum est, poenitentiam* etc. Confessio autem praefigurata fuit Lev. 13 in leprae mundatione[f]. Unde et Christus leprosis iam mundatis praecepit, ut ostenderent se sacerdoti[1]. De satisfactione vero ⟨habentur in veteri lege multa exempla, ut in Davide, in Moyse et aliis⟩[g]. Exemplo etiam saecularis domini, ⟨qui etsi alicui parcit, iniungit tamen, ut aliquid pro poena exolvat⟩[g]. De qua re Ambrosius[h] agit ad corruptam[2]. Nostraque satisfactio non fit, ut aequivalens reddatur, sed secundum acceptationem divinam, et tunc vero pro poenis debitis satisfacimus. Pars autem secunda articuli etiam est haeretica. Neque enim terrores illi partes sunt poenitentiae, | quia timor est de futuris et poenitentia de praeteritis. Neque etiam est fides, 261v
quia multi credunt et contremiscunt et non poenitent, ut faciunt daemones. Articulus ⟨3⟩[i] haereticus est (et in eo deberet fieri mentio de timore servili) et contra ⟨1 Ioa. 4 [18]⟩[k], ut exponit Augustinus[3], et Hieronymus in 1. cap. Malach. [6]: *Si ego Dominus, ubi timor meus?*[4] Et contra Christum Matth. 10 [28]: *Timete eum, qui potest corpus et animam perdere.* Et Luc. 13 [3]: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Et Matth. 3 [10]: *Iam securis ad radicem posita est*[l]. Et Ezech. 28: *Dispone domui tuae, quia morieris*[5]. Et conversus ait: *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animae*[6]. ⟨Timor igitur non est malus, neque etiam recollectio peccatorum.⟩[m] Unde David aiebat: *Lavabo per singulas noctes lectum meum lachrimis*[7]. Ultima pars 3. articuli etiam falsa est. Articulus 4 haereticus est. Confessio enim est de iure divino, ⟨non autem quod secreto fiat, sed secretorum, et quod secreto a confessore teneatur. Nam cuique volenti licet peccata sua secreta publice confiteri; neque obstat, quod quis se infamaret,⟩[n] quia licet se infamare propter Deum, ut habetur Sap. 5 [3]: *Ii sunt, quos habuimus aliquando in derisum* etc. Non est igitur de iure divino, quod quis secreto confiteatur, quia poterit et publice confiteri. Est tamen iuris divini, quod quis secreta peccata confiteatur, et quod sacerdos confessionem secreto teneat. Articuli 4 secunda pars impia[o] est et blasphema. De ea enim antiqui patres meminerunt, ut Beda super 5. Iac.[8]; Hieronymus[9] etiam ac Evaristus

[a] *M add.* cum sint contra concilium Florentinum et hoc Tridentinum
[b] *M add.* baptismus enim non remittit peccatum actuale in ponentibus obicem
[c] *C 119 et Th* sunt [d] *M add.* et Augustinus in cap. 11 super Ioannem
[e] *M add.* Matth. 26 [f] *M add.* quod multo magis in nova lege [g] *M om.*
[h] *M* Gregorius [i] *Codd.* 2 [k] *Th* Io. 14
[l] *M add.* Schola Pari[si]ensis adversus Lutherum id etiam damnat.
[m] *M* Ergo recollectio peccatorum non est mala.
[n] *M* (etiam ut est secreta). Idem quod secreto ea [?] peccata confiteantur, et quod sacerdos secrete teneat eam [!]; non autem illa, quae in ecclesia habetur, scilicet quod ita vel illo modo secreto fiat, quia hoc est relictum in iudicio ecclesiae; alias nunquam licuisset secreta peccata publice confiteri, quod falsum est, et Augustinus in libro de vera et falsa poenitentia dicit, bonum esse confiteri pluribus et publice. Origenes in Ps. 57: Proba prius medicum qui sciat etc. Confessio igitur secreta, quod secretorum peccatorum et secreta teneatur [*del.* secreta pro secretis et publica pro publicis], est de iure divino
[o] *M* falsa

[1] Cf. *Matth.* 8, 4; *Marc.* 1, 44; *Luc.* 5, 14; 17, 14.
[2] Cf. supra p. 246 adn. 21.
[3] *Augustinus,* In epist. Ioannis ad Parthos tract. 9 n. 4: «Timor quasi locum praeparat caritati. Cum autem coeperit caritas habitare, pellitur timor, qui ei praeparavit locum.» *Migne,* P. lat. XXXV 2047.
[4] *Hieronymus,* Comment. in Malachiam cap. 1 v. 6: «Vult itaque primum Deus, ut filii eius simus et bonum voluntate faciamus; si hoc consequi noluimus, ut saltem servos nos habeat et a malis per suppliciorum formidinem recedamus.» *Migne,* P. lat. XXV 1547.
[5] *Is.* 38, 1.
[6] *Ibid.* 38, 15.
[7] *Ps.* 6, 7.
[8] Cf. supra p. 252 adn. 7.
[9] *Hieronymus,* Comment. in ev. Matthaei lib. III cap. 16 v. 19. *Migne,* P. lat. XXVI 118.

papa[1] et alii quamplures. Articulus 5 etiam est haereticus; alias enim nullum peccatum[a] remitti posset, et Levit. 13 praecipiebatur, ut tota lepra manifestaretur[b]. Et Christus Luc. ⟨8 [26—33]⟩[c] eiecit omnes daemones. Secunda pars eadem ratione erronea[d] est et haeretica; tertia autem *sed neque ullas* etc., est contra sextam synodum, et quia etiam omnia peccata non sunt eiusdem generis; quarta haeretica est[e]; cum enim a sacerdote absolvimur, a Christo absolvimur, et semper divinae misericordiae tribuitur. Quinta pars falsa [262r] est, sed non ita po|nitur a Luthero, sed dicit: Non praesumas confiteri venialia[2]. Articulus 6 haereticus est, si intelligatur cum adiutorio Dei. Secunda pars etiam, quia sacramenta ab hominibus institui non possunt; tertia pars moderetur, ut dixit Granatensis[3]. 7. articulus haereticus est, quia negat potestatem Christi, et contra Gregorium super 20. Ioa.[4] et Chrysostomum[5] et Nazianzenum et alios. Secunda pars etiam haeretica est. Esai. 58[f] [3]: *Quare ieiunavimus*[g] *et non aspexisti* nos? Et contra concilium Tridentinum sess. 6. Tertia pars ibi *etiam si non sit contritus* etc., non videtur dici a Luthero[6]; si autem ab aliquo asseritur, damnetur, quia haeretica est. Qui enim non relinquit peccatum, absolvi non potest. Quarta falsa est; quinta haeretica; sine clave enim scientiae non potest sacerdos uti clave potestatis. Articuli 8 prima haeretica est; malitia enim ministri, ut morum, non vitiat; malitia autem officii vitiat. Secunda haeretica est contra Christi institutionem Ioa. 20 [23], qui ad solos sacerdotes loquitur. 9. articulus[h] haereticus est et damnatus in concilio Florentino[7] et contra Ioa. ult. [15 sqq.], quia soli Petro data est universalis iurisdictio. Tamen sacerdos in multis casibus prohibitis, si absolveret, bene absolveret, ut excommunicatum iniuste, et cum eligitur ab habente confessionale a summo pontifice. Secunda pars falsa est; episcopi tamen eos casus tantum reservare deberent, qui habe[n]t annexam excommunicationem, ⟨ut fit a sede apostolica⟩[i]. Articuli 10 prima pars est impia, quia et Davidi[8] et multis aliis imposita est poena ⟨remissa culpa⟩[d]. Deberet tamen hic fieri mentio etiam de purgatorio. Secunda et tertia partes etiam falsae sunt. 11. articulus etiam falsus est; 12[s] impius et haereticus est in omnibus[k] partibus. Quoad extremam unctionem primus articulus haereticus est in omnibus eius partibus; 2[l] prima haeretica, secunda falsa. Si autem intelligeretur de alleviatione corporalis infirmitatis, catholica esset, alias enim homines nunquam morerentur. Intelligitur autem de anima; tertia pars etiam falsa est. Articulus 3 falsus in omnibus; 4[s] etiam. ⟨Omnes igitur anathemate feriendi sunt, tam de poenitentia quam extrema unctione.⟩[d] |

[262v] **Lancianensis.** Primus articulus in omnibus partibus haereticus est et cuperet in canone statui locum Ioa. 20 [23] intelligi de institutione huius sacramenti, prout omnes doctores intellexerunt[l]. Articulus 2 falsus est. Ait enim propheta: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies*[9]. Et Ezech. 18 [21]: Quacunque hora ingemuerit peccator etc. Et David: *Dixi, confitebor adversus me*[10] etc. *Dixi,* id est in corde meo. Et contritio non solum vera, sed praesumpta sufficit, cum facimus, quod in nobis est. Tunc enim suppletur per absolutionem. De confessione autem Ioa. 20 [23], Iac. 5 [16], Rom. 11: Corde autem confessio fit ad salutem[11], ut declarat B. Thomas[12]. De satisfactione vero Deut. 25 [2]: *pro mensura delicti* etc.; ad Rom. 6 [19]: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiae* etc., *ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae* etc. Et Luc. 3 [8]: *Facite fructus dignos poenitentiae.* Et poenitentia imposita a sacerdote non potest non recipi, prout non potest illa, quae a iudice seculari imponitur. Et haec tria sunt partes integrales poenitentiae; sed aptentur verba, prout in concilio Florentino[13]. Secunda pars non est haeretica. Articulus 3 haereticus est in omnibus.

a *Th* peccatorum b *M add.* et 4 Reg. 5 septies in Iordane lavatum
c *C 118 et C 119 et Th falso* 18 d *M om.* e *M add.* et impia f *M* 18
g *Codd.* incurvavimus h *M add.* Lutherus ponit hoc in aliis verbis
i *M* licet doctores varii sunt super hoc k *C 119 et Th add.* eius
l *M add.* ut Chrysostomus, Theophilactus et alii.

1 Cogitat de c. 4 *Presbyteri* C. XXVI q. 6, apud Gratianum Evaristo papae attributo, qui tamen est Herardi Turonensis can. 59. *Migne,* P. lat. CXXI 768.
2 Cf. supra p. 235 adn. 5 et 6 et p. 250 adn. 8.
3 Cf. supra p. 297 l. 7 sqq.
4 *Gregorius Magnus,* Hom. 26 in evangelia n. 4 et 5. *Migne,* P. lat. LXXVI 1199 sq.
5 *Chrysostomus,* De sacerdotio lib. III n. 5. *Migne,* P. gr. XLVIII 643.
6 Assertio etc. (supra p. 236 adn. 9) ad art. 12.
7 Cf. supra p. 278 adn. 7.
8 Cf. *2 Reg.* 12, 14.
9 *Ps.* 50, 19. 10 *Ps.* 31, 5.
11 *Rom.* 10, 10: *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*
12 *Thomas Aquinas,* Expositio in epist. ad Romanos cap. 10 lectio 2 in principio.
13 Cf. supra p. 249 adn. 3.

4^{i} prima haeretica, secunda falsa, tertia haeretica. Et confessio secreta, etiam ut secreto fiat[a], est de iure divino[b]. Quilibet enim tenetur conservare famam suam. Item habetur ex traditione apostolica; ergo est, ac si esset de iure divino, ut declaratum est in concilio Tridentino sess. 4[1]. Et quod habeatur ex traditione, patet ex Clemente in epist. ad Iacobum[2]; Dionisius Areopagita epist. 8[3]; Cyprianus serm. de lapsis[4]; Chrisostomus lib. 5 de sacerdotio[5] et declaratum in concilio Complutensi a Sixto IV[6]. Articulus 5 haereticus est ⟨in omnibus⟩[c], 6^{s} idem ac etiam 7^{s} et 8^{s}, qui damnatus est in concilio Constantiensi[7]. 9^{s} damnatus in concilio Florentino[8]; 10^{s}, 11^{s} et 12^{s} etiam haeretici sunt in omnibus. Quoad extremam unctionem primus haereticus in prima parte, in secunda mendax. 2. articulus, 3^{s} et 4^{s} haeretici, ⟨falsi et erronei sunt in omnibus⟩[d]. |

Algarensis. Prima pars primi articuli haeretica est; secunda et tertia idem et 263r damnatae in concilio Tridentino[9]. Articulus 2 etiam haereticus est, 3^{s} idem in omnibus et damnatus sess. 6 Tridentina[10]. 4^{s} idem; confessio enim est de iure divino. Articulus 5 haereticus est in omnibus suis partibus. 6^{s}, 7^{s}, 8^{s}, 9^{s} etiam haeretici sunt. Et caeteri omnes articuli tam de poenitentia quam de extrema unctione falsi et haeretici sunt et anathemate damnandi.

Dimittitur deinde congregatio hora 24.

Congregatio generalis. Examinantur iidem articuli de poenitentiae et extremae unctionis sacramentis.

Die lunae **9.** eiusdem mensis **Novembris** hora 15 habetur congregatio generalis, in qua infrascripti patres prosequuntur examinationem eorundem articulorum de poenitentia et extrema unctione, videlicet

R. D. [episcopus] **Misiensis**[e]. Ostendit primo Deum misisse Christum in mundum cum iudiciaria potestate, non ut mundum iudicaret, sed ut per eum salvaretur; adversarium autem ⟨et principem mundi, ut iudicaret⟩[f][11]. Eamque potestatem discipulis reliquit, ut et ipsi adversarium calcarent et principes mundi[g] fierent[12]. Quibus discipulis etiam maiorem potestatem dedit quam angelis. Angelis enim[h] numquam dictum fuit: *Quorum remiseritis* etc. Articulus igitur primus haereticus est, quia poenitentia est sacramentum; apte secunda tabula dicitur, et non est baptismus, cum ab eo in multis differat et diversos effectus habeat. 2. articulus etiam haereticus est, et illae tres partes sunt integrales huius sacramenti et ⟨quasi materia⟩[i]; ⟨absolutio autem est forma et pars essentialis⟩[k]. Neque terror et horror sunt partes, sed dolorem inducunt, et sic ab eis poenitentia incipit, et de qua dicitur Sap. 5 [3]: Spiritu gementes prae tristitia etc. 3. articulus haereticus est; sed ⟨illa contritio⟩[l], de qua in articulo, non remittit peccatum, sed disponit ad gratiam, | ut ex 263v formidine[m] poenae doleat de peccatis; et ille dolor est liber, non coactus. 4. articulus haereticus est, quia confessio est de iure divino, et omnia peccata confiteri debent. Impium est enim dimidiatam a Deo sperare veniam[13]; ergo et 5^{s} etiam haereticus est. ⟨Satisfactio etiam necessaria est.⟩[d] Et quod contra adducitur de eo, quod dicit Innocentius III in cap. *Cum Marthae,* quod fiat iniuria martyri orando pro eo[14], quasi ipse suo martyrio sibi non satisfecerit, et eodem modo fieri Christo iniuriam, ⟨si quis vult pro suis peccatis

[a] *M add.* quae in ecclesia fit
[b] *M add.* ut Act. 19 [18]: «Confitentes actus suos», idque secrete faciebant
[c] *M* in prima, in 3^{a}, 4^{a} et etiam in 5^{a} de circumstantiis, quae peccatum mutant. «Neque licere» etc. etiam haereticum est.
[d] *M om.* [e] *M add.* suffraganeus Maguntinus [f] *M* iudicavit [g] *M* terrae
[h] *Th om.* [i] *M* et materiam respiciunt
[k] *C 118 et C 119 et Th* forma autem et pars essentialis est materia
[l] *M* illi timores et terrores et sic contritio [m] *C 119 et Th* fortitudine

[1] Decretum de libris sacris et traditionibus apostolorum. Conc. Trid. V 91.
[2] *Clemens I,* Epistola ad Iacobum (quae est originis Pseudo-Isidorianae) n. 11. *Hinschius* 33.
[3] Cf. supra p. 250 adn. 5.
[4] Cap. 26—29. *Migne,* P. lat. IV 486—489.
[5] Cf. supra p. 250 adn. 1.
[6] Cf. supra p. 252 adn. 8.
[7] Cf. supra p. 267 adn. 10.
[8] Cf. supra p. 278 adn. 7.
[9] Cf. supra p. 294 adn. 3.
[10] Cf. supra p. 249 adn. 6.
[11] Cf. *Io.* 3, 17 sq.; 16, 11.
[12] Cf. *Ps.* 44, 17.
[13] Cf. supra p. 274 adn. 9.
[14] C. 6 *Cum Marthae* X de celebr. miss. III 41 circa finem.

satisfacere〉[a], quasi Christus sufficienter pro eis non satisfecerit etc., respondit, martyrium habere vim baptismi, et sic in eo omnia delentur peccata et omnis culpa et omnis poena. Non sic autem in poenitentia, qua applicatur nobis passio Christi; et media ad hoc sunt motus animi in Deum et dolor de peccatis[b]. 〈Et licet Christus satisfecerit, tamen〉[a] quilibet tenetur satisfacere, ut Christo similis fiat 〈et compatiatur〉[a]; non autem Christus satisfecit[c], ut nos luxuriose[d] crassemur. Ipse vero fecit, quod nos satisfacere possimus sua satisfactione, et ideo nostrae satisfactiones ut nostrae nihil operantur, nisi quatenus a Dei gratia et Christi meritis proficiscuntur. Omnes igitur articuli de poenitentia haeretici sunt. De extrema autem unctione primus haereticus est, quia et est sacramentum et a Christo institutum est. Idem et alii articuli haeretici sunt. Advertendum est tamen, quod dicitur in 11. articulo, 〈quod[e] poenitentia sit nova vita, quia〉[f], ut iacent, verba vera[g] sunt.

Siracusanus. Primus articulus haereticus est et damnatus in sessione 7 Tridentina[1]; sed quod dicitur de baptismo, clarius damnetur et declaretur. Articulus 2 haereticus est, sed damnetur, ut in concilio Florentino[2]. In 3° 〈etiam advertatur, quod verum est, quod dicitur, non remittere peccata illam contritionem〉[h]. 〈Item ex 4°〉[i] deleatur *secretam,* quia 〈licet confessio sit de iure divino〉[a], est tamen in potestate peccatoris secrete vel publice
264r confiteri[k]. Est etiam a iure divino, quod secreto teneatur a | sacerdote; alias homines a confitendo retraherentur. 11. articulus in prima parte potest habere bonum sensum; in sensu tamen haereticorum falsus est; sed damnetur cum aliqua declaratione. Reliqui etiam articuli omnes tam de poenitentia quam extrema unctione damnandi sunt, sed non omnes eodem modo, sed iuxta eorum qualitates, ut aliqui erronei, falsi, blasphemi, impii, haeretici sint etc.

Vigorniensis. Primus articulus haereticus est. Poenitentia enim est vere sacramentum, per quod gratia per peccatum post baptismum amissa recuperatur. Secunda etiam tabula iure dicitur, et non est baptismus[l]. Articulus 2 haereticus est, damnatus in Florentino et Tridentino conciliis[3]. Articulus 3 falsus est, damnatus sessione 6 Tridentina[4]. 4[s] etiam haereticus est; confessio enim est 〈de iure divino〉[a], a Christo instituta Ioa. 20 [23], ex consequutione necessaria; et etiam omnia peccata eadem ratione confitenda sunt; ideo et 5. articulus falsus est in omnibus suis partibus, ita ut etiam circumstantiae confitendae sint. Et venialia confiteri licet. 6. articulus falsus est. De iis enim peccatis intelligitur, quorum quis meminit[m]. 7[s] falsus contra verba Christi: *Quorum remiseritis.* Secunda pars etiam falsa est, damnata in sessione 6 Tridentina[5]. 8[s] damnatus in concilio Constantiensi[6] et sessione 7 Tridentina[7]; secunda pars etiam canone 10 dictae sessionis[8]. 9. articulus seditiosus est et damnatus in concilio Constantiensi[9]. 10[s] damnatus in concilio Tridentino[10]. 11[i] prima pars est falsa, quia nova vita est fructus poenitentiae, non poenitentia Unde Paulus ad Col. ait: Exuentes veterém hominem et *novum, qui secundum Deum creatus est,* induentes[11]. Et aliae partes etiam falsae sunt. 12. articulus etiam haereticus est in omnibus. De extrema unctione 〈primus haereticus est〉[n], quia est sacramentum a Christo institutum, Marc. 6 [13], et a Iacobo promulgatum[12]. 〈2. articulus est haereticus, 3[s] et 4[s] idem in omnibus.〉[a]

Bituntinus. Poenitentia sacramentum est a Christo institutum, per quod lapsi post baptismum gratiam recuperant. Quae poenitentia in maceratione carnis consistit, neque
264v subito | quis ea renovatur, sed de die in diem, licet quoad remissionem peccatorum[o] statim quis per eam renovatur; sed indies etiam melior fit et renovatur magis, ut purior

[a] *M om.* [b] *M add.* et alia etc. [c] *Th* satisfecerit [d] *M* ociose [e] *Th* de
[f] *M* quod dicitur de nova vita, diligenter verba aptentur in formando canone, quia in aliquo sensu
[g] *C 119 et Th* nova [h] *M* ibi «neque remittere» verus est, alia non. [i] *M* 4[s] haereticus, sed
[k] *M add.* et patet de matrona graeca, de qua habetur in hist. tripart., et Leo epistola 78 ad episcopos Campaniae, et multis exemplis patet, quod secreta peccata publice confessa sunt
[l] *M add.* quod in concilio Florentino damnatum est
[m] *M add.* Secunda pars etiam haeretica est [n] *M* omnes articuli damnandi sunt
[o] *C 119 et Th om.*

[1] Cf. supra p. 241 adn. 5.
[2] Cf. supra p. 249 adn. 3.
[3] Cf. supra p. 249 adn. 3 et p. 294 adn. 3.
[4] Cf. supra p. 249 adn. 6.
[5] Cap. 14 de iustificatione. Conc. Trid. V 796.
[6] Cf. supra p. 267 adn. 10.
[7] Conc. Trid. V 995. [8] *Ibid.*
[9] In bulla *Inter cunctas* a. 1418, Interrogationes Wicleffitis et Hussitis proponendae, n. 21 et 25. *Mansi* XXVII 1212.
[10] Cf. cap. 14 et can. 30 de iustificatione. Conc. Trid. V 796 799.
[11] *Eph.* 4, 24; cf. *Col.* 3, 9 sq.
[12] *Iac.* 5, 14 sq.

fiat. Quod contra[a] fit in baptismo, quia cum Christo sepelimur et omnia peccata abluuntur. In baptismo etiam solus baptizans agit; in poenitentia autem non solus[b] absolvens agit, sed requiruntur actus peccatoris. Nisi enim poeniteat, absolvi non potest. Et poenitere non potest, nisi contritus sit et de peccatis doleat. Et respondit ad ea, quae proposuit Zagabriensis contra institutionem huius sacramenti[1], et quod baptismus dicitur poenitentia; sed non ut sacramentum, sed quae baptismum praecedit. Neque sacramentum remissionis dici debet, quia actus poenitentis etiam requiruntur, et ideo sacramentum poenitentiae dicitur. Et sacerdos non dicit: Ego[c] remitto tibi, sed: Ego te absolvo, quia ea verba soli Deo conveniunt. Unde Iudaei murmurabant dicentes: *Quis est hic, qui etiam peccata remittit?*[2] Item idem est ut illud, quo vocat Christus apostolos amicos[3], ipsi tamen servos semper se nominant[d] ob humilitatem[4]. Ita et ecclesia, prout etiam concilia non utuntur illis verbis, quibus apostoli in eorum concilio usi sunt: *Visum est Spiritui Sancto et nobis*[5]. Item *remitto* pertinet ad offensam Dei, quae cum Deo facta sit, ipsi soli convenit, ut dicat: *Ego remitto.* Non sic autem sacerdos, qui absolvit eum, qui Christo iniuriam intulit. Item quia Christus remittit et nunquam ligat, non sic sacerdos; ideo ipse sicut solvit, ita et absolvit vereque sacerdos absolvit. Et si quis per contritionem iam accepisset remissionem peccatorum, absolvitur tamen vere a sacerdote quoad infirmitates, ut[e] Deo vivat; Dei enim adiutores sunt[f]. Neque dicitur sacramentum absolutionis, quia absolutio est forma et tres illi actus poenitentis materia. Ut igitur cognoscatur[g] tres illos actus in poenitente necessarios esse, dicitur sacramentum poenitentiae. Neque hoc sacramentum colligitur aliunde quam ex Io. 20 [23], quia ibi solum forma huius sacramenti habetur. Non sic alibi, ubi in evangelio de poenitentia mentio fit. Satisfactio autem necessa|ria 265r
est, et peccator reddere debet, quod[h] rapuit, ut Zacheus dicebat: *Si quid defraudavi, reddo quadruplum*[6]. Et ita redduntur opera, quae supererogationes vocantur. Et si quis voluntarie eas afflictiones non suscipit, Deus illis invitis eas infligit. Deus enim ordinarie[i] nihil remittit, quod non puniat. Non enim divinae iustitiae convenit, ut peccata impunita remaneant. Alias autem melior esset conditio peccatorum quam non peccantium, si peccator legi iustitiae non subiiceretur, sed tantum misericordiae[k]. Et quod adducitur contra de illis verbis[l]: Lachrimas lego; satisfactiones non lego[7], eum, quem ita poenitet, etiam satisfacere. Unde a Graecis proprius dicitur *resipiscentia*[8]. Cuius poenitentiae ordo in Deo etiam reperitur de peccato Adae, cum primum peccatum cognovit[9]; deinde dixit: Poenitet me fecisse hominem; postea remedium addit inquiens: *Delebo hominem*[10] etc. In hac igitur poenitentia remanet poena temporalis exolvenda. Non sic autem in baptismo, quia omnes in Adam peccavimus[11]. Quod peccatum in baptismo deletur, et quis ⟨renascitur et⟩[l] incipit esse, quod prius non erat, ut ex filio irae[12] filius Dei sit et divinae consors naturae[13]. Et cum quem summe dolet, tunc omnis poena ei remittitur, ⟨et illa dicitur etiam⟩[m] satisfactio, ⟨quia ille maximus dolor satisfactio est⟩[l]. Christus itaque satisfecit; tamen oportet, quod nos etiam satisfaciamus, ⟨ut compatientes cum Christo[14] de Christi satisfactione participemus. Oportet enim, quod Christi satisfactio nobis applicetur; in relapsis autem non nisi per poenitentiam applicatur⟩[n], ut dicitur de rege, qui pro suo exercitu pecuniam aliquam solvit[o]; illa solutio non proderit nisi iis, qui aliquo signo ostenderint, se esse ex familia vel exercitu illius regis. Ita nobis evenit in sacramento poenitentiae, ut, cum nos compatimur cum Christo et eius vestigia sequimur[15], ⟨Christi esse ostendimus [!] et Christi satisfactio nobis proficua fit [!]⟩[p]. Christus enim pro nobis sine nobis satisfecit; sed Deus

[a] *M* statim [b] *Th* solum [c] *C 119 et Th om.* [d] *Th* nominabant
[e] *In C 118 alia manu corr. ex* et; *M* et
[f] *M add.* ut quem Deus sanavit per contritionem, sacerdos ministerio Dei sanitati illius conformetur
[g] *Th* cognoscantur [h] *M add.* etiam non [i] *M om.*
[k] *M in uncis includit* et quod adducitur, quod id tantum erat in antiqua lege, quae erat lex ultionis et irae, igitur respuuntur exempla de Davide, Moyse etc., respondit
[l] *Th add.* Ambrosii [m] *M* sed ille dolor est
[n] *M* quia satisfacere est solvere, quod non rapuisti; et Christus satisfecit, sed oportet, quod nobis illa applicetur
[o] *M add.* in transitu hospitiorum [p] *M* ut Petrus ait

[1] Cf. supra p. 295 l. 3—8. [2] *Luc.* 7, 49.
[3] Cf. *Io.* 15, 15.
[4] Ex. gr. *Rom.* 1, 1.
[5] *Act.* 15, 28. [6] *Luc.* 19, 8.
[7] Cf. supra p. 264 adn. 2.
[8] I. e. μετάνοια. [9] *Gen.* 3, 8—20.
[10] *Ibid.* 6, 6 sq. [11] Cf. *Rom.* 5, 12.
[12] Cf. *Eph.* 2, 3.
[13] Cf. *2 Petr.* 1, 4.
[14] Cf. *Rom.* 8, 17. [15] Cf. *1 Petr.* 2, 21.

illam pro nobis sine nobis non acceptat. Et sicut peccatum Adae est nostrum et per
265v baptismum deletur, sic Christi satisfactio nostra est, | si per sacramentum poenitentiae nostra fiat.

Dimittitur autem congregatio hora 19.

Congregatio generalis super eisdem articulis poenitentiae et extremae unctionis.

Die Martis **10.** eiusdem mensis **Novembris** hora 15 habetur congregatio generalis, in qua patres prosecuti sunt examinationem eorundem articulorum de poenitentia et extrema unctione.

R. D. [episcopus] **Argentinensis**[a] probavit in omnibus sententiam DD. sacri imperii electorum.

Bellicastrensis primum articulum haereticum confirmavit in prima parte, et quod sit contra concilium Lateranense[1], Constantiense[2], Florentinum[3], Tridentinum[b 4], sanctos patres et ipsam sacram scripturam. Item ex effectibus; confert enim gratiam et est signum rei sacrae; ergo est sacramentum. Poenitentia autem quod ⟨remittat peccata⟩[c], probatur ex multis. Eccles. enim 16 dicitur: Poenitemini et remittentur vobis peccata[5]. Luc. 13 [5]: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* ⟨Act. 8 [22]: *Poenitentiam age ab hac nequitia tua* etc.⟩[d] Et Act. 3 [19]: *Poenitemini et convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Et Ioa. 20 [23]: *Quorum remiseritis* etc., quibus verbis Christus hoc sacramentum instituit[e]. Ait enim Christus: *Sicut misit me Pater* (scilicet ad remittenda peccata), *ita mitto vos*[6], ad peccata etiam remittenda. Quam potestatem eis dedit insufflando in eos et dicens: *Accipite Spiritum Sanctum*[7] etc. Vere igitur absolvit sacerdos. Ex quo loco etiam confessio colligitur. Iudicium enim debet esse rectum, ut discernatur inter lepram et lepram, quod absque confessione fieri non potest. Alias verba Christi essent frust[r]atoria vel sine ratione et recto iudicio exercenda. Et eodem modo poenitens displicentiam habere debet, se peccasse ⟨et Deum offendisse⟩[d] et proponere amplius non peccare; alias enim non poeniteret et non posset habere remissionem peccatorum. Praeterea eo animo subiicere se debet iudicio sacerdotis, ut eius iussa faciat. Et ita satisfactio necessaria est. Articulus igitur 2 falsus est, et illae tres partes integrales sunt, quia ex eis poenitentia conficitur. Absolutio autem est forma[f]. Timor vero servilis et fides non sunt partes, quia poenitentiam
266r praecedunt, et ab his exor|ditur. Minister autem huius sacramenti est sacerdos, non omnes Christiani. Christus enim solis discipulis dixit: *Quorum remiseritis* etc. Ideo falsum est, quod dicitur in 8. articulo. Et hoc sacramentum recte secunda tabula dicitur post naufragium[g]. Remanet autem poena aliqua exolvenda. In baptismo enim omnis poena deletur, quia Christus solus in eo operatur et perfecte operatur. In poenitentia vero et nos etiam operamur. At quia non ita perfecte, restat, ut perfectio per satisfactiones fiat. Unde in baptismo regeneramur, in poenitentia autem non, sed durius nobiscum agitur. Ideo Christus ait: *Noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat*[8]. Neque hoc sacramentum est baptismus, quia forma, materia et effectu differunt. Materia, quia ibi est aqua, hic actus poenitentis; forma, quia verba sunt alia; effectu: ille omnia peccata, hoc delet tantum actualia. Omnesque alii articuli ⟨haeretici sunt aut falsi aut blasphemi aut erronei aut schismatici⟩[h].

Auriensis. Primus articulus de poenitentia haereticus est, quia et est sacramentum et reconciliat peccatores. Quod si in veteri lege fiebat[i], ut multis exemplis habetur, multo magis in evangelica. Quod non solum in sacris litteris habetur ex ⟨auctoritate divina et⟩[d] auctoritate terrestrium hominum, sed etiam infernorum, ut habetur Luc. 16 [27 sq.]

[a] *Th* Argentinus [b] *M add.* et ecclesiam catholicam [c] *M* conferat gratiam
[d] *M om.* [e] *M add.* de quo cupit fieri canonem [f] *M add.* quae sacramentum faciunt
[g] *M add.* per peccatum gratia amissa
[h] *M* propositi tam de poenitentia quam extrema unctione haeretici sunt et damnandi
[i] *M* faciebat

[1] Cf. supra p. 286 adn. 3.
[2] Cf. supra p. 241 adn. 4 et p. 286 adn. 4.
[3] Cf. supra p. 241 adn. 3.
[4] Cf. supra p. 241 adn. 5.
[5] Qui locus ad verbum neque in libro *Ecclesiastes* neque in libro *Ecclesiastici* invenitur.
[6] *Io.* 20, 21. [7] *Ibid.* 20, 22 sq.
[8] *Ibid.* 5, 14.

de divite epulone, qui, cum in inferno cruciaretur, optabat, ut renunciaretur suis fratribus, ut poenitentiam agerent, ne et illi in infernum descenderent. Christus autem pro omnibus satisfecit; sed oportet, quod eius satisfactio applicetur nobis per sacramenta. Articulus 2 falsus[a] est; sed loco *partes* dicatur *actus,* quia alias attritus non posset ire ad sacerdotem. Item quia nunquam remitterentur peccata, nisi illa tria adessent, quod falsum est, ut in attrito et in eo, qui non potest loqui[b]. Articulus 3 haereticus est; sed verba illa *neque remittere peccata* catholica sunt; ⟨ideo aptentur⟩[c]. 4^{s} est haereticus[d]. Confessio enim est de iure divino; etiam quod sit secreta ex parte confessoris. | Ex parte autem confitentis 266v secreta est ⟨de iure divino⟩[c] in iis, quae de iure naturae secreta teneri debent; in aliis autem non, sed ea licet publice confiteri. Et de ea ante concilium Lateranense per 500 annos fit mentio in concilio Vormatiensi[1] et Treverensi[2]. Omnesque alii articuli haeretici sunt, excepto quod dicitur de Quadragesima, cuius non habemus praeceptum[e]. In reliquis probat sententias RR. DD. Maguntini et Granatensis.

Pacensis. Prima pars primi articuli haeretica est, contraria sacris litteris et concilio Florentino[3] et Tridentino[4]; secunda et tertia etiam falsae sunt. 2^{s} haereticus est, damnatus in concilio Florentino[f][5]. 3^{s} haereticus est[g]; 4^{s} idem[g], quia confessio, etiam secreta, est de iure divino; secunda et tertia falsae sunt. 5. articulus etiam haereticus[h] est in omnibus partibus. 6^{s} idem, etiam quod dicitur de confessione in Quadragesima, quia habetur ex laudabili ecclesiae consuetudine. 7^{s} haereticus est. 8[i] prima pars haeretica, damnata in concilio Constantiensi sess. 8[6] et 7 Tridentina[7]. Secunda pars damnata in eadem sessione Tridentina[8]. Et alii omnes articuli de poenitentia haeretici sunt. De extrema unctione primus haereticus est, damnatus in concilio Florentino[9] et Tridentino[10]. ⟨2^{s}, 3^{s} et 4^{s} idem.⟩[i]

Constantinensis quoad articulos probat in omnibus sententiam D. Turritani[11]. Deinde conatus est destruere argumenta, quae adduxerat D. Zagabriensis[12]. Primo, si Christus pro nobis satisfecit, ad quid nos satisfacere volumus? Unde Ioa. 8 [36] dicitur: *Si Filius vos liberabit, vere liberi eritis.* ⟨Sed respondit esse verum; verumtamen oportet, quod nobis applicetur. Et sicut impiis per baptismum, ita lapsis per poenitentiam.⟩[c] Unde Paulus 4 [15] ad Ephes. ait: *Crescamus in illo,* ita ut non vivamus solum in illo, sed in dies crescamus ⟨magis per bona opera. Quare idem Paulus ad Hebr. 6 [1—6] inquit, dari integram gratiam in baptismo⟩[k], quae datur tunc a[l] Christo miserante; gratia autem in poenitentia datur a Christo iudicante, id tamen non absque misericordia, | ita ut amice 267r nos puniat. Et ex iustitia remanet poena aliqua exolvenda; ex amicitia deletur culpa et poena aeterna, quae ob amicitiam in temporalem commutatur. Non appellaturque sacramentum absolutionis[m], primo quia denominatio sumitur a toto, non a parte[n], quia in hoc sacramento et reus et sacerdos et actus poenitentis et absolutio requiritur. ⟨Quod ut melius declaretur, sacramentum poenitentiae dicitur.⟩[c] Et Christus dicitur etiam nunc satisfacere in nobis. Christus enim satisfecit, satisfacit et semper satisfaciet. Quare semper etiam nobiscum satisfacit; ⟨neque nos solos satisfacere dicere possumus, sed Christum

[a] *M* haereticus [b] *M add.* Secunda pars est falsa [c] *M om.*
[d] *M* falsus est, quae confessio fuit etiam lege naturae
[e] *M add.* Item in 9° aptentur verba «absolutionis ministrum», quia si est absolutionis minister, absolvere potest
[f] *M add.* Secunda et tertia partes etiam falsae sunt [g] *M add.* in prima parte
[h] *M add.* et falsus [i] *M* 2. articulus etiam falsus est, idem 3^{s} et 4^{s}.
[k] *M* quod fit per sacramentum; 1 Cor. 4 [1]: «Dispensatores» et «ministri», et Paulus ait: «ad mensuram», ad Ephes. 4 [7], quia non in omnibus sacramentis aequa gratia datur, ut idem Paulus dicit ad Rom. 6 de baptismo, quae est integra
[l] *Th om.*
[m] *M add.* (ob humilitatem, ut dixit Christus Magdalenae: «Remittuntur», non «remitto tibi»; et: «Resurget frater tuus», non «resurgere faciam»). Respondit ut Granatensis
[n] *M add.* ut dicitur homo

[1] Cf. can. 25 concilii Vormatiensis a. 868, qui confessionem supponit. *Mansi* XV 873; *Hartzheim* II 314.
[2] Difficile est dictu, de quanam synodo loquatur. Haud improbabile mihi videtur de concilio Triburiensi a. 895 (non Trevirensi) hic agi, cuius can. 22 de confessione criminum (non autem sacramentali) loquitur. *Mansi* XVIII 143.
[3] Cf. supra p. 241 adn. 3.
[4] Cf. supra p. 241 adn. 5.
[5] Cf. supra p. 249 adn. 3.
[6] Cf. supra p. 297 adn. 2.
[7] Cf. supra p. 297 adn. 4.
[8] Can. 10 de sacramentis in genere. Conc. Trid. V 995.
[9] Cf. supra p. 297 adn. 8.
[10] Cf. supra p. 297 adn. 7.
[11] Cf. supra p. 297 l. 33 sqq.
[12] Cf. supra p. 295 l. 3 sqq.

satisfacere una nobiscum〉[a]. Quod autem dixit Zagabriensis contra extremam unctionem etc., respondit, Christum instituisse hoc sacramentum Marc. 6 [13], sed postea extensum fuisse, prout dicitur de baptismo apud Ioannem Baptistam. Quia omnia sacramenta a passione Christi vim acceperunt. Quo autem ad materiam sacramenti poenitentiae, respondit esse tres illos actus poenitentis, sicut declaravit concilium Florentinum[1]; sed sunt quasi materia, ut docet Scotus[2] et B. Thomas[b][3]. Confessionem autem esse de iure divino confirmavit, etiam quod secreto fiat, sub conditione voluntatis confitentis, ita ut, si poenitens voluerit secreto confiteri, illa secreta confessio erit de iure divino; 〈si voluerit autem confiteri publice, illa publica confessio etiam erit de iure divino〉[c]. 〈Quod autem secreto teneatur a sacerdote, est etiam de iure divino, Ioa. 20 [23]: *Quorum remiseritis,* sed mixto iure naturali, quo quis tenetur tueri famam suam, Eccles. 25[4]〉[d]. Est igitur iure divino mixto cum naturali, ut est ex fide, de qua Paulus Rom. 14 [23]: *Quod ex fide non est, peccatum est,* ita ut sit de iure naturae fidem illustrante. Quo iure fretus Nectarius confessionem abstulit, non autem confessionem secretam, sed quod secreto facta publicaretur.

Oscensis. Primus articulus 〈in prima {et tertia}[c] parte haereticus est, secunda te-
267v meraria et calumniosa〉[e]; | quarta[f] de baptismo haeretica est in sensu haereticorum. Articuli 2 prima pars haeretica est, secunda idem; sed explicetur in canone, quod synodus non tollit fidem. 〈3[s] haereticus〉[g] est in prima, in tertia temeraria. 4[s] haereticus, quia confessio, etiam quod secreto fiat, est de iure divino; alias exerceri non posset, neque verba Christi: *Quorum remiseritis,* adimpleri. Et est de iure divino quoad institutionem et quoad praeceptum[h]. Articulus 5 in omnibus haereticus est, excepto quod dicitur de circumstantiis, quae non mutant speciem peccati, quia est erroneum. 6[s] haereticus est; 7[s] idem in omnibus partibus. 8[s] et 9[s] idem. 10[i] prima pars est falsa, universaliter intellecta, et haeretica; secunda idem, tertia erronea et temeraria, quarta haeretica. 11[s] et 12[s] haeretici sunt in omnibus. De extrema unctione primus haereticus est, et locum Marc. 6 [13] intelligi de hoc sacramento; et declaretur, Iacobum loqui de ipso sacramento. 2[s] haereticus in omnibus. 3[s] in prima iniuriosus et falsus, [in] secunda et tertia haereticus. 4[s] idem in omnibus[i].

Clodiensis. Prima pars primi articuli haeretica est, secunda idem contra concilium Tridentinum[5], tertia blasphema, quarta haeretica, cum in multis baptismus a poenitentia differat. Articuli 2 prima pars quoad poenitentiae virtutem non est falsa; de sacramento vero poenitentiae est haeretica, ut intellexit concilium Florentinum[6]; neque terrores sunt partes, quia non semper inveniuntur in poenitente; neque fides pars est, sed praecedit et requiritur. 3[s] haereticus est, timorque bonus est, ut apud Esai.: A timore tuo concepimus[7]; et Augustinus Psalm. 127 declarat super illis verbis: *Initium sapientiae timor Domini*[8]. Quod autem dicitur contritionem, de qua in articulo, non remittere peccata, non est falsum, sed verum; praeparat tamen dolor ille ad gratiam et est liber, neque facit magis peccatorem. 4. articulus haereticus est, quia confessio est de iure divino[k]. Quo vero ad modum faciendae confessionis, non est de iure divino, sed relictum iuri naturae et ecclesiae, ut secretorum secreta, publicorum publica fiat. Et ibi *neque apud antiquos* etc.,
268r Calvinus non ita loquitur, sed | quod confessionis non inveniantur facta decreta ante concilium Lateranense[9]. Articuli 5 prima pars non est simpliciter falsa, quia aliquando absque enumeratione remittuntur peccata, praesertim exacta et singulorum enumeratione; secunda pars haeretica est et aliae omnes. 6. articulus mendax est, et ecclesia non confessionem, sed tempus praecipit, et quorum quis meminit, ut declarat concilium Florentinum[10]. Sed confessio non est praecepta apud Ioa. 20 [23], sed instituta, 〈sicuti si princeps saecularis constitueret aliquod tribunal, coram quo omnes causae deciderentur; quod non propterea

[a] *M om.* [b] *M add.* et sunt partes essentiales ipsius sacramenti [c] *Th om.*
[d] *M* Secretum autem conservandum est de iure naturae, Eccl. 25 de fama propria; est de iure divino: «Quorum remiseritis», quod naturae innixum est
[e] *M* in duabus partibus haereticus est, tertia de tabula secunda temeraria et iniuriosa
[f] *Th* tertia [g] *C 118, C 119* Tertia haeretica [h] *M add.* Secunda temeraria est
[i] *Th add.* haereticus [k] *M add.* et fiat canon de verbis Io. 20

[1] Cf. supra p. 249 adn. 3.
[2] Cf. supra p. 249 adn. 2.
[3] Cf. supra p. 278 adn. 11.
[4] Potius *Prov.* 25, 9 sq.
[5] Cf. supra p. 294 adn. 3.
[6] Cf. supra p. 249 adn. 3.
[7] Quem locum non inveni.
[8] *Eccli.* 1, 16; *Augustinus,* Enarratio in Ps. 127 c. 7—9. *Migne,* P. lat. XXXVII 1680 sqq.; sed ea verba ex libro Eccli. illic non allegantur.
[9] Cf. supra p. 235 adn. 2.
[10] Cf. supra p. 250 adn. 9.

omnes litigantes lites suas in eo iudicio diffinire tenentur, sed possent inter se pacisci et transigere et etiam via arbitraria⟩[a]. Praecipitur autem confessio iure naturali. De iure enim naturali ⟨tenetur quis sibi⟩[b] benefacere et Christum diligere et fugere, quidquid Deo adversatur, id est peccata. Sed institutum est remedium, quo quis gratiam Dei per peccatum deperditam consequatur, ut est poenitentiae sacramentum, Ioa. 20 [23]: *Quorum remiseritis.* Ergo teneor confiteri, ut illis auditis sacerdos ea remittere possit. Etsi enim pluribus viis id facere possem, de iure tamen naturae teneor eligere tutiorem. 7. articulus haereticus est. Et licet quis possit pluries peccata eadem confiteri pluribus sacerdotibus diversis, tamen omnes illi semper absolvunt, id est magis absolvunt, ut aiebat David: *Amplius lava me, Domine, a peccato meo*[1], id est a reliquiis peccatorum. Secunda pars: si sacerdos non intendit nisi iocose facere, tunc non absolvit; si autem intendit facere, quod facit ecclesia, etiam quod iocose absolvat, vere absolvit. 8[s] haereticus est in omnibus partibus; alias enim nemo alium absolvere posset, quia par in parem non habet imperium, si omnes Christiani eandem potestatem haberent. 9[s] haereticus est in omnibus. 10[s] haereticus est intelligendo de temporali poena, quia aeterna semper remittitur. Quod autem opponitur, ⟨quod nostra satisfactio non est necessaria⟩[c], quia Christus sufficienter et plene satisfecit, ut Paulus ad Ephes. [3, 16] docet: *Ut det* nobis *secundum divitias* | *gloriae suae;* 268v
et 1 Cor. ⟨1⟩[d] [30]: *Factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio*[e] *et redemptio;* et Esai. 50: Vere peccata nostra tulit et *dolores nostros ipse portavit*[2]; et ad Rom. 15 [3]: *Improperia improperantium tibi ceciderunt super me;* et Hebr. 10 [14]: *Una enim oblatione consummavit in aeternum sanctificatos;* et ad Gal. 3 [13 sq.]: *Factus pro nobis maledictum, ut in gentibus benedictio fieret;* imo non solum pro omnibus, sed et pro singulis Christus satisfecit; unde Paulus ad Gal. 2 [20] ait: *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me:* Quae omnia vera esse confitetur; sed non propterea superfluam esse nostram satisfactionem. Nam Ioa. ultimo Christus oravit pro nobis, ut praeservaremur a malo[3]. Tamen et ipsemet Christus praecipit nos orare, Matth. 6 [13], etiam ut liberemur a malo: *Sed libera nos a malo.* Christus igitur satisfecit pro nobis, sed vult etiam, quod nos satisfaciamus. ⟨Et sic, cum ipse oravit pro nobis, exauditus est, uti Paulus testatur[4]; tamen non prohibet, quod et nos oremus, ut a malo praeservemur. Ita Christi satisfactio acceptata est pro nobis a Deo Patre; sed non propterea vult, quod nos non satisfaciamus, ut nos ei similemur.⟩[a] Item Christus satisfecit plenissime; sed nos non potimur eius satisfactione[f] in hac vita plene, sed fruemur eis plene in patria. Unde Paulus ait, quod, si vivere volumus, oportet, ut moriamur[5]. Praeterea voluit Christus, ut et nos satisfaciamus, ut perpetuo peccatum odio habere cognoscamur. Et licet parum sit, quod facimus, est tamen magnum, quia Christo incorporati id facimus. Unde cum satisfacimus, dicere possumus: Christus satisfacit, ut dicit Paulus: *Vivo ego; iam non ego, vivit in me Christus*[6], qui vult, ut ei conformemur ad hoc, ut cum eo vivamus et compatientes conglorificemur[g] [7]. Alii articuli de poenitentia omnes haeretici sunt. De extrema unctione ⟨primus haereticus est; sed⟩[a] non probatur hoc sacramentum Marc. 6 [13], quia ibi est sola materia; sed ex Iacobo, qui illud promulgavit. | Et Iacobus etiam intellexit de graviter infirmantibus, cum 269r
dicat: *Inducat presbyteros,* quasi non modo naturali sanabunt, sed divino, miraculose. Alias dixisset: «Inducat medicos.» Miracula enim passim facienda non sunt; ideo intellexit, quod sacramentum hoc non nisi in extremis laborantibus daretur, ut virtus divina operaretur tam in sanitate animae, quam corporis. Qui Iacobus omnia ad sacramenta requisita in hoc adesse ostendit. ⟨Et licet nunc non sanetur semper corpus, nisi cum Deo ita expedire videtur, sanat tamen semper animum. Unde cum dicit: *Alleviabit eum Dominus,* intelligitur de anima.⟩[h]

Et solvitur congregatio hora 19.

[a] *M om.* [b] *M* teneor mihi [c] *M* ab haereticis [d] *M* 2 [e] *Th* satisfactio
[f] *M* satisfactionibus [g] *Th* glorificamur
[h] *M* «Et alleviabit», id est animam, neque enim, nisi cum Deo ita expedire videbitur, corpus sanatur.

[1] *Ps.* 50, 4. [2] *Is.* 53, 4. [3] *Io.* 17, 15. [5] Cf. *1 Cor.* 15, 36. [6] *Gal.* 2, 20.
[4] Cf. *Hebr.* 5, 7. [7] Cf. *Rom.* 8, 17.

Congregatio generalis. Examinantur iidem articuli de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis.

Die Mercurii **[11. Novembris]** in festo B. Martini, hora 15 habetur congregatio generalis, in qua patres prosequuntur examinationem eorundem articulorum de poenitentia et extrema unctione, cepitque loqui hodie

R. D. [episcopus] **Solonensis,** ⟨suffraganeus Herbipolensis⟩[a]. Primus articulus haereticus est, quia poenitentia est sacramentum et ⟨differt a baptismo et apte⟩[b] dicitur secunda tabula[c]. 2^s haereticus est; sed dicatur *actus,* ut in concilio Florentino[1]. Neque terrores et fides partes sunt, sed praecedunt poenitentiam[b]. Et terrores illi aliquando vani sunt; contritio autem nunquam vana est, sed est actus virtutis; fides vero est fundamentum omnium. 3. articulus falsus est; sed illa contritio non remittit peccata; ideo dicatur[d] *neque praeparare ad remissionem peccatorum.* Timor autem servilis non est peccatum neque facit hypocritam, et est liber, non coactus. 4. articulus etiam haereticus est. ⟨Confessio enim de iure divino est.⟩[b] ⟨Neque Nectarius⟩[e] confessionem abolevit, sed ut de secretis publice quis poeniteret, reliquit conscientiis hominum; ⟨idque ex causa fecit, ut scandala evitarentur⟩[b][2], prout, cum in aliqua ecclesia interdicitur, ne divina celebrentur, 269v quod non | propterea divina prohibentur, sed ob causam interdicitur, ne in tali loco fiant. Articulus 5 haereticus est, 6^s idem; sed loco *quam ecclesia* dicatur *qualem ecclesia.* 7^s haereticus est, 8^s et 9^s idem. Et sicut reservantur aliquae personae, ne absolvantur, ita et aliqua peccata ab hoc vel illo sacerdote. 10^s et alii omnes de poenitentia etiam haeretici sunt. De extrema unctione ⟨primus haereticus est⟩[f] et Marc. 6 [13] instituta est, quia apostoli etiam ante passionem[g] non erant simplices layci, ut aliqui dixerunt, cum mysteria divina administrarent, ut ⟨baptismum, praedicationem, quae⟩[h] ad laycos non pertine[n]t. Et sanatio spiritualis, quae apud Marcum subticitur, apud Iacobum declaratur. 2^s haereticus est et gratia sanitatum ab hoc sacramento differt, quia in ea requiritur fides sola; verum in hoc ⟨et alia requiruntur⟩[i]. Illa ⟨erat miraculosa⟩[k]; hoc non; illa etiam a mortuis percipitur[l], hoc solum a vivis; illa ab omnibus Christianis[m] [confertur], hoc a sacerdotibus solum. 3^s et 4^s etiam haeretici sunt ⟨et una cum aliis damnandi⟩[b].

Calaguritanus. Primus articulus haereticus est; sed loco *relapsis* dicatur *lapsis.* Quod autem dicitur de secunda tabula, potest omitti ut superfluum, damnata prima parte ut radice. Sicut et illud in 4^c *neque apud antiquos* etc., cum sit mere mendacium neque est ex auctoritate synodi, talia damnare. Tertia pars primi de baptismo melius declaretur. 2^s haereticus est; sed dicatur ut in concilio Florentino[1]. 3^s idem; sed damnetur, ut fecit Leo X[3]; et ibi *neque remittere* verba illa ⟨vera sunt; ideo melius⟩[n] aptentur. 4^s haereticus est; confessio enim de iure divino est, ⟨etiam quod secreta sit; alias si secreta non est de iure divino,⟩[o] ergo publica[p], quia, cum confessio sit de iure divino, oportet, quod secreta sit vel publica; sed secreta negatur esse de iure divino; ergo oportet fateri, quod publica sit de iure divino, quod falsum et absurdum[q] est. Posset tamen quis de secretis publice confiteri ob devotionem, quod multoties factum legitur. Et omnia peccata cum circumstantiis confitenda sunt; sed declarentur, quae circumstantiae 270r debent confiteri. Quod dicitur | de venialibus, damnetur ut a Leone X[4]. ⟨Articulus 6⟩[r] haereticus est. Quod dicitur de Quadragesima, non est falsum simpliciter. 7^s haereticus est; 8^s idem, quia potestas attenditur, non mores ministri. 9^s haereticus est; sed reservatio casuum non debet ita ampliari. 10^s haereticus est; 11^s idem, sed melius declaretur

[a] *Th om.* [b] *M om.*
[c] *M add.* et baptismus prima tabula sit, et in tertia etiam hereticus est.
[d] *M add.* «neque praeparare ad gratiam» [e] *M* Et Nectarius erravit neque [f] *M* autem idem
[g] *M* cenam; *Th falso* Papionem [h] *M* baptizandi, praedicandi, quae praedicatio [i] *M* non
[k] *M* erant miracula [l] *Codd. et Th* confertur
[m] *M add.* utriusque sexus, cum gratiam habeant
[n] *M* videntur vera; ideo verba
[o] *M* ex locis iam allegatis (et declarat Leo in sermone de ieiunio) estque secreta de iure divino, alias si illa non
[p] *M add.* quod absurdum est [q] *M* nephandum [r] *M* Sexti prima pars

[1] Cf. supra p. 249 adn. 3.
[2] Cf. supra p. 250 adn. 2—4.
[3] Cf. supra p. 249 adn. 5.
[4] In bulla *Exsurge Domine,* inter errores Lutheri n. 8: «Nullo modo praesumas confiteri peccata venialia.» *F. Gaude,* Bull. Rom. V 750.

prima pars[a]. 12s etiam est haereticus; ⟨idem omnes de extrema unctione⟩[b]. Et Bonaventura ait, Christum insinuasse et initiasse hoc sacramentum Marc. 6 [13][1]; ⟨ideo omnes articuli sub anathemate damnandi sunt⟩[c].

Elnensis. Articulus primus haereticus est et damnatus in concilio Viennensi[2], Lateranensi[3], Constantiensi[4], Florentino[5] et Tridentino[6]; et dicitur apte hoc sacramentum secunda tabula et differt in multis a baptismo. 2s haereticus est et damnatur in cap. [40]. *Perfecta* de poenit. dist. 1. Et omnes tres illae partes sunt de iure divino. De contritione enim dicitur: *Convertimini ad me in toto corde vestro*[d][7]. De confessione habetur Ioa. 20 [23]: *Quorum remiseritis*. Quod non potest exerceri sine confessione, et actus iudicialis est, in quo iudicio conscientia est accusator. Unde dicitur: *Peccatum meum contra me est semper*[8]. Peccator est reus, qui de peccato accusatur; sed oportet, quod accusator exprimat ⟨omnia peccata rei ad hoc, ut iudex possit se informare pro sententia ferenda. Igitur omnia peccata confitenda sunt⟩[e]. Non sufficit enim, ⟨ut delictum simpliciter confiteatur, sed etiam circumstantiae addendae sunt, prout homicidium, si est voluntarium vel casuale[f], si parricidium, vel in personam principis, vel si in loco sacro vel occulto factum est⟩[g]. Iudexque est sacerdos, cui obedire tenetur peccator, ut rei iudicibus saecularibus. Ergo satisfactiones faciendae sunt. Et quilibet iudex non est legitimus omnium causarum, ut de Moyse legitur[9]; ergo non omnis omnia peccata absolvere potest. Absolutio igitur iudicialis est et non nudum ministerium; et cum absolvit, vere absolvit et poenam iure imponit, ut pro aeterna, quae remittitur, commutetur ⟨in temporalem⟩[c]. In aliis autem | probat sententiam D. Granatensis[10]. De extrema unctione primus haereticus 270v
est, damnatus in concilio Florentino[h][11]; 2s etiam haereticus est; 3s et 4s idem, quia soli sacerdotes sunt ministri huius sacramenti.

Cenetensis[12]. [i]Poenitentia vere sacramentum est a Christo institutum ⟨post baptismum pro relapsis⟩[k]; quae non potest fieri sine dolore et detestatione peccatorum et oris confessione, in qua omnia peccata confitenda sunt et eorum circumstantiae; quae peccata soli sacerdotes absolvere possunt et ii soli, quibus competit potestas; et poenae ab eis iniunctae[l] servandae sunt; quibus meritum Christi non obscuratur, sed cum Christo compatientes Christi mors nobis applicatur. Extremaque unctio sacramentum est a Christo institutum et a legitimo sacerdote administrandum.

⟨Dimittiturque congregatio hora 19.⟩[c]

[a] *M add.* quae tamen heretica est. Maximus in homilia 2 de elemosyna optime bonis operibus nos mereri declarat
[b] *M* de extrema unctione omnes damnandi sunt [c] *M om.*
[d] *M add.* omnis confessio est etiam de iure divino et necessaria
[e] *M* delicta omnia rei, igitur omnia peccata. [f] *Th* causale
[g] *M* delictum simpliciter, ut homicidium, nisi exprimatur, an sit voluntarium vel casuale, sit patricidium vel aliud, ergo et circumstantiae.
[h] *M* Tridentino [i] *M anteponit* Primus articulus hereticus est, quia [k] *M* pro lapsis
[l] *C 119 et Th* impositae

[1] *Bonaventura*, In IV. Sent. dist. 23 art. 1 q. 2 ad 4: «Ad illud, quod obiicitur, quod apostoli ungebant oleo, dicendum, quod ibi non fuit hoc sacramentum institutum, sed insinuatum; et hoc patet, quia unctio illa principaliter fiebat ad sanitatem corporalem, non ad curationem spiritualem principaliter.»

[2] In concilio Viennensi 1311/12 nihil de sacramento poenitentiae decretum est; nec Elnensem revera de eo locutum fuisse, etiam ex ordine in enumerandis conciliis supra servato concludi potest. Potius concilium Veronense, quod ante concilium Lateranense celebratum est, eum allegasse mihi videtur; quod Massarellus male percipiens concilium Viennense scripsit. Cf. c. 9 *Ad abolendam* X de haer. V 7.

[3] Cf. supra p. 286 adn. 3.

[4] Cf. supra p. 286 adn. 4.

[5] Cf. supra p. 241 adn. 3.

[6] Cf. supra p. 241 adn. 5.

[7] *Ioel* 2, 12.

[8] *Ps.* 50, 5.

[9] Cf. *Ex.* 18, 22 26; *Deut.* 1, 17.

[10] Cf. supra p. 296 l. 20 sqq.

[11] Cf. supra p. 297 adn. 8.

[12] Michael comes de Turre die 7. Febr. 1547 episcopus Cenetensis factus est; die 20. Augusti eiusdem anni legatus in Galliam missus ibidem usque ad principium pontificatus Iulii III mansit et in primis inter pontificem et regem Galliae de convocando concilio actionibus partem habuit. Die 11. Oct. 1551 Tridentum venit, quo die 10. Oct. 1561 concilio tertio convocato reversus est. Ab anno 1566 usque ad 1568 iterum legatus in Gallia degebat. Iam die 16. Dec. 1551 cardinalis Augustanus de eius praestantia ad cardinalem de Monte scripsit rogans, ut in prima promotione dignitas cardinalitia ei conferatur (Conc. Trid. XI 729 adn. 3), qua tamen ornatus non est nisi a Gregorio XIII in promotione diei 12. Dec. 1583. Mortuus est die 21. Febr. 1586. *van Gulik-Eubel* III 52 177. Conc. Trid. I et XI passim. *Pastor* VIII 357—366. *G. Buschbell*, Reformation und Inquisition in Italien (Paderborn 1910) 53.

Congregatio generalis. Examinantur iidem articuli de poenitentiae et extremae unctionis sacramentis.

Die Iovis 12. eiusdem mensis **Novembris** hora 15 celebrata missa consueta et oratione recitata habita fuit congregatio generalis, in qua patres infrascripti prosequuti sunt examinationem eorundem articulorum de poenitentia et extrema unctione.

R. D. [episcopus] **Monopolitanus** sacramentum poenitentiae necessarium esse ostendit, et illos tres actus in poenitente necessario requiri et unum sine alio esse non posse; et secunda tabula apte dicitur[a]; quod et sacramentum confessionis, absolutionis et poenitentiae appellatur. Confessio autem iuris divini est ⟨et omni semper in lege fuit, tam naturae, quam Mosayca⟩[b]. Unde ad Adam dixit Deus: *Adam ubi es?*[1] Et ad Chaim: *Ubi est frater tuus?*[2] Et apud Levit. 15 sacerdos confitebatur scelera populi, quae ipse confiteri non poterat, nisi prius populus ei dixisset[c] [3]. Et David dicebat: *Peccavi Domino,*
271r et tunc dictum ei fuit a Natham: *Transtulit Dominus | peccatum tuum*[4]. Et Iosue dicitur: *Indica mihi, quid feceris*[5]; et Iob: Si absconderem peccatum meum[6] etc. In plena autem lege ⟨Christus ipsam confessionem instituit et praecepit, Ioa. 20 [23];⟩[d] Chrysostomumque confessionem hanc tenuisse ostendit, qui, cum dicit confitendum Deo, sacerdoti Dei[e] vicario intelligit, ut declarat hom. 3 in Matth., qui erubescentia[m] et pudor[em][f] poenam esse peccati dicit[7]. Pudor enim et erubescentia non cadit, cum confessio Deo fit, sed cum fit sacerdoti. Et melius ostendit Augustinus lib. de visitatione infirmorum, qui sacerdotem Christi vicarium nominat[8]. Et omnia peccata confitenda sunt, ut[g] remitti possint. In qua confessione contritio necessaria est; alias sine displicentia de peccatis quis absolvi non potest et sine velle sufferre, quod ei a sacerdote impositum est. Et sic ista tria simul requiruntur annexa. Attritio etiam requiritur, quae deinde fit contritio, et timor servilis fit filialis. Unde ecclesia orat: Domine, timorem et amorem tuum fac nos habere perpetuum[9]. Et licet per contritionem gratia conferatur, tamen oportet, quod habeat in voto absolutionem et confessionem. Et circumstantiae confitendae sunt, ut epist. 2 Clemens docet[10], quia circumstantiae mutant peccatum[h]. Esaias ait: *Narra, si quid habes, ut iustificeris*[11]. ⟨Omnes igitur [articuli] de poenitentia damnandi sunt in sensu haereticorum.⟩[i] De extrema unctione primus articulus haereticus est, et Marc. 6 [13] hoc sacramentum[k] institutum est, et ⟨Innocentius epist. ad Decentium[12] solos presbyteros esse ministros huius sacramenti docet.⟩[l] 2[s], 3[s] et 4[s] etiam haeretici sunt ⟨et damnandi⟩[m].

Legionensis. Omnes fere articuli in concilio Florentino damnati sunt, ⟨dum[n] de quarto sacramento doctrinam tradit⟩[o], ⟨et nunc etiam damnandi sunt⟩[m]. Primus itaque haereticus est. Poenitentia enim est sacramentum, quod Lucius III sacramentum confessionis vocat[13], quia eo tempore de confessione tantum haeresis vertebatur; nunc autem, cum tota poenitentia evertatur ab haereticis, poenitentia[e] sacramentum iure dicendum est, ut
271v omnia in eo requisita compraehendat, ut fecit Eugenius IV in concilio | Florentino[14]. Secunda pars de secunda tabula est falsa et iniuriosa; si autem adderetur *atque ideo,* haeretica esset; tertia haeretica est. 2[s] haereticus est in omnibus; 3[s] falsus; sed quod

[a] *M add.* navisque est baptismus
[b] *M* quae Deo in lege naturae fiebat, in lege vero [?] semiplena etiam Deus eam in aliquo casu requirebat.
[c] *M add.* et Num. 5.
[d] *M* eam requirit et praecepit, ut incepit Ioannes Bapt. et consumavit Ioa. 20.
[e] *M* Christi
[f] *M add.* in confessione
[g] *Th* et
[h] *M add.* Omnes igitur articuli de poenitentia heretici sunt.
[i] *M* Damnentur igitur eo modo, quo positi sunt in sensu hereticorum.
[k] *Th add.* a Christo
[l] *M* Innocentium I ... esse ministros dicere ostendit contra ea, quae quidam dixerunt.
[m] *M om.*
[n] *C 119 falso* de
[o] *Th om.*

[1] *Gen.* 3, 9.
[2] *Gen.* 4, 9.
[3] Rectius *Lev.* 5.
[4] *2 Reg.* 12, 13.
[5] *Ios.* 7, 19.
[6] Cf. *Iob* 31, 33.
[7] *Pseudo-Chrysostomus*, Opus imperfectum in Matth. hom. 3. *Migne,* P. gr. LVI 650.
[8] *Pseudo-Augustinus,* De visitatione infirmorum lib. II c. 4. *Migne,* P. lat. XL 1154.
[9] Ex oratione Dominicae infra octavam Sanctissimi Corporis Christi.
[10] Probabiliter cogitat de loco apud *Pseudo-Clementem,* Epistola 1 ad Iacobum fratrem Domini n. 11. *Hinschius* 33.
[11] *Is.* 43, 26.
[12] Cf. supra p. 252 adn. 19.
[13] In decreto contra Albigenses *Lucius III* dicit: «... seu de peccatorum confessione, matrimonio vel reliquis ecclesiasticis sacramentis ...» C. 9 *Ad abolendam* X de haereticis V 7.
[14] Cf. supra p. 249 adn. 3.

dicitur *neque remittere peccata*, verum est; neque videtur timorem servilem praeparare ⟨ad gratiam⟩[a], ut dicit Augustinus et refertur in cap. *Si quis timore* de reg. iuris, quod non dicatur facere praeceptum, qui timore facit[1]. Et Bernardus addit, quod non meretur. Tamen respondit non facere praeceptum ad hoc, ut praemietur[b]; ille tamen proximior est ad gratiam, quam qui nullo modo praeceptum facit; tertia pars haeretica est. 4. articulus haereticus est, quia confessio est de iure divino; ⟨non autem quod secreto fiat, quia etiam publice quis confiteri potest, praesertim delicta, quae ecclesiam scandalizant, et de eis publicam agere poenitentiam⟩[c], ut habetur in concilio 3 Carthaginensi[2] et in Coloniensi[3]; alias enim publicare delicta nunquam licuisset. Nunc autem de iure positivo secreto fieri debet, ut[d] statuit cap. [12] *Omnis utriusque* [X de poen. V 38], cum dicat: «Solus proprio sacerdoti confiteatur.» Quod dicitur igitur de secreta in 4. articulo, non est haereticum. 5. articulus etiam haereticus est. ⟨6s, 7s⟩[e] et alii omnes etiam haeretici sunt; in quibus probat sententiam D. Granatensis[4].

Ovetensis. Articulus primus haereticus est in prima parte; in secunda falsus; in tertia haereticus. 2s haereticus est; illa enim tria necessaria sunt in poenitente. 3. articuli prima haeretica est et aliae omnes; et timor servilis non est malus, quia naturalis est, imo bonus, ut habetur in filio prodigo[5]. 4s etiam haereticus est; non tamen est de iure divino, quod quis secreto tantum confiteatur, quia licet etiam coram pluribus confiteri. Unde Scotus dicit esse institutum ad commodum confitentis, quod confessio secreto fiat[6]; neque fama est magis aestimanda quam anima. *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?*[7] Quod autem sit secreta ex parte confessoris, de iure divino est. Pro loco igitur et tempore secreta et publica fieri potest et semper praecepto Christi satisfieret. 5s haereticus est; 6s, 7s et 8s idem; 9s idem; qui enim absolvit in casu | prohibito, absolvit sine potestate; ergo non absolvit[f]. Unde 272b Paulus dicit ad Rom. 10: *Tu quis es, qui iudicas alienum servum?*[8] Alii etiam articuli ⟨omnes tam de poenitentia quam extrema unctione haeretici sunt et damnandi⟩[g].

Tudensis. Articulus primus haereticus est; 2s idem contra concilium Florentinum[9]; et illae tres partes integrales sunt, licet et potentiales dici possint[h], quae necessariae sunt in poenitente, et primo contritio, ut sit dolor de peccatis propter Deum; dolor tamen ipse non est contritio, sed effectus contritionis. De qua contritione loquitur Zacharias: *Si impius egerit poenitentiam*[10] etc., et Esaias: *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum corde contritum?*[11] Et David: *Cor contritum et humiliatum*[12] etc. Attritio autem, id est dolor de peccatis ob poenam, non est pars poenitentiae, quousque in eo dolore poenae manet. Unde Ioannes dicit: *Qui non diligit, manet in morte*[13]. Et Christus dicit: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo*[14]; ergo qui non diligit, non diligetur. Quare et Zacharias ait: *Convertimini ad me et ego convertar ad vos*[15]. Quousque igitur quis ad Deum non convertitur, Deus ad eum non convertitur. Et Augustinus dicit: Ille convertitur ad Deum, qui avertit se a peccato. Et Ecclesiast.: *Fili, praebe ad me cor tuum*[16]. Neque attritus, etiam quod confiteatur et absolvatur, fit contritus, quia qui non habet contritionem, nunquam fiet contritus. Confessio etiam necessaria est ad hoc, ut peccata remitti possint, et est de iure divino, a Christo instituta et praecepta. Satisfactio item necessaria est, sed non ita ut alia duo, quia quis potest non acceptare satisfactionem a sacerdote impositam, ut illam in purgatorio satisfaciat. Et licet Christus satisfecerit plene, tamen nos etiam satisfacere debemus, quia cum nos satisfacimus, Christus etiam satisfacit tanquam causa universalis efficiens, ut dicitur de igne, qui non ledit illos pueros in fornace, quia Deus

[a] *M om.* [b] *Th* praemittitur
[c] *M* quod autem secreto fiat, de iure divino non est, quia publica delicta et quae ecclesiam scandalizant multo tempore publice confessa sunt et publica poenitentia acta
[d] *Th* et [e] *M* 6s idem, 7s falsus [f] *M add.* et etiam dicitur in concilio Florentino
[g] *M* heretici sunt. De extrema unctione primus articulus hereticus est et alii omnes.
[h] *C 118* possunt

[1] C. 8 *Qui ex timore* X de reg. iuris V 41. Caput incerti est auctoris.
[2] Conc. Carth. III (a. 397) can. 30. *Mansi* III 923. C. 14 *Presbyter* C. XXVI q. 6.
[3] Conc. Coloniense a. 887 celebratum cap. 3. *Hartzheim* II 366.
[4] Cf. supra p. 296 sq. [5] Cf. *Luc.* 15, 17 sq.
[6] *Ioannes Duns Scotus*, In IV. Sent. dist. 17 q. un. non solum pro commodo confitentis, sed ex natura sua forum poenitentiae secretissimum esse asserit.
[7] *Matth.* 16, 26. [8] *Rom.* 14, 4.
[9] Cf. supra p. 249 adn. 3. [10] *Ez.* 18, 21.
[11] *Is.* 66, 2. [12] *Ps.* 50, 19. [13] *I Io.* 3, 14.
[14] *Io.* 14, 21. [15] *Zach.* 1, 3.
[16] *Prov.* 23, 26.

non concurrebat cum igne[1]. Cum igitur Christus nobiscum concurrit, nos satisfacere pos- 272v sumus. Et sicut dicimus ignem cale|facere, non Deum, sic dicimus[a], nos satisfacere, non Deum. Quare et dicitur satisfactio nostra, licet tamen tota Christi sit. Item quia prima causa universalis magis concurrit cum causa secunda potentiori, quam cum ⟨minus potenti⟩[b], ita Christus tanto magis nobiscum concurrit, quanto magis patimur et affligimur. Remanet igitur, remissa culpa et poena aeterna, aliqua poena temporalis, de quo pulchre [agitur] per Augustinum tract. 224 super Ioa.[2] et lib. de vera et falsa poenitentia[3], et habetur in sacris litteris de Davide[4], Moyse et Aaron[5] etc. Neque obstat, quod haec exempla sint in veteri lege, quia nulli unquam remissa sunt peccata, nisi ob merita passionis Christi. Praeterea cum Christus multo minori poena satisfacere potuisset, tamen, ut suam dilectionem nobis ostenderet, voluit ⟨tanta tormenta⟩[c] pati. Ita et nos erga illum facere debemus. Item sicut ratio, quare ita acerbe pati voluit, fuit, quia Deus ita ordinavit ob nostram utilitatem, ita et ordinavit, ut poena temporalis remaneret, pro qua nos satisfaceremus. Et quanto magis patimur, tanto magis de gloria meremur. Et haec est utilitas nostrae satisfactionis.

Et deinde dimittitur congregatio hora 19.

Congregatio generalis.
Examinantur iidem articuli de poenitentia et extrema unctione.

Die Veneris 13. dicti mensis **Novembris** mane hora 15 habita est congregatio generalis, in qua post celebratam missam per unum ex cappellanis et per R^mum^ et Ill^mum^ D. legatum solitam Spiritus Sancti lectam orationem patres prosequuti sunt examinationem supradictorum articulorum de poenitentiae et extremae unctionis sacramentis.

R. D. [episcopus] **Lacorensis.** Poenitentia sacramentum est et a Christo institutum in remedium pro relapsis, et secunda tabula dicitur ⟨et differt in multis a baptismo⟩[d], et eius partes integrales sunt: cordis contritio, oris confessio et operis satisfactio; quae 273r cum adsunt, et potestas in sacerdote sit, | is vere absolvit, et sacramentum ipsum perficitur. Et licet illa ante baptismum poenitentia dicatur, est tamen virtutis, non sacramenti; quae autem a baptizatis relapsis fit, sacramentum est, de qua Petrus Act. 8 [22] ad Simonem ⟨iam baptizatum ait: *Poenitentiam age ab hac nequitia tua*⟩[d]. Et haec solis relapsis baptizatis convenit, illa omnibus hominibus. Omnes igitur articuli propositi ⟨tam de poenitentia quam extrema unctione⟩[d] haeretici ⟨et damnandi⟩[d] sunt.

Guadicensis[e]. ⟨Aliquae partes articulorum haereticae sunt et damnandae, ut iacent; aliae autem neque haereticae neque damnandae. Haereticae autem sunt infrascriptae.⟩[d] Tertia pars primi articuli ⟨de baptismo, quod sit poenitentiae sacramentum,⟩[d] haeretica est; secunda 2. articuli stulta; prima et tertia 3. articuli haereticae sunt. 5^s^ haereticus in omnibus partibus. 6^i^ prima haeretica, secunda[f] schismatica. 7^s^ haereticus in omnibus contra verba Christi: *Quorum remiseritis.* 8^s^ idem in omnibus, damnatus in concilio Constantiensi[6]. 9^s^ ⟨idem et⟩[d] damnandus in omnibus partibus[g], quia, cum sit actus iudicialis, requiritur iurisdictio. 10^s^ haereticus in omnibus. Passio enim Christi applicatur nobis in baptismo per modum vitae, in poenitentia autem per modum medicinae, quae operatur secundum dispositiones. 11^s^ idem; satisfactio enim tam voluntaria, quam quae a Deo infligitur, ponitur a Paulo ad Corinthios: *Si nos ipsos iudicaremus, non utique iudicaremur. Dum iudicamur autem, a Domino corripimur*[7]. Articulus 12 in omnibus haereticus est. De extrema autem unctione primus haereticus est, ⟨2^s^ et 4^s^ idem⟩[h]. Paulus enim Timotheum adulescentem vocat eundemque presbyterum. ⟨Ait enim: *Nemo adolescentiam tuam contemnat;* et paulo post: *Noli negligere gratiam, quae data est tibi cum impositione manus presbyterii*[i].⟩[d][8] Ergo presbyter non notat seniorem tantum[d]. Sunt vero decem partes,

[a] *Codd.* dicimur [b] *M* impotenti [c] *M* maxime [d] *M om.*
[e] *C 119* Guadiscensis; *Th* Guadixensis [f] *M add.* idem et [g] *M add.* et heresim sapit
[h] *M* 2^s^ idem; 3^s^ et 4^s^ idem. [i] *Th* presbyteri

[1] Cf. *Dan.* 3, 49 sq.
[2] *Augustinus,* Tract. 124 in evang. Ioannis n. 5. *Migne,* P. lat. XXXV 1972 sq.
[3] *Pseudo-Augustinus,* De vera et falsa poenit. cap. 18. *Migne,* P. lat. XL 1128.
[4] Cf. *2 Reg.* 12, 13 sq.
[5] Cf. *Num.* 20, 12.
[6] Cf. supra p. 267 adn. 10.
[7] *1 Cor.* 11, 31 sq.
[8] *1 Tim.* 4, 12 et 14.

quas haereticas esse non censet, videlicet prima pars articuli primi de poenitentia, cum dicitur: *Poenitentia non est proprie sacramentum ⟨ad reconciliationem pro relapsis,* propter particulam *proprie,* quia alias innueretur esse aliquod sacramentum, quod non sit proprie sacramentum⟩[a], tum quia a Lutheranis non additur *proprie,* tum quia id est contra illos, qui tenent, per absolutionem non dari gratiam. ⟨Non igitur efficeret, quod | significat. 273v
Potest autem dici⟩[b] *vere sacramentum,* et deleatur *proprie.* Item ⟨secunda pars primi articuli de⟩[c] secunda tabula, quae in sensu haereticorum falsa est; verba autem illa non sunt damnanda, licet a solo Hieronymo dicatur super Daniele[1], qui a Tertulliano desumpsit, qui tamen non *secundam tabulam,* sed *secundum subsidium* dicit[2]; et quia poenitentia dici potest prima tabula, ut baptismus sit navis, in quam reducimur ex naufragio per Adam facto. Si autem[d] baptismus prima tabula diceretur, detraheretur passioni Christi, quasi non sufficienter nos redemerit ⟨et in navim, ex qua Adam exciderat, reposuerit⟩[e]. Et contra Petrum, qui baptismum archae Noae assimilat[f][3]; et Paulus dicit, per peccatum nos naufragari[4]; ergo ante peccatum per baptismum nos sumus in navi. Item prima pars 2. articuli ⟨non videtur haeretica, quia satisfactio non semper requiritur, ut in vere contrito. Neque obstat, quod habeat satisfactionem in voto, quia propositum satisfaciendi non est satisfactio⟩[g]. Velle enim ieiunare non est ieiunare; ⟨neque velle dare elemosinas est illas dare; sed satisfactio oportet, quod opere praestetur⟩[c]. ⟨Non igitur {illa tria}[h] sunt partes poenitentiae ut sacramenti, sed ut virtutis.⟩[i] Quod ut fugiatur, dici potest ut in concilio Florentino[5]. Et quia etiam in vera poenitentia, quae integre Deo reconciliat, non remanet poena aliqua exolvenda, sed omnis poena cum culpa deletur, ergo in vera poenitentia satisfactio non requiritur, ergo et non etiam est pars integralis. Neque etiam confessio ⟨est pars integralis, quia non semper requiritur,⟩[e] ut cum quis attritus tantum confitetur, quia, licet ille postea fiat contritus et absolvatur, cum absolvitur tamen, non absolvitur ex confessione, quia ea non fuit cum contritione, ⟨sed absolvitur ex superveniente contritione;⟩[c] ergo in eo casu confessio non erit pars sacramenti illius. ⟨Neque etiam satisfactio pars poenitentiae est.⟩[c] Nam cum aliquis sacerdos imponit minimam[k] poenitentiam, ⟨ut puta semel dicere *Pater noster,*⟩[c] pro ⟨gravissimis et infinitis⟩[l] peccatis, tunc poenitens sciret, sacerdotem illum errare ⟨neque facere ex recti iudicii | ratione⟩[c], et non teneretur illi obedire, et tamen absolveretur, ergo ille 274r
absolveretur absque proposito satisfaciendi. ⟨Item non tenetur satisfacere, qui accepit indulgentias, ergo cum accipit absolutionem, non habet ille propositum satisfaciendi.⟩[m] Damnetur igitur ⟨ista prima pars 2. articuli ut de poenitentia virtutis⟩[n]. Quare necessarium esset fieri satisfactiones ante absolutionem, ut tenet Cyprianus serm. de lapsis[6]; Ambrosius[o] epist. 64 ad virginem lapsam[7]. In 3. articulo illae partes non remittunt peccata[p]; ideo verba melius aptentur. In 4°, licet confessio sit de iure divino, non est tamen de iure divino, quod secreta fiat. Graeci quoque confessionem tenuerunt. Athanasius in epist. ad Rufinianum[8]; Gregorius Neocesariensis in suis canonibus[9].

[a] *C 118 et C 119 et Th per saltum om.* [b] *M* neque efficere, quod significat, sed dicatur
[c] *Th om.* [d] *M* enim [e] *M om.* [f] *M* equiparat
[g] *M* quia satisfactio in proposito non est satisfactio, sed oportet, quod opere praestetur, quia
[h] *C 119 et Th* illae tres
[i] *M* Ergo illae tres partes non videntur requiri in sacramento, sed sunt partes poenitentiae ut virtutis, non autem ut sacramentum [!].
[k] *M* parvam [l] *M* multis gravissimis
[m] *In C 118 et C 119 et Th oculi vitio, ut videtur, om.*
[n] *M* iste 2. articulus ut de poenitentiae virtute [o] *M* Hieronymus [p] *M add.* sed praeparat

[1] Massarellum falso scripsisse *super Danielem,* loco *ad Demetriadem* (cf. supra p. 242 adn. 3) omni dubio maius esse mihi videtur.

[2] *Tertullianus,* De poen. c. 12: «Igitur cum scias adversus gehennam post prima illa intinctionis dominicae munimenta esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris?» *Migne,* P. lat. I 1247 sq. Capite 4 eiusdem libri poenitentiam tabulam, sed non secundam tabulam vocat. Cf. supra p. 242 adn. 1.

[3] *1 Petr.* 3, 20 sq. [4] *1 Tim.* 1, 19.

[5] Scil. contritionem, confessionem et satisfactionem esse quasi materiam, ut dicitur in decreto pro Armenis. Cf. supra p. 249 adn. 3.

[6] Certus libri De lapsis locus hic allegari nequit. Communis erat ecclesiae antiquae mos satisfactiones ante reconciliationem peragendi.

[7] *Ambrosius,* De lapsu virginis consecratae liber cap. 8 de satisfactionibus agit. *Migne,* P. lat. XVI 576—579.

[8] *Athanasius* in epistula ad Rufinianum nihil de confessione dicit, sed de reconciliatione Arianorum, qui revertuntur, agit. *Migne,* P. gr. XXVI 1179 ad 1182.

[9] *Gregorius Neocaesariensis,* Epistula canonica can. 11 de publica poenitentia agit. *Migne,* P. gr. X 1047/48.

Cyrillus super Levit.[1] et Ioannes Chrysostomus etiam[a] tenet eam a Christo institutam, sed non necessariam[2]. Secreta itaque confessio, ut secreto fiat, non est de iure divino, ut habetur etiam ex Innocentio epist. 68[3] et Origene in Psalm. 37[4], qui publicam poenitentiam laudant et confessionem de[b] secretis. Neque obstat, quod dicitur de[c] fama servanda, quia anima magis quam fama aestimanda est. Secunda pars huius articuli, ibi *neque apud antiquos* etc. est mere mendacium et ignorantia; ideo non videtur expedire, ut damnetur, cum veniat damnata in prima parte. In 8° non videtur damnanda tertia pars, cum non ponat exclusivam aliquam. Undecimi[d] prima pars etiam non est damnanda, quia multi sancti patres eam tenent. Ultima pars 12[i] etiam non videtur aliquo modo damnanda, ibi *quod virtute clavium aeterna supplicia* etc., quia esset contra eos, qui negant, in ⟨hoc sacramento⟩[e] dari primam[f] gratiam, cum dicunt, solum Deum absolvere a poena[g] et culpa, sacerdotem autem nunquam a culpa, absolvere, ut Augustinus super 26. Matth.[5] et lib. confess.[6] et Ambrosius[7] et Chrysostomus[8] aiunt, qui omnia contritioni tribuunt. Beda lib. 5 super Lucam[9]; Gregorius super Ioannem[10]; Leo in epist. ad Foroiuliensem episcopum[11] idem videntur sentire. De extrema autem unctione prima pars 3. articuli non videtur etiam simpliciter damnanda, quia multa addita sunt ad decorem sacramentorum ⟨circa eorum ritum, quae prius non observabantur. Quo vero ad substantiam, nunc servantur, prout a Deo instituta sunt⟩[h]. |

274v **Virdunensis** omnes articulos, tam de poenitentia, quam extrema unctione haereticos censet et anathemate feriendos. Primus enim impius[i] et est contra Christi misericordiam, qui vult omnes homines salvos fieri. Et est error Novatianorum et damnatus sess. 7 Tridentina[12]. ⟨2. vero articuli⟩[k] prima pars non videtur damnanda nisi ut in concilio Florentino[13]. Quoad 4m confessio est de iure divino; sed ritus, qui adhibentur, sunt iuris humani, ut quod secreto fiat, proprio sacerdoti, in Paschate et similia. Occultorum autem confessio est de iure divino, a Christo instituta; alias enim non possent exerceri verba Christi: *Quorum remiseritis* etc.[l]

Constantiensis[14] ⟨omnes articulos propositos haereticos iudicat, tam de poenitentia quam de extrema unctione. Ideo et a sancta synodo damnandi sunt.⟩[m]

[a] *M* autem [b] *Th* e [c] *M add.* bona [d] *C 118 et C 119 et Th* Decimi
[e] *M* absolutione [f] *M om.* [g] *M add.* aeterna
[h] *M* quantum ad ritum; quantum ad substantiam omnia serventur, ut a Christo instituta sunt.
[i] *M add.* et hereticus [k] *M* Articulus 2 hereticus non est in omnibus partibus, quia
[l] *M add.* Alii omnes heretici sunt.
[m] *M* Articuli omnes tam de poenitentia quam extrema unctione partim heretici, partim erronei, blasphemi, impii etc. et ideo damnandi sunt.

[1] Cf. supra p. 255 adn. 18.
[2] Cf. supra p. 243 adn. 6 et p. 261 adn. 8.
[3] *Innocentius I,* Epist. ad Decentium episcopum Eugubinum cap. 7. *Migne,* P. lat. XX 559.
[4] *Origenes,* Homil. 2 in Ps. 37 n. 1 et 6. *Migne,* P. gr. XII 1380 sq. et 1386.
[5] Inter *Augustini* sermones suppositios sermo 79. *Migne,* P. lat. XXXIX 1899 sq.
[6] Forse cogitat de *Augustini* Confess. lib. II cap. 7. *Migne,* P. lat. XXXII 681.
[7] Videas *Ambrosii* librum II de poenitentia. *Migne,* P. lat. XVI 495—524.
[8] Cf. supra p. 242 adn. 7.
[9] Forse cogitat de expositione parabolae pharisaei et publicani in templo orantium apud *Bedam Venerabilem,* In Lucae evang. expositio lib. V cap. 18. *Migne,* P. lat. XCII 552 sq.
[10] *Gregorius Magnus,* In evangelia hom. 26 (*Io.* 20, 19—31) c. 6. *Migne,* P. lat. LXXVI 1200 sq.
[11] *Leo I,* Epistula 108 cap. 2. *Migne,* P. lat. LIV 1011 sq. [12] Cf. supra p. 251 adn. 7.
[13] Cf. supra p. 249 adn. 3.
[14] Christophorus Metzler de Andelberg, episcopus Constantiensis 1549—1561, mense Iunii 1551 Maximilianum Scharrer, U. I. D., consiliarium suum et consistorii advocatum, Tridentum misit cum litteris ad legatum concilii directis, quibus, miseras suae dioecesis condiciones describens, de absentia sua se excusavit (App. I n. 5). Legatus eodem mense Iunii respondit eum usque ad sessionem die 1. Septembris futuram Tridentum venire oportere (App. I n. 11). De his litteris et de proposito suo ad concilium proficiscendi episcopus die 28. Iunii amicum suum Gervicum Blarerum, abbatem Vingartiensem, certiorem fecit (*H. Günter,* Gerwig Blarer, Briefe und Akten II [Stuttgart 1921] n. 1202 p. 263 sq.). Sed paulo post «laetali quadam aegritudine, quam medici asma vocant» affectus Ioannem Cochlaeum, quem Tridenti commorari opinabatur, litteris die 14. Aug. datis rogavit, ut eum apud concilii legatos excusaret (*Günter* II n. 1212 p. 272 sq.). Sed quia Cochlaeus ad concilium non pervenerat, hae litterae ad episcopum remissae sunt (cf. *Günter* II n. 1225 p. 283). Eodem fere tempore etiam Hugoni comiti de Montfort, oratori imperatoris in concilio, scripsisse videtur, qui ei die 25. Sept. respondit, legatum, cum quo de episcopo locutus est, excusationes patrum non posse excipere, quia ad hoc instituta esset deputatio patrum, quae solummodo patres, qui morbo aliquo iureiurando confirmato affecti essent, excusatos haberet (*Günter* II 286 adn. 1). Quamobrem episcopus, cuius valetudo interim restituta esse videtur, iter aggressus est et mense Octobri Tridentum advenit (Conc. Trid. XI 676 l. 6). Belli tumultibus in Germania exortis primis mensis Aprilis 1552 diebus Tridento discessit (Conc. Trid. XI 858 adn. 1 et 862 l. 4). De qua re imperatori misit scriptum, cui titulus: «Ursach, warumb der bischof von Constanz ab

Salaminensis. Articuli de extrema unctione haeretici sunt. Est enim hoc sacramentum a Christo institutum et apud Marc. 6 [13] insinuatum, prout sacramentum Eucharistiae Ioa. 6[a]. Et peccata etiam mortalia remittit, ut si qua post sacramentum poenitentiae in lucta cum diabolo infirmus commiserit. Quo vero ad poenitentiam, primus melius declaretur et dicatur *sacramentum poenitentiae non esse sacramentum* etc. Secunda pars primi articuli non est haeretica, tertia vero est haeretica, quia baptismus non reiteratur, poenitentia sic. In 2. articulo defendit contrariam sententiam R. D. Guadicensis[1], quod non sunt illae[b] partes ⟨poenitentiae virtutis, quae in anima sola consistit; sed illae tres partes⟩[c], de quibus in articulo, opere complendae sunt, ⟨illae vero virtutis voluntariae⟩[d]. Illa tamen tria, licet non sint proprie partes, tamen in poenitentiae sacramento necessario requiruntur. Prima igitur pars istius articuli non est haeretica; et loco *partes* dicatur *actus*. Secunda pars haeretica est, idem et tertia; sed addatur *et acquisitionem aeternae damnationis,* ut ponit etiam Lutherus[2]. Neque vero timor servilis hypocritam facit, cum is a Deo multoties inculcetur. Neque etiam terror malus est, ut Exod. 19 [16] et 20 [20] Moses ait: Ut timor et terror | esset in vobis, ne peccaretis. Et Athanasius declarat in 1 Tim. 1: Ut alii timorem habeant[3] etc.; et *Initium sapientiae timor Domini*[4]. Et Luc. 15 [17]: *Ego autem fame pereo.* Et Chrysostomus de compunctione cordis[5]. 4. articulus haereticus est; tamen secreta et publica confessio sacramentum est et iuris divini, non autem secreta tantum; alias nunquam licuisset publice confiteri, quod falsum est; et alias in publica poenitentia[e] non remitterentur peccata, quia non esset sacramentum, si a Christo instituta non esset. Est igitur ⟨utraque de iure divino,⟩[f] a Christo instituta et praecepta[g]. 5s, 6s, 7s, 8s etiam haeretici sunt[h]; 9s idem[i]; ⟨10s idem⟩[f]. Licet enim Christus satisfecerit, ⟨vult tamen, ut nos etiam satisfaciamus; ipse autem satisfaciendo⟩[k] fecit, ut nos compatientes mereamur; et Christus, ut Paulus testatur, redemit sectatores bonorum operum[6]. Et sic intelligitur dictum Pauli ad Hebr. [10, 14]: *Consummavit in aeternum sanctificatos.* Augustinus Psalm. ⟨61 optime de hac satisfactione loquitur[7]. Et notandum, quod apud Matth.⟩[c] 19 remittitur debitum magnum, sed imponitur tamen ei, ut ⟨etiam aliquid⟩[l] solvat; ergo remansit ei, remissa[m] poena aeterna, aliqua temporalis exolvenda[8]. 275r

Deinde dimittitur congregatio hora 19.

Congregatio generalis. Perficitur examinatio articulorum de poenitentia et extrema unctione, etiam quoad praelatos.

Die sabbati **14.** eiusdem mensis **Novembris** hora 15 habetur congregatio generalis, in qua patres audita missa et oratione consueta prosequuntur examinationem eorundem articulorum de poenitentia et extrema unctione, videlicet

R. D. [episcopus] **Bossanensis.** Circa primam partem primi articuli retulit difficultatem allatam a D. Guadicensi de dictione *proprie*[9], quam bene manere defendit, cum in hoc

[a] *M add.* et a Iacobo promulgatum [b] *Th add.* tres [c] *Th om.*
[d] *M* et est voluntaria illa virtutis; confessio est actus elicitus a voluntate et satisfactio fieri omnino debet.
[e] *M* confessione [f] *M om.*
[g] *M add.* et Chrisostomus confessionem tenet, ut 6. synodus can. 32 defendit eum ab aliis calumniis contra eos, qui illud ei ascribebant.
[h] *M add.* etiam quod dicitur in 6° de Quadragesimae confessione etc.
[i] *M add.* et respondit ad argumenta Zagabriensis, ut respondit Roffensis.
[k] *M* etiam nos vult compati et [l] *M* nescio quid [m] *M add.* culpa et

dem conzil und von Trient abgeschaiden» (*Günter* II 313 adn. 2). Litteras, quas e concilio Gervico Blarero scripsit, eiusque responsa videas apud *Günter* II n. 1229 1231 1232 (et adn. 1) 1235 1256. Cf. etiam *van Gulik-Eubel* III 192.

[1] Cf. supra p. 315 l. 18 sq.

[2] Cf. supra p. 234 adn. 8; quod tamen videtur addendum ad 3. articulum, non ad 2.; Salaminensem iam loqui de 3. articulo Massarellus per errorem non adnotavit.

[3] *1 Tim.* 5, 20; nescio, ubi Athanasius hunc locum exponat.

[4] *Eccli.* 1, 16.

[5] Duos libros *Chrysostomus* de compunctione scripsit, unum ad Demetrium monachum, alterum ad Stelechium, quos invenis apud *Migne,* P. gr. XLVII 393—422.

[6] Cf. *Tit.* 2, 14.

[7] *Augustinus,* Enarratio in Ps. 61 n. 4. *Migne,* P. lat. XXXVI 730 sqq.

[8] Apud *Matth.* 19 nihil huiusmodi legitur; forse cogitat de Zachaeo, *Luc.* 19, 1—9.

[9] Cf. supra p. 315 l. 2—6.

sacramento omnia reperiantur, quae ad proprium sacramentum requiruntur. Et licet
275v haeretici illam dictionem non ponant, tamen sancta | synodus non solum haereses confutare, sed veritatem astruere debet, quae habet, ut poenitentia sit proprie sacramentum. Neque propterea innuitur aliquod sacramentum esse, quod non sit proprie sacramentum, cum iam in primo canone 7. sessionis huius sacri concilii Tridentini definitum sit, omnia illa septem sacramenta esse vere et proprie sacramenta[1]. In eodem primo articulo loco *relapsis* dicatur *lapsis*, quia, qui semel post baptismum peccat, lapsus est, non relapsus. Et quod de secunda tabula dicitur, apte dicitur, et iam id definitum est cap. 14 sessionis 6 Tridentinae[2]. 2. articulus haereticus est, et ii tres actus vere dicuntur partes sacramenti poenitentiae, non autem poenitentiae ut virtutis. Et licet non perficiant, integrant tamen hoc sacramentum, quia absolutio non haberet effectus, nisi illi tres actus praecederent. Neque obstat, quod attritus confiteatur et non absolvatur ex confessione, sed contritione superveniente etc.; et quod adducitur de eo, qui indulgentias acceperit, antequam confiteatur, quod ille non debeat habere votum satisfaciendi, cum omnis poena sit ei iam remissa per indulgentias etc., quia respondit ad primum, quod, cum illa confessio ⟨superveniente contritione⟩[a] habeatur ⟨a sacerdote⟩[a] rata, fit pars sacramenti illius. Ad 2m respondit, quod, qui accipit indulgentias, non liberatur a satisfactione, sed commutatur in alias minores satisfactiones. Nunquam enim indulgentiae sine aliqua satisfactione dantur. Neque obstat, quod dicitur, quod hoc sacramentum totum in absolutione consistat, quoniam id falsum est. Licet enim absolutio perficiat, illi tamen tres actus illam integrant, ita ut ex iis perfectio sacramenti sequatur. Neque sunt partes poenitentiae virtutis, quia illa sola in anima consistit, haec autem, ⟨ut sacramentum est⟩[a], in actu. Neque debet dici ut in concilio Florentino, quia videremur fateri, quod haeretici dicunt, in hoc sacramento non adesse materiam[3]. In 3. articulo defendit esse bene posita illa verba *neque remittere peccata* etc., quia ibi loquitur de vera contritione, quae peccata remittit; neque ibi dicitur:
276r *quae est | timor servilis*, sed *quae paratur ex timore servili*, ⟨quae vera est contritio⟩[b] et gratiam consequitur. In 4° de confessione tenet, quomodocunque fiat sive secreta sive publica, de iure divino eam esse. Unde patres sancti confessionem publicam laudarunt et etiam secretam. Neque Nectarius[4] neque Leo[5] publicam detestati sunt, sed abusus circa eam exortos, ut libelli etiam de ea darentur. Et ad id, quod adducitur contra satisfactionem, quia, si Christus plene satisfecit quoad omnem poenam, ad quid nos satisfacimus, respondit Christum vere sufficienter satisfecisse, sed ea satisfactio lapsis post baptismum non applicatur nisi per poenitentiae sacramentum; sed sic est, quod satisfactio est una pars integralis huius sacramenti; ergo necessaria est. Et nostra satisfactio ut nostra nihil valet, sed ut est pars sacramenti valet ad poenam temporalem delendam, ut iam determinatum est in 6. sessione Tridentina[6]. Ecclesia enim habet, quod remaneat poena temporalis, ex ratione, quam B. Thomas assignat: ut peccato debeatur poena ut aversionis a Deo et ut conversionis ad creaturam; pro prima debetur aeterna, pro secunda temporalis[7]. Idque ecclesia habet ex testimonio sacrarum litterarum et ex traditionibus apostolorum, ut in cap. 14 sess. 6 Tridentinae dicitur[8]. Et cum dicitur: Si satisfactum est sufficienter[a] a Christo, quare Deus exigit a nobis poenam temporalem, respondit, id expedire divinae iustitiae, ut, sicut nullum bonum relinquit irremuneratum, ita nullum malum impunitum. Expeditque etiam divinae misericordiae, ut, cum Deus velit nos cum Christo regnare, vult, ut etiam cum eo compatiamur. Expeditque, ut viva Christi membra efficiamur, et nostras miserias perpetuo[c] agnoscamus et peccatum odio habere ostendamus. Quoad extremam unctionem[d], sacramentum est et a Christo institutum, Marc. 6 [13], et a Iacobo promulgatum. Quo vero ad censuras, omnes articuli propositi in sensu haereticorum haeretici sunt ⟨et anathemate damnandi⟩[a]. |

276v **Mutinensis.** Omnes articuli propositi in significatione haereticorum haeretici sunt et anathemate damnandi. Sed quia sunt multi iam damnati, cuperet exprimi in canone vel doctrina, quare ii denuo damnentur, ut primus, quod poenitentia sit sacramentum, iam definitum est in 7. sessione huius sacri concilii[9]. Et quod dicitur de secunda tabula, de-

[a] *M om.* [b] *M* quod verum est [c] *M et Th om.* [d] *M add.* primus hereticus est

[1] Conc. Trid. V 995. [2] *Ibid.* 796.
[3] Cf. supra p. 249 adn. 3.
[4] Cf. supra p. 250 adn. 2—4.
[5] Cf. supra p. 243 adn. 7.
[6] In cap. 14 de iustificatione. Conc. Trid. V 796.
[7] *Thomas Aquinas,* Summa theol. p. III q. 86 a. 4.
[8] Cf. supra adn. 6.
[9] Cf. supra adn. 1.

claratum[a] in 6. sessione Tridentina[1]. Si bene tamen advertatur, neque Hieronymus[2] neque Tertullianus[3] loquitur de hac poenitentia ut sacramento, sed ut ⟨virtute, cum secundam tabulam esse dicunt⟩[b], ut etiam disputando super eodem dicit B. Thomas[4]. Articulus 2 damnetur[c], ⟨ut iacet; alias enim non astruerentur illa tria esse necessaria in hoc sacramento, et quia ita damnatur⟩[d] a Leone X[5]. Et alias dubium esset, an hoc esset proprie sacramentum, quia non appareret eius materia. Et si dicitur quasi materia, sequeretur, quod hoc sacramentum esset quasi sacramentum. In 3° etiam haereticum est, quod dicitur *neque remittere peccata* etc., quia ita asseritur a Luthero[6], qui contritionem ullo modo remittere peccata negat, sed omnia fidei tribuit, etiam quod contritio esset annexa charitati[e]. Sed de hac contritione cuperet fieri seiunctum articulum, ut bene asseretur [!], contritionem veram remittere peccata. 4. articulus haereticus est. Antonius Monachus[7] et Maximus Philosophus in locis communibus[8] attestantur multis testimoniis, confessionem esse de iure divino. Christus autem confessionem in genere instituit; modum[f] vero, quod fiat secreta vel publica, non instituit; utroque igitur modo fieri potest et utroque modo Christi praecepto satisfit. Articulus 5 haereticus est; sed aptetur verbum *enumerationem,* et difficultates, ⟨quae oriri possent,⟩[g] adimantur. In 6°, quod dicitur de Quadragesima, haereticum est; et quod adducitur contra, quod aliquis non teneretur, si non haberet peccata, respondit, id verum; sed cum teneatur, eo tempore sumere Eucharistiam, et iam sit definitum ab hoc concilio, quod quis ante Eucharistiam, quantumvis contritus, confiteri debeat[9], sequitur, quod quis in Quadragesima confiteri tenetur. Articulus | 7 haereticus 277r
est; sed ex eo deleantur illa verba *etiam quod non sit contritus,* et superius plene damnetur hoc in 3. articulo. Et quod dicitur in fine, est contra concilium 4 Carthaginense[10] et Arausicanum[11], in quibus afferuntur casus, ut quis absque confessione absolvatur. Quorum conciliorum ratio habeatur. 8. articulus haereticus est; 9[s] etiam, sed habeatur ratio scholasticorum, qui super hoc varii sunt. 10[s] etiam est haereticus; et satisfactiones nostras necessarias esse ostendit et solutiones ad contraria datas probavit, ut etiam illa vera sit, Christum satisfecisse pro peccatis ante baptismum tantum; et post baptismum oportet[h], quod nos satisfaciamus. Quod Cyprianus tenet, qui etiam dicit, quod pro peccatis post baptismum Christum advocatum habemus[12]. Quod etiam Ioannes dicebat[13]. Alias enim ad quid Christus intercederet continuo pro nobis apud Patrem[14], si ipse Christus semel pro nobis sufficienter ⟨satisfecit? Et ad quid etiam praecipitur nobis, ut semper oremus, si Christus semel sufficienter[i]⟩[k] pro nobis Deo Patri satisfecit? At nostrae satisfactiones Christi sunt; unde et Christus satisfacit etiam nunc in nobis. Et cum dicitur *nostrae satisfactiones,* ut nostrae nihil valent[l]; sed cum dicitur *nostrae,* quae Christi satisfactioni innituntur, merentur. Praeterea sacrificium, quod offertur quotidie Deo, esset superfluum, cum dicatur: *Unica oblatione* Christus *consummavit ⟨in aeternum sanctificatos⟩*[m] [15]; sed tamen id verum non est, quia sacrificium, ⟨quod hodie in ecclesia fit,⟩[n] est illud idem, ⟨quod Christus obtulit⟩[g]; sed hoc incruentum, illud cruentum. ⟨Neque absurdum est, quod aliqui dicunt, quod satisfactio, quam⟩[o] sacerdos imponit, non delet, quod Christus imponeret, sed facit, quod placetur divina misericordia, ne imponat, quod mihi imponendum esset ob mea peccata; et ita nostrae satisfactiones, quae a sacerdote imponuntur[p], prosint, ut

[a] *M* damnetur et iam damnatum est [b] *M* est virtus poenitentia
[c] *Th* damnatur; *in C 119 corr. ex* damnetur [d] *C 119 et Th om.*
[e] *C 118, C 119 et Th* charitate [f] *Th* modo [g] *M om.* [h] *M* mansit [i] *M* plene
[k] *C 119 et Th om.* [l] *M* prosunt [m] *M* omnia [n] *M* hoc
[o] *M* Et quod quidam dicunt, quod [p] *M* iniunguntur

[1] Decretum de iustificatione cap. 14. Conc. Trid. V 796.

[2] Cf. supra p. 242 adn. 3.

[3] Cf. supra p. 242 adn. 1.

[4] *Thomas Aquinas,* In IV. sent. dist. 14 q. 1 a. 2 quaestiunc. 4.

[5] In bulla *Exsurge Domine* n. 5. *F. Gaude,* Bullarium Romanum V (Augustae Taur. 1860) 750.

[6] Cf. supra p. 234 adn. 8.

[7] Anno 1516 septem epistulae *Antonii* monachi versione latina in lucem prodierunt (cf. *Bardenhewer* III 81), in quibus pauca de poenitentia dicuntur. *Migne,* P. gr. XL 977—1000. Antonium harum epistularum auctorem esse certo affirmari non potest.

[8] *Pseudo-Maximus Confessor,* Loci communes sermo 26 de peccato et confessione. *Migne,* P. gr. XCI 865—872. De auctore huius florilegii cf. *Bardenhewer* V 33.

[9] Sessio 13, Decretum de Eucharistia cap. 7 et can. 11. Supra p. 202 et 204.

[10] Cf. supra p. 247 adn. 10. C. 8 *Is qui poenitentiam* C. XXVI q. 6.

[11] Concilium Arausicanum I (a. 441) can. 12 et 13. *Mansi* VI 438. C. 7 *Qui recedunt* C. XXVI q. 6.

[12] *Cyprianus,* Epist. 7 ad clerum n. 5. *Migne,* P. lat. IV 243. *Idem,* Liber de oratione Dominica c. 3. *Ibid.* 521.

[13] *1 Io.* 2, 1.

[14] Cf. *Rom.* 8, 34; *Hebr.* 7, 25.

[15] *Hebr.* 10, 14.

quod a me ex divina iustitia solvendum erat, remittatur. Verum[a] sacerdos etiam poenam ipsam delet, ut testantur verba Christi: *Quorum remiseritis* etc., quae de culpa et poena 277v intelliguntur, ut, si quis observat poe|nas iniunctas a sacerdote, clave scientiae non errante, satisfacit divinae iustitiae. Non igitur solum ⟨ille tunc satisfaceret⟩[b] ad placandam divinam iram, sed ad delendas poenas ei debitas. Articuli vero de extrema unctione haeretici sunt; sed probat dicta per D. Guadicensem circa 3. articulum de ritibus huius sacramenti[1], ut illa pars sit iniuriosa, non autem haeretica.

Abbas Flandrus[2]. Articuli omnes haeretici sunt. Et improbavit, quod dixerunt aliqui in 2. articulo, quia illae tres partes sunt et necessariae in hoc sacramento; neque satisfactio a sacerdote iniuncta recusari[c] potest, quia esset contra verba Christi: *Quorum retinueritis*[d] etc. In 4° confessio quod secreta fiat, non est de iure divino, neque a Christo instituta[e], sed modus relictus est ecclesiae. Ipsa autem confessio in genere de iure divino est. Et quod dicitur *neque apud antiquos* etc., est falsum, non haereticum. 5s haereticus est; neque enim peccata remitti possunt, nisi propalentur; sed addatur *quae memoriae occurrunt*[f]. 6. articulus est iniuriosus et haereticus. ⟨7s et 8s idem.⟩[g] 9s falsus est. Sententia enim a non iudice lata nulla est. 10s haereticus est. Et sicut baptismus non tollit omnes reliquias peccati, ut fomitem etc., ita et multo minus poenitentia, in qua non ita ⟨renovamur ut in baptismo⟩[h]. 11s et 12s haeretici sunt. De extrema unctione primus articulus haereticus est et damnatus in concilio Constantiensi[3], Florentino[4] et Tridentino[5]. 2s, 3s et 4s etiam haeretici sunt.

Abbates Itali[6] congregationis Montis Cassini. Omnes propositi articuli, tam de poenitentia, quam de extrema unctione haeretici[i] sunt et damnandi[k]. Cupiunt[l] tamen adverti, quod dicitur in 9. articulo de casuum reservatione, cum variae sint opiniones; contra quod Bernardus[m] multa dicit. ⟨Fatentur tamen ipsi⟩[n] eam casuum reservationem iure fieri posse; sed cavere debent episcopi a crimine solutionis pecuniae et parci esse debent in his reservationibus faciendis. Quo vero ad satisfactiones, tenent eas esse neces-
278r sarias, neque repugnare, | quod Christus plene satisfecerit, quia Christi satisfactio nostram requirit; neque in relapsis una sine alia esse potest. Unde Christus, ait Petrus, passus est, ut sequamur vestigia eius[7]. Et pro iis satisfecit Christus, qui cum eo crucem portant, non autem Christus passus est, ut Paulus inquit, ut nos in comessationibus, ebrietatibus et aliis vitiis viveremus[8], sed pie, iuste et caste[9]. Et ita viventes non indigent aliqua satisfactione; si autem peccant, ea indigent. Exemplum enim Christus dedit nobis, ut, quemadmodum ipse fecit, ita et nos faciamus[10]. Conregnare igitur non possumus, nisi et compatiamur[11]. Et Christi satisfactio operatur, ut nostrae satisfactiones nobis prosint, quae alias essent ut pannus menstruatus[o][12]. Christus itaque vult omnes homines salvos fieri[13]; non salvantur autem, nisi quibus passio Christi applicatur, sicut ignis vult omnes calefacere, sed non calefacit, nisi qui ad eum approximantur. Et alias frustra martyres passi essent, quod impium est.

Generalis Heremitarum S. Augustini[14]. Primus articulus haereticus est et damnatus in multis conciliis. Secunda pars de secunda tabula in sensu haereticorum falsa est; alias verba illa[p] non sunt haeretica. Et baptismus est prima tabula. Neque obstat, quod dicitur 1 Petr. 3 [20] de archa Noae, quia intelligitur archa pro ecclesia, ut intelligit

a *M* Quae satisfactio fuit etiam sub apostolis et b *M* illae satisfactiones faciunt
c *Th* revocari d *C 119 et Th* remiseritis e *M add.* ut secreto fiat
f *M add.* et circumstantiae etiam confitendae sunt
g *M* 7s idem, 8s damnatus in concilio Constantiensi. h *M* in totum renovamur i *M om.*
k *M add.* sed quomodo sunt damnandi singuli, remittit se patribus. l *C 118* cupit
m *M* Durandus n *M* Fatetur ipse tamen o *Th* menstratus p *M* de per se

1 Cf. supra p. 316 l. 15—18.
2 Gerardus de Hamericourt O.S.B., abbas monasterii S. Bertini, Morinensis dioecesis, die 31. Martii 1563 episcopus Audomarensis est nominatus. Conc. Trid. XI 753 adn. 6. *van Gulik-Eubel* III 136.
3 Bulla *Inter cunctas,* Interrogationes Wicleffitis et Hussitis proponendae n. 19. *Mansi* XXVII 1212.
4 In decreto pro Armenis. *Mansi* XXXI 1058.
5 Sessio 7, canon 1 de sacramentis in genere. Conc. Trid. V 995.
6 Marcus de Brixia O.S.B., abbas S. Vitalis Ravennae, de quo pauca invenis apud *G. Fabri,* Le sagre memorie di Ravenna antica I (Venetiis 1664) 380; Eusebius de Parma O.S.B., abbas S. Mariae Gratiarum, dioecesis Placentinae.
7 Cf. *1 Petr.* 2, 21. 8 Cf. *Rom.* 13, 13.
9 Cf. *Tit.* 1, 8.
10 Cf. *Io.* 13, 15.
11 Cf. *Rom.* 8, 17; *2 Tim.* 2, 12.
12 Cf. *Esth.* 14, 16; *Is.* 64, 6.
13 Cf. *1 Tim.* 2, 4.
14 Eius votum in scriptis datum vide in App. III n. 9.

Augustinus lib. 5 contra Donatistas[1]. Tertia pars haeretica est. Articulus 2 idem; sed dicatur ut in concilio Florentino[2]. Neque obstat, quod dicatur *quasi materia,* quia non omnia sacramenta habent propriam materiam; suntque partes sacramenti poenitentiae, non virtutis. Et illae tres necessariae sunt. Contritio enim est de iure divino et de iure naturali, quod quis cognoscat ⟨peccatum suum et⟩[a] culpam, ut ab ea ab illo, cui illata est, remittatur. Item et de iure divino confessio est, cum sit pars sacramenti huius, quod cum sit de iure divino, ergo et eius partes. Satisfactio autem non videtur ita necessaria secundum aliquos, quia non semper requiritur, ut cum per contritionem remittuntur peccata. | Et quia, si iniungitur a sacerdote, est post sacramentum. Neque David satisfecit, 278v
quia sibi iam erat remissum peccatum[3]. Tenetque ipse opinionem Caietani, ut sint tres partes, sed non omnes aeque necessariae, ut in homine manus et pedes[4]. Et cum quis habet in voto satisfactionem, ⟨is non vere satisfacit; neque⟩[b] eo modo haberet sacramentalem satisfactionem, quae opus requirit. Contritio tamen, quae durat post confessionem et absolutionem, est satisfactio, cum permanet poenitens in illo dolore et detestatione peccatorum. 3. articulus haereticus est, 4[s] idem, et confessio, etiam quod sit secreta, de iure divino est; posset tamen omitti mentio de secreta vel publica, et dici tantum, confessionem sacramentalem esse de iure divino, ut habetur ex Ioa. 20 [23], qui locus allegandus ad id esset a synodo, et quod ita sit intellectus a patribus, ut Augustinus hom. 41, 49 et 50 adducit[5] et alii doctores. 5[s] haereticus est, et sicut non sufficit conteri[c] de aliquibus et de aliquibus non, ita et confessio[d]. 6. articulus falsus est neque ecclesia confessionem praecipit[e], sed Christus. 7[s] idem; dum enim sacerdos aliquem punit, in eo potestatem exercet. 8[s] idem, licet Augustinus contrarium videatur sentire, cum inquit, Christum non dixisse fornicariis, incestuosis et aliis pravis hominibus: *Quorum remiseritis* etc., epist. 166 et 167[6]. Articulus 9 haereticus est; 10[s] idem. Licet enim Christus satisfecerit, tamen etiam nos satisfacere debemus, prout Christus doluit, non propterea sequitur, quod nos non debeamus dolere de peccatis; alias non requireretur contritio; sicut ⟨etiam Christus oravit pro nobis, ergo nos orare non debemus?⟩[f] De extrema unctione omnes articuli etiam haeretici sunt.

Et cum nemo alius restaret, qui dicturus esset, imponitur finis examinationi suprascriptorum articulorum de poenitentia et extrema unctione, tam quoad theologos minores, quam quoad ipsos patres ad Dei laudem et gloriam. Et dimittitur congregatio hora 20.

Congregatio generalis. Referuntur censurae patrum super articulis suprascriptis et dicuntur circa eorum aliquos sententiae a 2. et 3. praesidente.

Die dominica **15.** eiusdem mensis **Novembris** hora 20 habetur congregatio gene- 279r
ralis, in qua R[mus] et Ill[mus] **legatus** ⟨lecta solita S. Spiritus oratione⟩[g] primo summis laudibus commendavit patres de laboribus consumptis in examinatione suprascriptorum articulorum de poenitentia et extrema unctione, et de pietate et religione circa eos ostensa; et quod nunc nihil aliud restaret, quam ut res absolvatur. Deinde retulit censuras patrum allatas in ipsis articulis, quae fere eaedem [sunt] cum illis theologorum, videl. quod in primo articulo deleatur *proprie* et dicatur *vere,* quod idem significat. Et de *lapsis* loco *relapsis;* ⟨sed videtur plus esse in *relapsis*⟩[h]. Verba tamen aptari possunt. De secunda tabula, ut omnes concordentur, posset dici *atque ideo non recte vocari secundam tabulam* etc. Neque eius mentio omitti potest, cum adversarii id negant[i], et iam sit declaratum in decreto de iustificatione. In 2. articulo possunt aptari verba, ut in concilio Florentino[2] et exprimi, illa tria esse necessaria ad integrum sacramentum consequendum et eius fructus. In 3° poterit exprimi vera contritio, ut illa remittat peccata. In 4° aptabuntur verba se-

[a] *M om.* [b] *M* non sufficit, quia
[c] *In C 118 alia manu corr. in* confiteri; *idem habent C 119 et Th.*
[d] *M* confiteri de aliquibus, de aliquibus non. [e] *Th* praecepit [f] *M* et de oratione
[g] *Th om.* [h] *M* quia plus est «relapsis» [i] *Th* negent

[1] *Augustinus,* De baptismo contra Donatistas lib. V cap. 28. *Migne,* P. lat. XLIII 196.
[2] Cf. supra p. 249 adn. 3. [3] Cf. *2 Reg.* 12, 13 sqq.
[4] *Caietanus,* Comment. in Summam theol. S. Thomae ad p. III q. 90 a. 2.
[5] Cf. supra p. 284 adn. 9—11.
[6] Rectius *Augustinus,* De baptismo contra Donatistas lib. III cap. 18 n. 23. *Migne,* P. lat. XLIII 150. In epistolis 166 et 167 (nunc 105 et 89) nihil huiusmodi legitur.

cundum patrum sententias, ut neutra opinio damnetur, cum omnes concordent, confessionem esse de iure divino. In 6°, quod dicitur de Quadragesima, etiam aptari potest, ut damnetur in sensu haereticorum, qui confessionem esse liberam asserunt; et omnia ad concilium Lateranense referre[1]. Improbavit tamen, quod quidam dixit, quod sacerdos nunquam absolvat a culpa, sed a poena tantum, cum sit sacris litteris ⟨et ecclesiae catholicae doctrinae⟩[a] contrarium. De extrema unctione in 3. articulo male notatum ostendit de ritu, qui nunc observatur ab ecclesia, quia non dicitur, quod nunc sint idem ritus cum illo, quem Iacobus observat; sed esse ex sententia Iacobi; ideo verba bene manere etc.

Deinde R. D. archiepiscopus **Sipontinus**, secundus praesidens, dixit, sibi quaedam circa hos articulos videri patribus proponenda, super quibus cogitare poterunt. Et primo praemisit[b], in veteri lege pro peccato originali fuisse circumcisionem, pro ⟨actualibus in⟩[c] 279v lapsis poenitentiam; | quod idem[d] est in evangelica, et loco circumcisionis subintravit baptismus, qui, ut circumcisio fiebat, non reiteratur; sed illa erant[e] umbra, nostra veritas; et forma et effectu[f] differunt, quia illa non perducebant ad vitam aeternam, quia sine sanguine Christi nulli unquam data est remissio peccatorum. Illa igitur remedia promittebant gratiam, non dabant; illi enim *in tenebris et umbra mortis* sedebant[2], quia, cum perfecte non agnoscerent verum Redemptorem, non poterant veram redemptionem habere. Quae omnia adveniente Christo cessarunt, et ipsa remedia perfecta facta sunt et forma sacramentorum mutata est, ut omnia per Christum donari dignosceretur. Quare poenitentia ipsa effectualiter et formaliter solum post passionem instituta est, ut habetur Ioa. 20[23]: *Quorum remiseritis* etc., prout et baptismus institutus est apud Matth. ultimo [18 sq.]. In quo baptismo discipulis datum fuit nudum ministerium, cum diceret Christus: *Omnis potestas data est* Filio *in coelo et in terra.* In poenitentia autem Christus dedit discipulis omnem[g] potestatem, unde dicit: Filius non iudicat quemquam, sed ut Filium omnes glorificent[3] etc. Quae glorificatio fit ab hominibus, cum genuflectunt se sacerdotibus, quibus iudicium dedit. In veteri autem lege non ita fiebat; ideo in Deum omnia dirigebantur, quia non dederat adhuc iudicium Filio neque Filius sacerdotibus, prout in lege nova. Ideo in veteri lege sola contritio sufficiebat, quae Deo fit; neque confessio requirebatur, nisi ut Deo fieret, quia ipse tantum iudex erat. Unde dicebat David: *Tibi soli peccavi et malum coram te feci*[4] etc. Modo autem cum sacerdotes effecti sint a Christo iudices, requiritur confessio sacerdoti facienda, quae, ⟨ut secreto fiat,⟩[h] de iure divino est; non tamen excluditur publica; imo plus quis humiliaretur, si publice confiteretur et praecepto satisfaceret. Secreta tamen necessaria est, ⟨non publica⟩[c]. Unde nemo astringeretur, ut publice confiteretur; sed bene astringi posset, ut secreto confiteretur. Et ecclesia circa 280r hunc modum confitendi dispensare potest. Quo vero | ad satisfactionem de ea Petrus meminit in sua [2.] canonica, cum dicit, quod sunt deteriores, qui post agnitam veritatem peccant, quam qui ante[5], quia ingrati effecti[i] sunt ⟨gratiae, quam per Christum acceperunt⟩[c], et quia magis debitores effecti sunt, ⟨ut primo Deo debeant, sicut caeteri homines, deinde⟩[k] Christo, cuius passione ⟨et meritis⟩[c] filii Dei effecti sunt. Igitur tenemur in via Christi ambulare, quia ab eo liberati sumus. Unde de iis, qui contra faciunt, dicit Christus: *Sitivi, et non dedistis*[l] *mihi bibere; esurivi, et non dedistis mihi manducare*[6]. Cum ergo peccamus post baptismum, Deum offendimus et Christum. Christus itaque satisfecit pro offensione, ⟨quam Deo intulimus. Nos autem satisfacere debemus ipsi Christo pro offensione, quam ei fecimus, quia cum peccamus, Deo et Christo iniuriam facimus. Pro Dei igitur iniuria satisfecit Christus; pro Christi autem iniuria nos satisfacere debemus⟩[m]. Et hoc modo Christus exaltatur, et haec est satisfactio, quae imponitur et remittitur a sacerdote et super qua Christus sacerdotibus potestatem dedit. Submittens se etc. ⟨Haec opinio fuit reprobata.⟩[n]

[a] *M om.; C 119 et Th* et ecclesiae catholicae [b] *Th* promisit [c] *M om.*
[d] *Th* quidem [e] *Th* erat [f] *C 119 et Th* effectus [g] *M* veram
[h] *M* confessio secreta [i] *C 119 et Th* facti
[k] *M* ut Deo sicut ceteri homines et [l] *Th* dedisti
[m] *M* quam ego in eum feci; Christo autem ego satisfacere debeo pro ea iniuria, quam ei feci, et non in Deum tantum. Ideo pro iniuria Christo illata nos satisfacimus.
[n] *In C 118 a Massarello postea add.*

[1] Cf. supra p. 250 adn. 10.
[2] *Ps.* 106, 10; *Luc.* 1, 79.
[3] *Io.* 5, 22 sq.: *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium.*
[4] *Ps.* 50, 6.
[5] Cf. *2 Petr.* 2, 20 sq.
[6] *Matth.* 25, 42.

R. D. episcopus **Veronensis,** tertius praesidens, ostendit materiam, de qua agitur arduam esse, nempe secretae confessionis; ideo mature esse procedendum super canonibus de ea statuendis. Veritatemque esse dixit, confessionem, quae secrete sacerdoti fit, esse a Christo institutam, praeceptam et ad salutem necessariam ex Matth. 16 [19] et 18 [18] et Ioa. 20 [23]. Neque enim remitti peccata possunt, nisi audiantur, et iudicetur, an[a] remitti ⟨vel[b] retineri⟩[c] debeant. Et Iacobus ait: *Confitemini, ut*[d] *salvemini*[1]. Ergo necessarium est ⟨ad salutem⟩[e], quod quis confiteatur[c]. Quod Beda optime declarat[2] et omnes etiam doctores id asserunt. Clemens in compendiolo suo[3], Basilius in regula monachorum cap. 21[4], Chrisostomus hom. 19 super Genesim[5] et in Matth. cap. 3[6], Hieronymus loquens[f] contra Montanum[7], Ambrosius, ut refert in eius vita Paulinus[8], lib. 6 cap. 27 tripart. histor.[9] Item ex figuris veteris testamenti peccator tenebatur ire ad | 280v sacerdotem et offerre hostiam iuxta peccati qualitatem, ⟨ut si ignoranter vel scienter peccasset,⟩[c] ut habetur apud Leviticum [c. 4—6]. Quo in loco Ambrosius ad Simplicianum episcopum confessionem fundat[10]. Item confessio trium puerorum, in qua Ciprianus confessionem confirmat[11]. Item sacerdotes, qui ⟨inter lepram et lepram⟩[g] cognoscebant[12], quod Chrysostomus de confessione intelligit[13]; de venientibus ad Ioannem Baptistam *confitentes peccata sua*[14]. De decem leprosis mundatis, in quo Beda[15]. De Lazaro solvendo, ubi Augustinus[16]. Et ad id, quod haeretici dicunt, quod illa sunt figurae in lege veteri, quae non debent attendi, id falsum esse, quia omnia *ad nostram doctrinam scripta sunt*[17]. Et quae olim erant sub umbra, nunc vera sunt. Probatur idem ex conciliis Lateranensi[h][18], Carthaginensi[19], cui interfuit Augustinus, Constantiensi in bulla Martini V[20] et Sixtus IV in damnatione Petri Ozomensis[i][21]. Qui omnes de secreta confessione loquuntur. Neque Christus instituit publicam; alias enim iugum Christianorum esset durius quam Iudaeorum. Et alias ecclesia erravisset per multos annos, cum ea publica confessione usa non sit. Et licet sancti patres de ea meminerunt[k] et aliquando de secretis peccatis publica acta sit poenitentia et publica etiam confessio, illa tamen non erat confessio sacramentalis, sed quaedam species satisfactionis, ut ait Origenes in Psalm. 37[l][22]. Et etiam quia illa peccata prius secreto confessa erant, deinde publice confitebantur ex consilio sacerdotis, ⟨cui antea secreto erant confessa⟩[c]. Idem Augustinus 50. hom.[23], 49. hom.[24] ⟨et refert Ioannes Chlimacus⟩[m][25]. Et quod de secretis publica fieret poenitentia, sublatum fuit a Nectario[26] et Leone papa[27], qui nihilominus confessionem secretam non abrogarunt. Et quod adducitur: *Peccantes*[n] *coram omnibus argue*[28] etc., intelligitur de publicis peccatoribus. Quod etiam dicitur a Hieronymo de Fabiola Romana, ipsa fatebatur suum crimen, non per modum confessionis, sed cuilibet, qui eam interrogabat, dum publice poenitebat[29]. Et cum quis pluribus sacerdotibus confitetur, illi tunc loco unius reputantur[o]. De qua | 281r confessione secreta Hadrianus VI

[a] *Th* utrum [b] *Th* an [c] *M om.* [d] *Th* et
[e] *M add.* ad hoc ut salvetur [f] *C 119 et Th om.* [g] *M* de lepra
[h] *M add.* Omnis utriusque [i] *M* Oxomensis
[k] *C 119 et Th* meminerint [l] *Th* 27
[m] *M* Ioannes Climati [?] in titulo de somnio; *C 118* Chlimaeus [n] *Th* peccatores
[o] *M add.* Item ex miraculis, Leontius episcopus Cesareae in vita . . .

[1] *Iac.* 5, 16.
[2] Cf. supra p. 252 adn. 7.
[3] Nescio, de qua re hic agatur.
[4] Cf. supra p. 276 adn. 13.
[5] *Chrysostomus,* Hom. 19 in Genesim n. 2 et 4. *Migne,* P. gr. LIII 160 163.
[6] *Pseudo-Chrysostomus,* Opus imperfectum in Matth. c. 3. *Migne,* P. gr. LVI 650.
[7] Videas, quae Hieronymus dicat contra Montanum in epistula, de qua infra adn. 29.
[8] *Paulinus,* Vita S. Ambrosii n. 39. *Migne,* P. lat. XIV 40 sq.
[9] In libro et capite supra indicatis nihil de hac re legitur. Cf. quae supra p. 250 adn. 4 ex historia tripartita adducuntur.
[10] *Ambrosius,* Epist. 67 ad Simplicianum. *Migne,* P. lat. XVI 1227—1231.
[11] *Dan.* 3, 16 sqq. *Cyprianus,* Epist. 81 ad Sergium et Rogatianum n. 3. *Migne,* P. lat. IV 427 sq. Sed agitur hoc loco de confessione fidei, non de confessione in poenitentia pronuntianda.
[12] *Lev.* 13.
[13] Nescio, quo in loco Chrysostomus de hac re disserat.
[14] *Matth.* 3, 6; *Marc.* 1, 5.
[15] *Luc.* 17, 12 sqq.; *Beda Venerabilis,* Expositio in Lucae evang. lib. V cap. 17. *Migne,* P. lat. XCII 544.
[16] Cf. supra p. 243 adn. 1.
[17] *Rom.* 15, 4.
[18] Cf. supra p. 252 adn. 9.
[19] Cf. supra p. 261 adn. 4.
[20] Cf. supra p. 252 adn. 10.
[21] Cf. supra p. 252 adn. 8.
[22] Cf. supra p. 316 adn. 4.
[23] Cf. supra p. 284 adn. 11.
[24] Cf. supra p. 284 adn. 10.
[25] *Ioannes Climacus,* Scala Paradisi, gradus 4. *Migne,* P. gr. LXXXVIII 681 sqq.
[26] Cf. supra p. 250 adn. 2—4.
[27] Cf. supra p. 243 adn. 7.
[28] *1 Tim.* 5, 20.
[29] *Hieronymus,* Epist. 77 n. 24. *Migne,* P. lat. XXII 692 sq.

in 4. sentent.[1] multis rationibus disseruit eamque astruit. Facit etiam, quod habetur[a] lib. 6 cap. 2 eccles. histor.[2]

Deinde R^{mus} et Ill^{mus} D. **legatus** proposuit patribus deligendos esse aliquos praelatos, qui curam suscipiant formandi doctrinam et canones super ipsis articulis. Interrogavitque, an[b] novi deligendi essent vel[c] iimet, qui in praeterita sessione deputati fuerunt.

R^{mus} et Ill^{mus} D. **Tridentinus** laudavit priores deputatos, quos non esse mutandos censuit.

Et cum idem ab omnibus responderetur, iidem confirmati sunt et, ⟨si aliqui denuo addendi sunt, id remissum fuit arbitrio R^{mi} et Ill^{mi} D. legati.

Et dimittitur congregatio hora 24.⟩[d]

Congregatio DD. deputatorum. Proponitur doctrina confecta super sacramento poenitentiae [et extremae unctionis].

Die lunae **16.** eiusdem mensis **Novembris** hora 20 habetur congregatio DD. deputatorum coram R^{mis} DD. legato et praesidentibus, quos primus ipse **legatus** interrogavit, an addendi essent aliqui patres sacrae ipsi deputationi. Et licet omnes id libenter cupivissent, tamen minime expedire iudicarunt, cum id fieri non posset vel absque iam deputatorum iniuria vel deligendorum invidia. Ideo conclusum est, ut iimet, qui in sessione praeterita deputati fuerunt, in hac eadem sessione deputati permaneant. Deinde ipse R^{mus} et Ill^{mus} D. **legatus** proposuit eis formam quandam doctrinae cura ipsius legati ⟨a quibusdam doctis et piis viris[3]⟩[e] confectae super sacramento poenitentiae, ut et tempus ⟨(cuius inopia maxime laboratur)⟩[e] redimeretur et facilius ⟨inventis [!] addendo⟩[e] eam deputati aptare possent, quam novam ex integro formare. Quae doctrina a me A n g e l o secretario clara voce recitata fuit; deinde eius exemplum cuilibet eorum datum est[f], dimissa deputatione hora ⟨23⟩[g][4].

281v Patres deputati pro conficiendis canonibus et doctrina de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis.

R. et Ill. D. Sebastianus, archiepiscopus Maguntinus, sacri imperii elector	Germanus
R. D. Paulus, episcopus Zagabriensis, orator ser^{mi} regis Romanorum	Hungarus
R. D. Salvator Salapusius, archiep. Turritanus	Hispanus
R. D. Petrus Guerrero, archiep. Granatensis	Hispanus
R. D. Cornelius Mussus, ep. Bituntinus	Placentinus
R. D. Franciscus de Navarra, ep. Pacensis	Hispanus
R. D. Petrus de Acagna, ep. Astoricensis	Hispanus
R. D. Martinus Ayala, ep. Guadicensis	Hispanus
R. D. Egidius Foscararius, ep. Mutinensis	Bononiensis

[a] *Th add.* Eusebius [b] *Th* utrum [c] *Th* an

[d] *M* iis adderentur aliqui per R^{mum} legatum nominandi et sic conclusum et dimissa congregatio hora 23. *Insuper M add.* R^{mus} autem legatus postea non nominavit aliquem, ne invidiam aliorum concitaret.

[e] *M om.* [f] *M add.* ut consultius super ea sententias dicere possent. [g] *M* 24

[1] *Hadrianus VI,* In IV. Sent., parte de sacramento poenitentiae, cap. circa confessionem quatuor ultimae quaestiones (Romae 1522) fol. CXXXVIII^{r} ad CXLV^{v}.

[2] Neque apud Eusebium neque apud alios historiae ecclesiasticae scriptores in libro et capite supra indicatis de nostro argumento agitur. Videas quae supra ex Sozomeni, Socratis, Rufini historiis ecclesiasticis adduximus, p. 250 adn. 2 et 3 et p. 274 adn. 1.

[3] Quorum nomina nobis nota non sunt. Petrus Malvenda et alii praestantiores concilii theologi aegre tulerunt seipsos in formanda et aptanda doctrina neglectos fuisse, quamquam plures episcopi, inter quos fuit etiam episcopus Veronensis, tertius praesidens, legato suaserunt, ut theologi quoque audiantur (cf. Malvendae litteras die 22. Nov. Granvelae datas. Conc. Trid. XI 699 l. 22 sqq.). Die 27. Nov. legatus Francisco de Toledo promisit se de doctrina pro futura sessione conficienda etiam theologos auditurum esse (Vargae litterae die 28. Nov. Granvelae datae. Conc. Trid. XI 711 l. 29 sqq.).

[4] In tomo *Conc. 119* fol. 323^{r}—337^{v}, non autem in *Conc. 118,* hic sequitur prima forma doctrinae de poenitentia et extrema unctione, quam etiam apud *Theiner* I 582—591 invenis. Nos autem huius primae formae lectiones, quibus ab ultima recensione differt, exhibemus in apparatu critico eiusdem doctrinae infra inter Acta sessionis sequentis.

Congregatio DD deputatorum. Formantur tres primi canones de sacramento poenitentiae.

Die Martis ⟨17.⟩[a] eiusdem mensis **Novembris** hora 20 habetur congregatio sacrae deputationis coram eisdem R^mis legato et praesidentibus, maximaque discussione examinatae sunt censurae patrum adductae in generalibus congregationibus super primo et secundo articulis de sacramento poenitentiae, videlicet: An poenitentia proprie sit sacramentum; et: An apte dicatur secunda tabula ⟨post naufragium deperditae gratiae⟩[b]; et: An tres illi actus poenitentis sint[c] partes sacramenti poenitentiae ⟨et eius materia vel quasi vel pro materia. Et tandem super his tres canones formati sunt⟩[b].

Congregatio DD. deputatorum. Absolvitur conceptio canonum super sacramentis poenitentiae et extremae unctionis.

Die Mercurii **18.** dicti mensis **Novembris** mane ab hora 16 ⟨usque ad 19⟩[b] et a prandio a 21 ⟨usque ad 24⟩[b] convenientes DD. deputati coram eisdem R^mis | DD. legato 282r
et praesidentibus ⟨censuras reliquas super ipsis articulis poenitentiae et extremae unctionis examinarunt et⟩[b] canones omnes perfecerunt sub forma subsequenti.

Canones de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis formati a DD. deputatis, quorum exemplum datur patribus die 19. et examinantur die 20. eiusdem mensis Novembris 1551.

Canones de sacramento poenitentiae.

1. Si quis dixerit, in ecclesia sancta Dei poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties ⟨post baptismum⟩[d] in peccata labuntur, ipsi[d] Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum: anathema sit[1].

2. Si quis baptismi et poenitentiae sacramenta confundens ipsum baptismum poenitentiae sacramentum esse dixerit, quasi duo distincta sacramenta non sint, atque ideo poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari: anathema sit.

3. Si quis dixerit[b], verba illa Domini Salvatoris: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt,* non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento poenitentiae, sicut ecclesia catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem ad auctoritatem praedicandi evangelium: anathema sit.

4. Si quis negaverit, ad integram peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem, quae tres poenitentiae partes dicuntur et sunt pro materia sacramenti poenitentiae, dixerit autem, duas tantum esse poenitentiae partes, terrores incussos conscientiae agnito peccato et fidem conceptam ex evangelio vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata: anathema sit. |

5. Si quis dixerit, contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem et de- 282v
testationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis et aeternae damnationis incursum, non esse verum dolorem nec praeparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem, demum ita esse dolorem coactum, ut non sit liber et voluntarius: anathema sit.

6. Si quis negaverit, per contritionem, qua poenitens cooperante divina per Christum Iesum gratia dolet de peccatis propter Deum cum proposito confitendi et satisfaciendi, non remitti peccata: anathema sit.

[a] *Th* 16   [b] *M om.*   [c] *M* possint dici   [d] *M add. supra lineam.*

[1] In *M* primus solummodo canon scriptus est manu Massarelli, reliqui vero alia manu.

7. Si quis negaverit, confessionem vocalem sacramentalem vel iure divino institutam vel ad salutem necessariam esse, aut dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi et inventum esse humanum: anathema sit.

8. Si quis dixerit, ad[a] remissionem peccatorum in sacramento poenitentiae necessarium non esse iure divino confiteri[b] omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccata mutant, sed eam[c] confessionem tantum ⟨esse utilem ad erudiendum et consolandum poenitentem et olim observatam fuisse tantum⟩[a] ad satisfactionem canonicam imponendam, aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinae misericordiae ignoscendum, aut demum non licere confiteri peccata venialia: anathema sit.

9. Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem ecclesia servat, esse
283r impossibilem | et traditionem humanam a piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christifideles iuxta magni concilii Lateranensis constitutionem semel in anno, praesertim vero tempore Quadragesimae: anathema sit.

10. Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo credat se esse absolutum, etiam si ⟨contritus non sit⟩[d] aut sacerdos non serio, sed ioco absolvat, imo etiam sine confessione poenitentis sacerdotem ipsum absolvere posse: anathema sit.

11. Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere, aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christifidelibus esse dictum: *Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo,* quorum verborum virtute quilibet absolvere possit, peccata quidem publica per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem: anathema sit.

12. Si quis dixerit, episcopos non habere ius reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos contra prohibitionem episcopi vere absolvat coram Deo: anathema sit.

13. Si quis dixerit, totam poenam et culpam simul remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam quam fidem, qua appraehendunt, Christum pro eis satisfecisse: anathema sit.

14. Si quis dixerit, pro peccatis quoad poenam temporalem minime Deo satisfieri
283v poenis ab eo inflictis vel a sacerdote iniunctis, sed neque voluntarie susceptis, ut ieiu|niis, orationibus, elemosinis et aliis pietatis operibus, quae supererogationes dicuntur, atque ideo optimam[e] poenitentiam esse tantum novam vitam: anathema sit.

15. Si quis dixerit, satisfactiones, quibus poenitentes per Christum Iesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum doctrinam de gratia et verum Dei cultum atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes: anathema sit.

16. Si quis dixerit, claves esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum atque ideo sacerdotes, dum imponunt poenas poenitentibus[f], agere contra finem clavium et contra institutionem Christi et fictionem esse, quod virtute clavium sublata poena aeterna poena temporalis exolvenda remaneat: anathema sit.

Canones de sacramento extremae unctionis.

1. Si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum, sed ritum tantum acceptum a patribus aut figmentum humanum: anathema sit.

2. Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam nec remittere peccata nec alleviare infirmos, sed iam in ecclesia cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum: anathema sit.

3. Si quis dixerit, extremae unctionis ritum et usum, quem observat sancta Romana ecclesia, repugnare sententiae B. Iacobi apostoli ideoque eum mutandum [esse] posseque a Christianis absque peccato contemni: anathema sit.

[a] *M om.* [b] *C 118 et C 119 om.* [c] *M* etiam [d] *M* non sit contritus
[e] *Th* optime [f] *M* confitentibus

4. Si quis dixerit, presbyteros ecclesiae, quos B. Iacobus adducendos esse ad infirmum[a] inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate atque ideo extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem: anathema sit.

Congregatio DD. deputatorum.
Examinatur doctrina de poenitentia et extrema unctione.

Die Iovis **19. Novembris** mane hora 15 et a prandio hora 20 DD. deputati conve- 284r nientes coram R^{mis} legato et praesidentibus examinarunt doctrinam super poenitentia et extrema unctione, ⟨cuius aptarunt tria prima[b] capita⟩[c].

Adventus episcopi Numbergensis.

Eadem die applicuit Tridentum R. D. Iulius Pflug, episcopus Numbergensis, natione Germanus, electus anno Domini 1541[d] mense Ianuarii.

Congregatio sacrae deputationis super eadem doctrina.

Die Veneris **20.** dicti mensis **Novembris** mane hora 15 domini sacrae deputationis convenerunt coram R^{mo} et Illmo legato egeruntque super aptatione doctrinae ⟨de poenitentia et extrema unctione reformanturque 4., 5. et 6. capita⟩[c].

Congregatio generalis. Examinantur canones de sacramento poenitentiae et extremae unctionis, de quibus supra.

Eadem die Veneris [**20. Novembris**] hora 20 habita fuit congregatio generalis, in qua patres coeperunt examinare canones super sacramento poenitentiae et extremae unctionis per DD. deputatos formatos, qui superius descripti sunt.

R^{mus} et Ill^{mus} D. card. **Tridentinus.** In 3. canone ibi *evangelii* addatur *solam.* ⟨Reliquos omnes probavit.⟩[e]

R. et Ill. D. **Maguntinus** ⟨elector canones laudavit, et si quae notanda occurrent, significabit DD. deputatis⟩[f].

R. et Ill. D. elector **Coloniensis** ⟨primi canonis formam clarius aptari vellet⟩[g]. In 5° post *incursum* omittatur clausula, quae sequitur *demum ita* etc. 6[s] videtur superfluus; ⟨propterea omittatur.⟩[c] ⟨In 7° exprimatur secretam confessionem⟩[h] esse de iure divino[i]. In 10° loco | *sed ioco* dicatur *manifeste iocans.* In 11° post *confessionem* addatur *ut nulla* 284v *alia absolutione egeat.* In 8° ibi *mutant* addatur *et aggravant.* Et *aut demum* deleatur. In 9° non fiat mentio de Quadragesima, cum non habeatur in concilio Lateranensi[1]. ⟨12[s]⟩[k] ⟨omittatur, quousque agatur de casibus reservatis⟩[l] vel loco *reservationem*[m] dicatur *reconciliationem.* In 14° *afflictis*[n] addatur *et patienter toleratis*[o]. In 16° *contra finem* ⟨dicatur *usum*⟩[p]. ⟨De extrema unctione dicatur *unctione infirmorum.*⟩[q]

R. et Ill. D. elector **Treverensis.** Quia aegrotabat, R. D. Bituntinus retulit eius nomine, quoad canones remittere se D. electori Maguntino.

R. D. **Zagabriensis** et alii de deputatione de more non loquuntur.

[a] *Th om.* [b] *C 119 et Th om.* [c] *M om.* [d] *Sic recte legitur in M; C 118 et C 119 falso* 1551
[e] *M* 1[s], 2[s], 4[s], 5[s], 6[s] placent, 7[s], 8[s] et alii omnes, quos laudavit.
[f] *M* dixit nomine suo et suorum coelectorum; canones laudavit.
[g] *M* attulit quandam formam primi canonis, et quia non reparantur sine sacramento, cum dicatur «generalem». In 2° melius aptentur. In 3° . . . *[lacuna].*
[h] *M* 7° dedit novam formam, ut dicatur secreta
[i] *M hic ponit, quod exhibetur paulo inferius de articulis 8 et 9.* [k] *Codd. et Th falso* 11[s]
[l] *M* deleatur [m] *M* casus [n] *M* inflictis [o] *M* sustinentibus [p] *M* videtur falsus
[q] *M* In 2° *[rectius in 1° vel 3°]* «unctionis infirmorum» dicatur, non *[quod est add. supra lineam]* «extremae unctionis».

[1] Cf. supra p. 250 adn. 10.

R. D. **Viennensis** [1]. In primo dicatur *poenitentiam in ecclesia non esse* etc. ⟨2^i cuperet mutari formam.⟩[a] Ex 3° deleatur *autem* et addatur *commissionem*. 4° dedit novam formam[b]. In ⟨7°⟩[c] dicatur *vocalem et sacramentalem confessionem* etc. In 8° *mutant* dicatur *peccatorum speciem mutant*[d]. 11^s:[e] *verborum* dicatur *atque eorum verborum*[f]. In 13° dicatur *simul et semper remitti* etc.[g] In ⟨16°⟩[h] *aeterna* addatur *plerunque*. ⟨Cetera placent.⟩[i]

R. D. [archiepiscopus] **Antibarensis** probat sententiam R^mi D. Tridentini.

Upsalensis[k]. ⟨In 4° non videntur damnandi terrores,⟩[l] cum a Deo laudentur[m]. Velletque ⟨in aliquo loco fieri mentionem⟩[n] de publica poenitentia.

Panormitanus. In 5° post *hipocritam* addatur *prae timore poenae* vel *praecepti* ⟨et deleatur ultima clausula⟩[o]. In 14° *a Deo inflictis* addatur *et patienter a nobis toleratis*. In primo de extrema unctione dicatur hoc sacramentum esse a Iacobo promulgatum.

Calaritanus. ⟨*In ecclesia sancta* deleatur ut superfluum⟩[p], et quia in extrema unctione non ponitur. In 2° *recte* dicatur *apte*, ut in decreto de iustificatione. 4^s: *dicuntur* dicatur
285r *partes sunt*, et | *pro materia* dicatur *quasi materia*. In 7° *alienum* dicatur *non esse ex institutione et mandato Christi*. 9^s: deleatur, quod dicitur de Quadragesima. In 10° ibi *contritus* dicatur *etiam si nullum dolorem habeat*[q]. De extrema unctione in 3° considerandum, quod ecclesia Ambrosiana utitur alia forma quam Romana, scil. indicative [2], et Romana deprecative; ⟨ideo aptandus esset canon⟩[r].

R. D. [episcopus] **Feltrensis.** In 5° *non esse verum dolorem*, videtur repugnare cum subsequenti, cum unus dicatur praeparare, alter remittere, et ne innuatur, quod sola contritio remittat peccata. In 8° *quae mutant* advertatur, quod illae, quae mutant, non sunt circumstantiae; ideo deleatur *quae mutant*, vel addatur *et aggravant*[s], vel doceatur in doctrina, quod ⟨confessarii interrogent de circumstantiis, non autem obligare ad id confitentes⟩[t].

S. Marci. Quia poenitentia est etiam virtus, ⟨dicatur in primo *sacramentum poenitentiae non esse*⟩[u] etc. In 2° de extrema unctione[v] *alleviare* dicatur *sublevare*.

Maioricensis. In 5° *demum* etc. advertatur, quod omnis contritio est omnino[r] libera, etiam imperfecta. 7^s: deleatur *vocalem; vel necessariam* dicatur *vel a Domino praeceptam*[w]. In 3° de extrema unctione[x] dicatur *non fieri ex sententia B. Iacobi*.

Camerinensis. In 6° *confitendi* addatur *tempore debito*. Caetera placent.

Lancianensis. In primo *a Christo institutum* dicatur ibi *post sacramentum*. In 2° addantur *sacri et sanctae — baptismi et poenitentiae*. In 4° *requiri* dicatur *regulariter* et *dicuntur* ponatur *sunt; pro materia* etc. dicatur ut in concilio Florentino [3]. In 7° *confessionem* addatur *quam aliqui vocant auricularem*, et ibi *alienum esse* dicatur *non esse ex institutione et mandato Christi*. Ex 8° deleatur *mortalia*, ut omnia peccata intelligantur, ut ponit concilium Florentinum [4]. In 10° *poenitentis* addatur *regulariter*. De extrema unctione in 3° ⟨*repugnare* dicatur alio modo⟩[y]. |

[a] *M* In 2° dedit formam; *C 119 om.* 2^i [b] *M add.* 5^s placet, 6^s idem. [c] *M add.* clarius
[d] *M add.* 9^s placet, 10^s placet. [e] *M add.* dedit novam formam [f] *M add.* 12^s placet.
[g] *M add.* 14^s: Novam formam [dedit]. 15^s placet. [h] *C 118 et C 119 falso* 15°
[i] *M* De extrema unctione novam formam [dedit]; 2^s placet; 3^s idem; 4^s idem.
[k] *M add.* Placet 1^s, 2^s, 3^s. [l] *M* 4^s placet, sed terrores non [non *postea est del.*] sunt damnandi
[m] *Th* laudantur; *M add.* 5^s, 6^s, 7^s et 8^s placent, ut iacent; 9^s placet, 10^s idem; 10^s, 11^s, 13^s, 14^s et 15^s placent; 16^s idem; de extrema unctione 1^s placet et alii placent.
[n] *M* aliqua mentio fieri [o] *M* ex ultimo deleatur ultima «demum» etc.
[p] *M* In primo superfluum «in ecclesia sancta Dei», quia est novus modus loquendi
[q] *M add.* In 12° nova forma. [r] *M om.* [s] *M add.* (prout Augustinus utramque ponit)
[t] *M* confessarius interroget confitentem, non autem is ad id teneatur de circumstantiis; reliqua placent.
[u] *M* addatur sacramentum aut penitentiam [?] [v] *M add.* deleatur
[w] *M add.* et quia Iacobus praecipit: «Confitemini» etc.
[x] *M add.* non videantur haeretici ita loqui, sed
[y] *M* loco «repugnare» addatur aliud verbum quoad essentialia

[1] Eius Votum super canonibus in scriptis datum invenis in App. III n. 10.

[2] Sacramentarium iuxta morem Mediolanensis ecclesiae, editum anno 1560, hanc habet formam extremae unctionis: «Ungo te oleo sanctificato, ut more militis unctus et praeparatus ad luctam aëreas possis superare catervas. Operare creatura olei in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut non lateat hic spiritus immundus nec in membris nec in medullis nec in ulla compagine membrorum huius hominis, sed operetur in eo virtus Christi filii altissimi. Qui cum aeterno Deo Patre vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.»

[3] Cf. supra p. 249 adn. 3.

[4] Cf. supra p. 250 adn. 9.

Castellimaris. In primo *sacramentum* addatur *necessarium.* In 3° addatur in fine *vel ad alium sensum.* In 4° *peccatorum* dicatur *omnis culpae et poenae remissionem.* In ⟨4°⟩[a] *sed duas* etc. addatur *mortificationem carnis et vivificationem spiritus.* ⟨In 5° ibi⟩[b] *Verum dolorem* dicatur *veram contritionem,* et addatur aliquid de timore servili, et ibi *coactus* ⟨dicatur *omnino*⟩[c] *liber.* 7^{s}: *vocalem* deleatur; *ad salutem* addatur ⟨*lapsis in peccato mortali existentibus,* et addatur *praeceptam;* {sed non excludatur}[d]⟩[e] confessio publica, quae[f] et sacramentum est[g]. In 8° *mutant* dicatur, *quae speciem peccatorum mutant.* ⟨*Non licere* dicatur *praesumere.*⟩[h] In 9° *teneri* addatur *in peccato mortali existentes.* De Quadragesima deleatur[i]. In 11° addatur *dummodo intendat facere, quod facit ecclesia.* 12^{s} non videtur verus in omni casu, ut cum quis est in extremis vel cum iniuste episcopus reservat. In 16° advertatur, quod multi[k] tenent, quod sacerdotes non remittunt culpam et ex consequenti neque mutant aeternas poenas in temporales. De extrema unctione *alleviare* ⟨declaretur[l] quoad animam⟩[m]. 285v

Algarensis laudat canones et, si quid addendum est, remittit se DD. deputatis.

Misiensis. In primo *fidelibus* dicatur *Christifidelibus.* Ex 2° deleatur *baptismi et poenitentiae* et *ipsum* et ibi *secundam tabulam* addatur *a patribus.* In 3° *Domini* addatur *nostri.* In 4° loco *actus* dicatur *partes. Pro materia* dicatur *se habere per modum materiae.* In 5° dolorem non videtur praeparare immediate[n]. In 7° *ecclesia* addatur *Romana.* In 8° *mutant — speciem peccati mutant*[o]. In 16° *claves* addatur *ecclesiae.*

Siracusanus. In 4° ⟨dicatur *cordis contritionem, confessionem oris et operis satisfactionem* etc.⟩[p] In 5° *verum* dicatur *utilem.* In 7° deleatur *ab initio.* ⟨9^{s}⟩[q]: ⟨deleatur de Quadragesima⟩[r] vel addatur *ut digne communicent.*

Vigorniensis laudavit canones.

Argentinus probat canones. |

Bellicastrensis laudat canones. 286r

Auriensis. In 4° ⟨*materia* etc. aptetur ut in concilio Florentino⟩[s] [1]. In 6° videtur dari ansa dicendi, quod sacerdos non remittat peccata, si contritioni tribuitur. Ex 9° deleatur *tempore Quadragesimae,* cum non habeatur[t] in concilio Lateranensi[2]. In 10° *contritus* etc. videtur excludi attritio.

Constantinensis. In 4°: illi tres actus sufficiunt in voto, quod videtur excludi. Et exprimatur, quod illi actus sunt materia. In 5° *esse verum* dicatur *efficere verum* etc. In 7° exprimatur secretam confessionem esse de iure divino. In 8° *confiteri* dicatur *si possit,* et [in 10°] ibi *contritus* addatur *per impossibile,* ⟨ut dicit Lutherus⟩[u] [3]. In 12° advertatur, quod episcopi habent ius reservandi casus a pontifice, non a Deo. 14^{s}: deleatur *supererogationes* etc. 16^{s}: advertatur, quod sacerdos non habet auctoritatem remittendi peccata per claves, sed solus pontifex, sacerdos autem virtute sacramenti; et poena aeterna non remittitur virtute clavium, sed virtute sacramenti.

Oscensis. In primo *labuntur* addatur *praesertim graviora.* In 4° dicatur *quasi materia.* 5^{s}: *ita esse* deleatur et addatur de timore servili. In 7° addatur *et praeceptam*[v], et *alienum* dicatur *non esse ex institutione* etc. ⟨8^{s}⟩[w]: *occulta* addatur *cordis*[x]; *mutant*[y] addatur ⟨*et gravant*⟩[z]. 14^{s}: *novam vitam* deleatur *tantum.* 16^{s}: *sublata* addatur *culpa,* et addatur de

[a] *C 118, C 119 et Th falso* 5 [b] *C 118, C 119 et Th om.* [c] *M* deleatur, sed dicatur
[d] *M* et videtur excludi [e] *Th om.* [f] *Th* qua
[g] *M add.* et ibi «alienum» dicatur expresse esse de iure divino, sed etiam publica includatur [*corr. ex* excludatur], et ibi «semper observavit» videtur excludi publica.
[h] *M* et «necessarium» dicatur «praeceptum»; «aut demum» dicatur «inludens [?] praesumere».
[i] *M* implicitur usque ad octavam Paschae
[k] *M add.* doctores [l] *C 119 et Th* dicatur
[m] *M* non videtur ponendum, cum hodie non operatur illum effectum quoad corpus, sed bene quoad animam
[n] *M add.* In 6° «cooperante» bene stat.
[o] *M add.* In 9° videtur esse ex traditione humana tempus confessionis; in 14° de optima poenitentia novae vitae melius aptentur
[p] *M* «contritionem» dicatur aliter, «confessio voto» vel aliter [?] [q] *C 119 et Th* Ex 9°
[r] *M* de Quadragesima non dicitur in concilio Lateranensi
[s] *M* «et sunt» dicatur post «materiam poenitentiae», et dicatur «quasimateria»
[t] *Th* habetur [u] *M om.* [v] *Th* praeceptum [w] *M falso* 4
[x] *M* quae sunt in corde [y] *M* et [z] *M* quae aggravant

[1] Cf. supra p. 249 adn. 3.
[2] Cf. supra p. 250 adn. 10.
[3] Cf. supra p. 236 adn. 9, Lutheri comment. ad art. 12.

commutatione aeternae in temporalem. In 3° extremae unctionis ponantur verba Iacobi et dicatur *maxime consentire* etc.

Clodiensis. In 4° *verum dolorem* dicatur *utilem*. In 15° *redimunt peccata* dicatur *poenas redimunt.*

Et cum hora esset iam 24 pulsata, dimittitur congregatio; ⟨cui interfuerunt omnes oratores Caesaris et regis Romanorum et 54 patres⟩[a].

Congregatio sacrae deputationis. Aptantur articuli de reformatione.

286v Die sabbati **21. Novembris** hora 15 ⟨habetur sacrae deputationis congregatio, in qua formantur articuli pro decreto de reformatione in 15 capitibus distincti, decerniturque dandos esse patribus ad examinandum⟩[b].

Congregatio generalis. Examinantur ii canones de poenitentia et extrema unctione.

Eadem die sabbati [**21. Novembris**] hora 20 habetur congregatio generalis, in qua patres lecta solita oratione prosequuti sunt examinationem canonum de poenitentia et extrema unctione.

R. D. [episcopus] **Solonensis.** In primo *pro fidelibus* videtur superfluum, quia praesupponitur et quia pro peccato infidelitatis etiam prodest. In 2° dicatur *sacramentum poenitentiae esse baptismum*. Ex 4° *integram* deleatur. Impium est enim dimidiatam a Deo sperare veniam[1]; dicatur *certam*. In 7°: *necessariam* non videtur verum in omni casu; ideo dicatur *praeceptam*. 8s: *Mutant* dicatur *constituunt*. In 12° *nisi quo ad* etc. dicatur *aut agere contra externam politiam*. In secundo[c] extremae unctionis *remittere peccata* addatur *in rite dispositis.*

Calaguritanus. In primo *institutum* addatur *et eius institutione necessarium*. In 3° dicatur *ad praedicationem evangelii*. Ex 4° *quae tres partes* deleatur et dicatur *quae sunt quasi materia* etc. *Dixerit autem*[d] dicatur *aut dixerit,* ⟨ne includatur, illa duo esse partes⟩[a]. In 5° *non esse verum dolorem* deleantur, quia vera sunt. *Ita esse* deleatur vel dicatur *esse liberum,* et addatur *quia solum timore*[e] *praecepti et damni fit*[f]. 6s deleatur, quia ab aliquibus Catholicis asseritur, ut Hadriano, Caietano etc. Ex 7° deleatur *vocalem*, quia excluderentur alii modi confitendi, ut per signum in muto et per litteras. In 8° *quorum memoria* ponatur ibi *post praecepta*. *Quae mutant* deleatur. In 9° deleatur de Quadragesima. In 12° *ius reservandi* addatur *ob iustas et rationabiles causas; contra prohibitionem*
287r dicatur *reservationem* | vel *contra eam*. In 13° dicatur *appraehendat Christi satisfactionem*. In 14° *inflictis* addatur *et patienter toleratis*. De extrema unctione addatur in primo *et a Iacobo promulgatum*. In 3° *eum* deleatur[g].

Elnensis. In 2° *appellari* addatur *a sanctis patribus*. In 3° *ecclesia* addatur *Romana*. 4s: *partes* etc. dicatur ut in concilio Florentino. In 7° addatur *et praeceptam*. In 8° *mutant* addatur *et aggravant et speciem peccatorum mutant*. In 9° *ecclesia* addatur *Romana,* et deleatur de Quadragesima. In 10° *ioco* dicatur *iocose absolvat* etc.

Cenetensis laudavit canones; ⟨circa censuras remittit se DD. deputatis⟩[a].

Monopolitanus. In secundo[h] extremae unctionis *alleviare* dicatur[i] *suscitare* vel quid simile, ut de alleviatione spirituali intelligatur, et declaretur Marc. 6 [13] institutum et a Iacobo promulgatum. In 14° *inflictis*[k] addatur *et patienter toleratis*. In 3° *praedicandi* addatur *tantum*[l]; in 4° *terrores* addatur *scilicet*. ⟨5s⟩[m]: *aeternae* dicatur[n] *sempiternae*. In ⟨7°⟩[m]

[a] *M om.*

[b] *M* DD. deputati convenientes coram Rev^mis legato et praesidentibus capita articulorum super reformatione in proxima sessione promulganda aptaverunt

[c] *Codd. et Th falso* primo [d] *M add.* videtur includi, quod sunt partes illa duo

[e] *M* dolore [f] *M add.* cum sint verba Lutheri

[g] *M add.* et videatur censura Lovaniensis [h] *Codd. et Th falso* primo

[i] *M add.* ut Innocentius [k] *M* illatis [l] *M add.* vel ad alium usum

[m] *M add.* novam formam [n] *C 119 et Th add.* in uno

[1] Cf. supra p. 274 adn. 9.

dicatur *praeceptam*. 8^s: *occulta* dicatur *quae cordis sunt*. *Mutant* dicatur *transferunt*[a]. In 2° extremae unctionis *alleviare* addatur *spiritualiter;* ⟨non enim de corpore intelligi potest⟩[b].

Legionensis. In 2° *atque ideo* etc. ponatur in fine primi canonis, et addatur *a sanctis patribus*[c]. 4^s: [d]dicatur ut in concilio Florentino[1]. In 5° *verum* deleatur ⟨et etiam *ita ut*⟩[e] etc. In 7° addatur *praeceptam,* et non excludatur publica confessio. In 9° deleatur de Quadragesima etc.

Ovetensis. ⟨4^s⟩[f] aptetur ut in concilio Florentino[1]. 5^s: deleatur *ita ut* etc. 7^s: *ab initio* deleatur. 8^s: *quae mutant* deleatur. In 11° auctoritas Matth. 18 [18] videtur favere opinioni Lutheranorum, ut ex ea potestas remittendi peccata habeatur.

Tudensis. In primo *ecclesia* addatur *Romana et apostolica*. 4^s dicatur ut in concilio Florentino[1]. In 5° ponantur verba Lutheranorum integra. ⟨*Contritionem* etc. advertatur eam esse attri|tionem, non contritionem, quia ipsa detestatio peccatorum non parat con- 287v
tritionem, sed est ipsa contritio;⟩[g] et ibi *qua recogitamus* etc. non videtur bona loquutio, quia contritione non[h] recogitamus annos etc. Item *esse verum dolorem* etc., neque attritio est verus[b] dolor. In fine 6[i] addatur *cum proposito non peccandi in futurum*. In 7° *vocalem* deleatur. Et *uni soli sacerdoti,* videtur ⟨dici, esse⟩[i] a Christo mandatum, ⟨quod falsum est⟩[k], quia potest etiam publice confiteri. *Alienum* dicatur *adversum*. In 9° dicatur *neque licere confiteri in Quadragesima*. In 14° *a Deo inflictis* ⟨advertatur, quod⟩[b] ea non videtur satisfactio, sed punitio, cum non sit opus ipsius poenitentis[l], ut dicitur de morte filii David, pro quo ipse orabat[2] etc.

Lacorensis. Advertatur, quod hic non agitur nisi de lapsis, et omnes esse in peccato mortali praesuponit. Et in primo *fidelibus* et in 9° *Christifidelibus* videtur repugnare, quod[m] sint fideles et boni et[b] teneantur confiteri. Caetera placent.

Virdunensis. In 3° *detorserit autem* deleatur haec clausula, ⟨quia multi Catholicorum id tenent⟩[n]. In primo *ecclesia sancta* deleatur; pro *fidelibus* dicatur *pro iis*[o], *qui in peccata* etc. In 2° *recte* dicatur *apte*. In 4° *integram* dicatur *veram et certam; partes dicuntur* ponatur *dici solent*. In ⟨5°⟩[p] *qua quis* deleatur et ponatur aliquid de timore servili. 6^s omittatur. 7^s: *vocalem* deleatur. Et *aut modum* etc. tenet eum modum[b] esse iure humano, ⟨non divino⟩[b]. In 8° *ad remissionem peccatorum* deleatur; *iure divino* addatur *necessarium*. 10^s: *Imo etiam sine confessione* deleatur. 12^s differatur, ⟨cum agetur de casibus reservatis⟩[n]. In ⟨14°⟩[q] addatur *merito passionis Christi*. In 16° *aeterna* dicatur *reatu poenae aeternae*.

Constantiensis probat canones et quoad censuras remittit se DD. deputatis.

Salaminensis. In primo ponatur de secunda tabula et addatur ⟨*a sanctis patribus*⟩[b]. In 3° ponantur verba etiam[b] Matth. 16 [19] et 18 [18]. In 4° dicatur, ut in concilio Florentino[1], et *autem* dicatur *aut*. In 6° | *cooperante* dicatur *iustificante*. 7^s: addatur *et prae-* 288r
ceptam. 12^s ⟨videtur esse⟩[r] contra Bonaventuram ⟨et multos alios doctores⟩[b]. In primo extremae unctionis addatur *et a B. Iacobo promulgatum*.

Bossanensis laudavit canones et in 9° fiat omnino mentio de Quadragesima, et, si non ⟨habetur in concilio Lateranensi[3], fiat de ea novus canon⟩[s].

R. P. **abbas Flandrus.** In 5° *paratur* addatur *cum Dei auxilio*. In ⟨7°⟩[t] deleatur *vocalem,* ne muti excipiantur. In 9° ponatur de Quadragesima, sed ut novum.

RR. PP. **abbates Itali.** ⟨12^m cuperent omitti pro nunc.⟩[u] Caetera placent.

R. P. **generalis Heremitarum.** In 7° *sacramentalem* videtur superfluum; dicatur *quam ecclesia sacramentalem appellat*. In ⟨9°⟩[v] *qualem servat*[w], *esse impossibilem* ⟨videtur repugnare, quod servetur et sit impossibilis⟩[x]. 11^s: *qui in peccato mortali sunt,* videtur

[a] *M add.* In 9° item, addatur quaedam [b] *M om.*
[c] *M add.* ut dictum est in 6. sessione Tridentina [d] *M anteponit* «pro materia»
[e] *M* «et ita» omittatur «ita» [f] *M add.* est contra concilium Carthaginense IV et
[g] *M* Et «attritionem» etc. advertatur eam non esse contritionem, sed attritionem, et quae paratur per detestationem; contritio ex ipsa detestatione non paratur
[h] *Th om.* [i] *M* includi [k] *M* quod non videtur verum [l] *M* satisfacientis
[m] *M add.* si [n] *M* ut dixit Coloniensis [o] *Th* piis [p] *C 119 falso* primo
[q] *M add.* vel 15° [r] *M* «atque ideo» etc., non placet
[s] *M* est in concilio Constantiensi [!], ab hac synodo apponantur [!]
[t] *Codd.* 6° [u] *M* 12^s omittatur vel immutetur, ut dixit Coloniensis.
[v] *C 118 et C 119 falso* 7° [w] *M add.* videtur superfluum
[x] *M* quia, si fit, non est impossibilis

[1] Cf. supra p. 249 adn. 3. [2] Cf. *2 Reg.* 12, 13—18. [3] Cf. supra p. 250 adn. 10.

esse contra Augustinum lib. 1 cap. 25 contra Donatistas[1] et hom. 23[2]. In 16° *poena aeterna* advertatur, quod virtute clavium effectualiter id non fit, ⟨sed virtute sacramenti⟩[a].

Dimittitur deinde congregatio hora 24.

Congregatio sacrae deputationis super doctrina supradicta.

Eadem die sabbati [21. **Novembris**] et eadem hora 20, dum congregatio generalis habebatur, ⟨domini sacrae deputationis convenerunt in alia aula coram R. D. tertio praesidente egeruntque super doctrina de poenitentia et extrema unctione; aptanturque capita de confessione⟩[b].

Datur omnibus patribus exemplum articulorum de reformatione.

Absoluta congregatione hodierna generali datur omnibus patribus exemplum articulorum de reformatione ⟨a DD. deputatis conceptorum et in 15 capita distinctorum, super quibus decretum formandum est,⟩[a] his verbis: |

288v Capita reformationis, super quibus canones formabuntur per dominos deputatos[3].

1. Quod illi, cui a suo[a] praelato fuerit interdictus ascensus, etiam extraiudicialiter, ad sacros ordines, aut qui fuerit a suis ordinibus suspensus, quaecunque licentia de se promoveri faciendo seu restitutio ad ordines priores pro tempore concessa nullatenus suffragetur.

2. Quod episcopus titularis non exercens pontificalia pro aliquo loci episcopo, etiam si in loco nullius diocesis resederit, vigore cuiusvis privilegii sibi de promovendo quoscunque ad se venientes concessi, alterius subditum absque sua licentia ad aliquos sacros aut minores ordines, etiam praetextu familiaritatis suae, promovere non praesumat. Contrafaciens ab exercitio pontificalium per annum ac taliter promotus ab exercitio[c] ordinum sic susceptorum, donec suo episcopo visum fuerit, ipso iure sint suspensi.

3. Quod episcopus quoscunque suos clericos, praesertim in sacris constitutos, absque suo praecedenti examine aut litteris commendatitiis qualitercunque et ubicunque promotos, quos minus habiles et capaces repererit, a susceptorum ordinum exercitio ad tempus, de quo ei videbitur, suspendere possit.

4. Quod homicida voluntarius, etiam occultus, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit, nec illi aliqua ⟨beneficia ecclesiastica⟩[d] conferri, sed omni ordine ac beneficio et officio ecclesiastico perpetuo careat, nec ad hoc ei aliqua dispensatio prodesse possit.

5. Quod, quando homicidium non ex proposito vel per industriam, sed casu vel ut ad sui defensionem necessariam commissum fuisse asseritur, ex quo etiam ad sacrorum

[a] *M om.*
[b] *M* habita est etiam congregatio DD. deputatorum coram Rev^mo^ tertio praesidente, qui egerunt super reformanda doctrina de poenitentia et extrema unctione
[c] *M* executione [d] *M* ecclesiastica beneficia

[1] *Augustinus,* De baptismo contra Donatistas lib. I cap. 16 n. 25. *Migne,* P. lat. XLIII 123.

[2] *Augustinus,* Sermo 99 (olim 23 inter 50 hom.). Probabiliter Patavinus cogitat de cap. 13 huius sermonis, in cuius fine Augustinus dicit: «Secura sit anima et in illo, sive in bonum evangelistam incurrat, sive in eum, qui, quod dicit, non facit. A Domino enim secura audit: Vade, mulier, fides tua te salvam fecit.» *Migne,* P. lat. XXXVIII 602.

[3] De quaestione reformationis in concilio faciendae iam supra p. 180 adn. 2 diximus. Post ultimam sessionem discordiae circa hanc quaestionem inter legatum ex una et oratores Caesareos et episcopos Hispaniae ex altera parte exortae haudquaquam diminutae, immo aggravatae sunt. Praelati aliqui libellum reformationis elaboraverant, quem Franciscus de Toledo legato tradidit. Maxime dolendum est, quod hic libellus ad nos non pervenit. Quae exposita fuerant in hoc libello, ex parte possunt videri in litteris Francisci de Toledo die 26. Oct. imperatori datis. Conc. Trid. XI n. 484. Legatus, qui ipse articulos in libello contentos concilio proponere ausus non est, libellum pontifici misit. Sed cum capita, quae supra in textu exhibemus, a legato proponerentur, Franciscus de Toledo petivit, ut alia maioris momenti in discussionem veniant. Legatus autem respondit se responsum a pontifice circa libellum reformationis non accepisse nec reformationem differre posse ad sessionem sequentem, ut Toledo proposuerat. De his omnibus cf. Conc. Trid. XI n. 484 492 493 498 499 500.

ordinum et altaris ministerium ac beneficia iure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci ordinario, qui nonnisi causa cognita et probatis precibus dispensare possit.

6. Quod omnes personae ecclesiasticae, quae aut in sacris fuerint aut dignitates seu beneficia qualiacunque ecclesiastica vel annuas pensiones obtinuerint, si, postquam ab episcopo suo, etiam per edictum | publicum, moniti fuerint, honestum habitum clericalem 289r iuxta ipsius episcopi ordinationem non detulerint, per suspensionem ab ordinibus ac officio et beneficio ac fructibus ipsorum, nec non, si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem coerceri possint et debeant, constitutionem Clementis V in concilio Viennensi editam, quae incipit *Quoniam* etc., innovando[a] [1].

7. Quod nulli cuiusvis conditionis quoad causas criminales aut mixtas aut civiles, in quibus ipse tanquam actor alium conveniret, aliquae litterae conservatoriae cum quibusvis clausulis et quorumcunque iudicum deputatione suffragentur. Si vero in civilibus causis, in quibus ipse reus extiterit, iudex tanquam conservator ab eo electus, ab adversario contra eum agente allegatus fuerit suspectus, aut inter ipsum iudicem conservatorem et ordinarium super competentia iurisdictionis differentia orta fuerit, in causa non procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos super suspicione aut competentia iurisdictionis pronuntiatum fuerit.

8. Quod episcopus in ecclesia sua residens clericos quoscunque saeculares, etiam qualitercunque exemptos, qui alias suae iurisdictioni subessent, de illorum excessibus et delictis, etiam extra visitationem tanquam apostolicae sedis delegatus corrigere et castigare possit et debeat, nec illis aut illorum familiaribus, cappellanis, consanguineis aut quibuscunque aliis illorum intuitu, quominus omnes debite, ut praefertur, puniri possint, quoquomodo suffragentur aliquae exemptiones, cuiuscunque tenoris existant.

9. Quod, cum regulares translati a suo superiore facile licentiam standi extra monasterium obtinere soleant, nemo superior alicuius ordinis ⟨religiosum alterius ordinis⟩[b] vigore cuiusvis facultatis ad habitum seu professionem admittere possit, nisi ut in ordine ipso, | ad quem transfertur, sub sui superioris obedientia et in claustro perpetuo maneat, 289v et taliter translati, etiam si ordinis canonicorum regularium fuerint, ad beneficia saecularia, etiam curata, omnino incapaces existant.

10. Quod quicunque episcopus vel ecclesiastica persona habens privilegium in certis atrocibus delictis puniendi quoscunque clericos, etiam sibi non subditos, procedere non valeat contra episcopi in ecclesia sua residentis subditos sine illius interventu vel alicuius ab eo deputandi.

11. Quod beneficia unius diocesis ecclesiis seu locis, etiam piis, alterius diocesis non uniantur, decretum huius sanctae synodi de unionibus iam promulgatum[2], quatenus ex legitima causa uniones certis modo et forma permittit, in hoc declarando.

12. Quod regularia beneficia in titulum regularibus professis provideri consueta, cum illa per obitum aut resignationem aut alias illa in titulum obtinentis vacare contigerit, regularibus tantum illius ordinis conferantur.

13. Quod nemo cuiusvis dignitatis ad aliqua beneficia, etiam de novo erigenda, etiam ratione augendi cultum divinum aut numerum beneficiatorum, vel alia quacunque causa, nisi is ecclesiam ipsam fundaverit seu iam erectam, quae sine sufficiente dote fuerit, de suis propriis et patrimonialibus bonis, non autem ex fructibus beneficiorum unitorum competenter dotaverit, ius patronatus impetrare possit aut debeat.

14. Quod non liceat patrono cuiusvis privilegii praetextu aliquem ad beneficium sui iuris patronatus nisi loci ordinario, ad quem cessante privilegio provisio et institutio ipsius beneficii iure pertineret, praesentare; alias praesentatio et institutio forsan sequuta nullae esse intelligantur[c].

15. Quod aetas legitima, quae de iure in obtinendis beneficiis in titulum requiritur, eadem ad obtinenda beneficia in commendam requiratur. |

Congregationes sacrae deputationis super doctrina de poenitentia.

Die dominica 22. eiusdem mensis **Novembris** hora 15 patres sacrae deputationis 290r convenientes coram R^{mo} et Illmo D. legato egerunt super reformatione doctrinae de poeni-

[a] *C 119 et Th* servando [b] *Th om.* [c] *M* censeantur

[1] Cap. 2 *Quoniam* in Clem. de vita et hon. cler. III 1. [2] Sessio 7 can. 6 de ref. Conc. Trid. V 998.

tentia et extrema unctione, quam aptaverunt usque ad decimum caput. Deinde facto prandio iidem patres hora 20 iterum convenerunt et doctrinam ipsam perfecerunt[a].

Datur omnibus patribus exemplum doctrinae de poenitentia et extrema unctione.

Eadem die [22. **Novembris**] datur omnibus patribus exemplum doctrinae de poenitentia et extrema unctione, ⟨super qua sententiae in crastina congregatione dicendae intimantur⟩[b].

Adventus R. D. episcopi Vicentini.

Eadem die [22. Novembris] applicuit Tridentum R. D. ⟨Angelus Bragadinus⟩[c], ord. Praed., episcopus Vicentinus, patria Venetus.

Creatio quatuordecim cardinalium per Iulium pp. III.

Die Veneris praeterita, 20. scil. praesentis mensis **Novembris,** Romae in palatio apostolico in consistorio secreto S^{mus} D. N. Iulius pp. III creavit in S. R. E. cardinales quatuordecim infrascriptos[1], videlicet

R^{mum} D. Christophorum de Monte, episcopum Massiliensem, patriarcham Alexandrinum, consanguineum pontificis.

R^{mum} D. Fulvium de Cornia, episcopum Perusinum, nepotem pontificis ex sorore, Perusinum.

R^{mum} D. Fabium Mignanellum, episcopum Lucerinum, patria Senensem.

R^{mum} D. Ioannem Andream Mercurium, archiepiscopum Messanensem[d], Siculum.

R^{mum} D. Ioannem Riccium, episcopum Clusinum, patria Montepolitianum.

R^{mum} D. Ioannem Pogium, episcopum Tropiensem, patria Bononiensem. |

290v R^{mum} D. Ioannem Michaelem, archiepiscopum Materanum, Neapolitanum, de Sarracenis.

R^{mum} D. Iacobum Puteum, archiepiscopum Barensem, patria Niciensem.

R^{mum} D. Petrum Bertanum, episcopum Fanensem, patria Mutinensem.

R^{mum} D. Alexandrum Campegium, episcopum Bononiensem, patria Bononiensem.

R^{mum} D. Ioannem Baptistam Cicadam, episcopum Albinganensem, patria Genuensem[e].

R^{mum} D. Hieronymum Dandinum, episcopum Imolensem, patria Cesenatensem.

R^{mum} D. Aloisium Cornelium, commendatorem Cypri, patria Venetum.

R^{mum} D. Sebastianum Pighinum, archiepiscopum Sipontinum, patria Regiensem, sacri concilii praesidentem secundum[f], quem tamen non publicavit, cum existeret in concilio, in quo eius operam valde fructuosam esse cernebat. Permanet igitur ipse Pighinus adhuc in concilio et incedit suo priori habitu episcopali.

Congregatio generalis. Examinantur articuli seu capita de reformatione et doctrina de poenitentia et extrema unctione.

Die lunae 23. eiusdem mensis **Novembris** hora 20 habita fuit congregatio generalis, in qua ⟨lecta oratione consueta⟩[f] patres dixerunt sententias super capitibus[g] reformationis et doctrina de poenitentia et extrema unctione.

R^{mus} et Ill^{mus} D. card. **Tridentinus** laudavit capita reformationis exhibita; sed videretur etiam providendum ⟨aliquid de⟩[h] laycis principibus, qui in multis episcopos impediunt et turbant. Et in 6. capite habeatur ratio eorum, qui ex privilegio pensiones obtinere possunt ⟨una cum uxoribus⟩[i]. Quoad doctrinam ibi *cognovit figmentum nostrum* addatur *gestamus autem* etc., verba Pauli[2]. ⟨Et ibi *ante adventum esse sacramentum* ad-

[a] *M add.* eamque patribus examinandam dari decreverunt
[b] *M* ut iuxta morem examinari et discuti valeat [c] *In M nomen deest.*
[d] *C 118 falso* Missinensem; *in C 119 corr.* [e] *Th* Ianuensem [f] *Th om.*
[g] *M* articulis [h] *M om.* [i] *M* et habent uxores

[1] Cf. *Pastor* VI 128—130. *van Gulik-Eubel* III 35 sq. [2] Cf. *1 Cor.* 15, 49.

dantur quaedam verba de praeludio huius sacramenti in fine⟩[a] auctoritati: *Quorum remiseritis* etc.; *ad*[b] *praedicationem detorquent* addatur *solam.* In ⟨3°⟩[c] *luctu versatur* addatur *maxime.* De confessione | concludatur: *offendens enim in uno ⟨factus est omnium reus⟩*[d]. 291r
Et ibi *negligentissimus* addatur *ac proinde iure optimo a Deo maledictus*[e].

R. et Ill. D. **Maguntinus** excusavit se ⟨et sententiam suam in scriptis missurum esse dixit⟩[f].

R. et Ill. D. **Coloniensis** ⟨idem dixit⟩[g].

[h]R. et Ill. D. **Treverensis** misit ad se excusandum, quia aegrotaret.

R. D. **Zagabriensis,** quia deputatus, una cum aliis nihil dixit.

[i]R. D. **Viennensis** probat sententiam R^{mi} D Tridentini.

[i]R. D. [archiepiscopus] **Antibarensis** probat sententiam eiusdem R^{mi} Tridentini.

Upsalensis ⟨laudavit capita reformationis, quae tamen in iure communi contineri dixit.⟩[k] Doctrinam etiam laudavit[l]; sed in fine deleatur, quod dicitur de magistris etc.

Panormitanus ⟨probat capita reformationis⟩[m]. Quoad doctrinam ⟨exprimatur confessionem praeceptam esse iure divino⟩[n] et etiam modum secrete confitendi[o]; idem dicatur in canonibus. ⟨Ubi agitur de ministro⟩[p], dicatur aliquid, quod sacerdos vere absolvit, etiam quod sit peccator.

Calaritanus probat capita reformationis et de doctrina remittit se sacrae synodo.

R. D. [episcopus] **Feltrensis.** Quoad doctrinam in ⟨4.⟩[q] capite, quod dicitur de terroribus, non videtur posse damnari, quia boni sunt; addatur igitur *tantum;* et quod dicitur attritionem disponere etc., advertatur, quia virtute sacramenti attritio gratiam[r] impetrat. De circumstantiis ⟨non fiat mentio, cum variae de eis sint opiniones⟩[s]. De confessione secreta non statuatur eam esse iuris divini, ne publica excludatur, quae etiam de iure divino est. De extrema unctione non videtur bene citatus locus Marci 6 [13]; ideo deleatur. |

S. Marci probat omnia, et reformationem et doctrinam. 291v

Maioricensis probat omnia circa reformationem. Quoad doctrinam in primo ibi *ante baptismum* dicatur *cuiquam, ⟨antequam baptizatus⟩*[t] *sit* etc. Quod dicitur de Novatianis, ⟨deleatur *remittendi,* cum id non dicant⟩[u]. In 4. capite *quo poenitens adiutus* etc. addatur aliquid de fiducia. In eodem *ut non sit libera* etc. aptetur ut in canonibus[v]. ⟨De confessione dicatur eam a Christo praeceptam.⟩[w] Ibidem *soli sacerdoti* etc. addatur *quod etiam naturali ratione comprobatur.*

Camerinensis probat reformationem in omnibus. Sed videtur ⟨advertendum, quod nihil videtur fieri a synodo, quod privilegia episcoporum non concernat; esset igitur et de aliis materiis agendum⟩[x]. De doctrina ⟨ibi *detorserit ad praedicationem* etc.⟩[y] addatur *tantum.* In ⟨4°⟩[z] *clamores sanctorum* etc. deleatur[aa], et ibi *sola cogitatione* addatur *⟨consensu adhibito⟩*[bb]*, ut vere sint peccata mortalia.* De reservatione *pontifices* addatur *Romani, et quibus dictum est in persona Petri: Pasce oves meas.* In extrema unctione placet, ⟨quod maneat⟩[cc] auctoritas Marci 6 [13].

Castellimaris probat reformationem. In doctrina, ⟨ubi agitur de confessione, ubicunque fit mentio institutionis, addatur *et praecepti.* De circumstantiis *mutant* etc. ad-

[a] *C 118, C 119, Th om.* [b] *M hic add.* solam [c] *M add.* de fructu ibi
[d] *M* omnium factus est reus
[e] *M add.* In 7° «visum est» addatur «a Moyse»; *Th hic add.* Idem dixerunt Viennensis et Antibarensis.
[f] *M* ob angustiam temporis, si nunc nihil dicet [g] *M* probavit dicta per Maguntinum
[h] *M om.* [i] *Th om.*
[k] *M* quoad articulos de reformatione videatur contentos omnes in iure. In fine 3. articuli videtur, quod in futurum possit suspendi etc. 4^{m}, 5^{m}, 6^{m} et 7^{m} probavit. In 12° advertatur, quod dicitur in bullis concessis a Paulo III Pighino et Veronensi.
[l] *M add.* neque est longa, cum haeretici multa contra eam docent
[m] *M* laudavit articulos reformationis
[n] *M* de confessione «pronunciare» advertatur, ne dicatur, quod excellentia clavium sacerdotibus competat; dicatur «pro potestate clavium ab eodem accepta»; ponatur aliquid, ut dicatur esse praeceptam a Christo confessionem
[o] *C 118 falso* confitenti [p] *M* De ministro, ubi dicitur «tanquam ministros» etc.
[q] *C 118, C 119 et Th falso* 2; *M* 1 [r] *M* remissionem peccatorum
[s] *M* non dicatur, quod mutant neque quod aggravant, cum sint de eo opiniones.
[t] *C 118, C 119 et Th falso* ante baptismum [u] *M* quoad «remittendi» falsum est
[v] *M add.* dictum est [w] *M* In 5. capite «necessariam» dicatur «praeceptam».
[x] *M* nimis semper episcopis concedi et nihil aliud fieri
[y] *M* de necessitate poenitentiae, de sacerdotibus, de praedicatione [z] *Codd. et Th falso* 3
[aa] *M add.* in eodem capite «imperfecta est, cum absque» etc. videtur superflua; de confessione
[bb] *M* cum consensu addito [cc] *M* doctrina et

datur⟩[a] *quae in infinitum aggravant et contra legem sunt.* ⟨Et ibi⟩[b] *publice confiteri* addatur *sacramentaliter.*

Lancianensis de reformatione remittit se canonistis[c]. In doctrina ⟨de confessione⟩[d] etc. statuatur secretam esse iuris divini, ⟨et *a Christo institutam et praeceptam* dicatur⟩[e].

Algarensis probat doctrinam. In reformatione in 2. capite *non exercens* videntur exclusi alii casus. In ⟨13°⟩[f] *impetrare* dicatur *acquirere.* Et commendae in totum tollantur. |

292r **Misiensis.** In 3° de reformatione addatur *et per suos vicarios examinentur.* In ultimo melius provideatur de commendis.

Numbergensis probat reformationem. Super doctrinam autem excusavit se, quia nuper[g] venit et eam ⟨animadvertere non potuit⟩[h].

Siracusanus. Reformatio videtur, quae proponitur, minima, ⟨cum maiora expectentur⟩[i]. Et quod dicitur de commendis, tollatur[k], ne videantur approbari a concilio. In doctrina ibi *absolvo te* addatur *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* ⟨Item advertatur, quod dicitur materiam huius sacramenti esse peccata, cum sit contra canones.⟩[l]

Vigorniensis probavit omnia.

Bellicastrensis omnia similiter probavit.

Auriensis quoad doctrinam remittit se deputatis; quoad reformationem ⟨omnia probat⟩[m].

Constantinensis[n] de reformatione remittit se deputatis; de doctrina excusavit se, quia ⟨eam adhuc non consideraverit[o]⟩[h].

Oscensis idem dixit, et quod mittit votum suum ⟨in scriptis⟩[p].

Clodiensis probat reformationem[q] in omnibus, quoad doctrinam[r] remittit se deputatis.

Solonensis laudat reformationem; sed melius moderentur commendae. In doctrina, ubi agitur de partibus poenitentiae, ⟨dicatur ut in⟩[s] concilio Florentino[1].

Calaguritanus. De doctrina quae occurrunt, mittet[t] deputatis. Quoad reformationem in primo *a suo praelato* addatur *et a vicario generali.* In ⟨2°⟩[u] *nullius diocesis* addatur *vel monasterio vel alio loco exempto. Absque sua* dicatur *alterius licentia,* et prohibeatur, ne titulares episcopi ordinent extra tempora. In 3° *ubicunque* addatur *ex quacunque auctoritate,* et *suspendi* addatur *vel alias pro arbitrio puniri.* In 4° prohibeatur, ne homicida
292v possit renunciare sua | beneficia, et statuatur[v], quod, si ex industria fiat, ipso facto privati sint[w] beneficiis. In 6° *ac fructibus* addatur *et pensionibus*[x]. 8[s] videtur ⟨superfluus, cum iam definitum sit⟩[y]. In 9° addatur, quod illi tales religiosi non recipiantur a suo praelato, et quod non exeant religionem, antequam causa coram suo praelato verificetur. In 14° addatur aliquid de iis, quibus fit[z] praesentatio. In 15° deleantur commendae in totum.

Elnensis probat, quod patres probabunt.

Cenetensis. ⟨In reformatione⟩[aa] advertatur, quod dicitur de pensionibus ob privilegiatos. ⟨Doctrina placet.⟩[bb]

Monopolitanus. ⟨Ubi agitur de confessione in doctrina, dicatur *a Christo praeceptam*⟩[cc]. De reformatione omnia laudat et ⟨probat sententiam Tridentini[2], et in 14° et 15° per Calaguritanum[3]⟩[dd].

[a] *M* ubicunque fit mentio institutionis dicatur «et praecepti», ut dixit Panormitanus. De circumstantiis, «species actum mutant» etc., videtur falsum, quia non omnes circumstantiae peccatum mortale sunt; esset dicendum, ut b. Thomas
[b] *M* De confessione secreta [c] *Th* canonibus
[d] *M* quod dicitur de publica confessione
[e] *M* quoad institutionem et praeceptum; idem dicatur in canone [f] *Codd. falso* 15; *Th* 11
[g] *M* noviter [h] *M* non vidit [i] *M om.* [k] *M* non placet
[l] *M* Et videtur dici, quod peccata sint materia huius sacramenti contra canones.
[m] *M* laudavit omnia summopere [n] *Th* Constantiensis [o] *C 119 et Th* consideravit
[p] *M* ad secretarium [q] *C 118, C 119 et Th* doctrinam [r] *C 119 et Th* reformationem
[s] *M* fiat mentio de
[t] *Th* remittit se [u] *C 118, C 119 et Th falso* 5° [v] *C 118, C 119 et Th om.*
[w] *Th* sunt [x] *M add.* et «innovando» dicatur «et exstendendo»
[y] *M* iam decretatus in aliis sessionibus, de quo facienda est mentio
[z] *Th om.* [aa] *M* probat articulos de reformatione; sed [bb] *M* Doctrinam probat, ut probabitur.
[cc] *M* Quoad doctrinam remisit se deputatis. De confessione addatur «et praeceptam».
[dd] *M* laudat dicta per Tridentinum et Auriensem; et in 14° a Calaguritano; in 15° deleantur omnes commendae

[1] Cf. supra p. 249 adn. 3. [2] Cf. supra p. 334 l. 33—36. [3] Cf. supra l. 34 sq.

Legionensis. In doctrina quod dicitur de publica confessione, advertatur, ne contrarietur canonibus. De reformatione probat dicta per Calaguritanum[a] [1].

Ovetensis. In doctrina non excludatur publica confessio. Reformatio placet.

Tudensis probat dicta per Calaguritanum de reformatione [1]. Quoad doctrinam non videtur statuendum, ⟨aliquo modo⟩[b] confessionem secretam esse de iure divino, quia modus confitendi est de iure humano.

Lacorensis probat omnia et remittit se DD. deputatis.

Virdunensis idem dixit; sed articuli de reformatione viderentur aptandi melius, et commendae omnino tollantur, et innovetur cap. *Ut nullus* de ord. lib. 6 [2], vocando reformationem propositam ⟨superfluam et⟩[b] praetensam.

Salaminensis cuperet addi in doctrina confessionem praeceptam ⟨esse iure divino⟩[c]; in reformatione nollet[d] excludi ⟨familiares ab ordinationibus episcoporum, etiam alienae diocesis⟩[e].

Bossanensis. In 2° de reformatione advertatur, quod dicitur de familiaribus, et in ultimo de commendis. In doctrina de praeparatione, dum dicitur *munimur ad gratiam* etc., | videtur respicere proprias vires; propterea advertatur; posset dici *praeparamur*. Et dum 293r
dicitur *gratiam ministrat,* advertatur, quod sacramentum hoc confert, non[f] ministrat gratiam. Et quod dicitur de confessione, addatur eam esse praeceptam iure divino.

Vicentinus (qui nuper venit) probat, quod patres probant.

R. P. **abbas Flandrus.** Quoad doctrinam et reformationem remittit se DD. deputatis, et deleatur ultimus articulus de commendis.

R. P. **abbates Itali** doctrinam et alia probant; sed quod dicitur de commendis, deleatur[g].

R. P. **generalis S. Augustini** probat articulos reformationis. Ex doctrina *quae laboriosus baptismus appellatur,* non ponantur haec verba, ne cum haereticis videamur convenire. ⟨Et de materia huius sacramenti dicatur ut in concilio Florentino [3].⟩[h]

Absolvitur deinde congregatio hora 1 noctis, cui interfuerunt primum episcopi Numbergensis et Vicentinus.

Congregatio sacrae deputationis. Aptatur doctrina iuxta sententias patrum.

Eadem die **[23. Novembris]** absoluta congregatione generali convenerunt patres sacrae deputationis coram R^mo legato[i], qui reformarunt doctrinam de poenitentia et extrema unctione iuxta sententias et censuras patrum in hodierna congregatione adnotatas.

Dantur omnibus patribus canones de poenitentia et extrema unctione reformati.

Eadem die datur omnibus patribus exemplum canonum de poenitentia et extrema unctione reformatorum per DD. deputatos iuxta sententias et censuras patrum.

Congregatio generalis. Examinantur doctrina de poenitentia et extrema unctione et canones reformati.

Die Martis **24.** dicti mensis **Novembris** mane hora 15 habetur congregatio generalis, in qua ⟨celebrata missa et lecta oratione consueta⟩[k] R^mus et Ill^mus D. **legatus** ⟨modeste | admodum et verbis gravibus⟩[l] repraehendit illos patres, qui hesterna congregatione 293v

[a] *M add.* et videntur contenta in iure fuse omnia [b] *M om.* [c] *M* a Deo
[d] *Codd.* nollent [e] *M* quod familiares ab episcopis ordinari possint
[f] *M add.* solum [g] *M* auferatur
[h] *M* Et ibi «habent locum quasi materiae» mutentur, quia non dicitur, quod sint quasi materia, dicatur ut in concilio Florentino.
[i] *M add.* et praesidentibus [k] *Th om.* [l] *M* modestis admodum verbis

[1] Cf. supra p. 336 l. 26—35.
[2] Cap. *Ut nullus* in libro VI° non invenitur. Probabile est agi de cap. 3 *Quum nullus* (et forse etiam de cap. 4 *Nullus episcopus*) in VI° de temp. ord. I 9.
[3] Cf. supra p. 249 adn. 3.

dixerunt, reformationem propositam esse superfluam et in iure latius contineri, quod falsum esse ostendit, eamque praetensam nominaverunt[1].

Deinde D. **Bituntinus** retulit patribus ea, quae a DD. deputatis acta erant circa canones poenitentiae et extremae unctionis reformandos, videl. iuxta censuras patrum, quae rationabiles visae sunt. Reddiditque rationem censurarum aptatarum, et illarum, quae omissae sunt, ⟨elegantissima oratione⟩[a].

Deinde rogantur[b] sententiae patrum super his canonibus ⟨et doctrina etiam reformata⟩[a].

Rmus et Illmus D. card. **Tridentinus** ⟨probat omnia⟩[c]; in 7° tamen canone de circumstantiis, ibi *mutant* cuperet addi *et aggravant*[d].

R. et Ill. D. **Maguntinus**[e] laudavit canones ⟨et alia omnia⟩[a]; sed in 7° cuperet etiam addi *mutant et aggravant ⟨peccati speciem* etc.⟩[a].

R. et Ill. D. **Coloniensis** probat canones[f].

[g]R. et Ill. D. **Viennensis**[2] probat canones[h].

R. D. [archiepiscopus] **Antibarensis** probat sententiam Rmi et Illmi Tridentini.

Upsalensis in 6° cuperet addi, confessionem esse praeceptam iure divino. Caetera probat[i].

[g]**Panormitanus** probat canones in omnibus.

Calaritanus. Quoad doctrinam, circa formam *Absolvo te a peccatis,* delendum videtur *a peccatis,* ut multi doctores tenent, et habetur in concilio Florentino[3], quia non semper habet peccata, cum sacerdos absolvit, et tamen beneficium absolutionis tunc impendit et gratiam auget. Quoad canones in primo deleatur *in ecclesia catholica,* quia in sacramento extremae unctionis non dicitur, neque cum actum est de baptismo et confirmatione. In 4° *partes dicuntur* ponatur *sunt.* In 7° *speciem peccati* addatur *mortalis.* Caetera placent. |

294r R. D. [episcopus] **Feltrensis** probat in omnibus canones; sed nollet fieri mentionem de circumstantiis, prout non fecit concilium Florentinum[k][4].

[g]**S. Marci** probat canones in omnibus.

Maioricensis. In 5° ibi *coactum* dicatur *demum illam esse* etc. In 6° *iure divino* addatur ibi *ad salutem.* In primo extremae unctionis ibi *Iacobi apostoli* addatur *in sua canonica epistola.* Et cuperet poni canonem de vera contritione.

[g]**Camerinensis** probat canones in omnibus.

Castellimaris cuperet reponi 6. canonem de vera contritione[l]. In 5° loco *contritionem*[m] dicatur *attritionem.* In 7° *speciem mutant* dicatur *ad aliam speciem peccati ducunt*[n]. In 9° ponatur aliquid de intentione ministri. 11s: Deleatur *coram Deo*[o], cum variae sint opiniones ⟨et soli Deo hoc notum sit⟩[a]. De extrema unctione in primo addatur *a B. Iacobo apostolo in sua canonica.* In doctrina ultimum caput de operibus coniungatur[p] cum primo, in quo de his etiam agatur. In 3° *nemo autem est, qui non videat,* ⟨deleantur haec verba, cum non sint⟩[q] ex gravitate, et quia haeretici non vident. Item nollet, quod diceretur publicam confessionem non esse a Christo institutam, ne excludatur, quia et illa ⟨sicut secreta⟩[a] de iure divino est.

Lancianensis. In doctrina forma absolutionis ponatur ut in concilio Florentino[3]. Deleatur igitur *a peccatis.* In 6. canone ibi *confessionem* addatur *auricularem.* In 4° *partes dicuntur* ponatur *partes*[r] *sunt.*

[g]**Algarensis** probat canones in omnibus.

[a] *M om.* [b] *M* dicuntur [c] *M* canones probavit [d] *M add.* id solum cuperet
[e] *M add.* loquens nomine suo et electorum [f] *Th add.* et una cum eo 22 patres
[g] *Th om.* [h] *M add.* in omnibus [i] *C 119* placent [k] *M* Lateranense
[l] *M add.* et dedit novam formam [m] *M add.* videtur repugnare, quod paretur
[n] *M add.* ut B. Thomas ait
[o] *M add.* videtur nimis hoc decidere, cum sit soli Deo non occultum
[p] *Th* coniunctatur [q] *M* non videtur [r] *M* et

[1] Verba legati imprimis contra episcopum Virdunensem directa fuerunt (vide supra p. 337 l. 8 sqq.). Multi patres, inter quos etiam principes electores, propter hanc reprehensionem ira incensi sunt, quia secundum eorum opinionem parum libertatis in concilio esse iterum patefiebat. Qua de re Franciscus Vargas Granvelam certiorem fecit die 26. Nov. Conc. Trid. XI 709 l. 39 ad 710 l. 4. Etiam episcopus Auriensis de hac re Granvelae scripsit die 28. Nov. Conc. Trid. XI 713 l. 14—37.

[2] Eius Votum super canonibus reformatis in scriptis datum invenis in App. III n. 11.

[3] Cf. supra p. 258 adn. 5.

[4] Cf. supra p. 250 adn. 9.

Misiensis. In 5° ibi *melioris vitae* addatur *cum proposito confitendi et satisfaciendi.* In 6° addatur *confessionem iure divino praeceptam.* In 8° ibi *speciem mutant* addatur *et aggravant.* |

[a]**Siracusanus** probat in omnibus canones et doctrinam. 294v

[a]**Vigorniensis** probat omnia.

[a]**Bellicastrensis** probat omnia.

[a]**Auriensis** probat canones in omnibus ⟨et doctrinam⟩[b].

Constantinensis. In 3. canone dicatur *ad annunciationem praedicandi evangelium.* In 4° dicatur, quod ille dolor sit coactus. In 7° de circumstantiis dicatur *quae*[c] *novum peccatum mortale inducunt.* In 7° *confessionem* dicatur *praeceptam.* In doctrina *luctu versatur* deleatur *luctu. Facilius impetratur* dicatur *habetur.* De confessione publica non ponatur, eam esse de iure divino, sed dicatur, si plena est fides et si non sequitur infamia. De casibus *a quocumque sacerdote* et *a quibusvis peccatis* deleatur. Forma absolutionis ponatur ut in concilio Florentino[1].

Oscensis[d]. In primo canone *mortalia* addatur post *peccata.* In 6° addatur *praeceptam confessionem.* In 7° *occulta* dicatur *sola cogitatione cordis.* In 13° *tantum* deleatur.

Clodiensis[d]. In 8. canone *non licere* dicatur *non congruere.* In doctrina forma absolutionis ⟨ponatur ut in concilio Florentino⟩[e][1].

Solonensis. In 4. canone[f] *ad remissionem* addatur *certam et culpae et poenae.* In 11° *externam* addatur[g] *et mundanam.*

Calaguritanus. In doctrina ponatur forma absolutionis tradita a concilio Florentino[1]. In 11° *casu* etc. dicatur *aliquod crimen in casu* etc.[h]

[a]**Elnensis** probat canones in omnibus.

[a]**Cenetensis** probat in omnibus canones.

Monopolitanus. In 6° addatur *et praeceptam.* In 7° dicatur *aut in aliam transferunt speciem. Occulta* addatur *et quae cordis sunt.*

Dimittitur deinde congregatio hora 19 et vocatur ad 21. |

Congregatio generalis.
Concluduntur decreta publicanda in sessione die crastina celebranda.

Eadem die **[24. Novembris]** hora autem ⟨21⟩[i] habetur iterum congregatio generalis, in qua primo patres perfecerunt sententias super eisdem canonibus ⟨de poenitentia et extrema unctione⟩[a]. 295r

[a]R. D. [episcopus] **Legionensis** probat canones et doctrinam.

[a]**Ovetensis** ⟨etiam omnia et⟩[b] canones ⟨et doctrinam⟩[b] probat.

Tudensis. In 4. canone *tres partes dicuntur* ponatur *sunt.* In doctrina de contritione et metu gehennae non videtur verum, quod dicitur, quia ille dolor potest esse sine Dei dilectione. Considerentur igitur verba illa *vix stat sine dilectione Dei* etc. Item cum dicitur, quod attrito remittuntur peccata virtute absolutionis supervenientis, advertatur, cum de hoc variae sint opiniones; posset deleri *praesertim.*

[a]**Lacorensis** probat canones.

Virdunensis excusavit se ⟨et petiit veniam⟩[b], quod heri sero quaedam verba dixerit contra reformationem propositam, ⟨quod esset praetensa et inutilis etc.[2] Quoad proposita⟩[a] dixit, se nihil habere, quod afferat.

Salaminensis. In 11° addatur sacerdotem indigere licentia superioris, ut absolvat in casibus reservatis. In ⟨4°⟩[k] *partes dicuntur* ponatur *hac ratione partes sunt.*

[a] *Th om.* [b] *M om.* [c] *Th* quod [d] *M add.* probat canones
[e] *M* non ponatur «a peccatis»
[f] *M add.* videtur excludi contritio sola et alia, ut elemosina, quae peccata redimunt
[g] *C 119 et Th* dicatur [h] *M add.* Caetera placent [i] *M* 22 [k] *Codd. falso* 5°

[1] Cf. supra p. 258 adn. 5.

[2] Cf. supra p. 337 l. 8 sqq. 34 sqq. et p. 338 adn. 1. Revera Virdunensis se non excusavit, sed defendit. Legatus vero vetuit eum de hac re amplius loqui. Virdunensis respondit libertatem in concilio non esse ideoque se petiturum ab imperatore licentiam discedendi Tridento. Cf. de hac re litteras episcopi Auriensis Granvelae die 28. Nov. datas (Conc. Trid. XI 713 l. 14—25) et litteras Francisci de Toledo imperatori die 30. Nov. missas. *Ibid.* XI 717 l. 7—22.

[a] **Bossanensis** probat canones.

[a] **Vicentinus** probat canones.

[a] R. P. **abbas Flandrus** probat canones.

[a] RR. PP. **abbates Itali** probant canones.

[a] R. P. **generalis Heremitarum** probat omnia.

Deinde ego Angelus Massarellus secretarius legi decretum et canones formatos super reformatione, numero 13 incipientes *Cum proprie episcoporum* etc. |

295v Deinde[b] R. D. Turritanus nomine sacrae deputationis legit doctrinam de poenitentia et extrema unctione ab ipsis deputatis reformatam.

Deinde exquiruntur vota patrum tam super decreto de reformatione quam super doctrina. Et omnia ab omnibus probantur.

Postremo R[mus] et Ill[mus] D. **legatus** proposuit patribus, an in futura sessione post praesentem tractari debeat una cum sacrificio missae de sacramento ordinis. Quod ab omnibus probatum fuit et sic[a] decretum est[c].

Et ita ad Dei laudem et gloriam crastina die sessio publica celebrabitur, in qua ⟨tria decreta⟩[d] publicabuntur, ⟨videlicet primum de doctrina sacramentorum poenitentiae et extremae unctionis, secundum de canonibus damnantibus haereses circa ipsa duo sacramenta, tertium de reformatione. Qua in sessione celebrabit missam de Spiritu Sancto R. D. Auriensis et R. D. S. Marci habebit orationem⟩[e].

Dimittitur autem congregatio hora 2 noctis[f].

[a] *Th om.* [b] *C 119 et Th* postea

[c] *M add. alio atramento manu Massarelli* et quod sessio futura celebretur ad diem 25. Ianuarii anni sequentis

[d] *M* haec decreta conclusa [e] *M om.*

[f] *M add.* Congregatione absoluta DD. canonistae convenerunt coram R[mis] legato et praesidentibus et decretum reformationis aptarunt.

SESSIO QUARTA

sacri oecumenici concilii Tridentini

sub Iulio III pont. max.

anno 1551.

[Sessio XIV.]

[1]In Dei nomine. Amen. Anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, indictione nona, pontificatus S^{mi} ac Beat^{mi} in Christo patris et domini nostri, Domini Iulii III, divina providentia sacrosanctae Romanae et universalis ecclesiae pontificis maximi anno secundo, die vero Mercurii 25. mensis Novembris, quae fuit festum B. Catharinae virginis et martyris, Tridenti in ecclesia cathedrali, quae est sub invocatione B. Vigilii, in loco solito ad sessiones habendas specialiter deputato, celebrata fuit quarta publica sessio sanctae oecumenicae synodi Tridentinae sub eodem S^{mo} D. N. Iulio III, praesidentibus in ea R^{mis} et Illmo dominis et patribus, DD. Marcello tituli S. Marcelli S. R. E. praesbytero cardinale de Crescentiis nuncupato, ac Sebastiano Pighino, archiepiscopo Sipontino, et Aloysio Lippomano, episcopo Veronensi, eiusdem S^{mi} D. N. papae et sanctae sedis apostolicae de latere legato et nunciis. Quibus quidem convenientibus mane hora 16 una cum praelatis, oratoribus et aliis infrascriptis in dicta ecclesia cathedrali et loco praedicto inprimis R. D. episcopus Auriensis decantavit missam solemnem de Spiritu Sancto. Qua absoluta publicata fuit pro astantibus Deum pro unione sanctae ecclesiae et prospero successu sacri concilii orantibus indulgentia centum annorum in forma ecclesiae consueta. Deinde R. D. episcopus S. Marci habuit elegantem orationem [2]. Postea tam R^{mus} et Ill^{mus} D. legatus quam praesidentes, electores et praelati omnes acceperunt pluvialia et mitras et alia paramenta consueta. Paramentis autem acceptis quisquis resedit in loco suo iuxta ordinem superius in secunda sessione adnotatum (hoc addito, quod R^{di} et Ill. DD. archiepiscopi Coloniensis et Trevirensis, sacri imperii electores, praecedunt invicem per vices; unde non erit mirum, si in his sacri concilii Actis modo unum, modo alium sententias praedixisse legitur), et R^{mus} et Ill^{mus} legatus resedit ante altare in faldistorio ibidem parato, versa facie ad sanctam synodum, et solitas orationes legit ac ceremonias consuetas peregit. Decantatis a cantoribus laetaniis et benedicta ter per ipsum R^{mum} et Ill^{mum} D. legatum synodo ac decantato per diaconum evangelio Ioa. 20 [19 sqq.]: *Cum ergo sero esset* etc., ac etiam decantato a cantoribus hymno *Veni creator Spiritus,* et aliis orationibus in publicis sessionibus recitari solitis, necnon R^{dis} DD. secundo et tertio praesidentibus considentibus etiam ante ipsum altare in eorum faldistoriis, medium habentibus praefatum R^{mum} et Ill^{mum} D. legatum et patres synodi respicientibus, archiepiscopus Turritanus accedens ad altare accepit genuflexus e manibus R^{mi} et Ill^{mi} D. legati decretum doctrinae de sanctissimis poenitentiae et extremae unctionis sacramentis, ascendensque ambonem illud alta et clara voce legit. Quod est tenoris subsequentis, videlicet:

Conc. 123 190^{r}

Doctrina de sanctissimis poenitentiae et extremae unctionis sacramentis, publicata in quarta sessione Tridentina sub Iulio papa III, die 25. Novembris 1551 [a] [3].

⟨Sacrosancta, {oecumenica et generalis}[b] Tridentina synodus {in Spiritu Sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae sedis apostolicae[c] legato et nunciis,

[a] *In C 22 et C 119 haec legitur inscriptio* Forma prima doctrinae de sacramento poenitentiae et extremae unctionis, proposita in sacra deputatione die lunae 16. Novembris 1551 in concilio Tridentino.
[b] *In C 146 add. supra lineam.* [c] *Ro, L* apostolicae sedis

[1] Sequimur tomum *Conc. 123* fol. 190^{r}—203^{v}.
[2] Quam invenis in fine Actorum huius sessionis.
[3] In apparatu critico exhibemus primam huius doctrinae formam, propositam congregationi deputatorum die 16. Nov. (cf. supra p. 324), prout exstat in tomo *Conc. 22* fol. 183^{r}—190^{v} *(= C 22)*. Quae forma etiam tomo *Conc. 119* post congregationem diei 16. Nov. inserta est, ut supra p. 324 adn. 4 diximus. Huius codicis *Conc. 119* eas solummodo lectiones exhibebimus, quibus a tomo *Conc. 22* differt. Tomus *Conc. 146* fol. 150^{r}—160^{v} doctrinam reformatam exhibet, in quo etiam ultimae patrum aptationes notatae sunt. Alia copia in eodem codice conservata (fol. 164^{r}—171^{r}) nullius momenti est. De editionibus in apparatu critico allegatis cf. supra p. 200 adn. 1.

quamvis in}[a] decreto de iustificatione⟩[b][1] multus fuerit de poenitentiae sacramento ⟨propter locorum cognationem⟩[c] necessaria quadam ratione sermo interpositus: tanta nihilominus[d] 190v cir|ca[e] illud nostra hac aetate diversorum errorum ⟨est multitudo, ut non parum publicae utilitatis retulerit, de eo exactiorem et pleniorem diffinitionem tradidisse, in qua, demonstratis et convulsis Spiritus Sancti praesidio universis erroribus, catholica veritas perspicua et illustris fieret; quam nunc sancta haec synodus Christianis omnibus perpetuo servandam proponit⟩[e].

Cap. 1. De necessitate et institutione sacramenti poenitentiae.

Si ea in regeneratis omnibus[f] gratitudo[g] erga Deum esset, ut iustitiam in baptismo ipsius beneficio et gratia susceptam constanter tuerentur, non[h] fuisset opus, aliud ab ipso baptismo sacramentum ad peccatorum[i] remissionem esse institutum. ⟨Quoniam autem *Deus, dives in misericordia*[2], *cognovit figmentum nostrum*[3], illis etiam vitae remedium contulit, qui sese[k] postea in peccati servitutem et daemonis potestatem tradidissent, sacramentum videlicet poenitentiae, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur.⟩[l] Fuit quidem poenitentia[m] universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et iustitiam assequendam necessaria, illis etiam[n], qui baptismi sacramento ablui petivissent, ⟨ut perversitate abiecta⟩[o] et emendata tantam Dei offensionem cum peccati ⟨odio et pio animi dolore detestarentur⟩[p]. Unde Propheta ait: *Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas*[4]. Dominus etiam dixit: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*[5]. Et princeps apostolorum Petrus peccatoribus baptismo initiandis poenitentiam commendans dicebat: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum*[6]. ⟨Porro nec ante adventum {Christi poenitentia erat sacramentum, nec est post adventum}[q] illius cuiquam[r] ante baptismum. Dominus autem[s] sacramentum poenitentiae {tunc praecipue}[t] instituit,⟩[u] cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*[7]. Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos[v], apostolis et eorum legitimis successori-

[a] *Quae verba in C 146 add. sunt in margine pro aliis, quae deleta sunt et quae legi non possunt.*
[b] *C 22* Prooemium. Cum de sacramentis sancta haec synodus tractare coepit, ad id unum praecipue serias animi sui cogitationes adiiciendas esse existimavit, ut fideles omnes admonerentur, quam in singulis sacramentis doctrinam sequi, quosve errores fugere deberent. Nunc igitur in proposito susceptoque consilio permanens instituit veram de poenitentiae et extremae unctionis sacramentis doctrinam tradere. Quamquam enim in decreto iustificationis
[c] *C 22 om.* [d] *C 22* tamen
[e] *C 22* multitudine, tanquam tormentorum impetu, quassatum et concussum a plurimis fuit, ut non parum publicae utilitatis retulerit, de eo seriam et exactam tractationem atque diffinitionem fuisse susceptam, in qua demonstratis et convulsis Spiritus Sancti praesidio universis ab eis confictis erroribus catholica veritas perspicua et illustris facta est; quam nunc sancta haec synodus Christianis omnibus religiose et firmiter servandam tradit.
[f] *C 22 add.* fides; *C 146 hic add.* fides, charitas et *quod postea est del.*
[g] *C 22 add.* et charitas [h] *C 22* nihil sane [i] *Ro falso* peccatorem [k] *Richter* se
[l] *C 22* Verum misericors et miserator Dominus, cuius tam effusa in homines bonitas est, ut omnes salvos fieri velit, cum nec figmentum nostrum ignoraret et salutem ardentissime sitiret, etiam illis vitae remedium invenit, qui sese impia postea ingratitudine in peccati servitutem et daemonis potestatem sponte tradidissent. Quoniam autem spiritualia omnia remedia meritis D. N. Iesu Christi nituntur, qui solus via, veritas et vita nostra est solusque propitiator in suo sanguine a Patre propositus, novum utique poenitentiae sacramentum condi oportuit, quo lapsis post baptismum ipsa mors Christi applicaretur.
[m] *C 22* poenitentiae virtus [n] *C 22* etiamnum
[o] *C 22* nam cum peccatum ita voluntatem vitiet et pervertat, ut Deo posthabito amorem illa suum in creaturas transfundat, remitti illud profecto nulli unquam potuit, quin prius perversitate illa abiecta
[p] *C 22* detestatione et vero animi dolore luxisset; *in C 146 haec verba sunt del. et alia supra exhibita in marg. add.*
[q] *In C 123 add. in marg.* [r] *In C 146 add. supra lineam.* [s] *In C 146 corr. ex* enim]
[t] *In C 146 add. supra lineam.*
[u] *C 22* Cum autem sera poenitentia non sinat hominem ea media negligere, per quae intelligit Deum sibi reconciliari oportere, sicut illa profecto non potuit ante baptismum utilis esse, nisi intentione saltem cum ipsius baptismi desiderio esset coniuncta, ita nec potest in homine post baptismum lapso esse fructuosa, nisi fuerit sacramento, quod ab ipsa poenitentia merito nomen accepit, re aut voto alligata. Hoc autem sacramentum Dominus instituit [v] *C 22* prolapsos; *in C 146 corr.*

[1] Conc. Trid. V 791—797. [2] *Eph.* 2, 4. [3] *Ps.* 102, 14. [4] *Ez.* 18, 30. [5] *Luc.* 13, 3. [6] *Act.* 2, 38. [7] *Io.* 20, 22 sq.

bus fuisse communicatam, universorum patrum consensus semper intellexit, et Novatianos, ⟨remittendi potestatem⟩[a] olim pertinaciter negantes, magna ratione ecclesia catholica tanquam haereticos explosit atque condemnavit[1]. Quare verissimum hunc[b] illorum verborum Domini sensum sancta haec synodus probans et recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem praedicandi verbum Dei et Christi evangelium annunciandi ⟨contra huiusmodi sacramenti institutionem⟩[c] falso detorquent[2].

Cap. 2. De differentia sacramenti poenitentiae et baptismi.

Caeterum hoc sacramentum multis rationibus a baptismo differre[d] dignoscitur. Nam praeterquam quod ⟨materia et forma⟩[e], quibus sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet[f], constat certe, baptismi ministrum iudicem esse non oportere, cum ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non | [191r] prius in ipsam per ⟨baptismi ianuam⟩[g] fuerit ingressus. *Quid enim mihi* (inquit Apostolus) *de iis, qui foris sunt, iudicare?*[3] Secus est de domesticis fidei[4], quos Christus Dominus lavacro baptismi sui corporis membra semel effecit[h][5]. Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non iam repetito baptismo ablui (cum id in ecclesia catholica nulla ratione liceat), sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit, ut[i] per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum poenitentes confugerent[k], possent[l] liberari. Alius ⟨praeterea est⟩[m] baptismi et alius poenitentiae fructus. Per baptismum enim Christum ⟨induentes[6] nova prorsus in illo efficimur⟩[n] creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes; ad quam tamen novitatem et integritatem per sacramentum poenitentiae sine ⟨magnis nostris⟩[o] fletibus et laboribus, divina id exigente iustitia, pervenire nequaquam possumus, ut merito ⟨poenitentia laboriosus quidam baptismus a sanctis patribus dictus fuerit[7]. Est autem hoc sacramentum poenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut⟩[p] nondum regeneratis ipse baptismus[q].

Cap. 3. De partibus et fructu[r] huius sacramenti.

⟨Docet praeterea⟩[s] sancta synodus, sacramenti poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: ⟨*Ego te absolvo* etc.⟩[t], quibus quidem de ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter[u] adiunguntur[v], ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariae. Sunt[w] autem quasi materia[x] huius sacramenti ipsius[y] poenitentis actus[z], nempe contritio, confessio et satisfactio. Qui quatenus in poenitente ad

[a] *C 22* id; *in C 146 in marg. corr.* [b] *C 22 add.* et germanum
[c] *C 22 om.; C 146 haec verba add. in marg.* [d] *C 22* diversum esse
[e] *C 22* in verbo et elemento; *C 146* verbo et elemento, *quod postea est corr. in formam quae supra.*
[f] *C 22* dissident; *in C 146 corr.* [g] *C 22* baptismum [h] *C 123* efficit
[i] *C 22* nec aliter quam [k] *L, Richter* confugerint [l] *C 22 om.*
[m] *In C 119 notulis supra lineam additis significatur legendum esse* est praeterea; *sic etiam habet L.*
[n] *C 22* induimus novaque in illo efficimur [o] *L* nostris magnis
[p] *C 22* magnus ille theologus Gregorius Nazianzenus poenitentiam laboriosum quendam baptismum esse dixerit. Ex iis igitur perspicue colligitur sacramentum hoc poenitentiae tam esse lapsis post baptismum ad salutem necessarium, quam sit
[q] *C 22 add.* Quo veteres et sapientissimi patres nostri spectantes aptissima metaphora usi poenitentiam secundam post naufragium tabulam appellavere, quod nimirum intelligerent peccatores, qui priorem iustitiam et innocentiae gratiam, in qua tutior erat navigatio, amisissent, a peccati naufragio evadere non posse, nisi huic uni tabulae niterentur. In qua etsi non sine labore ad remissionis peccatorum portum pervenire conceditur, tutissimum tamen perfugium invenirent omnes, qui saluti suae prospectum esse vellent.
[r] *Richter* fructibus
[s] *C 22, C 146* Sacramenta omnia veteres patres in elementum et verbum, tanquam in materiam et formam, dividere consueverunt remque sacramenti, id est eius effectum ab ipso sacramento clare distinguendam esse admonuerunt. Declarat igitur; *in C 146 postea est corr., ut supra in textu.*
[t] *C 22, C 146* Absolvo te a peccatis tuis; *in C 146 postea est corr., ut supra in textu.*
[u] *C 22* decentissimae [v] *C 22 add.* quae etsi minime contemnendae aut negligendae sunt
[w] *C 22* Locum; *in C 146 corr.* [x] *C 22* materiae; *in C 146 corr.* [y] *C 22* ipsi
[z] *C 22 add.* obtinent; *in C 146 del.*

[1] *Eusebius,* Historia eccl. lib. VI cap. 43, 1—6. Die griech. christl. Schriftsteller der ersten drei Jahrh., *Eusebius* II 2, 612 sq.
[2] Cf. ex. gr. supra p. 236 adn. 10.
[3] *1 Cor.* 5, 12. [4] Cf. *Gal.* 6, 10.
[5] *1 Cor.* 12, 12 sq. [6] Cf. *Gal.* 3, 27.
[7] *Gregorius Naz.,* Oratio 39 in sancta lumina n. 17. *Migne,* P. gr. XXXVI 355/56.

integritatem sacramenti, ⟨ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem⟩[a] ex Dei institutione[b] requiruntur, hac ratione ⟨poenitentiae[c] partes⟩[d] dicuntur[e]. ⟨Sane vero res et effectus⟩[f] huius sacramenti, quantum ad eius vim et efficaciam pertinet, ⟨reconciliatio est cum Deo,⟩[g] quam interdum[h] in viris piis et cum devotione hoc sacramentum percipientibus[i] conscientiae pax ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet. Haec de partibus et effectu huius sacramenti sancta synodus ⟨tradens, simul⟩[k] eorum sententias damnat, qui poenitentiae partes[l] incussos conscientiae terrores et fidem[m] esse contendunt[n] [1].

Cap. 4. De contritione.

Contritio, quae primum locum inter dictos poenitentis actus habet, animi dolor ac[o] detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero. ⟨Fuit autem⟩[p] quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum ⟨hic contritionis motus necessarius, et⟩[q] in homine post baptismum lapso ita demum ⟨praeparat ad remissionem peccatorum,⟩[r] si cum ⟨fiducia divinae misericordiae et⟩[s] voto praestandi reliqua coniunctus sit[t], quae ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur. ⟨Declarat igitur sancta synodus, hanc contritionem⟩[u] non solum cessationem a peccato et vitae novae propositum et inchoa-
191v tionem[v], sed veteris etiam odium | continere, ⟨iuxta illud:⟩[w] *Proiicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum* [2]. Et certe, ⟨qui illos sanctorum clamores consideraverit⟩[x]: *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci* [3]; *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum* [4]; *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae*[y] [5], et alios huius[z] generis, ⟨facile intelliget,⟩[aa] eos ex vehementi quodam anteactae vitae odio et ingenti peccatorum[bb] detestatione manasse. Docet praeterea, ⟨etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare,⟩[cc] priusquam hoc sacramentum actu sus-

[a] *C 22* et plenum eius fructum percipiendum; *in C 146 corr.* [b] *C 22 add.* necessario
[c] *C 22 add.* quodam modo [d] *L* partes poenitentiae
[e] *C 22 add.* Accessit huic elemento ex traditione apostolica signum aliud sensibile impositionis manuum, quo nomine apud veteres patres hoc sacramentum non raro appellatur, nimirum quod hac caeremonia in reconciliandis et absolvendis peccatoribus uterentur [*cod.* puterentur]. Verum hic ritus in veteri ecclesia, dein et in nostra merito apud multos observatus, quamvis ad sacramenti ornatum spectet et elegantem rei, quae invisibiliter agitur, significationem prae se ferat, materia tamen huius sacramenti nunquam fuit existimata nec ceremonia quidem ad eius administrationem necessaria.
[f] *C 22* Porro rem et effectum; *C 146* sane vero rem et effectum, *quod postea est corr. in* res et effectus
[g] *C 22* remissionem peccatorum esse atque adeo reconciliationem cum Deo verba Domini [*C 146 hic add.* Quorum remiseritis peccata, remissa sunt et quorum retinueritis, retenta sunt] perspicue demonstrant; *quae omnia in C 146 sunt del. et redacta in formam textus ut supra.*
[h] *C 22* nonnumquam [i] *C 22 add.* ingens quaedam; *in C 146 del.*
[k] *C 22* tradit, quae, quoniam inanes et profanas vocum novitates vehementer aversatur
[l] *C 22 add.* vel; *in C 146 del.* [m] *C 22 add.* vel spiritus vivificationem et carnis mortificationem
[n] *C 22 add.* Licet enim sacramentum nullum consistere absque fide possit, ipsa tamen fides nullius pars constituitur, quod nec forma nec materia cuiusquam sit. Quodsi fidem sua auctoritate fiduciam divinae misericordiae interpretantur, illam profecto in accedente ad hoc sacramentum necessariam esse sancta synodus ingenue confitetur et aperte docet; illa tamen huius sacramenti pars nulla ratione poni potest, maxime cum per eam solam se iustificari certosque de remissione peccatorum temerarie et falso constituant. Terrores vero valent illi quidem ad excitandam poenitentiam; eius tamen pars dici nequaquam possunt, siquidem illi ad futura suppliciorum pericula tantum spectant, poenitentia vero in praeteritorum peccatorum recordatione et luctu versatur. Mortificatio autem et vivificatio perfectae poenitentiae fructus esse solent, partes vero poenitentiae nulla ratione constitui debent. *In C 146 legitur solummodo* Licet enim sacramentum ... *usque ad* cuiusquam sit; *et* Terrores vero valent ... *usque ad* et luctu versatur; *postea omnia sunt del.*
[o] *C 22* et [p] *C 22* Ostensum est autem supra
[q] *C 22* fuisse hunc contritionis motum necessarium atque
[r] *C 22* esse fructuosum; *in C 146 corr.* [s] *C 22 om.* [t] *C 22* esset
[u] *C 22* Hanc igitur declarat sancta synodus [v] *C 22 add.* ut quidam prave sentiunt
[w] *C 22* iuxta illam Ioannis admonitionem: «Memento unde excideris, age poenitentiam et prima opera fac.» Propheta etiam dixit; *in C 146 del.*
[x] *C 22* nemo attentus esse poterit ad illos clamores sanctorum doloris plenos
[y] *C 123, C 118, C 119 et Ro om.* [z] *L* huiusmodi
[aa] *C 22* innumerabiles per universam scripturam sparsos, qui non intelligat
[bb] *C 22* culpae in Deum commissae
[cc] *C 22* sancta synodus, etsi contritio hec aliquando perfecta esse et hominem Deo reconciliare soleat; *in C 146 corr.*

[1] Cf. supra p. 233 adn. 4 et p. 234 adn. 1—6. [3] *Ps.* 50, 6. [4] *Ps.* 6, 7.
[2] *Ez.* 18, 31. [5] *Is.* 38, 15.

cipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ⟨ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam⟩[a]. Illam vero contritionem ⟨imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam⟩[b] vel ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae et poenarum metu ⟨communiter concipitur⟩[c], si voluntatem peccandi excludat ⟨cum spe veniae⟩[d], declarat[e] non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem[f], verum etiam[g] donum Dei esse et Spiritus Sancti impulsum[h], non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adiutus[i] viam sibi ad iustitiam parat[k]. ⟨Et quamvis sine sacramento poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat,⟩[l] tamen[m] eum ad Dei gratiam ⟨in sacramento poenitentiae⟩[n] impetrandam disponit[o]. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitae ad Ionae praedicationem plenam terroribus poenitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt[p 1]. Quamobrem falso quidam calumniantur ⟨catholicos scriptores⟩[q], quasi tradiderint, ⟨sacramentum poenitentiae⟩[r] absque bono motu suscipientium gratiam[s] conferre, ⟨quod nunquam ecclesia Dei[t] docuit neque sensit. Sed et falso docent, contritionem[u] esse extortam et coactam, {non liberam et voluntariam}[v]⟩[w 2].

Cap. 5. De confessione.

⟨Ex institutione sacramenti poenitentiae iam explicata universa ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram[x] peccatorum confessionem[3], et omnibus post baptismum lapsis {iure divino}[y] necessariam existere, quia Dominus noster Iesus Christus, e terris ascensurus ad coelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit[4] tanquam praesides et iudices[5], ad quos omnia[z] mortalia crimina deferantur, in quae Christi fideles ceciderint,

[a] *C 22* sacramento ipsi in voto contritionis concepto esse adscribendam; *C 146 habuit* ipsi contritioni nonnisi per sacramenti virtutem, cuius votum in contritione concipitur, esse adscribendam; *quod postea est corr. C 22 hic add.* Cuius rei elegantissimum symbolum leprosi illi a Domino ad sacerdotes missi nobis demonstrarunt, qui, dum voci Christi auscultarent, euntes in via mundati sunt. In eum quoque sensum David non obscure cecinit: «Dixi, confitebor adversus me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.»

[b] *C 22* quam theologi attritionem vocant, quod imperfecta sit, et solum

[c] *C 22* qui servilis timor dicitur, concipiatur

[d] *C 22* et dolorem qualencunque de commissis delictis exprimat; *in C 146 corr.*

[e] *C 22* statuit hec sancta synodus et declarat

[f] *C 22 add.* (ut quidam blasfemare non verentur)

[g] *C 22 add.* sufficere ad sacramenti huius constitutionem ac [h] *C 22 add.* verissimum

[i] *C 22 add.* cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat; *in C 146 corr.*

[k] *C 22* munit; *in C 146 corr.* [l] *C 22 om.* [m] *C 22* et per; *in C 146* per *del.*

[n] *C 22 om. et add.* facilius; *in C 146* facilius *est postea del.*

[o] *C 22* disponitur; *in C 146 corr.*

[p] *C 22 add.* Ac etiam timoris ratione ductus adolescens ille, qui abierat in regionem longinquam ad patrem compunctus rediit et in eius gratiam restitutus est. Hic igitur imperfectus dolor, licet a sacramento poenitentiae seiunctus, per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, ut est tamen illi coniunctus, remissionem peccatorum et reconciliationem ita impetrat, ut persuasum in ecclesia Dei sit, pro Dei Optimi Maximi incomparabili erga nos beneficentia effici ex attritis contritos (ut theologi docent) sacramentum hoc suscipientes.

[q] *C 22* ecclesiae doctores [r] *C 22* sacramenta adultis collata [s] *C 22 add.* eis

[t] *In C 146 add. supra lineam.* [u] *C 146 add.* ita; *postea est del.*

[v] *In C 146 corr. ex* ut non sit libera et voluntaria

[w] *C 22* Semper enim pro indubitato in ecclesia Dei habitum est, adultos, ut per baptismum vel poenitentiae sacramentum iustificentur, illas saltem adhibere actiones debere, quas Dominus apud Marcum praedicationis suae exordium accipiens a peccatoribus exegit: «Quoniam appropinquabit (inquiens) regnum Dei, poenitemini et credite evangelio.» Quod vero quidam falso et perniciose hoc tempore docent, contritionem, ut est nunc explicata, extortam et coactam esse, non liberam aut voluntariam, longe est sane falsissimum. Nam licet ex magna et vehementi peccati detestatione dolor quidam in sensum quandoque necessario, tanquam eius effectus, derivetur, qui interdum etiam in copiosas lachrimas erumpit, non est tamen quovis modo coacta ac violenter extorta dicenda ipsa contritio, quae a nobis nonnisi volentibus proficiscitur. Ipse enim Dominus voluntariam se a nobis contritionem exigere haud obscure demonstrat, cum per Spiritum Sanctum quodam in loco quaeritur: «Dedi ei tempus poenitendi, et noluit poenitere a fornicatione sua.» Et cum per apostolum Paulum duros et impoenitentes his verbis repraehendit et revocat: «An ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit; secundum autem duritiem tuam et impoenitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die irae» etc.

[x] *In C 146 corr. ex* interam [y] *In C 146 add. in marg.*

[z] *In C 146 add. supra lineam.*

[1] *Ion.* 3. [2] Cf. supra p. 234 adn. 7 et 8.

[3] *Iac.* 5, 16; *1 Io.* 1, 9; *Luc.* 5, 14; 17, 14.

[4] *Matth.* 16, 19; 18, 18; *Io.* 20, 23.

[5] Cf. c. 51 *Verbum* de poen. dist. 1 (ex Ambrosio).

quo [1] pro {potestate clavium}[a] remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient.[b]⟩[c] Constat enim[d], sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse[e], nec aequitatem quidem illos in ⟨poenis iniungendis⟩[f] servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent[g]. ⟨Ex his colligitur, oportere⟩[h] a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri[i], etiamsi occultissima illa sint et tantum adversus duo ultima decalogi praecepta commissa [2], quae nonnunquam animum gravius sauciant, et periculosiora sunt iis, quae in manifesto admittuntur. Nam venialia, 192r ⟨quibus a gratia Dei non excludimur⟩[k] et in quae[l] fre|quentius labimur[m], quanquam recte et utiliter citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur (quod piorum hominum usus[n] demonstrat), taceri tamen citra ⟨culpam multisque aliis remediis expiari possunt⟩[o]. Verum, cum universa mortalia peccata, etiam cogitationis[p], homines *irae filios* [3] et Dei inimicos reddant, necessum est[q], omnium etiam veniam cum aperta et verecunda[r] confessione a Deo quaerere[s]. ⟨Itaque dum omnia, quae memoriae occurrunt, peccata Christi fideles confiteri student⟩[t], procul dubio omnia ⟨misericordiae divinae⟩[u] ignoscenda[v] exponunt. Qui vero secus faciunt et scienter[w] aliqua retinent, nihil divinae bonitati per sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat aegrotus vulnus medico detegere[x], quod ignorat, medicina non curat. Colligitur praeterea, etiam[y] eas circunstantias in confessione ⟨explicandas esse⟩[z], quae ⟨speciem peccati mutant⟩[aa], quod sine illis peccata ipsa

[a] *In C 146 corr. ex* excellentia potestatis clavium acceptae

[b] *In C 146 corr. ex* pronuntiarent

[c] *C 22* Ex institutione sacramenti poenitentiae iam explicata ecclesiae patres necessaria quadam et evidenti consequentia collegerunt, institutam esse a Domino etiam integram peccatorum confessionem et omnibus post baptismum lapsis praeceptam extitisse. Institutam quidem, quoniam declaratum est, Dominum ecclesiae sacerdotes tanquam praesides et iudices in quodam velut tribunali collocasse, ad quod capitalia omnia crimina deferrentur, in quae homines in Domini familiam cooptati recidissent, et de eo tribunali sacerdotes ipsi pro excellentia potestatis clavium acceptae remissionis peccatorum sententiam pronunciarent arbitraria pro suis cuiusque delictis mulcta ac satisfactione imposita.

[d] *C 22* autem [e] *C 22* debuisse; *in C 146 corr., ut in textu.*

[f] *C 22* mulctandis poenitentibus; *in C 146 corr., ut supra in textu.*

[g] *C 22 add.* Praeceptam porro hanc confessionem fuisse illud praecipue demonstrat, quod non alia ordinaria via Dominus lapsis post baptismum patere aditum ad reconciliationem et ingressum in coelum voluerit, quam ea ianua, quae sacerdotum clavibus aperiretur. Alioqui enim frustra atque in nullam adeo prorsus utilitatem claves regni coelorum illis communicatae fuissent, cum sic sint divinae bonitatis praesidia ordinata, quemadmodum magnus Leo loquitur, ut nisi supplicationibus sacerdotum indulgentia nequeat obtineri.

[h] *C 22* Nemo autem est, qui non videat necessaria etiam ratione ex his colligi enumerari; *in C 146 corr., ut supra in textu.*

[i] *C 22* oportere; *in C 146 corr., ut supra.* [k] *C 22* quae nobis Dei gratiam non detrahunt

[l] *C 22 add.* pro humana fragilitate [m] *C 22* prolabimur

[n] *C 22* sensus *et add.* et religionum recte institutarum probata consuetudo; *quod est in C 146 del.*

[o] *C 22* noxam possunt, quod non sint huius sacramenti necessaria materia multisque aliis remediis expiari possint; *in C 146 corr., ut supra. C 22 hoc loco insuper add.* Primos autem motus rationem praevenientes, cum rationem peccati non habeant, nulla lege confiteri compellimur.

[p] *C 22* quae sola cogitatione patrantur; *in C 146* patrantur *est corr. in* concipiuntur; *postremo est corr., ut supra.*

[q] *C 22 add.* haud dubie; *in C 146 postea del.* [r] *L* veneranda

[s] *C 22* exposci; *in C 146 corr., ut supra.*

[t] *C 22* Quare qui omnia quae memoriae succurrunt peccata confiteri volunt; *in C 146 corr., ut supra in textu.*

[u] *L, Richter* divinae misericordiae [v] *L* agnoscenda [w] *C 22 et C 146* scientes

[x] *C 22* confiteri [y] *C 22* necessarium etiam esse [z] *C 22* explicari

[aa] *C 22* aut speciem actus inmutant aut delictorum culpam vehementius vel augent vel extenuant; *in C 146 corr., ut supra.*

[1] Sic legitur in omnibus codicibus et praestantioribus editionibus, etiam apud *H. Denzinger,* Enchiridion symbolorum etc. usque ad editionem decimam, paratam a *Cl. Bannwart* anno 1908. In undecima autem editione edita anno 1911 (et sequentibus) idem *Bannwart* emendavit in *qui,* quod verbum referendum est ad praecedens *sacerdotes.* Sed hanc emendationem perperam factam esse omnes codices manuscripti docent. Insuper verbum *quo* hoc loco coniunctionem finalem esse (germanice *daß, damit*) textumque sensum obvium habere conspicuum est; quare corrigendus non est. Si vero primam huius textus formam inspicies (cf. adn. c), facile videbis, quo modo hoc verbum *quo* in textum venerit. Ibi enim legitur *Dominum sacerdotes tanquam praesides et iudices in quodam tribunali collocasse . . . et de eo tribunali sacerdotes . . . sententiam pronunciarent.* Referendum ergo esset verbum *quo* ad praecedens *tribunal,* quod tamen in textus aptatione suppressum est, vel, si mavis, textus forma supplenda esset secundum sensum principalem hoc modo: *quo in tribunali.*

[2] *Ex.* 20, 17; *Deut.* 5, 21; *Matth.* 5, 28.

[3] *Eph.* 2, 3.

nec[a] a poenitentibus integre exponantur, nec[b] iudicibus innotescant, et[c] fieri nequeat, ut[d] de gravitate criminum recte censere possint[e], et poenam, quam oportet, pro illis poenitentibus imponere. Unde[f] alienum a ratione est[g] docere, circunstantias has ab hominibus ociosis excogitatas fuisse, aut unam tantum circunstantiam confitendam esse, nempe peccasse in[h] fratrem[1]. ⟨Sed et impium est, confessionem, quae hac ratione {fieri praecipitur}[i], impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare[2]⟩[k]; constat enim, nihil aliud in ecclesia a poenitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiae suae sinus omnes et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt[l], in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur; ⟨pro quibus⟩[m] fideliter cum Propheta dicimus: *Ab occultis meis munda me, Domine*[n][3]. Ipsa vero huiusmodi[o] confessionis[p] difficultas ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus levaretur, quae omnibus digne ad hoc sacramentum accedentibus per absolutionem certissime conferuntur. Caeterum, quoad modum confitendi secreto apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui

[a] *L, Richter* neque [b] *C 22* et nisi illae; *in C 146 corr., ut supra.*
[c] *C 22 om.; in C 146 add. supra lineam.* [d] *C 22* eos; *in C 146 corr., ut supra.*
[e] *C 22* posse; *in C 146 corr., ut supra.*
[f] *C 22* Cum autem apud prophetas et apostolos in arguendis populi delictis Dominus circunstantiarum harum rationem maximam habeat easque ad excutiendum pudorem et scelerum gravitatem exaggerandam peccatoribus ob oculos ponat; *in C 146 corr., ut supra in textu.*
[g] *C 22 add.* prorsusque insanum [h] *C 146 del.; C 123 om.* [i] *In C 146 corr. ex* fiat
[k] *C 22* Impossibilem autem confessionem, quae hac ratione fiat, dicere aut carnificinam illam conscientiarum appellare, extremae impietatis et dementiae est.
[l] *Quae sequuntur usque ad finem capituli, in C 22 hanc habent formam* generali confessione sunt includenda, quae nihilominus remittuntur, quam si illa confitendo essent enumerata. Quamobrem Prophetae verbum: «Delicta quis intelligit», peccatorum cognitionem difficilem potius quam impossibilem esse pro more loquendi scripturarum insinuat. Eam vero difficultatem ita mollit nobis ac minuit supernum gratiae nos excitantis lumen, quo nobis tenebrae nostrae illustrantur atque indicantur, ut iam nobis divina luce perfusis difficile non sit delicta nostra cognoscere. Quodsi quaedam ex illis sint, quae mentis nostrae cogitationem aut memoriam effugiant, consolatur nos subiunctum eiusdem Prophetae verbum: «Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo.» Denique haec confessionis difficultas ac peccata retegendi verecundia acerba quidem et dura iure videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus, quae omnibus, qui digne ad hoc sacramentum accedunt, per absolutionem certissime conferuntur, mitigaretur. Regnum enim coelorum vim patitur, ut dixit Dominus, et violenti rapiunt illud. Caeterum delictorum confessionem secreto apud solum sacerdotem esse faciendam, Christiani non ab ullo humano praecepto, sed ab ipsa naturae lege atque adeo ab ipso Christo Domino, sacramenti huius auctore, instructi didicerunt. Nec enim fas sit vel cogitare, Christum, summam Dei sapientiam, talem instituisse confessionem, quae a iuris naturalis ordine declinaret. At si delicta, praesertim secreta, publica essent confessione aperienda, ingens inde profecto poenitentis infamia et periculum, audientium autem gravissimum scandalum plerunque oriri posse, nemo est, qui rem praescius expendens inficiari valeat. At vero, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis consulto prius Domini sacerdote in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem delicta sua publice aliis retegere vel ab aliis retegi, cum ob aliorum exemplum, tum ecclesiae offensae aedificationem, permittere possit, non est tamen hoc divino praecepto mandatum nec satis consulto humana aliqua lege praeciperetur, ut mirum non sit, Nectarium ex sua Constantinopolitana ecclesia ob scandalum populi sedandum, presbyterum illum poenitentiarium substulisse, qui post excitatam Novati haeresim ad reconciliandos peccatores sceleribus eorum patefactis in loco publico erat constitutus. Nam et Leonem Magnum similem quendam morem publice revelandi peccata tanquam contra apostolicam regulam minitantem, et per quem homines a salutaribus poenitentiae remediis arcebantur, in Campaniae Picenique ecclesiis damnasse comperimus. A quo sanctissimo pontifice cum vehementer fuerit secreta confessio, qua nunc ecclesia sancta utitur, commendata, manifeste repellitur vana et impudens calumnia eorum, qui recens eam in Dei ecclesiam invectam et a patribus in concilio Lateranensi congregatis traditam fuisse, docere non verentur. Confessionis profecto usus et exactae peccatorum enumerationis, quam varia illa in veteri lege sacrificia adumbrarunt, quae ad diversa peccatorum genera expianda ex praecepto Domini adhibebantur, non solum veteres ferme omnes et clarissimi ecclesiae doctores, sive graeci sive latini, tanquam rei necessariae et a Christo institutae meminerunt, sed ea etiam initio nascentis ecclesiae fideles fuisse usos, Apostolorum Acta manifeste testantur, in quibus legimus, multos credentium ad Paulum venisse confitentes et annuntiantes actus suos. Quamobrem, qui eam privatis episcoporum consultationibus in ecclesiam introductam aut traditionem humanam esse a piis abolendam contendunt, non debent aliud a nobis audire nisi sathanam et eius ministros hoc potius optare quam aliquando obtinere posse. Hanc enim saltem semel in anno omnibus Christifidelibus faciendam esse iuxta Lateranensis concilii decretum sancta haec synodus de integro statuit.
[m] *In C 146 corr. pro* quodsi quandam mentis nostrae cogitationem aut memoriam effugiant
[n] *C 146 add.* et ab alienis parce servo tuo [o] *C 146 add. supra lineam.*
[p] *C 146 hic add. supra lineam* huiusmodi, *quod postea est del.*

[1] Cf. supra p. 235 adn. 7. [2] Cf. adn. praecedentem et supra p. 236 adn. 1. [3] *Ps.* 18, 13.

humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob ecclesiae offensae aedificationem delicta sua publice confiteri possit, non est tamen hoc divino praecepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege praeciperetur[a], ut delicta, praesertim secreta, publica essent confessione aperienda. Unde cum a sanctissimis et antiquissimis patribus magno unanimique consensu secreta confessio sacramentalis, qua ab initio ecclesia sancta usa est et modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam et inventum humanum esse, atque[b] a patribus in concilio Lateranensi congregatis ⟨initium habuisse⟩[c], docere non verentur[1]; neque enim per Lateranense concilium ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod iure divino necessarium et[d] institutum esse intellexerat, sed ut praeceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur[2]. Unde iam in universa ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu observatur mos ille
192v salutaris confitendi sacro illo et maxime | acceptabili tempore Quadragesimae, quem morem haec sancta synodus maxime probat et amplectitur tanquam pium[e] et merito retinendum.

Cap. 6. De ministro huius sacramenti et absolutione.

⟨Circa ministrum autem huius sacramenti declarat sancta synodus, falsas esse et a veritate evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quae ad alios quosvis homines praeter episcopos et sacerdotes clavium ministerium perniciose extendunt, putantes verba illa Domini: *Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata*[f] *et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo*[3]; {et: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*[4],}[g]⟩[h] ad omnes Christi fideles indifferenter et promiscue ⟨contra institutionem huius sacramenti⟩[i] ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem[k], si correptus[k] acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem cuicunque factam[l 5]. ⟨Docet quoque, etiam sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus Sancti in[m] ordinatione collatam tanquam Christi ministros functionem remittendi peccata exercere[n], eosque prave sentire, qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt.⟩[o 6] ⟨Quamvis autem absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum

[a] *In C 146 corr. ex* praeciperentur [b] *In C 146 corr. ex* et
[c] *In C 146 corr. ex* traditam fuisse [d] *In C 146 corr. ex* est [e] *L* pie
[f] *In C 146 corr. ex* alligata; *L* alligata [g] *In C 146 add. in marg.*
[h] *C 22* Iesus Christus Dominus ac Redemptor noster, cui omne iudicium Pater dedit, Petro, quem vicarium in terra constituere decreverat, suae potestatis ministrum [!], priusquam pateretur, promisit. Post resurrectionem autem ascensurus in coelum, non Petro tantum, quanquam illi soli plenissime, verum etiam reliquis omnibus discipulis, quos tanquam dispensatores suorum sacramentorum in terris relinquebat, divinam illam suam iudicandi potestatem, quam a Patre acceperat, communicavit. Crassa igitur ignorantia se laborare demonstrant, qui putant verba Domini: «Quaecunque alligaveritis super terram, erunt alligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo»
[i] *C 22 om.; in C 146 add. supra lineam.* [k] *In C 146 corr. ex* correctionem *et* correctus
[l] *C 22 hic add.* Nam praeter patentem satis sensus absurditatem vel ipse suavis Evangelistae contextus docere eos poterat, Christum ad solos apostolos, ut sententiam adversus fratrem ferrent ecclesiam non audientem, illa verba dixisse. Nec enim cum ratione coniunctum esse quisquam existimaverit, veteris quidem et umbratilis sacerdotii in iudicandis causis ad legem spectantibus auctoritatem penes paucos tantum fuisse, evangelicam autem et vere divinam clavium potestatem, quae incomparabiliter praestantior est, quibusvis Christifidelibus, etiam parvulis et mulierculis, communem esse Christum voluisse. Declarat proinde nunc sancta synodus, falsas esse et a veritate evangelii alienas doctrinas omnes, quae ad alios quosvis homines praeter episcopos et sacerdotes ordinariam et subdelegatam auctoritatem habentes hoc clavium ministerium perniciose extendunt.
[m] *C 146 hic del.* legitima
[n] *C 146 hic del.* nam et Paulus non suo, sed Christi nomine donavit, quod donavit; unde patet
[o] *C 22* Illos etiam anathematizat et damnat, qui prave Domini verba interpretantes in malis ministris, qui peccato aliquo polluti et Spiritus Sancti gratia iustificante destituti sunt, hanc potestatem negant residere. Nam quia in maxima animorum anxietate versarentur fideles, si veritas sacramenti aut eius effectus a bonitate et sanctitate ministri penderet — quis enim de sacramento suscepto certus unquam esse posset? — declarat haec sancta synodus, sacerdotes omnes etiam peccatores, per virtutem Spiritus Sancti in legitima ordinatione concessam, quae indelebili quadam ratione in eis affixa est, ita functionem remittendi peccata, non suo nomine quidem, sed tanquam Christi ministros, cuius haec potestas proprie est, exercere. Quare merito Paulus dixit: «Nam et ego, quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.»

[1] Cf. supra p. 235 adn. 1 et 2. [4] *Io.* 20, 23. [5] Cf. supra p. 237 adn. 2.
[2] Cf. supra p. 252 adn. 9. [3] *Matth.* 18, 18. [6] Cf. supra p. 237 adn. 1.

ministerium vel annunciandi evangelium, vel declarandi remissa esse peccata [1], sed {ad instar}[a] actus iudicialis, quo ab ipso velut a iudice sententia pronunciatur.⟩[b] ⟨Atque ideo non debet poenitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri⟩[c], ut, etiamsi nulla ⟨illi adsit contritio⟩[d], aut sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit, putet tamen se propter suam solam fidem vere et coram Deo esse[e] absolutum. Nec enim[f] fides sine poenitentia remissionem ullam peccatorum praestaret, nec is esset nisi salutis suae negligentissimus, qui sacerdotem ioco se absolventem cognosceret, et non alium serio agentem sedulo requireret.

Cap. 7. De casuum reservatione.

⟨Quoniam igitur natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in ecclesia Dei fuit et verissimum esse synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere[g], quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam[h] aut subdelegatam non habet iurisdictionem.⟩[i] ⟨Magnopere vero⟩[k] ad christiani[l] populi disciplinam pertinere sanctissimis patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur, unde[i] merito[m] pontifices maximi pro suprema[i] potestate sibi in ⟨ecclesia universa⟩[n] tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt[o] peculiari iudicio[p] reservare. Nec[q] dubitandum est[r], (quando omnia, quae a Deo sunt, ordinata sunt [2]), quin hoc idem episcopis omnibus in sua cuique diocesi ⟨(in aedificationem tamen, non in destru|ctionem)⟩[s] liceat pro ⟨illis in subditos tradita⟩[t] supra[u] reliquos inferiores 193r sacerdotes auctoritate[v], ⟨praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa

[a] *In C 146 corr. ex* vere

[b] *C 22* Absolutionem porro ipsam statuit sancta synodus non esse tantum nudum ministerium annuntiandi evangelium seu declarandi confitenti remissa esse peccata, ut quidam allucinantur. Alioqui concionatores concedere deberemus suos omnes auditores fere semper, cum verbum Dei proponunt, absolvere, quia in hac annuntiatione praecipue versantur. Nec certe aliud munus clavium est magis proprium quam aperire et claudere, non, quid clausum aut quid apertum sit, declarare. Nec peculiari sane ulla potestate fuisset opus ad hoc ministerium, quo promiscue uti omnes possunt, si in sola annuntiatione situm esset. Eam igitur absolutionem praesenti decreto sancta synodus tradit a sacerdote iudiciali more ac per sententiam conferendam, quae verbis conceptis et perscriptis cum recta intentione pronuntietur. Quamobrem peccatores ante hoc tribunal tanquam reos et testes atque accusatores adversus se ipsos sisti oportuit, quos, quia sacerdotes sine eorum spontanea confessione absolvere pro voluntate non possunt, pro officio suo debent eorum conscientias diligenter explorare, ut pro qualitate criminum tales sententias in hoc spirituali foro proferre valeant, quas supremus iudex ut ratas ac validas sua auctoritate confirmet in coelis. Quamvis enim absolutio alieni beneficii sit dispensatio, debet tamen prudenter et fideliter a sacerdote dispensari, ut merito Paulus admonuerit: «Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores ministeriorum [!] Dei. Hic iam quaeritur inter ministros, ut fidelis quis inveniatur.»

[c] *C 22* Non debet etiam quisquam poenitentium tantum de sua fide praesumere

[d] *C 22* contritio sibi suffragetur [e] *C 22 om.; in C 146 add. supra lineam.*

[f] *C 22 add.* aut; *in C 146 del.*

[g] *In C 146 add. supra lineam.* [h] *In C 146 corr. pro* legitimam [i] *C 22 om.*

[k] *C 22* Quoniam magnopere [l] *C 22* ecclesiae aedificationem et; *in C 146 corr.*

[m] *C 22 add.* sane [n] *C 22* ecclesiam universam; *in C 146 corr.* [o] *C 22* poterant

[p] *C 146 hic add. in marg.* in aedificationem tamen, non in destructionem; *postea del.*

[q] *Ro, L et Richter* neque [r] *Richter* esset

[s] *C 22 om.; in C 146 add. in marg.; cf. supra adn. p.*

[t] *C 22* excellenti eorum; *in C 146 corr.* [u] *C 22* in

[v] *C 22 usque ad finem capituli hanc habet formam* Caeterum hanc delictorum reservationem, cum magnis et iustis de causis fit, ut certe fieri debet, non tantum in extrema [!] politia, sed etiam coram Deo vim habere, nulli ambigendum est, qui verba Christi ad eos in apostolis dicta diligentius expenderit. «Quaecunque (ait) ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo.» Haec igitur reservatio, quae praeter canonicam poenam culpam ipsam praecipue compraehendit, tantum disciplinae ecclesiasticae commodum affert, ut tolli absque maxima eius ruina et labefactatione non possit. Nam cum vehementer illa homines a gravissimis sceleribus et flagitiis deterret veniae difficultate proposita, tum haud absque magno fructu profecto omnes commonefacit, ut suum quisque in sua dioecesi episcopum et unum omnes in universo orbe vicarium Christi et supremum ecclesiae eius moderatorem agnoscant et reverentur. Ad hanc rem tam rei publicae utilem et fructuosam reges et mundi principes aspicientes quasdam graviores causas suae cognitioni ac tribunali reservarunt, ad quas decidendas, si inferior potestas inconsulte sese ingereret, nihil profecto validum efficere posset. Moyses etiam in veteri lege regendi populum potestate septuaginta senioribus communicata maiores quasdam controversias sibi iudicandas merito retinuit. Quoniam igitur natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in ecclesia Dei fuit et verissimum esse synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse, quam sacerdos in eum profert, in quem legitimam aut subdelegatam quoad casum reservatum non habet

[1] Cf. supra p. 236 adn. 9—11. [2] Cf. *Rom.* 13, 1.

est⟩[a]. Hanc autem delictorum reservationem ⟨consonum est divinae auctoritati non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Veruntamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt[b]⟩[c]; extra quem articulum[d] sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum[e] poenitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant.

Cap. 8. ⟨De satisfactionis necessitate et fructu.⟩[f]

⟨Demum quoad satisfactionem, quae ex omnibus poenitentiae partibus, quemadmodum a patribus nostris christiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita una maxime nostra aetate summo pietatis praetextu impugnatur ab iis, qui speciem pietatis habent, virtutem autem eius abnegarunt, sancta[g] synodus declarat, falsum omnino esse et a verbo Dei alienum,⟩[h] culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam poena condonetur. Perspicua enim et illustria in sacris literis exempla reperiuntur, quibus ⟨praeter divinam traditionem⟩[i] hic error quam manifestissime revincitur[k] [1]. Sane et divinae iustitiae ratio

iurisdictionem. Verum licet haec generaliter et in universum vera sint, pie tamen admodum et sanctissime fuit semper in ecclesia Dei custoditum, ut nulla in his absolvendis reservationis ratio habeatur, qui in mortis articulo sunt constituti, in quo cuicunque sacerdoti quemlibet a quibusvis peccatis plena absolvendi facultas iure concessa est. Extra quem suo se pede metiri prudentes sacerdotes debent nihilque supra suam potestatem temere aut frustra attentare. Quare, ubi se nihil posse agnoverint, id unum diligenter poenitentibus persuadere nitantur, ut illi ad superiores et legitimos iudices consulendos accedere non vereantur. «Quae enim sunt, a Deo ordinata sunt», ut sapientissimus Paulus admonuit.

[a] *In C 146 add. supra lineam.* [b] *L* possint

[c] *C 146 hanc habuit formam, quae postea est del. et corr.* non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere nulla ratione est ambigendum. Pie tamen admodum in eadem ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla in his absolvendis reservationis ratio habeatur, qui in mortis articulo sunt constituti, in quo cuicunque sacerdoti quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis plena absolvere facultas rationabiliter concessa est. [d] *C 146 add. supra lineam.* [e] *C 146 hic del.* diligenter

[f] *C 22* De necessitate satisfactionis et eius fructibus. [g] *C 146 hic del.* igitur

[h] *C 22* Ut nulla extitit ex omnibus poenitentiae partibus, quae aut vehementius olim a sanctissimis ecclesiae patribus commendaretur aut frequentius et pro concionibus et libris editis christiano populo inculcaretur, quam debita pro peccatis satisfactio, ita nulla plane est, ad cuius eversionem novi magistri pro Christi gloria se zelare simulantes acrius his temporibus incubuerint, nulla, quam tanta contentione et dimicatione oppugnarint. Sed ita sane divina providentia factum est, ut huius rei veritas tot concertationibus agitata purior multo et rutilantior in communem omnium et publicam utilitatem iam prodeat. Sancta igitur synodus declarat primum nunquam in ecclesia Dei fuisse dubitatum, cum duo sint sacramenta a Christo Domino in reconciliationem instituta, per quae una eademque passionis eius virtus hominibus applicaretur, non tamen parem fructum ex utriusque susceptione homines percipere. Per baptismum enim ita culpam remitti Deus voluit, ut omnis etiam sive aeterna sive temporalis poena simul relaxetur, cum ibi virtus passionis Christi per modum vitae communicetur. At per poenitentiae sacramentum culpam quidem et reatum aeternae poenae pro sua erga nos incomprehensibili charitate tolli instituit, quia tamen iustus Dominus et iustitias diligens passionem Christi per modum medicinae, quae pro varia suscipientium dispositione suam vim exercet [*Cod.* exerit], nobis applicari voluit, et poenam temporalem magno cum nostro commodo nobis exolvendam reliquit. Quamobrem falsum omnino est et a verbo Dei alienum, quod quidam hac nostra tempestate perniciosissime docent [i] *C 22 om.*

[k] *C 22* revinci potest; *reliqua huius capituli in C 22 hanc habent formam* Nam cum Adae, Moysi et Davidi, ut alios multos omittamus, admissum peccatum Dominus clementer condonasset, post indulgentiam tamen multiplici temporalium poenarum ratione in eos animadvertit. Quare David, qui ex ore prophetae Nathan audiverat: «Dominus quoque transtulit peccatum tuum», non ignorans divinae misericordiae rationem cum iustitia vindice esse coniunctam, clamabat: «Amplius lava me ab iniquitate mea et a peccato meo munda me.» Et iterum: «Averte faciem tuam a peccatis meis et omnes iniquitates meas dele.» Quodsi cuncta, quae cum homine in eius salutem a Deo aguntur, summa cum providentia et sapientia coniuncta sunt, haud dubie cogitandum non est, quin multis magnique ponderis rationibus haec nobis satisfaciendi indicta necessitas nitatur. Nam id in primis divinae iustitiae ratio postulabat, ut aliter ab eo in gratiam reciperentur, qui fide et Christi agnitione destituti, ut sunt nondum baptismo initiati, imprudentes et per ignorantiam deliquissent, alia vero ratione admittendos, qui semel a peccati et daemonis servitute liberati et Spiritu Sancto coelitus donati, tanto tamen Dei dono despecto atque abiecto scientes ac prudentes templum Dei violaverunt et Spiritum Sanctum contristare non dubitavere. Qui enim novit voluntatem Domini nec illam fecit, magis vapulare debet. Et languido post recuperatam apud piscinam sanitatem in typum eius, qui a morbo peccati per baptismum sanatus est, dixit Dominus: «Ecce sanus factus es; iam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.» Quare, etsi peccatoribus ad thronum gratiae accedentibus sinum misericordiae suae clementissimus Deus non claudat multumque de severitate punitionis, quam peccata promerentur, detrahat, ne tamen vel filiorum delicta impunita remanerent, illos iam sibi reconciliatos mitiori quadam et paterna castigatione plectendos esse iustissime decrevit. Unde illa Domini vox: «Ego quos amo, arguo et castigo.» Exigit praeterea divinae clementiae honor

[1] Cf. *Gen.* 3, 16 sqq.; *Num.* 12, 14 sq.; 20, 11 sq.; *2 Reg.* 12, 13 sq.

exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ⟨ante baptismum⟩[a] per ignorantiam deliquerint[b]; aliter vero, qui semel a peccati et daemonis servitute liberati, et accepto Spiritus Sancti dono, scientes[c] templum Dei violare[d 1] et Spiritum Sanctum contristare non formidaverint[e 2]. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, velut iniurii et contumeliosi Spiritui Sancto[3] in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die irae[4]. Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi freno quodam cohercent hae satisfactoriae poenae, cautioresque et vigilantiores in futurum poenitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo com-

qualescunque has satisfactiones nostras, ne, si ullis sumptis de peccatoribus poenis peccata semper condonarentur, ipsius Dei misericordiae iniurii et contumeliosi essemus illamque peccata peccatis addendo conculcaremus, cum facilitas veniae (ut iura rectissime loquuntur) incensivum praebeat delinquendi. Accedit ad haec, quod magnopere a peccato revocant et quasi freno quodam cohercent hae satisfactoriae poenae cautioresque et evigilantiores in futurum poenitentes efficiunt. Medentur quoque peccati reliquiis et vitiosos delictorum habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus solvunt. Nec certior ulla via in ecclesia Dei unquam fuit ad emolliendam aut certe mitigandam impendentem a Domino poenam, quam si haec poenitentiae opera homines cum vero animi dolore adhiberent. Postremo per hanc satisfaciendi disciplinam Christo, qui pro peccatis amplissime suo sanguine satisfecit, conformes fieri illique pro ratione gratiae fidelibus impertitae compati singulari beneficio conceditur. Et ut perfectius hac in parte Christo, qui pro alienis peccatis satisfecit, assimilari possemus, non modo nos dignatus est ad satisfactionem pro nostris delictis faciendam, sed etiam pro aliorum peccatis expiandis admittere. In quem sensum vas electionis describere non dubitavit: «Adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea pro eius corpore, quod est ecclesia.» Falsissimum proinde est, quod hic urgent nonnulli, meritum passionis Redemptoris satisfactionibus nostris aut obscurari aut ex parte aliqua imminui; quod et sancta synodus iam declaravit et nunc de integro contestatur, una scilicet Christi morte abunde aeterno Patri pro totius mundi delictis esse satisfactum, unicum illum Dei agnum et propitiatorem esse, per quem non culpa peccatorum modo, sed omnis etiam poenae reatus aboletur, nullamque in satisfactionibus nostris ad Deum placandum vim sitam esse, quae non sit ex ipsa Christi passione mutuata, satisfactionem, quae culpam et poenam aeternam expiat, soli mediatori [*Cod.* meditatori] Christo esse adscribendam. Verum ille ita pro sua sapientia mortis suae sacrificium obtulit atque ita aeterno Patri pro sua infinita aequitate placuit illud acceptare, ut crucis meritum his, qui post baptismum lapsi sunt, quantum ad poenam temporalem attinet, sine illorum afflictionibus et satisfactionibus non applicaretur nec mortis suae fructum eis valere, nisi Filio suo passo compaterentur et satisfacienti veluti consatisfacerent, qui pro omnibus passus, omnibus etiam exemplum reliquit, ut eius vestigia sequeremur. Hos igitur tam salutares fructus praevidens Deus admirabili providentia nostrae saluti consulere volens, neminem, qui a baptismi iustitia excidisset, in gratiam suam recipere proposuit, quin ab eo dignos poenitentiae fructus exigeret. Unde satisfactionem sacramentalem hinc ortum habuisse sancta synodus declarat, quod instituerit Dominus, ut sacramentum hoc per sententiam iudicis in quodam velut conscientiarum tribunali administraretur. Nulla autem aequitas patitur, ut, qui susceptam Christi gratiam impie conculcavit, iterum eam per sententiam iudicis absque ulla punitione recipiat. Inde in ecclesia creditum semper fuit, hanc fuisse Domini voluntatem, ut nemini absolutio regulariter sine aliqua satisfactione conferretur. Nam quamvis accidere possit aliquando, ut Deus pro sua clementia vehementem poenitentis contritionem pro integra satisfactione recipiat, non vult tamen vel sacerdotem ab imponenda poena cessare vel poenitentem ab ea solvenda manere liberum, quoniam neutri suam ipse voluntatem patefecit. Debent ergo Domini sacerdotes, quantum prudentia et spiritus suggesserit pro qualitate criminum et poenitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones iniungere, ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis indicendo alienorum peccatorum participes efficiantur. Idcirco id in primis prae oculis habeant, ut satisfactio, quam imperant, non sit illa tantum praeteriti peccati vindicta, sed etiam novae vitae medicamentum. Nec propterea saluberrima clavium potestas, quae vitae et spiritus ministerium est, forum fit irae vel poenarum, ut quidam stulte obiiciunt. Nam ut non minus sunt ad solvendum quam ad alligandum communicatae a Christo claves, quod olim Novatiani intelligere noluerunt, ita non minus in usum ligandi, cum est opus, quam in ministerium solvendi, quod nostri temporis novatores admittere recusant, sunt concessae. Mediator enim Dei et hominum, homo Christus Iesus, hanc praepositis ecclesiae tradidit potestatem, ut confitentibus satisfactionem poenitentiae darent, ut eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Quare nec fictio est aut somnium aeterna supplicia in temporales poenas virtute clavium commutari. Hac enim aut simili loquendi ratione, quam frequentius theologi et interdum veteres patres usurparunt, nihil aliud significari voluerunt, quam peccatorem ab aeternis gehennae suppliciis per sacerdotis absolutionem liberatum ad temporarias luendas poenas pro peccatorum ratione vel a sacerdote impositas vel a Deo exigendas obligari. Quod vero haec satisfactionis vox nullibi in canonicis scripturis reperiatur, neminem sanae mentis movere debet, cum satis constet rem ipsam apertissime et luculentissime fuisse nobis expressam et quasi digito praemonstratam. Quid enim aliud sunt apud Ioannem Baptistam fructus digni poenitentiae? Aut apud Paulum fideles iudicare se ipsos? Denique elemosinis redimere peccata apud Danielem? Quibus atque aliis quam plurimis sacrarum litterarum testimoniis veteres ecclesiae doctores instructi neque rem abhorruerunt neque vocem, quam frequenter usurpant, aversati sunt, ut sine ulla prorsus ratione quidam hac voce, quasi periculosum sensum habeat, turbari videantur, trepidantes timore, ubi non est timor.

[a] *In C 146 corr. pro* extra Christi fidem [b] *In C 146 corr. pro* deliquerent [c] *L* scienter
[d] *In C 146 corr. pro* violaverint [e] *In C 146 corr. pro* dubitaverint

[1] Cf. *1 Cor.* 3, 17. [2] Cf. *Eph.* 4, 30. [3] Cf. *Hebr.* 10, 29. [4] Cf. *Rom.* 2, 5; *Iac.* 5, 3.

paratos contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino poenam, quam ut haec poenitentiae opera[1] homines cum vero animi dolore frequentent[a]. Accedit ad haec, quod, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit[2], ex quo omnis nostra sufficientia est[3], conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod, si compatimur, et conglorificabimur[4]. Neque vero ita[b] nostra est satisfactio haec, quam pro peccatis nostris exolvimus, ut non sit per Christum Iesum; nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus[5], eo cooperante, qui nos confortat[c], omnia possumus[6]. Ita non habet homo unde glorietur; sed omnis gloriatio nostra in Christo est[7], in quo vivimus, in quo meremur[d] [8], in quo satisfacimus, facientes *fructus dignos poenitentiae*[9], ⟨qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum ac-
193v ceptantur a Patre⟩[e]. Debent ergo sacerdotes Domini, | quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones iniungere, ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem; nam claves sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed et[f] ad ligandum[10] concessas etiam antiqui patres et credunt et docent. Nec propterea existimarunt, sacramentum poenitentiae esse forum irae vel poenarum, sicut nemo unquam catholicus sensit, ex huiusmodi nostris satisfactionibus vim meriti et satisfactionis Domini nostri Iesu Christi vel obscurari, vel aliqua ex[g] parte imminui[h]; quod dum novatores intelligere[i] nolunt[k], ita optimam poenitentiam novam vitam esse docent[11], ut omnem satisfactionis vim et usum tollant.

Cap. 9. ⟨De operibus satisfactionis.⟩[l]

[m] Docet praeterea, tantam esse divinae munificentiae largitatem, ut non solum poenis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura de-

[a] *In C 146 corr. pro* adhibeant [b] *In C 146 corr. pro* adeo [c] *L* conformat [d] *C 123* morimur
[e] *In C 146 add. in marg.; insuper hoc loco del.* Per hanc satisfaciendi disciplinam Christo, qui pro peccatis amplissime suo sanguine satisfecit, conformes fieri illique pro ratione gratiae fidelibus impertitae compati singulari beneficio conceditur. [f] *C 123 om.* [g] *In C 146 add. supra lineam.*
[h] *In C 146 corr. pro* minui [i] *C 146 hic del.* vel non possunt vel [k] *L, Richter* volunt
[l] *C 22* De operibus quibus perficienda est satisfactio.
[m] *In C 22 hanc habet formam* Qui novam vitam optimam poenitentiam esse praedicant, si in eum sensum loquantur, ut satisfactionis vim et energiam nobis eripiant, quam totam in una sola fide apprehendente Christum pro peccatis satisfecisse positam esse impie contendunt, turpissime profecto et perniciosissime labuntur. Non enim sufficit mores in melius commutare et a factis malis recedere, nisi et de his, quae facta sunt, satisfiat Deo per poenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium cooperantibus elemosinis, ieiuniis et orationibus. Porro universae satisfactiones nostrae ad haec tria operum genera praecipue referuntur, quibus poenitentes triplicem illam concupiscentiam gratiae Dei perpetuo bellum indicentem et ad peccata sollicitantem reprimere possunt. Oratione enim superbia vitae deprimitur; ieiunio concupiscentia carnis extinguitur; elemosinis oculorum concupiscentia restringitur atque hac ratione veteri homine mortificato novus atque interior homo Dei cultui liberius vacare potest, ut non solum per hanc satisfactionis disciplinam gratia Dei non minuatur aut obscuretur, verum etiam amplius se proferat atque ex talibus et tam generosis fructibus, quos in poenitente gignit, illustrior et gloriosior appareat. Docet igitur sancta synodus tantam esse divinae munificentiae largitatem, ut non tantum poenis sponte pro vindicando peccato a nobis susceptis aut sacerdotis arbitrio pro gravitate scelerum impositis nos apud Deum Patrem satisfacere possimus, sed etiam (quod maximum amoris argumentum est) temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis; ad quae magno animo perferenda a doctore gentium hunc in modum admonemur: «Fili mi, noli negligere disciplinam Domini nec fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit.» Nec modo per laboriosas tantum aut indebitas actiones, quae supererogationis opera vocantur, sibi satisfieri Deus voluit, verum etiam interdum per non ita laboriosa a Christianae vitae exercitia atque adeo per divinorum praeceptorum observantiam. Cum autem post expletam sacramentalem satisfactionem saepenumero restare soleat non parva adhuc temporalis illius poenae portio luenda, quam Dominus in suo arcano et iusto iudicio ad plenam delictorum expiationem decrevit, cum poenitentem per sacerdotis absolutionem reconciliavit, et quam in purgatorio severius exiget, nisi illam, dum vivimus, pendere studeamus, ideo hortatur sancta synodus Christianos omnes, ne post solutam iniunctam satisfactionem securi dormiant et ocio et torpori se dedant, quasi Dominum omnino placatum habeant, quin vigilent potius et bonis

[1] Cf. *Matth.* 3, 2 8; 4, 17; 11, 21.
[2] Cf. *Rom.* 5, 10; *1 Io.* 2, 1 sq.
[3] Cf. *2 Cor.* 3, 5. [4] Cf. *Rom.* 8, 17.
[5] Cf. *2 Cor.* 3, 5. [6] Cf. *Phil.* 4, 13.
[7] Cf. *1 Cor.* 1, 31; *2 Cor.* 10, 17; *Gal.* 6, 14.
[8] Cf. *Act.* 17, 28. [9] *Luc.* 3, 8.
[10] Cf. *Matth.* 16, 19; 18, 18; *Io.* 20, 23.
[11] Cf. supra p. 238 adn. 1.

licti impositis, sed[a] etiam (quod maximum amoris argumentum est) temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per Christum Iesum satisfacere valeamus.

Doctrina de sacramento extremae unctionis.

⟨Visum est autem sanctae synodo, praecedenti doctrinae de poenitentia adiungere ea, quae sequuntur[b], de sacramento extremae unctionis, quod non modo[c] poenitentiae, sed et totius christianae vitae, quae perpetua[d] poenitentia {esse debet}[e], consummativum existimatum est a patribus. Primum itaque circa illius institutionem declarat et docet, quod clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis praeparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviori spiritus incommodo possint, ita extremae unctionis sacramento finem vitae tanquam firmissimo quodam praesidio munivit. Nam⟩[f] etsi adversarius noster[g] occasiones per omnem vitam quaerat et captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit[1], nullum tamen tempus est, quo[h] vehementius ille omnes suae versutiae nervos intendat[i] ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinae misericordiae deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitae prospicit[k].

Cap. 1. De institutione sacramenti extremae unctionis[l].

[m]Instituta est autem ⟨sacra haec⟩[n] unctio infirmorum tanquam vere et proprie sacramentum ⟨novi testa|menti⟩[e] a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem[o] insinuatum[2], 194r

operibus sedulo incumbant memores illius divinae sententiae: «De propitiato peccato noli esse sine metu, nec adiicies peccatum peccato.» Haec est in orthodoxa ecclesia antiqua et verissima de satisfactione tradita doctrina. Ignota vero Catholicis sunt, quae nonnulli de satisfactionibus, quae traditiones humanas impudenter appellant, ad conflandam eis apud populum invidiam studiose imponunt et falso calumniantur, nempe ecclesiam docere, in satisfactionibus aliquid amplius fieri, quam lex Dei praecipiat, Christi satisfactione redimi culpam, nostra vero mortem aeternam; illius sanguinem originale peccatum sustulisse, actualia vero delicta nostris esse satisfactionibus expianda, meritis horum operum, contritionis scilicet, confessionis et satisfactionis fideles expiare peccata, propitium sibi Deum reddere ac vitam aeternam promereri. Haec autem et his similia, in quibus confingendis studiosi sunt haeretici, quam sint ab orthodoxa patrum fide ac doctrina aliena, ex his, quae sancta synodus supra docuit, non obscure intelligi potest. Corruunt etiam, quae de canonicis satisfactionibus, quas sine magna et aperta impudentia negare non poterant, commenti sunt, illas videlicet in concilio Nicaeno exortas, cum ante illud saeculum tempore Cypriani, Tertulliani, Irenei et aliorum vetustissimorum patrum ecclesiae notae et in ea usitatae fuerint. Falso etiam docent, illas quondam exempli tantum vel disciplinae vel probandi fideles causa fuisse a patribus institutas, cum non ob illas rationes tantum, sed etiam ad remissionem temporalis poenae intuitu peccati exolvendae potissimum imponerentur. Quod magnus ecclesiae doctor Augustinus verissimum ex his verbis clare ostendit: «Accedat peccator ad antistites ecclesiae et accipiat satisfactionis suae modum et id agat, quod non solum illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam caeteris ad exemplum.»

[a] *In C 146 add. supra lineam.* [b] *In C 146 corr. ex* dicuntur
[c] *C 146 hic del.* ipsius sacramenti [d] *In C 146 corr. pro* propria quaedam est
[e] *In C 146 add. in marg.* [f] *C 22 om.* [g] *C 22 add.* diabolus tanquam leo rugiens
[h] *C 22* cum; *in C 146 corr.* [i] *C 22* intendit; *in C 146 corr.*
[k] *L* perspicit; *C 22 hic prosequitur* Nullo enim tempore aeque imbecillo ac fracto corpore et animo esse homines solent, ac cum in extremo agone cum morte luctantur. Sed clementissimus Redemptor noster . . . *etc., ut supra l. 8 usque ad* quodam praesidio munivit *(supra l. 12).*
[l] *Neque in C 22 et C 119 neque in C 146 doctrina de extrema unctione distinguitur in capita.*
[m] *In C 22 primum caput hanc habet formam* Docet igitur sancta synodus, extremam hanc infirmorum unctionem vere et proprie novi testamenti esse sacramentum a Christo quidem Domino institutum, per apostolos vero, qui (ut apud Marcum legitur) oleo ungebant aegrotos et sanabantur, delineatum et insinuatum, per Iacobum autem, apostolum ac Domini fratrem cap. 5 suae canonicae epistolae fidelibus commendatum atque promulgatum fuisse, dum ait: «Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros ecclesiae, et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei.» Quibus verbis nullam sacramenti partem, quam non explicaret, omisit. Docet enim in primis, oleum, quod ex more sanctae ecclesiae ab episcopo consecratum ac benedictum esse debet, materiam esse huius sacramenti, aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentans. Formam [*C 22 falso* Forsan] deinde apostolus ostendit in oratione sacerdotis deprecatoria, quod huic sacramento peculiare est ac proprium, positam esse. Haec autem, ut nobis patres velut per manus tradiderunt, talis est: Per istam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid per visum deliquisti. Ad eundem modum sex aliae unctiones fiunt ad alias corporis partes accommodatae, in quibus diversae orationes pro ipsarum partium varietate adhibentur.
[n] *Richter* haec sacra [o] *In C 146 hic del.* ubi apostoli oleo ungebant aegrotos

[1] Cf. *1 Petr.* 5, 8. [2] Cf. *Marc.* 6, 13.

per Iacobum autem apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum. *Infirmatur* (inquit) *quis in vobis? Inducat praesbyteros ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et, si in peccatis sit, dimittentur ei*[1]. Quibus verbis, ut ex apostolica traditione per manus accepta ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum et effectum huius salutaris sacramenti. Intellexit enim ecclesia, materiam esse oleum ab episcopo benedictum; ⟨nam unctio⟩[a] aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentat; formam deinde esse illa verba: *Per istam unctionem* etc.

Cap. 2. De effectu huius sacramenti.

Res porro et effectus huius sacramenti illis verbis explicatur: *Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et, si in peccatis sit, dimittentur ei*[2]. Res etenim haec gratia est Spiritus Sancti, cuius unctio delicta, si qua[b] sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus daemonis calcaneo insidiantis[3] facilius resistit, ⟨et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur⟩[c].

Cap. 3. De ministro huius sacramenti[d] et tempore, quo dari debeat.

Iam vero, quod attinet ad praescriptionem[e] eorum, qui et suscipere et ministrare hoc sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis praedictis traditum. Nam et ostenditur illic, proprios[f] huius sacramenti[g] ministros esse ecclesiae praesbiteros, quo nomine ⟨eo loco⟩[h] non aetate seniores aut primores[i] in populo[k] intelligendi veniunt, sed aut episcopi aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati ⟨*per impositionem manuum praesbiterii*[l][4]⟩[m]. Declaratur etiam[n], esse hanc unctionem[o] infirmis adhibendam[p], illis ⟨vero praesertim⟩[q], qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur, ⟨unde et sacramentum exeuntium nuncupatur⟩[r]. Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius sacramenti[s] subsidio iuvari poterunt, quum in ⟨aliud simile⟩[t] vitae discrimen inciderint[u]. Quare nulla ratione audiendi sunt[v], qui contra tam apertam et dilucidam apostoli Iacobi sententiam docent, hanc unctionem vel figmentum esse humanum,

[a] *In C 146 add. in marg.* [b] *C 22, C 146 et L* quae

[c] *C 22* Accidit [!] ad hos effectus quandoque sanitas corporis, quae olim in primitiva et lactente ecclesia ad confirmationem et commendationem rudis adhuc fidei quasi quoddam internae sanationis signum frequentius conferebatur. Nunc vero roborata iam et adulta fide rarius, nec nisi in quantum aegrotantis saluti expedire Dominus noverit, exhibetur.

[d] *C 118 add.* extremae unctionis [e] *In C 146 corr. ex* perscriptionem; *C 119* proscriptionem

[f] *C 22* legitimos; *in C 146 corr.* [g] *C 22 add.* dispensandi; *in C 146 del.*

[h] *C 22 om.; in C 146 add. supra lineam.* [i] *C 22* primiores

[k] *C 22 add.* ut quidam ineptissime nugantur [l] *L* praesbyteri

[m] *C 22* et ecclesiis Dei regendis praefecti. Ita enim Ephesinae ecclesiae praesbyteri a Paulo Miletum usque evocati, episcopi ad regendam ecclesiam Dei per Spiritum Sanctum constituti ab eo cognominantur. Et princeps apostolorum Petrus praesbyteros ut compraesbyter ad commissum sibi gregem pascendum adhortatur. *C 146 sequitur textum ut supra et add.* Nam et cum adolescens esset Timotheus, ab apostolo Paulo praesbyter vocatus est. *Quod postea fuit del.*

[n] *C 22 add.* non; *in C 146 del.* [o] *C 22 add.* nisi; *in C 146 del.*

[p] *C 22 add.* nec; *in C 146 del.*

[q] *C 22* quidem omnibus, ut ecclesiae traditio nos edocet, sed illis dumtaxat; *in C 146 del. et corr. ut supra.*

[r] *C 22* Quare merito et extrema unctio et exeuntium sacramentum nuncupatur, quod non nisi extreme laborantibus et cum morte congredientibus atque hinc ad Dominum migrantibus salubriter adhibeatur. *Etiam in C 146 sic legitur, exceptis verbis* et cum morte congredientibus, *quae om. Postea est corr. ut supra.*

[s] *C 22 add.* quod characterem non imprimit; *in C 146 del.*

[t] *C 22* haud dissimile; *in C 146 del. et corr. ut supra.*

[u] *C 22 add.* Infirmorum autem nomine non solum sacerdotes aegrotos, sed cuiusvis conditionis fideles homines intelligi oportere, non inutiliter olim Innocentius [I] ad Decentium scribens admonuit, ne quis videlicet unctionem hanc quarundam aliarum instar solos sacerdotes suscipere posse existimaret. Docet ergo aperte sanctissimus ille pontifex solos episcopos et sacerdotes sacrae huius unctionis ministros esse, quemadmodum catholica ecclesia semper tradidit.

[v] *C 22 add.* novi magistri; *in C 146 del.*

[1] *Iac.* 5, 14 sq. [2] *Iac.* 5, 15. [3] Cf. *Gen.* 3, 15. [4] *1 Tim.* 4, 14.

vel ritum a patribus acceptum, nec mandatum Dei nec promissionem gratiae habentem; ⟨et qui illam iam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum dumtaxat in primitiva ecclesia referenda esset; et qui dicunt, ritum et usum, quem sancta Romana ecclesia in huius sacramenti administratione observat, Iacobi apostoli sententiae repugnare⟩[a], atque ideo[b] in alium commutandum esse; et[c] denique, qui ⟨hanc extremam unctionem⟩[d] a fidelibus sine peccato contemni posse affirmant[1]. Haec enim omnia manifestissime pugnant cum perspicuis tanti Apostoli verbis. Nec profecto ecclesia Romana, aliarum omnium mater | et magistra, aliud in hac administranda[e] unctione (quantum ad ea, quae huius 194v sacramenti substantiam perficiunt) observat, quam quod beatus Iacobus praescripsit[f]. ⟨Neque vero⟩[g] tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere ⟨et ipsius Spiritus Sancti iniuria esse[h] posset⟩[i].

Haec sunt, quae de poenitentiae et extremae unctionis sacramentis ⟨sancta haec⟩[k] oecumenica synodus profitetur et docet, atque omnibus Christifidelibus[l] credenda et[m] tenenda proponit[n]. ⟨Sequentes autem canones inviolabiliter servandos esse tradit, et asserentes contrarium perpetuo damnat et anathematizat.⟩[o]

Qua doctrina lecta idem R. D. archiepiscopus Turritanus interrogavit patres, an placeret, his verbis videlicet: *R^{mi} et Ill^{mi} domini sanctissimique patres, placent haec omnia vobis?* Et statim R^{mus} et Ill^{mus} D. legatus respondit: *Placent;* idemque responderunt alii duo R^{di} praesidentes. Deinde R^{mus} et Ill^{mus} D. cardinalis Tridentinus ac sacri imperii electores ac denique alii patres omnes (interrogatus etiam quilibet specialiter a me Angelo Massarello, sacri concilii secretario, una cum D. Nicolao Driel notario) responderunt simpliciter per verbum *Placent.* Quas sententias cum ego secretarius praefatus retulissem ipsi R^{mo} et Illmo D. legato, legatus ipse id enunciavit patribus clara voce his verbis: *Doctrina placet omnibus patribus.* Tunc ab omnibus responsum fuit alta voce: *Deo gratias.*

Deinde R. D. episcopus Auriensis accedens ad altare, genuflectens se coram R^{mo} et Illmo D. legato accepit ex eius manibus alia decreta, quae publicanda erant, videlicet canones de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis et de reformatione, ascenditque ambonem ac primo legit canones ipsos poenitentiae et extremae unctionis, tenoris qui sequitur, videlicet:

[Canones] de sanctissimo poenitentiae sacramento[2].

1. Si quis dixerit, in catholica ecclesia poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum: anathema sit.

2. Si quis sacramenta confundens, ipsum baptismum poenitentiae sacramentum esse dixerit, quasi haec duo sacramenta distincta non sint, atque ideo poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari: anathema sit.

3. Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*[3], non esse intelligenda

[a] *C 22* aut qui illam ad gratiam curationum referunt, quam cum primitiva ipsa ecclesia cessasse asserunt; aut qui tradunt [*C 146* dicunt], eius usum ab ecclesia Romana iuxta Iacobi apostoli sententiam minime observari; *in C 146 postea est corr.*

[b] *L om.* [c] *C 22* aut; *in C 146 corr.* [d] *C 22* illam; *in C 146 est corr.*

[e] *C 22* dispensanda; *in C 146 corr.* [f] *C 22* sua ipsa oratione praescripserit

[g] *C 22* Porro; *C 146* Manifestum est autem quod; *postea est del. et corr. ut supra.*

[h] *In C 146 add. supra lineam pro aliis verbis, quae sunt del. et quae legi non possunt.*

[i] *C 22* contingere nequaquam posset nec aliud prorsus esset quam salutis et divinae gratiae [*quod est corr. pro* gloriae] atque adeo ipsius Spiritus Sancti, quod per os apostoli Iacobi hoc sacramentum fidelibus commendavit, insignis despectus atque contemptio.

[k] *L* haec sancta

[l] *C 22* qui Christo nomen dederunt; *postea add.* simpliciter *quod in C 146 est del.*

[m] *C 22* firmiterque *quod in C 146 est corr.* [n] *C 22* praecipit

[o] *C 22* Contra vero sentientes aut docentes iuxta eos qui sequuntur canones perpetuo anathematizat et damnat; *C 146 primo habuit* Asserentes autem contrarium iuxta eos qui sequuntur canones perpetuo anathematizat et damnat; *postea est corr. ut supra in textu;* servandos esse tradit *est corr. pro* tenendos esse tradidit.

[1] Cf. supra p. 239 adn. 4—10 et p. 240 adn. 1. [2] Copia prostat in *Conc. 146* fol. 171v—173r.

[3] *Io.* 20, 22 sq.

de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento poenitentiae, sicut ecclesia catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem contra institutionem huius sacra-
195r menti ad auctoritatem | praedicandi evangelium: anathema sit.

4. Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente quasi materiam sacramenti poenitentiae, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem, quae tres poenitentiae partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse poenitentiae partes, terrores scilicet incussos conscientiae agnito peccato, et fidem conceptam ex evangelio vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata: anathema sit.

5. Si quis dixerit, eam contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, *qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae*[1], ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis et aeternae damnationis incursum, cum proposito melioris vitae, non esse verum et utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem; demum illam[a] esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium: anathema sit.

6. Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse iure divino; aut dixerit, modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum: anathema sit.

7. Si quis dixerit, in sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circunstantias, quae peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum poenitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinae misericordiae ignoscendum; aut demum, non licere confiteri peccata venialia: anathema sit.

8. Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christifideles iuxta magni concilii Lateranensis constitutionem semel in anno[2], et ob id suadendum esse Christifidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimae: anathema sit.

9. Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem,
195v sed nudum | ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum, aut sacerdos non serio, sed ioco absolvat; aut dixerit non requiri confessionem poenitentis, ut sacerdos ipsum absolvere possit: anathema sit[3].

10. Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christifidelibus esse dictum: *Quaecunque ligaveritis*[b] *super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo*[4]; et: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*[5], quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem: anathema sit.

[a] *C 123* illum [b] *C 118 et Ro* alligaveritis

[1] *Is.* 38, 15.
[2] C. 12 *Omnis utriusque* X de poen. V 38.
[3] Mirum est nec Massarellum nec alium quendam in concilio animadvertisse, hunc canonem secundum regulas grammaticas sensum obvium non habere, immo veritatis catholicae contrarium affirmare. Perpaucae sunt copiae horum canonum in codicibus conservatae, et nulla prostat, qua Massarellus usus fuerit in congregationibus deputatorum, adnotans in ea singulas variationes a patribus propositas, ut fecit in canonibus de Eucharistia formandis in *Conc. 14* fol. 31 (supra p. 178 adn. 1). Quamobrem decidere non possumus, utrum ea verba *etiamsi non sit contritus,* quae legebantur in prima huius canonis forma (supra p. 326 l. 19), sint reiecta (quo in casu sequens *aut* mutandum fuisset in *etiamsi*) an desint per simplicem errorem. In omnibus codicibus huius sessionis Acta exhibentibus et a Massarello authenticatis legitur hic canon ut supra, et etiam in omnibus editionibus. Cf. de hac re: *I. Dargent,* Un mot tombé dans la rédaction d'un canon du concile de Trente, in: Recherches de sciences religieuses XII (1921) 89 sq. *E. David,* Textverstümmelung in einem Kanon des Trienter Konzils, in: Römische Quartalschrift XXXIV (1926) 75—82.
[4] *Matth.* 18, 18. [5] *Io.* 20, 23.

11. Si quis dixerit, episcopos non habere ius reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat: anathema sit.

12. Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam quam fidem, qua appraehendunt Christum pro eis satisfecisse: anathema sit.

13. Si quis dixerit, pro peccatis, quoad poenam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis et patienter toleratis vel a sacerdote iniunctis, sed neque sponte susceptis, ut[a] ieiuniis, orationibus, elemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam: anathema sit.

14. Si quis dixerit, satisfactiones, quibus poenitentes per Christum Iesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, et verum Dei cultum atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes: anathema sit.

15. Si quis dixerit, claves ecclesiae esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem clavium et contra institutionem Christi; et fictionem esse, quod virtute clavium sublata poena aeterna, poena temporalis plerunque exolvenda remaneat: anathema sit.

[Canones] de sacramento extremae unctionis[1].

1. Si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum[2] et a beato Iacobo apostolo promulgatum[3], sed ritum tantum acceptum a patribus, aut figmentum humanum: anathema sit. |

2. Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere 196[l]
peccata, nec alleviare infirmos, sed iam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum: anathema sit.

3. Si quis dixerit, extremae unctionis ritum et usum, quem observat sancta Romana ecclesia, repugnare sententiae beati Iacobi apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni: anathema sit.

4. Si quis dixerit, praesbiteros ecclesiae, quos beatus Iacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem: anathema sit.

Quibus canonibus lectis idem R. D. episcopus Auriensis interrogavit patres, an placerent. Et statim R^{mus} et Ill^{mus} D. legatus ac praesidentes responderunt: *Placent.* Ac successive interrogatus quilibet singulariter a me secretario et notario praefatis, an placerent, ab omnibus responsum fuit simpliciter per verbum *Placent.* Quod cum ego secretarius R^{mo} et Illmo D. legato retulissem, ab eo alta voce dictum est: *Canones isti de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis placent omnibus.* Tunc omnes responderunt: *Deo gratias.*

Deinde idem R. D. episcopus Auriensis adhuc in ambone permanens legit clara voce aliud decretum super reformatione. Quod est tenoris, qui sequitur, videlicet:

Decretum de reformatione publicatum in eadem sessione celebrata 25. Novembris 1551[4].

Prooemium[b].

Cum proprie episcoporum munus sit, subditorum omnium vitia redarguere, hoc illis praecipue cavendum erit, ne clerici, praesertim ad animarum curam constituti, criminosi sint, neve inhonestam vitam ipsis conniventibus ducant. Nam si eos pravis et corruptis moribus esse permittant, quo pacto laicos de ipsorum vitiis redarguent[5], qui uno ab eis sermone convinci possent, quod clericos ipsis patiantur esse deteriores? Qua etiam liber-

[a] *L* vel [b] *L om.*

[1] Copia canonum exstat in *Conc. 146* fol. 173[r].
[2] Cf. *Marc.* 6, 13.
[3] *Iac.* 5, 14 sq.
[4] In *Conc. 146* fol. 174[r]—178[v] prostat copia primae huius decreti formae, cuius lectiones variantes in apparatu invenis.
[5] Cf. *1 Cor.* 9, 27.

tate laicos corripere poterunt sacerdotes, cum tacite sibi ipsi respondeant, eadem se admisisse, quae corripiunt? [a]Monebunt propterea episcopi suos clericos, in quocunque ordine fuerint, ut conversatione, sermone et scientia commisso sibi Dei populo praeeant, memores eius, quod scriptum est: *Sancti estote, quia et ego sanctus sum*[1]. Et iuxta Apostoli vocem: *Nemini* dent *ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium* eorum; *sed in omnibus* exhibeant se *sicut ministros Dei*[2], ne illud Prophetae dictum impleatur in eis: Sacerdotes Dei contaminant sancta, et reprobant legem[3]. Ut autem ipsi episcopi id liberius exequi, ac quoquam[b] praetextu desuper impediri nequeant[c], ⟨eadem sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legato et nunciis,⟩[d] hos, qui sequuntur, canones statuendos et decernendos[e] duxit. |

Canon primus.

196v Cum honestius ac tutius sit subiecto, debitam praepositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam cum praepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem, ei, cui ascensus ad sacros ordines a suo praelato ex quacunque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter, fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus[f], dignitates sive honores restitutio suffragetur.

Canon secundus.

Et quoniam nonnulli episcopi ecclesiarum, quae in partibus infidelium consistunt, clero carentes et populo christiano, cum fere vagabundi sint et permanentem sedem non habeant, non quae Iesu Christi, sed alienas oves inscio proprio pastore quaerentes, dum per hanc sanctam synodum se pontificalia officia in alterius dioecesi, nisi de loci ordinarii expressa licentia, et in personas eidem ordinario subiectas tantum exercere prohibitos vident[4], in legis fraudem et contemptum quasi episcopalem cathedram in loco nullius diocesis sua temeritate eligunt, et quoscunque ad se venientes, etiam si suorum episcoporum seu praelatorum literas commendatitias non habeant, clericali caractere insignire, et ad sacros etiam praesbiteratus ordines promovere praesumunt, quo plerunque fit, ut minus idonei et rudes ac ignari, et qui a suo episcopo tanquam inhabiles et indigni reiecti fuerint[g], ordinati nec divina officia peragere, nec ecclesiastica sacramenta recte[h] valeant ministrare: nemo episcoporum, qui titulares vocantur, etiam si in loco nullius diocesis, ⟨etiam exempto, aut aliquo monasterio cuiusvis ordinis⟩[i] resederint aut moram traxerint, vigore cuiusvis privilegii sibi de promovendo quoscunque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam praetextu familiaritatis continuae commensalitatis suae, absque sui proprii praelati expresso consensu aut literis dimissoriis ad aliquos sacros aut minores ordines vel primam tonsuram promovere seu ordinare valeat. Contrafaciens ab exercitio pontificalium per annum, taliter vero promotus[k] ab executione ordinum sic susceptorum, donec suo praelato visum fuerit, ipso iure sint suspensi.

Canon tertius.

Episcopus quoscunque suos clericos, praesertim in sacris constitutos, absque suo praecedenti examine et commendatitiis literis ⟨quacunque auctoritate⟩[i] promotos, licet tanquam habiles ab eo, a quo ordinati sunt, probatos, quos tamen ad divina officia celebranda seu ecclesiastica sacramenta ministranda minus idoneos et capaces repererit, a susceptorum ordinum exercitio ad tempus, de quo ei videbitur, suspendere, et illis, ne in altari aut aliquo ordine ministrent, interdicere possit[l].

[a] *In C 146 hic in margine anteponitur* Quocirca; *quo deleto corr. est in* Quapropter, *postea in* Quare; *tandem etiam hoc est del.*
[b] *In C 146 corr. in* nullo [c] *In C 146 corr. in* queant
[d] *In C 146 add. in margine, exceptis verbis* oecumenica et generalis, *quae desunt.*
[e] *C 146 supra lineam add.* esse [f] *C 118, C 146, Ro et L add.* et
[g] *C 118, C 119, C 146, Ro et L* fuerunt [h] *C 146 add. supra lineam.*
[i] *In C 146 add. in margine.* [k] *C 118, Ro* promoti; *in C 119 corr. ex* promotus
[l] *C 146 hic add.* Sanctius est enim paucos bonos quam multos malos habere ministros; *postea est del.*

[1] *Lev.* 11, 44; 19, 2.
[2] *2 Cor.* 6, 3 sq.
[3] Cf. *Ez.* 22, 26; *Soph.* 3, 4.
[4] Sessio 6 cap. 5 de ref. Conc. Trid. V 804.

Canon quartus.

Omnes ecclesiarum praelati, qui ad corrigendos subditorum excessus diligenter intendere debent, et a quibus nullus clericus per huius sanctae synodi statuta cuiusvis privilegii praetextu tutus censetur, quominus iuxta canonicas sanctiones visitari, puniri et corrigi possit, si in ecclesiis suis resede|rint, quoscunque saeculares clericos, qualitercunque 197r exemptos, qui alias suae iurisdictioni[a] subessent, de eorum excessibus, criminibus et delictis, quoties et quando opus fuerit, etiam extra visitationem, tanquam ad hoc apostolicae sedis delegati, corrigendi et castigandi facultatem habeant: quibuscunque[b] exemptionibus[c], declarationibus, ⟨consuetudinibus, sententiis, iuramentis, concordiis, quae suos tantum obligent auctores,⟩[d] ipsis clericis, ac eorum consanguineis, capellanis, familiaribus, procuratoribus[e], et aliis quibuslibet, ipsorum exemptorum contemplatione et intuitu minime suffragantibus.

Canon quintus[f].

Insuper[g], cum nonnulli, qui sub praetextu, quod super bonis et rebus ac iuribus suis diversae eis iniuriae ac molestiae inferantur, certos iudices per literas conservatorias deputari obtinent[h], qui illos a molestiis et iniuriis huiusmodi tueantur ac defendant, et in possessione[i] seu quasi bonorum, rerum ac iurium suorum manu teneant et conservent, neque super illis eos molestari permittant, eiusmodi literas in plerisque contra concedentis mentem in reprobum sensum detorqueant: idcirco nemini omnino, cuiuscunque dignitatis et conditionis sit, etiam si capitulum fuerit[k], conservatoriae literae, cum quibuscunque clausulis aut decretis, et quorumcunque iudicum deputatione, quocunque etiam alio praetextu aut colore concessae, suffragentur ad hoc, ut coram suo episcopo sive alio superiore ordinario in criminalibus et mixtis causis accusari et conveniri, ac contra eum inquiri et procedi non possit, aut quominus, si qua iura ei ex concessione[l] competierint, super illis libere valeat apud iudicem ordinarium conveniri. In civilibus etiam causis, si ipse actor extiterit, aliquem ei apud suos conservatores iudices in iudicium trahere minime liceat. Quod si in iis causis, in quibus ipse reus fuerit, contigerit, ut electus ab eo conservator ab actore suspectus esse dicatur, aut si qua inter ipsos iudices, conservatorem et ordinarium, controversia super competentia iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos super suspicione aut iurisdictionis competentia fuerit iudicatum. Familiaribus vero eius, qui huiusmodi literis conservatoriis ⟨tueri se solent⟩[m], nihil illae prosint, praeterquam duobus duntaxat, si tamen illi propriis eius sumptibus vixerint. ⟨Nemo etiam similium literarum beneficio ultra quinquennium gaudere possit.⟩[n] Non liceat quoque[o] conservatoribus iudicibus ullum habere tribunal erectum[p]. In causis vero mercedum aut miserabilium personarum huius sanctae synodi super hoc decretum in suo robore permaneat[1]. ⟨Universitates autem generales, ac collegia doctorum seu scholarium, et {regularia loca}[q], nec non hospitalia actu hospitalitatem servantia, ac universitatum, collegiorum, locorum et hospitalium huiusmodi personae in praesenti canone minime compraehensae, sed exemptae[r] omnino sint et esse intelligantur.⟩[b]

Canon sextus.

Quia vero, etsi habitus non facit monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper | deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum hone- 197v

[a] *C 123 falso* iurisdictionis [b] *C 146 add. in margine.* [c] *C 146 hic del.* et
[d] *C 146 add. in margine, pro del.* quibuscunque [e] *C 146 om.*
[f] *Quod nunc est cap. 5, in C 146 antea erat cap. 7.* [g] *In C 146 corr. ex* Praeterea
[h] *In C 146 corr. ex* obtineant [i] *L* possessionem
[k] *C 146 hic add.* universitatibus generalibus et collegiis doctorum atque scholarium et regularibus in communi viventibus *[et insuper in marg. add.]* nec non hospitalibus actu hospitalitatem servantibus duntaxat exceptis; *quod postea est del.* [l] *Sic Richter; omnes codd., Ro et L* cessione
[m] *C 146* gaudere debent; *postea est corr. in* tueri solent
[n] *In C 146 add. in marg.; primo legebatur* Nemo etiam litteris huiusmodi ultra ... *etc.*
[o] *In C 146 corr. ex* et
[p] *C 146 primo hic add.* ac nemo de caetero literis huiusmodi ultra quinquennium tueri possit. *Postea est del.*
[q] *In C 146 corr. ex* regularibus locis [r] *C 146* exceptae

[1] Sessio 7 cap. 14 de ref. Conc. Trid. V 998 sq.

statem in rinsecam ostendant, tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas religionisque contemptus, ut propriam dignitatem et honorem clericalem parvi pendentes vestes etiam ⟨publice deferant⟩[a] laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus[b]: propterea omnes ecclesiasticae personae ⟨quantumcunque exemptae⟩[c], quae aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia aut beneficia qualiacunque ecclesiastica[d] obtinuerint, si postea, quam ab episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini ac dignitati congruentem, et iuxta ipsius episcopi ordinationem et mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus ac officio et beneficio ac fructibus, redditibus et proventibus ipsorum beneficiorum[e], nec non, si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et[f] beneficiorum[g] huiusmodi coerceri[h] possint et debeant[i], constitutionem Clementis V in concilio Viennensi editam, quae incipit: *Quoniam,* innovando ⟨et ampliando⟩[k] [1].

Canon septimus[l].

⟨Cum etiam, qui per industriam occiderit proximum suum et per insidias, ab altari avelli debeat[2], qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiam si crimen id nec ordine iudiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit⟩[m], nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit, nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiam si curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni ordine, ac beneficio et officio ecclesiastico perpetuo careat. Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum et altaris ministerium, et beneficia quaecunque ac dignitates iure quodammodo dispensatio debeatur, committatur[n] loci ordinario, aut ex causa metropolitano seu viciniori episcopo, qui non nisi causa cognita et probatis precibus ac narratis, nec aliter, dispensare possit.

Canon octavus[o]

Praeterea, quia[p] nonnulli[q], quorum etiam aliqui veri sunt pastores ac proprias oves habent, alienis etiam ovibus praeesse quaerunt, et ita alienis subditis quandoque intendunt, ut suorum curam negligant: quicunque[r], etiam episcopali praeditus dignitate, qui alienos subditos puniendi privilegium habuerit, contra clericos sibi non subiectos[s], praesertim in sacris constitutos, quorumcunque etiam atrocium criminum reos, nisi cum proprii ipsorum clericorum episcopi, si apud ecclesiam suam resederit, aut personae ab ipso episcopo deputandae interventu nequaquam procedere debeat; alias processus et inde sequuta quaecunque viribus omnino careant.

[a] *L* deferant publice
[b] *C 146 hic del.* quibus inferri potest illud de libro Regum: «Usquequo claudicas in duas partes?» Et quod divina scriptura praecipitur, ut nemo vestem lino lanaque contextam induat.
[c] *C 146 add. in margine.*
[d] *C 146 hic del.* aut annatas pensiones super fructibus reditibus et proventibus beneficiorum ecclesiasticorum
[e] *C 146 hic del.* atque exactione pensionum
[f] *C 146 add. supra lineam.* [g] *C 146 hic del.* et pensionum
[h] *L* coercere [i] *L add.* secundum
[k] *In C 146 postea add.* [l] *In C 146 antea erat cap. 8.*
[m] *In C 146 plures habuit formas, quarum prima erat* Et cum iuxta Domini sententiam, dum Davidi dixit: «Non aedificabis mihi domum, quia vir sanguinis es», non deceat aliquos, qui propter homicidii reatum rectae conscientiae bonum amiserint, etiam si crimen nec ordine iudiciario probatum nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, ne si illi quidem de commisso delicto doluerint et poenitentiam egerint, ad sacros ordines promoveri aut illis beneficia ecclesiastica conferri, neque, cum in Exodo scriptum sit: «Si quis per industriam occiderit proximum suum et per insidias, ab altari meo avelle[tur], ut moriatur», liceat sacerdotes et alios clericos homicidas altaris ministerio seu susceptis ordinibus ministrare aut beneficia huiusmodi retinere, homicida voluntarius etiam occultus; *secunda forma fuit* Quum etiam qui per industriam occiderit proximum suum et per insidias ab altari avelli debeat, quia voluntate homicidium perpetraverit; *alia forma erat* Si quis per homicidii reatum rectae conscientiae bonum amiserit; *deinde est corr. ut supra.*
[n] *C 146 hic del.* res [o] *In C 146 antea erat cap. 5.*
[p] *C 146 hic del.* etsi nemini licere deberet falcem in alienam messem mittere *et add.* quia
[q] *C 146 hic del.* tamen [r] *C 146 hic del.* igitur [s] *L* subditos

[1] Cf. supra p. 333 adn. 1. [2] Cf. *Ex.* 21, 14.

Canon nonus.

Et quia iure optimo distinctae fuerunt dioceses et parochiae, ac unicuique gregi proprii attributi pastores et inferiorum ecclesiarum rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant, ut ordo ecclesiasticus non confundatur, aut una et eadem ecclesia duarum
quodammodo diocesum fiat non | sine gravi eorum incommodo, qui illi subditi fuerint: 198r
beneficia unius diocesis, etiam si parochiales ecclesiae, vicariae perpetuae, aut simplicia beneficia, seu praestimonia aut praestimoniales portiones fuerint, etiam ratione augendi cultum divinum aut numerum beneficiatorum aut alia quacunque de causa, alterius diocesis beneficio, aut monasterio, seu collegio vel loco etiam pio perpetuo non uniantur; decretum huius sanctae synodi super huiusmodi unionibus in hoc declarando[1].

Canon decimus.

Regularia beneficia, in titulum regularibus professis provideri consueta, cum per obitum, aut resignationem vel alias illa in titulum obtinentis vacare contigerit, religiosis tantum illius ordinis, vel iis, qui habitum omnino suscipere et professionem emittere teneantur, et non aliis ⟨(ne vestem lino lanaque contextam induant[2])⟩[a] conferantur.

Canon undecimus.

Quia vero regulares, de uno ad alium ordinem translati, facile a suo superiore licentiam standi extra monasterium obtinere solent, ex quo vagandi et apostatandi occasio tribuitur, nemo cuiuscunque ordinis praelatus vel superior vigore cuiusvis[b] facultatis aliquem ad habitum et professionem admittere possit, nisi ut in ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui superioris obedientia in claustro perpetuo maneat, ac taliter translatus[c], etiamsi canonicorum regularium fuerit[d], ad beneficia saecularia, etiam curata, omnino incapax existat.

Canon duodecimus.

Nemo, etiam cuiusvis dignitatis ecclesiasticae vel saecularis, quacunque ratione, nisi ecclesiam, beneficium aut cappellam de novo fundaverit et construxerit, seu iam erectam, quae tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis et patrimonialibus bonis competenter dotaverit, ius patronatus impetrare aut obtinere possit aut debeat. In casu autem fundationis aut dotationis huiusmodi institutio episcopo, et non alteri inferiori reservetur.

Canon decimus tertius.

Non liceat praeterea patrono cuiusvis privilegii praetextu aliquem ad beneficia sui iuris patronatus, nisi episcopo loci ordinario, ad quem provisio seu institutio ipsius beneficii, cessante privilegio, iure pertineret, quoquo modo praesentare; alias praesentatio ac institutio forsan ⟨sequutae nullae sint⟩[e] et esse intelligantur[f].

[g]Declarat praeterea sancta synodus, in futura sessione, quam ad 25. diem Ianuarii subsequentis anni 1552 habendam esse etiam decrevit, una cum sacrificio missae agendum
et tractandum etiam esse de | sacramento ordinis, et prosequendam esse materiam re- 198v
formationis.

Lecto autem supradicto decreto idem R. D. Auriensis interrogavit patres, an placeret; et statim a R^mo et Illmo D. legato et praesidentibus responsum fuit: *Placet.* Deinde quilibet (interrogatus etiam singulariter a me secretario praefato, an placeret) respondit etiam per verbum: *Placent.* Quod cum R^mo et Illmo legato relatum fuisset, id alta voce patribus enunciavit his verbis: *Decretum de reformatione placet omnibus.* Tunc patres omnes responderunt: *Deo gratias.*

[a] *In C 146 postea est add.* [b] *L* cuiuscunque [c] *In C 146 corr. ex* translato
[d] *In C 146 corr. ex* fuerint
[e] *In C 146 corr. ex* secuta nulla sit [f] *C 123* intelligant; *C 146* censeantur
[g] *C 123, C 118, Ro et Richter anteponunt* Canon quartus decimus; *L anteponit* Indictio futurae sessionis; *C 146 om., quod sequitur.*

[1] Sessio 7 cap. 6 de ref. Conc. Trid. V 998. [2] Cf. *Deut.* 22, 11.

Quibus absolutis D. promotor sacri concilii rogavit omnes prothonotarios et notarios ibidem praesentes, ut de omnibus et in singulis in ipsa sessione actis unum vel plura conficerent instrumentum vel instrumenta. Postea Rmus et Illmus D. legatus incoepit hymnum *Te Deum laudamus,* quem cantores perfecerunt. Postremo idem Rmus et Illmus legatus benedixit sanctam synodum signo crucis. Et patres omnes depositis paramentis recesserunt hora circiter 23.

Et quia ego Angelus Massarellus de Sancto Severino, Camerinensis diocesis, sacri concilii secretarius et prothonotarius apostolicus, praemissis omnibus et singulis interfui et praesens fui eaque in notam sumpsi, ideo hic manu mea propria subscripsi in fidem et testimonium praemissorum. ✠

Nomina eorum, qui interfuerunt quartae sessioni Tridentinae sub Iulio tertio pontifice maximo[1].

Legatus et praesidentes:

Rmus et Illmus D. Marcellus, tituli S. Marcelli S. R. E. praesbiter cardinalis, Crescentius nuncupatus, sacri concilii legatus et primus praesidens	Romanus
R. D. Sebastianus Pighinus, archiep. Sipontinus, cardinalis designatus, secundus praesidens	Regiensis
R. D. Aloysius Lippomanus, ep. Veronensis, tertius praesidens	Venetus

Cardinalis:

Rmus et Illmus D. Christophorus Madrutius, tituli S. Caesarei in Palatio S. R. E. praesbiter cardinalis et ep. Tridentinus et administrator Brixinensis	Germanus

Sacri imperii electores:

Rmus et Ill. D. Sebastianus Heusestein, archiep. Maguntinus	Germanus |
199r Rmus et Ill. D. Adulphus ex comitibus de Scauemburg, archiep. Coloniensis	Germanus
Rmus et Ill. D. Ioannes ab Isemburg, archiep. Treverensis	Germanus

Oratores Caesarei:

Ill. D. Hugo comes a Montfort	Germanus
Ill. D. Franciscus a Toleto	Hispanus
R. D. Guilhelmus a Pictavia, archidiaconus Campiniae	Flander

Oratores regis Hungariae etc.:

R. D. Paulus Gregoriancz, ep. Zagabriensis	Hungarus
R. D. Fridericus Nausea, ep. Viennensis	Germanus

Oratores electoris Brandeburgensis:

Magn. D. Christophorus a Strassen, U. I. D.	Germanus
Magn. D. Ioannes Hoffmannus, secretarius	Germanus

Archiepiscopi:

R. D. Salvator Salapusius, archiep. Turritanus et Sassarensis	Sardus
R. D. Ludovicus Chieregatus, ord. Min. de observ., archiep. Antibarensis, patria	Vicentinus
R. D. Olaus Magnus, archiep. Upsalensis	Gothus
R. D. Petrus de Aragonia, archiep. Panormitanus	Siculus

[1] In quibusdam foliis tomi *Conc. 146* (fol. 180—183) Massarellus hunc catalogum componere coepit, sed non perfecit. Aliqua notabilia in apparatu critico adnotabimus.

R. D. Petrus Guerrero, archiep. Granatensis	Hispanus
R. D. Balthassar de Heredia, archiep. Calaritanus	Sardus

Episcopi:

R. D. Thomas Campegius, ep. Feltrensis	Bononiensis
R. D. Gaspar Ioffredus, ep. Segobricensis	Hispanus
R. D. Coriolanus Martyranus, ep. S. Marci	Neapolitanus
R. D. Ioannes Bapt. Campegius, ep. Maioricensis	Bononiensis
R. D. Berardus Bonioannes, ep. Camerinensis	Romanus
R. D. Ioannes Fonseca, ep. Castellimaris	Hispanus
R. D. Ioannes Salazar, ep. Lancianensis	Hispanus
R. D. Petrus Vaguer, ep. Algarensis	Hispanus
R. D. Balthassar Vausman [!], ep. Misiensis, ord. Praed., suffraganeus R^{mi} D. archiep. Maguntini	Germanus[a]
R. D. Hieronymus de Bononia, ep. Syracusanus	Siculus
R. D. Riccardus Patus, ep. Vigorniensis	Anglicus
R. D. Erasmus Alimpurch [!], ep. Argentinensis	Germanus
R. D. Cornelius Mussus, ord. Min. Conv., ep. Bituntinus	Placentinus |
R. D. Iulius Phlufch [!], ep. Numbergensis	Germanus[a] 199v
R. D. Iacobus Iacomellus, ep. Bellicastrensis	Romanus
R. D. Franciscus Manrique, ep. Auriensis	Hispanus
R. D. Franciscus de Navarra, ep. Pacensis	Hispanus
R. D. Ioannes Iobinus, ep. Constantinensis	Hispanus
R. D. Petrus de Augustinis, ep. Oscensis	Hispanus
R. D. Iacobus Naclantus, ep. Clodiensis	Florentinus
R. D. Gregorius [!] Flach, ep. Solonensis	Germanus
R. D. Ioannes Bernardus Diaz, ep. Calaguritanus	Hispanus
R. D. Michael Pugius, ep. Elnensis	Hispanus
R. D. Michael a Turre, ep. Cenetensis	Utinensis[b]
R. D. Octavianus Praeconius, ep. Monopolitanus	Siculus[c]
R. D. Ioannes Fernandi Temino, ep. Legionensis	Hispanus
R. D. Christophorus Ruscius, ep. Ovetensis	Hispanus
R. D. Ioannes Emilianus, ep. Tudensis	Hispanus
R. D. Antonius Codina, ep. Lacorensis	Hispanus
R. D. Martinus Ayala, ep. Guadiscensis	Hispanus
R. D. Petrus de Acugna, ep. Astoricensis	Hispanus
R. D. Nicolaus Psaulme, ep. Virdunensis	Lothoringus
R. D. Christophorus Matzler [!], ep. Constantiensis	Germanus
R. D. Thomas de Platanis, ep. Curiensis	Helvetius
R. D. Franciscus Salazar, ep. Salaminensis	Hispanus
R. D. Vincentius de Leone, ep. Bossanensis	Siculus
R. D. Angelus Bragadinus, ep. Vicentinus	Venetus
R. D. Aegidius Foscararius, ep. Mutinensis	Bononiensis
R. D. Gherardus de Ramboldis, ep. Civitatensis	Veronensis

Abbates:

R. P. Gerardus de Hamerinchourt, abbas S. Bertini[d], Morinensis diocesis	Flandrus
R. P. Marcus de Brixia, abbas S. Vitalis de Ravenna	Brixiensis
R. P. Eusebius de Parma, abbas S. Mariae Gratiarum, Placentinae diocesis	Parmensis[e] |

Generales: 200r

R. P. Christophorus Patavinus, generalis ord. Heremitarum S. Augustini	Patavinus

[a] *In C 146 nomen episcopi Numburgensis sequitur immediate post nomen Misiensis.*
[b] *C 118, C 119* Venetus [c] *C 118, C 119* Neapolitanus
[d] *Codd. excepto C 146 falso* Martini
[e] *In omnibus codicibus hic sequuntur duae lineae, in quibus nomina scripta non sunt, in quarum fine autem legitur* Germanus. *In C 146 post spatium pro nomine relictum additur* Brixinensis diocesis.

Procuratores absentium:

R. Martinus Olaveus, procurator R^{mi} et Ill^{mi} D. Otthonis Truchses, S.R.E. praesbiteri cardinalis et ep. Augustensis	Hispanus
R. Franciscus de Heredia, procurator R. D. ep. Tirasonensis	Hispanus
R. Guilhelmus a Mansdorf[a], procurator archiep. Saltsburgensis	Germanus
R. Paulus Glogovius, archidiaconus Plocensis, procurator R. D. Nicolai archiep. Gneznensis, primatis regni Poloniae, ac etiam episcoporum Cracoviensis, Vladislaviensis, Posnaniensis et Plocensis	Polonus[b]
R. D. [c]Gherardus a Grosbech, decanus Leodiensis[d], procurator ep. Leodiensis	Flandrus
R. Gregorius Sylvius, ord. Praed., procurator R. D. Georgii ab Austria, ep. Leodiensis[e]	

Sacrae theologiae doctores missi a S^{mo} D. N.:

Iacobus Laynes, societatis Iesu	Hispanus
Alphonsus Salmeron, eiusdem societatis	Hispanus

[Sacrae theologiae doctores] missi a ser^{mo} imperatore:

Ruardus Tapper, decanus et cancellarius Lovaniensis	Flandrus
Petrus Malvenda, cler. saecularis	Hispanus
Melchior Canus, ord. Praed.	Hispanus
Alphonsus de Castro, ord. Min. de observ.	Hispanus
Ioannes Arze, cler. saecularis	Hispanus

[Sacrae theologiae doctores] missi a Caesare et regina Maria Hungariae:

Ioannes Leonardus Hassellensis, cler. saecularis	Flandrus
Franciscus Somnius, cler. saecularis	Flandrus
Iodocus Ravesteyn, cler. saecularis	Flandrus
Ioannes Valteri, ord. Praed.	Flandrus
Rogerius Iuvenis, ord. S. Augustini	Flandrus
Ioannes Mausius, ord. Min. de observ.	Flandrus
Alexander Candidus, ord. Carmel.	Flandrus
Vulmarus Bernaert, cler. saecularis, U. I. D.	Flandrus

Qui sunt cum sacri imperii electoribus:

Ioannes Gropperius, cler. saecularis, cum R. et Illmo D. Coloniensi	Germanus
Everhardus Billicus, ord. Carmel., cum eodem D. Coloniensi	Germanus |
200v Ambrosius Pelargus, ord. Praed., cum R. et Ill. D. Trevirensi	Germanus
Ioannes Delphius, cler. saecularis, cum eodem D. Trevirensi	Germanus

Qui sunt cum DD. praelatis clerici saeculares:

Martinus Malo, cum R. D. Ovetensi	Hispanus
Iacobus Ferrusius, cum R. D. Segobricensi	Hispanus
Franciscus de Toro, cum R. D. Granatensi	Hispanus
Melchior a Vosmediano, cum R. D. Pacensi	Hispanus
Antonius Arias, cum R. D. Panormitano	Hispanus
Petrus Frago, cum R. D. Pacensi	Hispanus
Ioannes Zaballos, cum R. D. Auriensi	Hispanus

[a] *C 119* Monsdorf [b] *C 146 hic add.* Upsalensis est substitutus

[c] *In C 119 hoc nomen deest; linea tamen pro eo relicta est; in C 118 manu Massarelli hoc nomen postea est add.*

[d] *Omnes codd. excepto C 118, in quo est corr., habent* Laodiensis

[e] *In omnibus codd. una linea hic relicta est libera; in C 146 inter procuratores nominatur insuper* procurator episcopi Padeburgensis [!].

Regulares ord. Praed.:

Reginaldus de Genua, prior S. Laurentii extra muros Tridentinos	Genuensis
Didacus Chiaves, socius patris de Cano	Hispanus
Aloysius de Cathania, cum R. D. Panormitano	Siculus
Desiderius de Verona, concionator in S. Laurentio Tridenti	Veronensis
Bernardinus de Colloredo, cum R. D. Cenetensi	Foroiuliensis

[Regulares] ord. Min. de obs.:

Alphonsus de Contrera, socius patris Orthegae	Hispanus
Antonius de Uglioa, socius patris de Castro	Hispanus

[Regulares] ord. Min. Convent.:

Ioannes Antonius Delphinus	De Casale Maiori
Sigismundus Phedrius Diruta	Umber
Franciscus Vicedominus	Ferrariensis

[Regulares] ord. S. Augustini:

Marianus Feltrinus, prior S. Marci Tridentini	Feltrensis
Adeodatus de Senis, cum R. D. Panormitano	Senensis
Franciscus Tranensis, cum R. P. generali	Tranensis
Leonardus de Regio, cum R. P. generali	Regiensis

[Regulares] ord. Carmelitarum:

Desiderius de Panormo, cum R. D. Bossanensi	Siculus
Bartholomeus Bonetta de Gresta	Tridentinus

[Regulares] ord. S. Hieronymi:

Franciscus de Vigliarva, cum R. D. Granatensi	Hispanus |

Viri ecclesiastici: 201r

Raverus a Palant, canonicus Trevirensis	Germanus
Martinus Naidech, archidiaconus Tridentinus	Germanus
Ludovicus Balzanus, canonicus Tridentinus	Tridentinus
Antonius Piccolus, canonicus Tridentinus	Tridentinus
Romulus Dolcinus, canonicus Tridentinus	Mantuanus
Hieronymus Roccabruna, canonicus Tridentinus	Germanus
Thomas Marsonar [!], canonicus Tridentinus	Tridentinus
Erasmus Strampergher, canonicus Tridentinus	Germanus
Leopoldus Transtolph, canonicus Tridentinus	Germanus
Franciscus Cazuffus, canonicus Tridentinus	Tridentinus
Simon de Ton, canonicus Tridentinus	Germanus
Matthias de Cles, canonicus Tridentinus	Germanus

Nobiles et barones:

Ill. Franciscus a Castellalto, dux generalis comitatus Tyrolensis	Germanus
Exc. D. Franciscus Vargas, consiliarius et fiscalis Caes. Maiestatis	Hispanus
Ill. D. Baptista Balduinus, dux centum equitum custodiae concilii	Tridentinus
Ill. D. Paulus Madrutius, dux 500 peditum custodiae concilii	Tridentinus
Ill. D. Ferdinandus de Vega	Hispanus
Ill. D. Ioannes Henrichus, comes a Leiningen et Falchenstein	Germanus
Ill. D. Quirinus Gandulphus dominus in Hoengeroltzech et Suls	Germanus
Nob. Franciscus Cornelius	Venetus
Nob. Ioannes a Rothesteyn	Germanus

Nob. Adulphus Divaid	Germanus
Nob. Conradus de Rechbergher	Germanus
Nob. Vilhelmus de Harff	Germanus
Nob. Georgius ab Elter	Germanus
Nob. Ottho Valtpett a Bassenein	Germanus
Nob. Ioannes Georgius a Gych	Germanus
Nob. Thomas Tabarella, eques aur.	Tridentinus
Nob. Octavius Crescentius	Romanus
Nob. Hieremyas de Hieremiis	Tridentinus
Nob. Galeatius Elephanthucius	Bononiensis
Nob. Philippus ab Homburg	Germanus[a]
Nob. Bartholomeus Fliscus, consiliarius Tridentinus	Genuensis
Nob. Henricus de Saltzburg	Germanus
Nob. Franciscus Particella, consiliarius Tridentinus	Romandiolus
Nob. Stephanus a Vechenbach	Germanus
Nob. Georgius ab Angeloch	Germanus[b]
Nob. Philippus Valdecher a Reympt	Germanus[c]
Nob. Henricus Graschag a Dieporg	Germanus
Nob. Dieterus ab Erembergk	Germanus
Nob. Conradus Geupell a Schelkropen	Germanus
Nob. Adolphus a Schetlet	Germanus
Nob. Simon Boes a Valdech	Germanus
Nob. Ioannes Christophorus de Morsman	Germanus
Nob. Gosuinus Rotteler	Germanus
Nob. Vilhelmus a Giminch	Germanus
Nob. Theodoricus Quaid a Vickraid	Germanus
Nob. Bernardus a Dudemberg	Germanus
Nob. Theodoricus a Misschide	Germanus
Nob. Ioannes a Palland	Germanus

Officiales concilii:

Angelus Massarellus de S. Severino, secretarius et scrutator votorum	Picenus
Ioannes Baptista Castellius, promotor	Bononiensis
Ludovicus Firmanus de Princevalle, magister ceremoniarum	Picenus
Nicolaus Driel, notarius	Coloniensis

Oratio habita a R. D. Coriolano Martyrano, episcopo S. Marci, in quarta sessione Tridentina sub Iulio tertio pontifice maximo die 25. Novembris 1551.

201v Quam ingens ac immensa Dei est in homines patientia, sanctissimi viri! Suas usque in nos largissime divitias profundit[1], iugi semper nutantes, semper labentes subsidio munit. Contra ipse modis omnibus irritatus[2], novis semper flagitiis conviciisque impetitus, silescit[d] tamen, non arcum capit; totam hanc progeniem ingratam, quae beneficiis recrudescit, quae, quo plus capit, plus furit, plus divinae responsat reluctaturque voluntati, non terris delet. Quousque tandem non excitaberis? Quousque nos feres, Deus Optime Maxime? Iam quantum in nobis erat, (nemo non aspicit) corruerant omnia. Vinea, perrupta maceria, vastabatur. Sub impietatis, sub mortis tenebris sedebamus[3]. Non pietas vigebat amplius, sed furor. Omnes videbant, si ereptum iri tali ab exitio vellemus, quod item rebus perditis maiores antea factitarunt[e], suas ut ruinas conciliis fulcirent, nobis ad

[a] *C 123 hic explicit; reliqua nomina sumpta sunt ex C 118; sed C 118 et C 119 hoc loco om. nomen* Philippi ab Homburg *et add. inferius, ut notatur in sequentibus adn.*
[b] *C 118 (sed non C 119) hic add.* Philippus ab Homburg
[c] *Hic C 119 add.* Philippus ab Homburg
[d] *Omnes codd.* scilescit [e] *C 118 et C 119* factitarant

[1] Cf. *Eph.* 2, 7. [2] Cf. *Ez.* 20, 8 et alias. [3] Cf. *Ps.* 106, 10; *Luc.* 1, 79.

hanc quoque anchoram confugiendum, clavam concilii attollendam, ad feras, quae tot irrepserant, abigendas. Lustra bis quatuor fere atque eo amplius aguntur, quum hoc saxum (quod aiunt) interea versamus. Quid tamen tot per annos, tanto et conatu, aliis atque aliis intercursantibus calamitatibus, agi potuerit, iam scitis, dum nos per nosmet coelitus destituti, pulvis, umbra[a] et inania simulachra haec tam grandia conamur. Optare licebat concilium, non videre. Quicquid enim quantumlibet moliremur: nostra haec ceu infixa vadis haerebat machina nec prodibat. Nunc autem procedit, immo, ut videtis, velo et remigio ruit. Hoc munus tam egregium, tam salutare, fluxisne atque caducis mortalium viribus tribuemus? Dei nutu (nec sentimus ingrati), Dei nutu et beneficio factum est. Deus sponsae incommoda miseratus, Iulio Pontifice Maximo, monti illi ac columini religionis, hanc mentem dedit, ut, cum primum per tempora licitum est, tuum, Caesar, desiderium expleret. Qui, quod in solo concilio sitam salutem ecclesiae videbas, hoc tantum, praeterea nihil, toto animo flagitabas. Iis igitur sic animatis, altero ad clavum sedente, Caesare agitante remos, nulli casus, quamlibet turbulenta sint maria, nulla sunt naufragia metuenda. Sospes in portum, quo tendit, Petri navicula referetur. Quare si qui recordatione nostrarum veterum querelarum, quum hoc ipso ex loco rerum interitum deploravi[1], nunc quoque me huc inclamatum venire conquestumque arbitrantur, iam id desinant suspicari. Longe alius ac olim nunc animus est, longe aliam afferimus orationem. Tunc enim nihil aliud quam meas complorationes, meas voces doloris plenissimas, meos summos gemitus audivistis; omnia meis lamentis, meis clamoribus sonuerunt. Non ab re tamen, pontifices, non ab re; omnia enim, quocumque oculos convertebam, me tunc ad lachrimas luctumque impellebant. Videbam, vosque itidem videbatis, meque quo meliores eo dolentius tristabamini, rem christianam funditus concidisse, eversam collapsamque propemodum religionem. Videbam greges atque agmina viperarum[2] velut ab inferis immissa ad lumen fidei exstinguendum, ad pietatis vestigia delenda longe lateque volitare. Observabantur animo, non quales fuerant, sed obsoletae ac viduatae pastoribus civita|tes. 202r Facti erant greges nostri (indignum facinus) in rapinam et in direptionem omnium beluarum[3]. Quid multis moror? Quia Deum quam misericordem tam iustum noram, fulmina, flammas, hiatus, diluvium metuebam. Eo peccandi licentia processeramus, non Christiani amplius, sed gigantes[4]. Has tum communes miserias vobiscum pariter indignabar. Vitae etiam in tanta rerum perturbatione lucisque taedebat. Neque eram lapis, ut in communi omnium luctu unus omnium non dolerem.

Nunc autem longe aliter venio animatus; longe aliter agendum est; non conquestum venio, sed gratulatum; laetitiam huc affero, non dolorem. Iam lucescit, iam disserenat; iam iugum discutis attollisque caput, captiva filia Syon[5]. O sancta atque alma synode Tridentina, te ne ego, si humanis laudibus facta immortalia indigerent, quamlibet illa scelera disrumpantur, quibus non places, te ne ego silentio transirem? Non toto pectore insonarem? Synode sancta et divina, portus naviculae fluctuantis, scutum et gladius religionis, tu, quum primum summus ille pastor e Vaticano inclamavit ac veluti buccina signum dedit, e toto orbe terrarum, ab ultimis usque littoribus advolasti, neglectisque terrae marisque difficultatibus laboribusque viarum, in hoc sacrarium Tridenti ac veluti in uterum conclusisti, non ad Ilium aliquod capiendum, sed ad orbem terrarum ab interitu vindicandum, ad noctem face veritatis, ab his montibus ostentata, e mentibus hominum discutiendam. Tu insidiosum illud sub specie pietatis novae iustitiae commentum, tu fidem illam, non fidem, sed fidei Charybdin, cui nihil satis denique tribuebant, per quam totum salutis negocium conficiebant, tormento divini fulminis evertisti; tu panem illum, qui de coelo descendit[6], ut eius fortitudine roborati in coelum facilius avolemus, e tot portentis haeresum vindicasti, dum alii nihil esse, sed simulachrum, alii (quod horrent aures) non adorandum, alii mentibus non expiatis tamquam in aram suscipiendum latrarent. Quid? Quod secundam illam naufragii tabulam post lavacrum, quam isti sexcentis impietatis securibus dilacerant, in quam tot semper impetus facti sunt, hodie divinitus illustrata[m] ter quinis clavis aureis resuisti, qua sine quid profuisset, nostro mox scelere relapsis, abolitam sanctis fontibus originis labem et deletam fuisse? Hoc unum naufragiorum nostrorum perfugium est, quod dives in misericordia[7] Servator agnita mortalium

[a] *C 118, C 119* umbrae

[1] Oratio die 6. Ianuarii 1546 habita. Conc. Trid. IV p. 557—561.
[2] Cf. *Matth.* 3, 7.
[3] Cf. *Ez.* 34, 8.
[4] Cf. *Is.* 32, 16.
[5] Cf. *Is.* 52, 2.
[6] Cf. *Io.* 6, 50 sq.
[7] *Eph.* 2, 4.

imbecillitate, quove cum hostium triumviratu quamve pervigilis res sit, nobis, hinc abiens, dereliquit, ut qui iugiter deperimus, iugiter, si volumus, enatemus. Adde huc supremum, quod datur, telum, oleum, quo illinimur abituri, nobis a Christo elargitum, ne illic gratia careremus, ubi ea maxime egebamus: hodie sanctissimum et nitidissimum esse, non ut ii sibi finxerant, ostendisti.

Haec sunt, alma synode, quae quotidie facis, quae ad utilitatem mortalium quotidie paris. Verum quid prodest? Quid tandem facis? Non cares (o ingratitudinem non ferendam), | non cares obtrectatoribus tamen, qui quicquid agis convellunt, rescindunt. Quid illis facias? Convellant, rescindant, exsaturent rabiem. Tu hoc agas tamen. Fors aderit tempus, quum, qui sic perdite obloquuntur, qui eversam volunt, e suis tandem tenebris eruantur videantque, discussa caligine, quos sequuntur, quam reliquerunt, nempe ipsam matrem, matrem (o facinus miserandum; sine lacrimis vix loquor), matrem pro meretriculis abiecerunt; armis veri imperatoris signisque relictis ad castra furiarum, castra exsecrata et nepharia transfugerunt, ad Syrenum saxa. (Proh miseri non Germani. Quid autem simile? Vos cum istis factis Germanos appellem? Pietatem colunt, religionem tuentur sanctissimi iustissimique Germani. Vos, qui descivistis[a], quidvis potius quam Germanos vocarim; pecora potius et mancipia Lutheri.) Ad Sirenum saxa scopulosque accessistis, ubi veluti poculo immutati illas seditionum procellas, illas ventorum omnium tempestates in ecclesiam concitastis. Nam (pro Dei immortalis atque hominum fidem) quid aliud causae fuisse putandum est, ut, qui murus eratis adamantinus religionis, tam egregie currebatis: sic deinde repente efferati ac effusi ceu vituli super herbam, obversis in matrem cornibus, raperemini? Illas templorum direptiones, deiectiones signorum, illa excidia patraretis? Omnem denique religionem e vestris finibus amoliremini? Huccine prisca fides, huccine pietas moresque reciderunt?

Quamquam quid de solis Germanis loquor? Quasi illud virus aquam tantum Germaniae corrupisset, non omnes regionum omnium civitates, omnes pagos (res digna flammis) vicosque invasisset, non nostris etiam in castris illa tabes furorque versetur? Nec expergiscimini, sanctissimi viri! Quare, o quantum lymphatorum est uspiam usque ad oceanum extremum, qui monstrum ex mendaciis fraudibusque conflatum, monstrum, dum vixit, quantum sol aspicit perniciosissimum, vobis sequendum pro matre elegistis? Quodnam vestigium sanctitatis, quam doctrinam vestro in Luthero reperiebatis, ut prae illo aliisque similibus nugis tam graves patres, tot luminaria religionis ludibrio haberetis? Hos tamquam divos quosdam ac lapsos coelitus amplecteremini? An quia latam portam, quae ad mortem ducit[1], sequendam canebat laxis habenis instar equi feri, ad phanda et nephanda irruendum, nullis non libidinibus obsequendum? Ob id ecclesiam reliquistis? Sinistras illas pestes in deliciis habuistis? Iacet per vos, adaequata pulveri, quae genuit vos. *Facta sum in derisum* (dicit ecclesia) *populo meo*[2]. Audi aquilo, audi orbis terrarum, quid dicit ecclesia. *Facta sum in derisum et in canticum populo meo;* filias pharetrae suae defixit in pectus meum[3]. Fontem, quo abluebar, coeno et sordibus inquinarunt. Panem, quo saturabar, crudelissime ademerunt. Fascias plagarum mearum omnes denique ademerunt. Quid feci aut quid commerui, populi mei, ut tantopere saeviretis, coelum, terram ac maria confunderetis, tot in me telis, tot flammis, tot fulminibus baccaremini? Quae vobis algeo, vobis sudo, tot pro vobis labores aerumnasque suscipio! At tandem, miseri, resipiscite! Ad me, quae vos lugens voco, | quae mater, quae peperi, ad me convertimini! En ubera, quae suxistis, en gremium. Ite agedum, omnium iniuriarum, quibus me hactenus proscidistis, omnium plagarum vulnerumque obliviscar, atque eo libentius obliviscar, quod me minime attigistis, ut sic videretur: illarum lamiarum ludibrium fuit; quae in me iaciebatis, in vos spicula vertebantur. Vobis (nec sentiebatis), non mihi tunc aberat caput, quum me truncum cadaver dementissimi putabatis. Meum caput humanis iniuriis non patet. Eia igitur, age ingredimini, foris mors est, intus vita. Tyrannus foris praesidet, intus pater. Foris error, tempestas, diluvium, chaos, intus rerum tranquillitas, lumen, quies. Haec et maiora, mortales, vobis ecclesia insonaret, si os sibi facundius doctiusque elegisset, non unum quidem ieiunissimum omnium, cui si per eos, quibus non obsequi nepharium erat, elabi aliqua licuisset, alius ex robustioribus istis, quos adesse videtis, huc in aciem prodiisset; nos enim vero sileremus. Sed omnia tentanti, omnia molienti

[a] *Codd.* desivistis

[1] *Matth.* 7, 13. [2] *Thren.* 3, 14. [3] *Ibid.* 3, 13.

nulli ad elabendum aditus patuere, fugitantem, causas nectentem pavitantemque impulere. Vos non quae dicuntur, sed quae et tacentur, quae dici etiam deberent, vobiscum taciti contemplamini.

Tu interea, alma synode, perge, ut coepisti. Perge, inquam, per Deum immortalem, atque ad metam contende, ne, si medio defessa spatio desponderis animum (quod verbum auferant venti sitque irritum precor), temere fuisse videamur incassumque gratulati, maiora mox incendia visuri, igne cineribus obruto, non exstincto, in apertum furentius erupturo. Multa, iterum dico, praeclara et immortalia gessisti; sed idemmet dico atque canto: Peractum nihil, ruunt omnia, ni reliqua absolvantur. Quod aliis temporibus aliqua forsan cum venia factum est, id hodie non licet. Risum de nobis hominum nos feremus? Risum dico? Ultra risum iusta indignatio prorumpet, nisi hoc, post tot aerumnas, post tot sudores, tandem navigium subducatur.

Dicet aliquis: Currentes mones; supervacaneum est. Sentio; sed ignoscite timori. Tacere me et quiescere multa impendentia non sinunt. Video vestrum studium (quidni fatear) concitatissimum. Video alatas tamen rerum gerendarum ac fugacissimas occasiones, non segniter, quum sese obiiciunt, arripiendas. Dum consulis, dum circunspicis, effluxere. Hic fors alius interpellat: Nequicquam paves; maiora et praecipua peracta. Itane tandem? Sub carceribus volutamur. Sed esto, praecipua peracta: cursus propterea remittendus? Pereunt fundamenta, parietes ruunt, ni quis fastigium imponat. Cave igitur refrigescas, ne quidem, si ubilibet sileretur, pacata et tranquilla essent omnia; saepe, cum summum ventorum silentium fuit, improvisi nullo certo signo sese turbines commoverunt. Quid? Si, quae nunc silent, si tamen silent, repentinis fragoribus intonabunt? Si paululum immurmurante Germania (non recordamini?) hoc aedificium vix stetit, ad primam septemtrionis aurulam concussum est: quid, si qua maior ingruerit vis? Ingruat, inquit 203v ille, turbentur omnia: nullis nos ab incepto terroribus avocabimur. Idem mihi persuadeo, sanctissimi viri, nec de fortissimis animis aliter suspicari fas est. Inter arma tamen et tubas quis audiet nos? Ergo vel cedas necesse, vel surdis canes. Sed pace post parta reditio fiet? Quasi per ludum concilia cogantur? An aliud tanti mali remedium est? Vel hoc uno est brachio corpus rei publicae attollendum, vel uno cuncta interitu occiderunt[a].

Agendum igitur naviter et pergendum; non solummodo incepisse, non transisse etiam medium, sat est. Totum, totum (vel excidamus corona), quantum superat spatii, conficiendum. Omnes vepres, vel feracius pullularunt, a fibris intimis evellendae. Hic falce, flamma, securibus opus est. Nobis denique afferendae sunt manus; pennae, quae superfluunt, recidendae. Clamores hominum in nostros (ut illi volunt) luxus et delicias opprimendi. Iam, si vetera incommoda respiciamus, si illius infausti temporis recordabimur, cum tu discerpta plagis vix stabas, mater, e mortis faucibus emersisse videmur, praeut aegrotavimus. Non hic verumtamen insistendum. Nutant res ipsae, nutant ac fluctuant adhuc; aliquot heu diris adhuc nostra omnium mater ulceribus deformatur. Ea vobis, pontifices, patefacit, pectus denudat, ante vestra genua procumbit. Per sponsi sanguinem pro vobis fusum plagasque obtestatur, ne plus animi hostibus in ea evertenda, quam vobis in ea servanda fuisse videatur. Non longe fortasse laboris, quod superat, negotium est, et tamen, si pro oppidulo potiundo[1] decennium saepe homines consumpserunt, calores, imbres, grandines, dura omnia pertulerunt: vobis pro summa rerum quid faciendum, quid tolerandum putatis? Omnes aspiciunt observantque vos, quid tandem denique pariatis. Danda est igitur opera et enitendum, ut tantae hominum expectationi et desiderio respondeatis, ut tandem impietate ab ecclesia fugata, corruptis collapsisque moribus emendatis, inter Christianos concordia stabilita, Caesar cum exercitu expiato et invicto ipse in Asiam traiiciat mare, fines, quod iam pridem molitur, nostrae rei publicae prolaturus illumque audacem, qui nunc sic furit, quem tot vidistis classibus toto volitantem mari nostrisque littoribus insultantem, in vincula (spero equidem) coniecturus. Nos laeti et ovantes re bene gesta nostra ad ovilia revertamur, nostros greges, heu errantes greges, qui desertas per rupes gemunt, longo post spatio revisuri illosque ab deviis desertisque locis plena in pascua reducturi. Quem si, antequam hinc avolem, aspiciam solem, repetam quod olim dixeram[2], emoriar lubens, mihi omnia contigerunt. Dixi.

[a] *C 118, C 119* conciderunt

[1] i. e. Troia.

[2] Orationem die 6. Ianuarii 1546 coram concilio habitam eisdem fere verbis conclusit: *Quem solem si, antequam ex hac vita migro, illucescere videam, ero omnia consecutus, emoriar libens. Dixi.* Conc. Trid. IV p. 561 l. 19 sq.

Adventus R. D. archiepiscopi Arborensis.

Conc. 118 320r Absoluta sessione, die sequenti, nempe **26. Novembris,** applicuit Tridentum R. D. Petrus Alagon[1], archiepiscopus Arborensis, natione Hispanus, qui nunc ex patria ad concilium profectus est.

Missa concilii dominica prima Adventus anni 1551.

Die **29. Novembris,** quae fuit dominica prima Adventus Domini 1551, celebratur de more missa conciliaris in ecclesia cathedrali. Peregit sacra R. D. episcopus Camerinensis habuitque orationem sacrae theologiae magister Desiderius de Verona ord. Praed.

Missa concilii dominica secunda Adventus.

320v Die **6. Decembris,** quae fuit dominica secunda Adventus Domini, celebravit missam consuetam concilii R. D. episcopus Lancianensis habuitque orationem sacrae theologiae magister Sigismundus Phedrius de Diruta, Umber, concionator R^{mi} et Ill^{mi} Tridentini. Interfuerunt R^{mi} legatus et praesidentes, oratores ac caeteri patres omnes.

Adventus R. D. Civitatensis episcopi, Hispani.

Die Martis **1.** dicti mensis **Decembris** applicuit Tridentum R. D. Petrus Ponz[2], episcopus Civitatensis Hispaniae (est enim praesens in concilio alius Civitatensis Apuliae), natione etiam Hispanus, promotus 1550.

Adventus R. D. episcopi Segobiensis.

Die Mercurii **2.** dicti mensis applicuit Tridentum R. D. Gaspar de Stugniga, episcopus Segobiensis, natione Hispanus, promotus 25. Iunii 1550.

Adventus episcoporum Placentini, Pampilonensis et Mindoniensis.

Die Iovis **3.** eiusdem mensis **Decembris** applicuerunt Tridentum RR. DD. Gutier de Caravagial, episcopus Placentinus, promotus mense Martii 1524, et Franciscus de Venavides, episcopus Mindoniensis, promotus mense Octobris 1541, ac etiam Alvarus Moscosus, episcopus Pampilonensis, promotus die 25. Iunii 1550, omnes autem natione Hispani[3].

[1] Recte Carolus de Aragona, de quo cf. infra p. 444, adn. 2.

[2] De quo cf. infra p. 457 adn. 3.

[3] De quibus cf. infra p. 446^6, 448^8, 456^3.

ACTA SACRI CONCILII TRIDENTINI

post quartam sessionem sub Iulio III pont. opt. max.

[a] [1] In nomine Domini. Amen. Post quartam sessionem sacri concilii Tridentini sub beatissimo ac sanctissimo in Christo patre et domino nostro, D. Iulio III pont. opt. max., quoniam iuxta decretum in ea sessione publicatum in subsequenti sessione de sacrificio missae et sacramento ordinis agendum est, articuli ex libris haereticorum super ipsis missa et ordine excerpti de more hactenus observato theologis examinandi et discutiendi propositi sunt, die scil. Iovis 3. mensis Decembris 1551, sub his verbis videlicet: Conc. 118 322^{r}

Articuli de sacrificio missae et sacramento ordinis per DD. theologos examinandi, an sint haeretici et damnandi per sanctam synodum.

De sacrificio missae.

1. Missam non esse sacrificium nec oblationem pro peccatis, sed tantum commemorationem sacrificii in cruce peracti, vocari autem a patribus translato nomine sacrificium; et vere et proprie non esse, sed tantum testamentum et promissionem remissionis peccatorum.

Hic articulus asseritur a Luthero in captiv. Babilonica[2] et habetur in Apologia Augustana[3].

2. Missam non esse ex evangelio neque a Christo institutam, sed inventam ab hominibus; neque eam esse opus bonum aut meritorium, imo in ea committi manifestam et multiplicem idololatriam.

Assertio haec habetur in Apologia Augustana[4] et apud Calvinum[5] et Melanchthonem in locis communibus[6].

[a] *In C 119 Massarellus propria manu praemittit* Examinantur articuli haereticorum de sacrificio missae et sacramento ordinis.

[1] Acta concilii usque ad quintam sessionem leguntur in tomo *Conc. 118* fol. 322^{r}—423^{v} et *Conc. 119* fol. 388^{r}—560^{v}, prima forma a Massarello in ipsis congregationibus usque ad finem anni 1551 scripta prostat in tomo *Conc. 18* fol. 55^{r} ad 75^{r} (= M). Pro congregationibus mensis Ianuarii 1552 habetur Actorum prima forma in diversis codicibus, ut suo loco adnotabimus. In tomo *Conc. 18* fol. 83^{r}—130^{v} invenitur copia Actorum a Massarello in ipsis congregationibus usque ad finem mensis Decembris scriptorum, quam Massarellus singulis theologis misit, ut in ea, quae falsa essent, corrigerent, quae deessent, adderent. Imprimis testimonia sanctorum patrum a theologis adducta secretarius saepe omisit, quae in foliis huius copiae ab ipsis theologis addita sunt. In margine primi voti Iacobi Laynes, qui orationem suam permultis patrum testimoniis illustravit, Massarellus scripsit fol. 83^{r}: «Obsecro, ut ponantur hic illi auctores», et fol. 84^{r}: «Obsecro, ut ponantur ii patres». In apparatu nostro critico invenis ea, quae patres in hac copia addiderunt vel emendaverunt, sub siglis *A*. Cf. de hac re uberius *I. Birkner*, Die Akten des Trienter Konzils für die zweite Tagungsperiode unter Papst Julius III., in: Quellen und Forschungen aus ital. Archiven und Bibliotheken XXIX (1939) 308 sq.

[2] *M. Lutherus*, De captivitate Babylonica, de sacramento panis. *Ed. Weimar.* VI 512. 521.

[3] *Apologia confess. Augustanae*, art. 24 de missa: ,,Etsi adversarii in hoc loco multa congerunt, ut probent missam esse sacrificium, tamen ille ingens tumultus verborum prolata hac unica responsione consilescet, quod haec quamvis longa coacervatio auctoritatum, rationum, testimoniorum non ostendat, quod missa ex opere operato conferat gratiam, aut applicata pro aliis mereatur eis remissionem venialium et mortalium peccatorum, culpae et poenae.'' *Bekenntnisschriften* 2. ed. (1952) 351. Cf. *ibid.* 361. ,,Non ignoramus missam a patribus appellari sacrificium, sed hi non volunt, missam ex opere operato conferre gratiam. . .'' *Ibid.* 368.

[4] *Apol. conf. August.*, art. 24 de missa: ,,Primum enim contumelia est evangelii sentire, quod ceremonia missae ex opere operato sine fide sit sacrificium reconcilians Deum et satisfaciens pro peccatis.'' *Ibid.* 374.

[5] *Calvinus*, Institutio relig. christianae lib. IV cap. 18, de coena Domini n. 57: ,,Eant nunc et idololatriam esse negent, quod panem in suis missis ostendunt pro Christo adorandum.'' *Corp. Ref.* XXIX 1028.

[6] *Melanchthon*, Loci communes theologici: De coena Domini cap. 4: ,,Sic transformatur ceremonia in opus genere diversum, cum dicunt se offerre filium Dei pro vivis et mortuis et mereri eis remissionem peccatorum.'' *Corp. Ref.* XXI 869.

3. Blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto, si quis credat
322v Dei | Filium denuo a sacerdotibus in missa Deo Patri offerri; ⟨Christumque pro nobis mystice imolari et offerri⟩[a] non aliud esse, quam illum nobis ad manducandum dari. Et Christum illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem* non ordinasse, ut apostoli offerrent corpus et sanguinem eius in sacrificio missae.

Urbanus Reghius contra Ekhium[1]; Lutherus de captiv. Babilonica[2]; Bucerus lib. de reformatione[3].

4. Canonem missae erroribus et seductionibus scatere, abrogandum esse fugiendumque non secus ac pessimam abominationem.

Habetur in apologia [Augustana][4] et apud Zvinglium[5] et Bulingerium[6]; Melanchthon in libro contra privatam missam[7].

5. Missam nec vivis nec mortuis ut sacrificium prodesse; et impium esse applicare eam pro peccatis, pro satisfactionibus et aliis necessitatibus.

Melanchthon in locis communibus[8]; Calvinus de coena Domini[9]; et in apologia[10]; et Lutherus de captiv. Babilonica[11].

6. Sicut nemo pro alio communicat vel pro alio absolvitur, ita nec in missa sacerdos pro alio sacrificium offerre potest.

Habetur in apologia Augustana[12].

7. Missas privatas, in quibus scilicet solus sacerdos et non alii communicant, ante Gregorium Magnum non fuisse et illicitas esse atque abrogandas; ac cum Christi institutione pugnare et repraesentare[b] magis excommunicationem quam communionem a Christo institutam.

[a] *In C 119 add. in margine manu Massarelli* [b] *Th* praesentare

[1] *Urbani Rhegii* Responsio ad duos libros primum et tertium de missa Ioannis Eccii, Augustae Vind. 1529, fol. H. 8v: „persuasissimum habe animos nostros inhorrescere, quoties audimus predicare quosdam et simplicem plebeculam credere, denuo a sacerdotibus quotidie filium Dei offerri Deo patri in missis pro peccatis vivorum et defunctorum, quis stupor hic non sentiret blasphemiam irrogari sanctissimo in cruce semel peracto sacrificio".

[2] *M. Lutherus*, De capt. Babyl.: „Iam et alterum scandalum amovendum est, quod multo grandius est et speciosissimum. Id est, quod missa creditur passim esse sacrificium, quod offertur Deo." *Ed. Weimar.* VI 523.

[3] *M. Bucerus*, Von Gottes genaden unser Hermans Ertzbischoffs zu Cöln und Churfürsten etc. Einfaltigs bedencken usw., Bonn 1544, fol. 98r: „Und für allem sollen die prediger die leuth von dem unverstande mit fleiß abwenden, auß dem sey [!] meynen, daß der priester in diesem ampt Christum unsern herren, Gott dem vatter aufopfere . . ." Sed probabiliter patres concilii non hoc libro utebantur, sed *Ioannis Gropperi* opere contra Buceri librum edito, cui titulus: Antididagma seu christianae et catholicae religionis per Rev. et Ill. Dnos. canonicos metropolitanae ecclesiae Coloniensis propugnatio adversus librum quendam . . . nuper Bonnae titulo Reformationis exhibitum. In editione Venetiana anni 1547 legitur fol. 130v: „Primum dicit Christum coenam suam tantum communionis gratia instituisse . . ., quasi Christus in coena sua nullum sacrificium novum instituerit . . . atque adeo reliquerit ecclesiam suam sine omni sacrificio externo." De libris Buceri et Gropperi cf. Conc. Trid. VI, 1 p. 93 adn. 9.

[4] Apologia conf. August. art. 24, 92ss.

[5] *Zvinglius*, De canone missae epichiresis: „En quid faciat error, quot putas doctos quoties etiam hanc precationem legisse et superstitione quadam nunquam verba expendere ausos? Hic est ille canon, quem attrectare non licet, inscitia plenus, infantia, impietate." *Corp. Ref.* LXXXIX 575.

[6] *Heinrychi Bullingeri* De origine erroris libri duo, Tiguri 1539, 213r: „De canone, qui multa absurda, erronea et impia habet, nihil certi, quando et a quibus compositus sit, ipsi etiam scholastici tradunt . . . Negligi enim ac contemni potest ceu inventum nuperum et ineptum".

[7] *Melanchthon*, Liber contra privatam missam: „Abiiciendus est Canon, quem vocant, in quo apertis verbis fit oblatio et applicatio pro aliis et additur idololatrica invocatio sanctorum." *Corp. Ref.* XXIII 712.

[8] *Melanchthon*, Loci communes theologici: „Est igitur falsa persuasio, de natura cuiuslibet sacrificii esse, ut applicetur pro aliis. Tantum enim propitiatorium sacrificium Christi fuit applicandum pro aliis. Cetera sacrificia nostra . . . nec sunt applicanda, ut mereantur aliis remissionem peccatorum etc." *Corp. Ref.* XXI 484.

[9] *Calvinus*, Institutio religionis christ. lib. IV cap. 18: „Sane, si rite expendimus, non alia causa tantum illis animi facit, nisi quia missario sacrificio, tanquam soluto pretio, satisfacturos se Deo confidunt." *Corp. Ref.* XXIX 1031.

[10] *Apologia conf. August.*, art. 24 de missa: „Repudiandi sunt et reliqui communes errores, quod missa conferat gratiam ex opere operato facienti. Item quod applicata pro aliis etiam iniustis, non ponentibus obicem, mereatur eis remissionem peccatorum, culpae et poenae." *Bekenntnisschriften* 2. ed. 367.

[11] *Ed. Weimar.* VI 521.

[12] *Apol. conf. August.*: „Ceterum nulla habet sacerdotium novi testamenti sacrificia similia leviticis, quae ex opere operato applicari pro aliis possint . . ." *Bekenntnisschriften* 2. ed. 366 l. 38 sqq.

Apologia Augustana[1] et Calvinus de cena Domini[2]. |

8. Vinum materiam non esse huius sacrificii; neque aquam miscendam cum vino in calice; idque esse contra Christi institutionem. 323r

Bucerus in apologia contra Antididagma[3].

9. Ecclesiae Romanae ritum, quo secreto et submissa voce verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; missamque nonnisi in lingua vulgari, quam omnes intelligant, celebrari debere, imposturamque esse certas missas certis sanctis attribuere.

Asseritur a Calvino in lib. de coena Domini[4].

10. In celebratione missarum omnes ceremonias, vestes et externa signa irritabula impietatis esse magis quam officia pietatis. Et sicut missa Christi simplicissima fuit, ita quanto missa[a] illi primae omnium missae vicinior et similior sit, tanto magis esse christianam.

Lutherus de captiv. Babilonica[5].

De sacramento ordinis.

1. Ordinem non esse sacramentum, sed ritum quendam eligendi et constituendi ministros verbi et sacramentorum; imo, quod ordo sacramentum sit, figmentum esse humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis.

Lutherus de captiv. Babilonica tit. de ordine[6]; Bucerus lib. reformationis[7]; Calvinus lib. institutionum[8]; et Melanchthon in locis communibus[9].

2. Ordinem non esse unum sacramentum, nec infimos nec[b] medios ordines velut gradus | quosdam tendere in sacerdotii[c] ordinem. 323v

Calvinus in sua institutione cap. de ordine ecclesiastico[10].

3. Nullam esse ecclesiasticam hierarchiam, sed omnes Christianos ex aequo esse sacerdotes; et ad usum seu executionem opus esse vocatione magistratus et consensu populi; et qui sacerdos semel fit, eum laycum rursus posse fieri.

Lutherus de capt. Babilonica[11]; Bucerus lib. reformationum[12]; et Calvinus in suis institutionibus[13].

4. Non esse in novo testamento sacerdotium visibile et externum neque potestatem aliquam[d] spiritualem sive ad consecrandum corpus et sanguinem Domini sive ad offerendum sive ad absolvendum coram Deo a peccatis; sed officium tantum et ministerium praedicandi evangelium; et eos, qui non praedicant, prorsus[d] non esse sacerdotes.

[a] *Th falso* missae [b] *Th* et [c] *Th* sacerdotis [d] *Th om.*

[1] *Ibid.*: ,,Nusquam veteres scriptores ante Gregorium mentionem faciunt privatarum missarum." *Ibid.* 351 l. 1 sqq.

[2] *Calvinus*, Inst. rel. christ. lib. IV cap. 18: ,,Sed ut de nomine remittamus controversiam, dico privatas missas cum Christi institutione ex diametro pugnare, ideoque impiam esse sacrae coenae profanationem." *Corp. Ref.* XXIX 1028.

[3] *M. Bucerus*, Bestendige Verantwortung auß der heiligen schrifft ..., Bonn 1545, fol. 156r: ,,So ist auch das war, die uralten vätter haben diese mischung von Wasser im kelch Christi zur geistlichen deutung gezogen der einleibung des volckes in Christum, wie auch das, das auß der seiten Christi blut und wasser geflossen ist. Solche deutung verwürffet auch niemand; doch kan man darauß kein notwendig gesetz machen, dieweil wir keinen außgetruckten befelch noch lehre Christi davon haben."

[4] Apud *Calvinum* de hac re nihil invenitur. Cf. potius apud *Lutherum*, De capt. Babyl. *Ed. Weimar.* VI 524.

[5] *Lutherus*, De capt. Babyl.: ,,Ex quibus itidem facile quivis colligit, missam, cum sit aliud nihil quam promissio, hac fide sola adiri et frequentari, sine qua, quicquid precularum, praeparatoriorum operum, signorum, gestuum affertur, irritabula sunt impietatis magis quam officia pietatis." *Ed. Weimar.* VI 517. ,,Iam missa, quanto vicinior et similior primae omnium missae, quam Christus in caena fecit, tanto christianior. At missa Christi fuit simplicissima ..." *Ibid.* 523.

[6] *Lutherus*, De capt. Babyl., de ordine: ,,Hoc sacramentum ecclesia Christi ignorat inventumque est ab ecclesia papae." *Ed. Weimar.* VI 520.

[7] Cf. Conc. Trid. VI, 1 p. 97 adn. 6.

[8] Cf. Conc. Trid. VI, 1 p. 97 adn. 7.

[9] Cf. Conc. Trid. VI, 1 p. 97 adn. 8 et p. 90 adn. 5.

[10] *Calvinus*, Instit. relig. christ. (secunda recensio) cap. 19 de quinque falso nominatis sacramentis, parte de ordine eccles. n. 22: ,,Quartum locum in eorum catalogo tenet sacramentum ordinis; sed adeo foecundum, ut septem ex se sacramentula pariat. Est vero istud perquam ridiculum, quod, quum affirment septem esse sacramenta, dum recensere ipsa volunt, tredecim enumerant. Neque vero causari possunt, unum esse sacramentum, quia omnia in unum sacerdotium tendunt, et velut quidam ad ipsum sunt gradus. Siquidem quum in singulis diversas esse caeremonias constet, diversas esse gratias ipsi loquantur, nemo dubitet, quin septem sacramenta dici debeant, si eorum placita recipiuntur ..." *Corp. Ref.* XXIX 1081.

[11] Cf. Conc. Trid. VI, 1 p. 91 adn. 2.

[12] Cf. Conc. Trid. VI, 1 p. 97 adn. 6 et p. 98 adn. 2.

[13] Cf. Conc. Trid. VI, 1 p. 98 adn. 3.

Bucerus super Ioa. cap. 6[1]; Lutherus de captiv. Babilonica[2]; Calvinus in institutionibus[a] [3].

5. Unctionem non solum non requiri in ordinum traditione[b], sed esse perniciosam et contemnendam; similiter et omnes alias ceremonias; et per ordinationem non conferri Spiritum Sanctum; proinde impertinenter episcopos, cum ordinant, dicere: Accipite Spiritum Sanctum.

Calvinus cap. 18 suarum institutionum[4].

6. Episcopos iure divino non esse institutos neque praesbyteris superiores neque habere ius ordinandi aut, si habent, id illis esse commune cum praesbyteris; ordinationes-
324r que ab | ipsis factas sine plebis consensu irritas esse.

Lutherus de capt. Babilonica[5]; Calvinus lib. institutionum[6]; Bucerus lib. reformationis[7].

Quibus ex locis sententiae deduci debeant[c].

Sententiae per DD. theologos dicendae deducantur (ut alias praescriptum est) ex sacra scriptura, traditionibus apostolicis, sacris et approbatis conciliis ac summorum pontificum et sanctorum patrum constitutionibus et auctoritatibus et ecclesiae catholicae consensu.

Ordo servandus in sententiis dicendis.

Ordo in sententiis dicendis idem observabitur, qui alias praescriptus fuit. Dicant ea brevitate, quae decet viros pios et non contentiosos et verbosos; propterea abstineant omnino a superfluis et inutilibus.

Incipient primi die lunae proxima, quae erit 7. Decembris, hora 16[d]; deinde prosequentur alii eadem die hora 21 et successive singulis diebus, bis in die eisdem horis.

Congregatio theologorum prima super examinatione suprascriptorum articulorum de sacrificio missae et de sacramento ordinis.

In Dei nomine. Amen. Die **7. Decembris** lunae hora 16 eiusdem anni 1551 habetur prima congregatio theologorum post 4. sessionem sacri concilii Tridentini sub Iulio papa III, in qua ceperunt examinari articuli de sacrificio missae et sacramento ordinis, loquiturque hodie primus[e] R. Don[f]

[a] *M add.* et alii, qui eos sequuntur. [b] *Th* traditionem [c] *M om.*
[d] *C 119 et Th* 17 [e] *Th add.* quia a papa missus [f] *sic*

[1] Cf. Conc. Trid. VI, 1 p. 97 adn. 12.

[2] Cf. Conc. Trid. VI, 1 p. 91 adn. 3 et 6.

[3] *Calvinus,* Institutio rel. christ. lib. IV cap. 19: ,,Principio quidem pro confesso esse debet . . . iniurios omnes esse Christo, qui se sacerdotes appellant ad offerendam placationis hostiam . . . In ipso omnes sumus sacerdotes . . . Illi uni singulare fuit, sua oblatione Deum placare . . . Id quum sibi isti usurpent, quid superest, nisi eorum sacerdotium impium esse ac sacrilegum?" *Corp. Ref.* XXIX 1086.

[4] *Calvinus,* Institutio religionis christ. lib. IV cap. 19: ,,Hanc insufflationem retinuerunt boni isti viri; et quasi spiritum sanctum e gutture suo egerant, super suos, quos formant sacrificulos, demurmurant: Accipite spiritum sanctum . . . Sunt quidem adeo effrontes, ut asserere ausint, conferri a se spiritum sanctum." *Corp. Ref.* XXIX 1093.

[5] *Lutherus,* De capt. Babyl., de ordine: ,,An episcopum faciat, ordinare tales sacerdotes battologos? . . . Ministerium verbi facit sacerdotem et episcopum." *Ed. Weimar.* VI 566. ,,Qui si cogerentur admittere, nos omnes esse aequaliter sacerdotes, quotquot baptisati sumus, sicut revera sumus, illisque solum ministerium nostro tamen consensu commissum, scirent simul, nullum eis esse super nos ius imperii . . . Sacerdotes vero, quos vocamus, ministri sunt ex nobis electi, qui nostro nomine omnia faciant." *Ibid.* 564.

[6] *Calvinus,* Instit. rel. christ. (secunda recensio) cap. 8 n. 52: ,,Quibus ergo docendi munus iniunctum erat, eos omnes nominabant presbyteros. Illi ex suo numero in singulis civitatibus unum eligebant, cui specialiter dabant titulum episcopi, ne ex aequalitate, ut fieri solet, dissidia nascerentur. Neque tamen sic honore et dignitate superior erat episcopus, ut dominium in collegas haberet; sed quas partes habet consul in senatu, ut referat de negotiis, sententias roget, consulendo, monendo, hortando aliis praeeat, autoritate sua totam actionem regat, et quod decretum communi consilio fuerit exequatur, id muneris sustinebat episcopus in presbyterorum coetu . . ." *Corp. Ref.* XXIX 572 sq.

[7] Cf. Conc. Trid. VI, 1 p. 97 adn. 6.

Iacobus Laynes[1], societatis Iesu, ⟨Hispanus, missus a S^mo^ D. N.⟩[a], accipiens articulos
de sacrificio missae, et quoad primum probavit, Eucharistiam in missa esse sacrificium,
primo ex Ma|lachia 1 [10 sq.]: *Non est mihi voluntas in vobis* etc., cum sacrificium anti- 324v
quum reprobat[b] et novum laudat[b]. *Magnum est enim nomen meum in gentibus; ab ortu
nanque solis usque ad occasum sacrificatur oblatio munda.* Et ⟨verbum praesens⟩[c] pro futuro
capitur, quia Deo omnia praesentia sunt. Et reprobavit alios sensus, quod[d] non intelli-
gatur[e] de sacrificio spirituali, quia sacrificium hoc statuitur pro sensibili populo, cui con-
venit sacrificium etiam sensibile. Neque etiam de praedicatione potest intelligi, quia prae-
dicatio non est sacrificium et quia non est munda, cum proveniat a nobis, quorum opera
sunt immunda, neque de passione Domini[f], quatenus Eucharistia excluditur, ⟨quia illa
in uno loco et semel est oblata nec oblata proprie a gentibus⟩[g]. Idem habetur ex traditione
⟨interpraetante sententiam dictam Malachiae, nempe⟩[h] Martialis epist. ad Burdegallen-
ses ⟨cap. 3[2], Ireneus lib. 3 cap. 32[3], Tertullianus in Marcionem lib. 3[4], Cyprianus lib. 1 in
Iudaeos cap. 16[5], Eusebius lib. 1 de demo[n]stratione cap. 10[6], Augustinus 18 de civit.
Dei cap. 20[7], Cyrillus lib. 1 de adoratione in Spiritum Sanctum[8], Damascenus lib. 4
cap. 14[9], Hieronymus[10], Theodoretus[11], Remigius[12], Rupertus in Malachiam[13]⟩[i]. Probavit
idem ex Daniele 12 [11]: *Iuge sacrificium* etc., quod de Eucharistia doctores intelligunt,
⟨ut Methodius[14] et[k] Hieronymus[15], quia ibi loquitur de resurrectione ultima⟩[h]. Item ex
Ps. 4 [4 6]: [l] *Mirificavit sanctum suum Dominus; sacrificate sacrificium iustitiae* etc.,
quod ⟨Eucharistia est⟩[m]. *Signatum est enim super nos lumen vultus tui, Domine; a fructu*[n]
⟨*vini et olei sui multiplicati sunt*[16]. Frumentum etenim Eucharistiam notat, et oleum gra-
tiam eius⟩[o]. Item Ps. 21 [26 sq.], ut Augustinus intelligit ⟨lib. de gratia novi testamenti⟩[h]
cap. 34[17]: Laudatur[p] *laus mea in ecclesia magna*, et: *Vota mea* Domino[d] *reddam: edent
pauperes et saturabuntur*[q]. Item Ps. 39[r]; ⟨Eusebius lib. 8 de demonstratione[18]⟩[h]; Augustinus
ad Casulanum[19] ⟨et idem lib. 17 de civit. Dei cap. 20[20]⟩[h]: *Sacrificium et oblationem noluisti*[21],
⟨id est cruentum et incruentum sacrificium legis, ut voces hebraeae significant[22]. Et utri-
que | successit Christus, pro primo in cruce et pro secundo in Eucharistia. Et cum sequi- 325r
tur:⟩[h] *Corpus autem aptasti*[s] *mihi*[23], quod de Eucharistia intelligitur. Item Ps. 50 [21]:

[a] *Th et Grisar om.* [b] *Grisar* reprobet — laudet [c] *M* »est« et praesens
[d] *Grisar om.* [e] *Grisar* intelligitur [f] *A hic add.* quia tamen
[g] *M* alias Eucharistia in missa est etiam commemoratio oblationis cruentae in cruce factae; *in A del. et corr. ut supra*
[h] *M om.; add. A*
[i] *M om. et add.* et alii 12; *in A Massarellus in marg. scripsit* Obsecro, ut ponantur hic illi auctores, *qui sequuntur manu Salmeronis adnotati ut supra.*
[k] *A add.* sanctus [l] *M anteponit* Filii hominum etc.
[m] *M* Eucharistiae est sacrificium [n] *Grisar add.* frumenti
[o] *M* olei, vini et frumenti, quae Eucharistiam notant; *in A corr. ut supra*
[p] *Grisar* apud te [q] *M* laetabuntur; *in A corr. ut supra*
[r] *Codd. et Th et Grisar* 49 [s] *In M corr. pro* tradidisti

[1] Hoc votum ex Theinero edidit *H. Grisar*, Iacobi Lainez disputationes Tridentinae II (Oeniponte 1886) 204—212. Cf. *H. Jedin*, Röm. Qu. L (1955) 30s.
[2] Cf. supra p. 117 adn. 9.
[3] *Irenaeus*, Adversus haereses lib. IV cap. 17 n. 5 (olim cap. 32). *Migne*, P. gr. VII 1023 sq.
[4] *Tertullianus*, Adversus Marcionem lib. III cap. 22, 6. Corp. Christ. I 539.
[5] *Cyprianus*, Testimoniorum libri tres adversus Iudaeos I cap. 16. CSEL III, I 49s.
[6] *Eusebius*, De demonstratione evangelica I cap. 10. *Migne*, P. gr. XXII 85/86 sq.
[7] *Augustinus*, De civitate Dei lib. X cap. 20. *Migne*, P. lat. XLI 298. CSEL XL, I 481, 4ss.
[8] *Cyrillus Alexandrinus*, De adoratione in spiritu et veritate lib. I. *Migne*, P. gr. LXVIII 223.
[9] *Ioannes Damascenus*, De fide orthodoxa lib. IV cap. 13 (non 14). *Migne*, P. gr. XCIV 1149 ad 1152.
[10] Comm. in Mal. 1, 11. *Migne*, P. lat. XXV 1551.
[11] *Theodoretus Cyrensis*, Comment. in Mal. 1, 11. *Migne*, P. gr. LXXXI 1967/68.
[12] *Remigius Antissiodorensis*, Enarratio in Ps. 109. *Migne*, P. lat. CXXXI 711.
[13] *Rupertus Tuitiensis*, Comment. in Malachiam cap. 1. *Migne*, P. lat. CLXVIII 820 sq.
[14] De qua re cogitet, non inveni.
[15] *Hieronymus*, Comment. in Danielem cap. 12, 11. *Migne*, P. lat. XXV 579. Sed expressis verbis hoc loco de sacrificio missae non loquitur.
[16] *Ps.* 4, 7 sq.
[17] *Augustinus*, De gratia novi testamenti cap. 34. *Migne*, P. lat. XXXIII 573 sq.
[18] *Eusebius*, De demonstratione evangelica lib. VIII. *Migne*, P. gr. XXII 595/96.
[19] *Augustinus*, Epistula 36 ad Casulanum cap. 8. *Migne*, P. lat. XXXIII 144. CSEL XXXIV, II 47.
[20] *Augustinus*, De civitate Dei lib. XVII cap. 20. *Migne*, P. lat. XLI 556. CSEL XL, II 261.
[21] *Ps.* 39, 7.
[22] Cf. de hac re *J. Ziegler*, Lexikon für Theologie und Kirche VII (1935) 728.
[23] Sic legitur *Hebr.* 10, 5. *Ps.* 39, 7 in editione Vulgata: *Aures autem perfecisti mihi.*

Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, oblationes etc., *ut aedificentur muri Hierusalem*[1], id est ecclesiae, in qua fundamentum positum est, quod est Christus Iesus. *Tunc* scilicet *acceptabis sacrificium iustitiae* etc. Item Ps. 61: *Erit firmamentum in terra in summis montium*[2]. *Firmamentum*, id est substantificus panis, ⟨ut Rabboni[3], vel⟩[a] memorabile triticum, ut interpraetatur Hieronymus[a4]. Et *in summis montium*, id est supra capita[a] sacerdotum. Item Ps. 95[b] [8]: *Afferte Domino* etc., afferte hostiam etc. Item Luc. 22 [15]: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.* Et pascha non de veteri, sed de novo intelligitur[c] in Eucharistia, ut Tertullianus lib. 4 in Marcionem[5], Theophilactus[6] ⟨et B. Thomas⟩[a7] et alii interpraetantur. Et pascha sacrificium est ⟨sive agnus sacrificatus⟩[a]. Item 1 Cor. 5 [7]: *Expurgate vetus fermentum* etc.; *etenim pascha nostrum immolatus est Christus,* ⟨ut docet B. Hieronymus in cap. 1 ad Ephesios⟩[a8]. At in cruce imolatum Christum non edimus; ergo imolatum in Eucharistia. Item 1 ad Cor. 10 [16 18 21]: *Panis, quem frangimus, nonne ⟨communicatio est corporis* et sanguinis *Domini*⟩[d] etc.? ⟨*Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris*⟩[e] etc.? *Non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum.* ⟨Si imolata in lege reponebantur in altari suo et imolata idolis a gentilibus[f] edebantur, ergo et corpus Domini[g], quod est in mensa sacra, id est altari. Ita enim ibi comparat Paulus altare legis et gentilium idolatrarium[h] cum mensa nostra. Item cap. 13 [9 sq.] ad Hebr.: *Bonum*[i] *est gratia* (scil. Eucharistiae) *stabilire cor*⟩[k], *non escis, quae non profuerunt ⟨ambulantibus in eis⟩*[c]*; habemus altare, de quo edere non ⟨habent potestatem⟩*[l], ⟨*qui tabernaculo deserviunt*⟩[m]. Quod de Eucharistia intelligitur; ergo est sacrificium. Et ita intelligunt Theodoretus[9], Theophilactus[10] ⟨et Oecumenius[11]⟩[n]. Item Act. 13 [2]: *Ministrantibus autem illis* etc., ut Roffensis interpraetatur ministerium in sanctis[12]. Item
325v faciunt loci, | qui de sacerdotio et sacrificio loquuntur, ut Ps. 131 [9]: *Sacerdotes* ⟨eius *induant*⟩[o] *iustitiam.* Esai. 61 [6]: *Vos autem sacerdotes Dei*, et 66 [21]: *Assumam ex eis* (id est gentibus) *sacerdotes et levitas* etc. Act. 14 [22]: ⟨*Cum constituissent illis per singulas ecclesias praesbyteros* etc.⟩[p], et ad Titum 1 [5]: ⟨*Et constituas per civitates praesbyteros, sicut et ego disposui tibi*⟩[c]. Et 1 ad Tim. 4 [14]: ⟨*Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*⟩[c]; item Hebr. 7 [12]: *Translato enim sacerdotio necesse est* etc. Non enim dicit *extincto*[q], sed *translato*, quia apud nos manet sacerdotium, ergo et oblatio, ut idem Paulus ait. Praeterea de hostia loquitur Esai. 19[r] [21]: *Et colent eum in hostiis* etc., et cap. 56[s] [7]: *Holocausta eorum et victimae eorum placebunt mihi super altari meo*[t]. Hier. 33 [18]: *Et de sacerdotibus et levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocaustomata et incendat sacrificium* etc. Ezech. 44 [29]: *Victimam et pro peccato et pro delicto ipsi comedent*[u]. Malach. 3 [3 sq.]: *Et erunt Domino offerentes sacrificium in iustitia, et placebit Domino* etc. Et Matth. 5 [23]: *Si ergo offers*

[a] *M om.; add. A* [b] *Th et Grisar* 91 [c] *M om.*
[d] *Grisar* participatio corporis Domini est [e] *M* Qui hostiam edit, de altari participat.
[f] *Th et Grisar* gentibus [g] *Grisar* imolatur [h] *Grisar* idololatrarum [i] *Grisar* optimum
[k] *M* Si editur in altari, et est hostia, ergo sacrificium. Item ad Hebr., quorum animalium infertur sanguis etc., *in A del. et corr. ut supra*
[l] *M* licet iis [m] *In M corr. pro* Iudeis [n] *M om.; add. A; Th et Grisar om.*
[o] *Grisar* tui induantur [p] *M* Constituebant [q] *M* consumpto; *corr. in A*
[r] *M* 69 [s] *M* 55
[t] *Quae verba ex sacra scriptura in M his et aliis in locis valde abbreviata extant et nonnumquam falso citata; quod tamen non semper adnotamus, sed in iis tantummodo locis, ubi huiusmodi variationes alicuius momenti sunt.*
[u] *M add.* Sophonias 6; *in A del.*

[1] *Ps.* 50, 20. [2] *Ps.* 71, 16.

[3] Sic interpretatur Rabbi Akilas in suo Targum ad Psalmos. Quae interpretationes a Lainio sumptae sunt ex libro *Ioannis Eck*, De sacrificio missae (1526). Cf. de hac re *E. Iserloh*, Die Eucharistie in der Darstellung des Johannes Eck (Münster i. W. 1950) p. 67 sq.

[4] *Hieronymus*, Liber Psalmorum, Ps. 72. *Migne*, P. lat. XXVIII 1182.

[5] Adv. Marcionem IV 40, 1 et 3. Corp. Christ. I 656.

[6] *Theophylactus*, Enarratio in evang. Lucae cap. 22, 15. *Migne*, P. gr. CXXIII 1067/68.

[7] *Thomas Aquinas*, Summa theol. pars III q. 89 art. 1 ad 3.

[8] Forse cogitat de loco, ubi Hieronymus in Comment. ad cap. 1 epist. ad Ephes. loquitur de duplici sanguine Christi, qui effusus est in cruce, et de quo ipse Christus dixit: *Sanguis meus vere est potus* (*Io.* 6, 54). *Migne*, P. lat. XXVI 451. Cf. c. 49 *Dupliciter* de cons. dist. 2.

[9] *Theodoretus Cyrensis*, Interpretatio epist. ad Hebr. cap. 13, 10. *Migne*, P. gr. LXXXII 781/82.

[10] *Theophylactus*, Expositio in epist. ad Hebr. cap. 13, 10. *Migne*, P. gr. CXXV 393/94.

[11] *Oecumenius*, Comment. in epist. ad Hebr. cap. 21. *Migne*, P. gr. CXIX 443—446.

[12] *Ioannes Fisher*, Sacri sacerdotii defensio congr. 3 n. 18. *Corpus Catholicorum* IX (1925) 64.

munus tuum ad altare etc. Si autem habemus altare, habemus et hostiam. Item Gen. 14 [18] de Melchisedech, qui panem et vinum obtulit; *erat enim sacerdos Dei altissimi* etc., ut[a] Psalmista de Christo intelligit, ⟨cum ait Ps. 109 [4]⟩[b]: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Et si erat sacerdos, ergo obtulit, et panem iam oblatum protulit ⟨Abraae, ut Abimelech sacerdos dedit panem sanctum et oblatum Davidi 1 Reg. 12[1]⟩[c]. Praeterea cum Ps. 109 [4] dicitur: [d] *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*, non potest intelligi per oblationem in cruce neque semel in cena factam, sed per oblationem in Eucharistia, quae perpetuo fit, ut Oecumenius declarat ⟨in cap. 5 ad Hebr.⟩[e][2] Probatur idem ex ⟨Luc. 22 [19 sq.]⟩[f]: *Hoc facite in meam commemorationem* etc., id est, ut ipse fecit, qui consecravit (benedixit enim) et | sacrificavit; ⟨ait 326r enim: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur,* et {*sanguis, qui funditur*}[g][3], eo scilicet tempore, antequam in cruce pateretur⟩[h]. Idque ex traditione habetur: ⟨primo ex concilio Niceno cap. 14[4], Ephesino epistola ad Nestorium[5], Chalcedonensi actione 3[6], quinta synodo act. 6[7], Lateranensi cap. *Firmiter*[8], Florentino in bulla Armenorum[9]. Item ex pontificibus Clemente epist. 2[10], Anacleto epist. 1[11], Evaristo epist. 2[12], Telesphoro epist. 1[13], Leone epist. 79[14], Alexandro de consecr. dist. 2 cap. [8][15]. Item ex doctoribus: Dionisio cap. 3 eccles. hier.[16], Ignatio epist. 10[17], Tertulliano lib. 2 ad uxorem[18], Cypriano epist. 2 lib. 3[19], Lactantio lib. 4[20], Ireneo lib. 4 cap. 32[21], Arnobio in Ps. 4[22], Eucherio in Genes. cap. 1[23], Eusebio Caesariensi lib. 1 cap. 10 de demo[n]stratione[24], Victorino lib. 1 de Trinitate[25], Ambrosio lib. 1 de officiis cap. 48[26], Hieronymo in Vigilantium[27], Augustino lib. 16 de civit. Dei cap. 22[28], Basilio lib. 2 cap. 8 de baptismo[29], Chrysostomo lib. 6 de sacerdotio[30].⟩[i] Probavit insuper idem ex rationibus. ⟨Sacrificium enim Melchisedech erat verum sacrificium et typus sacrificii Christi⟩[e]; ⟨ergo et hoc Christi erit sacrificium⟩[k]. Id etiam indicat nomen missae, vel quod mittantur angeli ad praesentandam hostiam Deo; et secundum Hebraeos sacrificium significat. Haec autem moralia evangelium[l] non abstulit. Est igitur Eucharistia sacrificium, quia ei natura sacrificii convenit. Sacrificium enim proprie acceptum est ⟨sacrae rei factio⟩[m], quod in Eucharistia est. Item est ⟨in ea⟩[e] materia, ut Christus; forma: verba consecrationis; minister: sacerdos; finis: ⟨occupatio sancta, cer-

[a] *Grisar om.* [b] *M om.* [c] *M om.; add. A excepto primo verbo* Abraae
[d] *M praemittit* Iuravit Dominus et non poenitebit eum [e] *M om.; add. A*
[f] *M* Matth. 26; *corr. in A* [g] *Th* calix, qui fundetur [h] *M* gratias enim egit sacrificando
[i] *M* item ex traditione idem probatur (multas adduxit). *In A in marg. Massarellus scripsit* Obsecro, ut ponantur ii patres, *quorum nomina sunt adnotata manu Salmeronis.*
[k] *M* Quia erat typus sacrificii Melchisedech, quod verum erat sacrificium
[l] *M* lex evangelica [m] *M* sacram rem facere; *in A corr. ut supra*

[1] Rectius *1 Reg.* 21, 7. Sed nomen sacerdotis est Achimelech.
[2] *Oecumenius,* Comment. in epist. ad Hebr. cap. 5, 1—6. *Migne,* P. gr. CXIX 323/24.
[3] Sed in editione Vulgata legitur *fundetur;* in textu graeco τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον.
[4] Cf. supra p. 116 adn. 12.
[5] Cf. supra p. 117 adn. 1.
[6] Actio III 51. *Mansi* VI 1014 B. *E. Schwartz* II, III 2, 31.
[7] Synodus quinisexta c. 101 (supra p. 120[1]) vel potius synodus VII actio 6 (supra p. 117[2]).
[8] Cf. supra p. 117 adn. 4.
[9] *Mansi* XXXI 1057.
[10] *Pseudo-Clemens,* Epistula 2 ad Iacobum, quae est originis Pseudo-Isidorianae. *Hinschius* 47. Cf. etiam c. 23 *Tribus gradibus* de cons. dist. 2.
[11] *Anacletus I,* Epist. 1 cap. 10. Est Pseudo-Isidori. *Hinschius* 70.
[12] *Evaristus* papa, Epist. 2, quae est originis Pseudo-Isidorianae. *Hinschius* 90—94.
[13] *Telesphori* papae epistula unica est originis Pseudo-Isidorianae. *Hinschius* 109 sq.
[14] *Leo I,* Epist. 59 cap. 2. *Migne,* P. lat. LIV 868 sq. Cf. c. 38 *In quibus* de cons. dist. 2.
[15] *Alexander I,* Epist. 1 cap. 9. Est Pseudo-Isidori. *Hinschius* 99. C. 8 *Nihil* de cons. dist. 2.
[16] *Pseudo-Dionysius,* De eccles. hierarchia cap. 3. *Migne,* P. gr. III 423—446.
[17] Est epist. ad Smyrnenses, quae in editione, de qua supra p. 117 adn. 15, legitur sub numero 10. Hic agitur de eiusdem epistulae cap. 7. *F. X. Funk,* Patres Apostolici I (Tubingae 1901) 280 ad 283.
[18] Ad uxor. II 8, 8. Corp. Christ. I 394.
[19] *Cyprianus,* Epist. 63 ad Caecilium. *Migne,* P. lat. IV 373—389. CSEL III, II 714s.
[20] *Lactantius,* Divin. Institutionum lib. IV cap. 14. CSEL XIX 325.
[21] Cf. supra p. 117 adn. 11.
[22] *Arnobius,* Comment. in Ps. 4. *Migne,* P. lat. LIII 330 sq.
[23] *Pseudo-Eucherius Lugdunensis,* Comment. in Genesim lib. II cap. 14, 18 sqq. *Migne,* P. lat. L 951 sq.
[24] *Eusebius Caes.,* De demonstratione evang. lib. I cap. 10. *Migne,* P. gr. XXII 83—94.
[25] Cf. supra p. 117 adn. 16.
[26] *Ambrosius,* De officiis ministrorum lib. I cap. 48 n. 238. *Migne,* P. lat. XVI 94.
[27] *Hieronymus,* Liber contra Vigilantium n. 8. *Migne,* P. lat. XXIII 346.
[28] *Migne,* P. lat. XLI 499 sq. CSEL XL, II 164.
[29] *Basilius,* De baptismo lib. II qu. 8. (Sed incerti est auctoris.) *Migne,* P. gr. XXXI 1599 ad 1612.
[30] *Chrysostomus,* De sacerdotio lib. VI cap. 4. *Migne,* P. gr. XLVIII 680 sqq.

tificatio[a])[b], commercium Dei, participatio mensae Domini, gratiarum actio, impetratio beneficiorum et remissio vera[b] peccatorum. Sacrificia autem antiquae legis remittebant peccata. Ait enim Dominus: Offerat sacrificium pro peccatis et remittentur[c] ei[1]. Remittebant tamen peccata, sed non coram Deo. Unde a Paulo *iustitia carnis*[2] dicitur. ⟨Non
326v enim remittebant peccata⟩[d] vi sacrificii sed | fidei et contritionis, et quia non erant grata Deo, ut ad Hebr. Paulus dicit: *Impossibile enim erat, sanguine taurorum et hircorum auferri peccata*[3]; sacrificium vero crucis omnia peccata remittit et ante baptismum et post commissa. Ait enim Ioannes, quod sanguis Christi emundabit[e] nos ab omni iniquitate[f4]. Eucharistia etiam peccata remittit. Christus enim ait (secundum lectionem graecam): Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, et calix, qui pro vobis funditur in remissionem peccatorum[5]. Et Ioannes ait: *Si ambulamus in luce* (id est iam baptizati), *sanguis Iesu Christi* (in altari)[a] *emundat nos ab omni peccato*[g6]. Item sacerdotes pro peccatis offerunt iuxta Paulum[7]. Et quia hoc sacrificium succedit loco veterum ⟨et hoc⟩[h] illa supplet, quia remittit peccata[i], quod illa non faciebant. Quod idem habetur ex traditione et consensu ecclesiae. Sed Eucharistia illorum tantum peccata remittit, qui fideles sunt, ut ostendit Augustinus ad Renatum[8], et habetur in concilio quarto Carthaginensi[9]. Non remittit igitur peccata ante baptismum, sed post commissa et omnia remittit. Unde Marcialis dicit, quod non est aliud remedium ⟨ad mortem aeternam effugandam et vitam aeternam comparandam⟩[k10]. Et Ambrosius dicit, quod, quoties offertur, fit remissio peccatorum[11]. Remittit autem[l] vivorum fidelium ⟨et eorum, qui nos praecesserunt in veteri testamento, qui ab hoc sacrificio vim trahebant⟩[b], ut Chrisostomus 1 ad Tim. 2 et Matth. 6 hom. 26 refert[12] et Ropertus lib. de gloria et honore Filii hominis[13]. Agnus enim *occisus est ab origine mundi*[14]. Iuvat etiam[m] fideles defunctos ut 2 Machab. 12 [43], quia, si illa pro mortuis iuvabant, multo magis in novo testamento. Et ita habetur ex perpetua traditione et auctoritate ecclesiae. Remittuntur autem peccata per Eucharistiam ex pacto Dei, quia ita ordinavit, ut ea ei offerreretur[n], et quia etiam[i] aliquo modo est cruenta per ⟨repraesentationem et commemorationem, quam facit hostiae cruentae⟩[o]. ⟨In solo enim⟩[p]
327r sanguine | Christi peccata remittuntur, ut Paulus ait[15]. Eucharistia autem multis modis cruentam oblationem repraesentat. Primo: *Hoc facite in meam commemorationem*[16]; commemorat et spiritualiter sanguinem effusum offert, iterat passionem et eam nobis applicat. Dionisius lib. de coel. hier. cap. 4 docet, qualiter nos de ea participamus[17]. Participant autem et vivi et mortui. Applicatur enim vivis ⟨quoad venialia sine sacramento alio per devotionem tantum; quo vero ad mortalia⟩[q] medio sacramento poenitentiae. Defunctis autem applicatur per communionem spiritualem fidelium. Neque vero sacrificium Eucharistiae pugnat cum sacrificio crucis; hoc enim ab illo vim habet et est praemium illius; arrogat igitur, non derogat passioni Christi, et Ropertus exequias passionis Christi vocat[18]. Item per hoc satisfit iustitiae Dei et per hoc mors illa Christi nobis applicatur et per hoc etiam manutenetur, quod Christus sit *sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*[19]. Magnificatur gloria Dei, honorantur sacerdotes. Quo vero ad ritus[r], id est ea,

[a] *Grisar om.* [b] *M om.; add. A* [c] *Th et Grisar* remittetur
[d] *M* et non; *in A corr.* quae si remittebant peccata, non [e] *Grisar* emundat
[f] *Grisar* peccato [g] *M* iniquitate [h] *Grisar* etiam per hoc
[i] *M om.* [k] *M* quo peccata remittantur; *in A corr. ut supra* [l] *Grisar add.* peccata
[m] *Th* enim [n] *Grisar* offerretur
[o] *M* respectum, quem habet ad hostiam cruentam; *in A corr. ut supra* [p] *M* quia in
[q] *M om.; add. A ut supra* [r] *Codd.* ritum

[1] Cf. *Lev.* 7, 29. [2] *Hebr.* 9, 10.
[3] *Hebr.* 10, 4. [4] Cf. *1 Io.* 1, 7.
[5] Cf. supra p. 145 adn. 6 et p. 381 adn. 3.
[6] Cf. supra lin. 8. [7] Cf. *Hebr.* 5, 1.
[8] *Augustinus,* De anima et eius origine lib. I (ad Renatum). *Migne,* P. lat. XLIV 480.
[9] Statuta eccl. ant. c. 76, *Bruns,* Biblioth. eccl. I 148.
[10] Cf. supra p. 117 adn. 9.
[11] Cf. supra p. 381 adn. 26. Etiam *Ambrosius,* De sacramentis lib. IV cap. 6 n. 28. *Migne,* P. lat. XVI 446. CSEL LXXIII 58. C. 14 *Si quotiescumque* de cons. dist. 2.
[12] *Chrysostomus,* Hom. 5 in epist. 1 ad Tim. n. 3. *Migne,* P. gr. LXII 529/30. In Matth. hom. 25, 3, l. c. LVII 331.
[13] *Rupertus Tuitiensis,* De gloria et honore Filii hominis lib. X. *Migne,* P. lat. CLXVIII 1547 sq.
[14] *Apoc.* 13, 8.
[15] Cf. *Eph.* 1, 7; *Col.* 1, 14 20; *Rom.* 3, 25 et saepius.
[16] *Luc.* 22, 19; *1 Cor.* 11, 24.
[17] Probabiliter agitur de *Pseudo-Dionysii* eccles. hierarchia cap. 3, ut supra p. 381 adn. 16.
[18] Quo loco *Rupertus Tuitiensis* hoc ad verbum diceret, non inveni. Quoad sensum autem in multis eius scriptis hoc legitur, ex. gr. in libro III cap. 18 De Spiritu Sancto. *Migne,* P. lat. CLXVII 1659.
[19] *Hebr.* 5, 5 sq. et c. 7.

quae non sunt de essentia sacramenti, ⟨etiam retinendi sunt, quia⟩[a] boni sunt neque scripturae repugnant, sed[b] devotionem augent. Neque enim in scriptura reponi debuerunt, ut ostendit Basilius cap. 27 de Spiritu Sancto[1], ⟨et Act. 16[6]⟩[c], ubi reddit rationem, quare dogmata, ut ipse vocat, scribi non debeant. Sunt praeterea ab ecclesia praecepti et a patribus approbati. Quoad ipsos articulos primus haereticus est; ⟨missa enim sacrificium est, ut iam probatum est⟩[d]. Articulus 2 etiam ⟨est haereticus; eam enim Christus⟩[d] instituit, cum dixit: *Hoc facite* etc., ⟨scil. quoad consecrationem, oblationem et communionem⟩[d]. Alia autem non substantialia[e] a Christo instituta non sunt; neque ritus etiam ab hominibus instituti sunt simpliciter, sed a Spiritu Sancto sic dictante[f]. ⟨Caeteri articuli omnes etiam haeretici sunt.⟩[g]

Dimittitur autem congregatio hora 20[h].

Congregatio theologorum super examinatione eorundem articulorum de sacrificio missae et sacramento ordinis.

Eadem die [**7. Decembris**], hora autem 21 habetur etiam congregatio theologorum, 327v quorum infrascriptus prosecutus est examinationem supradictorum articulorum, videlicet

Alphonsus Salmeron[2], eiusdem societatis Iesu, ⟨Hispanus, missus etiam a S^mo^ D. N.⟩[i]. Accepit examinandos articulos de sacramento ordinis. Et primo ordinem diffinivit ex Augustino 19 de civit. Dei ⟨cap. 13⟩[k][3]; item accipitur pro gradu eminenti in ⟨ecclesiastica hierarchia⟩[l] etc. ⟨Accipitur etiam⟩[m] pro ipsa ordinatione et hoc est sacramentum a Christo institutum. Quod probavit primo Luc. 22 [19]: *Hoc facite* etc., et Ioa. 20 [22]: *Accipite Spiritum Sanctum*, insufflans in eos, ut Augustinus quest. 93[n] de questionibus novi et veteris testamenti declarat[4]. Item Act. 6 [2]: *Non est bonum* ⟨*nos derelinquere verbum Dei* etc.⟩[d], et elegerunt 7 diaconos etc., in qua institutione apostoli ceremonia usi sunt, oratione scil. et impositione manus[5], ⟨in qua ordinatione ii[o] diaconi Spiritum Sanctum acceperunt. Unde de Stephano dicitur⟩[p]: Plenus gratia et Spiritu Sancto[6]. Neque vero ad nudum ministerium ministrandi mensis saecularibus electi sunt, sed ad sacras mensas ⟨in altari⟩[k]; praedicabant praeterea et miracula edebant. Unde Paulus 1 ad Tim. 3 [12] eandem ⟨fere perfectionem⟩[k] in diaconis requirit, quae in episcopis, ⟨dum ait, quod[q] sint unius uxoris viri⟩[r]. Idem habetur ex patribus, primo ex canonibus apostolorum[7]; Ignatius epist. 5 ad Trallianos[s]: Num[t] sunt, inquit, ministri cibi et potus?[8] Et epist. 11 ⟨ad Hieronem diaconum⟩[r][9]. Cyprianus lib. 1 epist. 4[10] et lib. 3 epist. 9[11]; Hieronymus ⟨in cap. 48 Ezech.⟩[r][12]; Basilius in regulis moralibus[r][13], concilium ⟨Neocesariense cap. 14⟩[r][14]. Erant igitur praepositi mensis, id est altari et sacris mensis. Nec obstat canon ⟨16 sextae synodi⟩[u], quia ab ecclesia Romana non ⟨sunt recepti illi canones, aediti post solutum concilium per

[a] *M* prout est oblatio, consecratio et communio; qui tamen ritus; *in A corr. ut supra, non autem a Salmerone, sed alia manu alioque atramento.*
[b] *M* quia [c] *Grisar om.* [d] *M om.* [e] *M* essentialia [f] *Th et Grisar* declarante
[g] *M* 3s etiam haereticus est, 4s idem, 5s idem et alii omnes. [h] *M* 19 [i] *Th om.*
[k] *M om.; add. A* [l] *M* aliqua politia; *in A corr.* ecclesiastica politia
[m] *M* item capitur [n] *M* 89; *in A corr. ut supra* [o] *Th* duo
[p] *M* et Stephanus ordinatus Spiritum Sanctum acceperat
[q] *Th* qui [r] *M om.; in A corr. ut supra* [s] *M* Traianos
[t] *M* Non [u] *M* 26 concilii Nicaeni; *in A corr. ut supra*

[1] *Basilius*, De Spiritu Sancto cap. 27 n. 66. *Migne*, P. gr. XXXII 187/88 sqq.
[2] Ad eius votum cf. *H. Jedin*, Röm. Qu. L (1955) 31.
[3] *Augustinus*, De civitate Dei lib. XIX cap. 13 n. 1: «Ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.» *Migne*, P. lat. XLI 640. CSEL XL, II 395.
[4] *Pseudo-Augustinus*, Quaestiones veteris et novi testamenti qu. 93. *Migne*, P. lat. XXXV 2286 sq. [5] *Act.* 6, 6. [6] Cf. *Act.* 6, 8 et 7, 55.
[7] Qui omnes fere etiam de diaconis agunt. *F. X. Funk*, Didascalia et Constitutiones Apostolorum I (Paderbornae 1905) 564—593.
[8] *Ignatius*, Epistula ad Trallianos cap. 2. *F. X. Funk*, Patres Apostolici I (Tubingae 1901) 244/45. Quae tamen epistula theologis saeculi XVI in longiori recensione interpolata nota erat, quam invenis *ibid.* II (Tubingae [2]1913) 94/95.
[9] *Pseudo-Ignatius*, Epistula ad Heronem diaconum. *Ibid.* II 224ss.
[10] *Cyprianus*, Epist. 67. CSEL III, II 735ss.
[11] *Cyprianus*, Epist. 3 ad Rogatianum. CSEL III, II 409ss. C. 25 *Dominus* D. XCIII.
[12] *Hieronymus*, Comment. in Ezechielem lib. XIV cap. 48. *Migne*, P. lat. XXV 481—490. Difficile est dictu, ad quem locum huius capitis alludat.
[13] *Basilius*, Moralia, reg. 70. *Migne*, P. gr. XXXI 815/16.
[14] Concilium Neocaesariense inter annos 314 et 325 habitum, can. 14 (in interpretatione Isidori Mercatoris). *Mansi* II 544. *Bruns* I 72. C. 12 *Diaconi* D. XCIII.

quinquennium⟩[a][1]. Probatur idem Act. 13 [2 sq.]: ⟨*Ministrantibus autem illis Domino* etc.⟩[b] de ⟨Saulo et⟩[b] Barnaba, ⟨quibus apostoli ieiunantes et orantes imposuerunt eis 328r manus⟩[b]. Et Leo epist. 79[2]. | Idem declarat Oecumenius in cap. 14[c] Act.: *Et cum constituissent illis per singulas civitates presbyteros et orassent cum ieiuniis*[3] etc. Quod fit in dandis ordinibus etiam hodie. Item etiam habetur 1 ad Tim. 4 [14]: ⟨*Noli negligere gratiam, quae data est tibi cum impositione manuum praesbyterii*⟩[b]. Et 2 ad Tim. 1 [6]: ⟨*Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum*⟩[b]. ⟨Et 1 ad Tim. 5 [22]⟩[d]: ⟨*Manus cito nemini imposueris*⟩[b]. Item concilium Carthaginense 4[4], Toletanum 8 cap. 7[5]; Florentinum [6] et Tridentinum sess. 7 cap. 1[7]. Item Clemens I lib. 3 recognitionum[8] et epist. ⟨1 ad Iacobum fratrem Domini[9], Innocentius I epist. 22 cap. 4[e][10], Leo I epist. 79[11] et 85[12]⟩[f]. Innocentius III de presbytero non baptizato cap. *Veniens*[13]; Dionysius Areop. cap. 4 et 5[14]; Hieronymus epist. ad Rusticum Narbonensem[15]; Ambrosius in verbis illis 2 ad Tim. 1 [6]: *Ut resuscites gratiam* etc.[16]; Augustinus cap. 18 ⟨lib. de bono coniugali et cap. 24⟩[d][17]. Praeterea Christus alias defuisset ecclesiae suae, si Spiritum Sanctum sacerdotibus non dedisset[g]. At contra[b] de Stephano ⟨iam ordinato⟩[b] scriptum est: Plenus gratia et Spiritu Sancto[18]. Et: *Non poterant resistere Spiritui, qui loquebatur*[19]. ⟨Quare summa ratione id⟩[h] ecclesia semper tenuit, quae sine sacramento ordinis esse non potest. Estque unum sacramentum, licet multas habeat species. Ita enim expedit pro regimine ecclesiae. Et ii ordines omnes a Christo instituti sunt. Et licet in sacris litteris habeatur mentio tantum episcopi, presbyteri et diaconi, tamen etiam alii a Christo sunt ordinati[i]. Si enim in veteri testamento ii omnes a Deo constituti[k] erant, multo magis in nova lege. In his etiam caracter imprimitur, ut Bonaventura[20] et B.Thomas[21] docent, ⟨et gratia confertur; ergo omnes a Christo instituti sunt⟩[d]. Idem habetur ex traditione apostolica; Dionisius cap. 5 eccl. hier.[22]; Cornelius papa epist. ad episcopum Antiochenum[23]. 328v Et ita pro|fecto hierarchia ecclesiae ita requirit. Quam[l] hierarchiam Christus instituit. Nam ⟨12 apostolos ordinavit et his 72 postea addidit et omnibus unum caput praefecit, nempe Petrum⟩[m][24]. Et Paulus scribit ⟨Christum quosdam apostolos, quosdam prophetas, quosdam evangelistas, doctores, pastores dedisse⟩[n][25]. ⟨Quod quid est, si hierarchia eccle-

[a] *M* recipitur; *in A corr. ut supra* [b] *M om.* [c] *M* 24 [d] *M om.; in A corr. ut supra* [e] *M* 44
[f] *Th om.* [g] *M add.* Socrates lib. 2 epistulae[?] ecclesiasticae [h] *M* Item sic
[i] *M* instituti [k] *M* ordinati [l] *M* quia
[m] *M* 72 discipulos ordinavit; *in A corr.* 72 discipulos ordinavit et 12 apostolos; omnibus summum caput praefecit, nempe Petrum, et ita constat hierarchia
[n] *M* quosdam esse apostolos, quosdam doctores etc.

[1] Cogitat de synodo quini-sexta sive Trullana a. 692 habita. Can. 16 huius synodi dicit: «Invenimus eos [scil. patres] esse locutos non de viris, qui ministrant mysteriis, sed de ministerio, quod in usu mensarum adhibeatur.» *Mansi* XI 949/50.

[2] *Leo I*, Epist. 9 ad Dioscorum Alexandrinum episcopum cap. 1. *Migne*, P. lat. LIV 625 sq. C. 4 et 5 D. LXXV (ubi est epist. 79).

[3] *Act.* 14, 22. *Oecumenius*, Comment. in Act. Apost. cap. 22. *Migne*, P. gr. CXVIII 213/14.

[4] Concilium Carthaginense IV, re vera Statuta eccl. ant. can. 2—10 de ordinatione clericorum. *Mansi* III 951 sq. *Bruns* I 141 s. De origine horum canonum cf. *Hefele* II 68 sqq. *Maassen*, Geschichte der Quellen und Literatur des canonischen Rechts I (Graz 1870) 382 sqq.

[5] Concilium Toletanum VIII a. 653 habitum cap. 7. *Mansi* X 1217 sq. *Hinschius* 389 sq.

[6] In decreto pro Armenis. *Mansi* XXXI 1058.

[7] Sessio 7 can. 1 de sacramentis in genere. Conc. Trid. V 995.

[8] *Pseudo-Clemens*, Recognitionum lib. III cap. 66. *Migne*, P. gr. I 1311.

[9] *Pseudo-Clemens*, Epist. 1 ad Iacobum. Quae est originis Pseudo-Isidorianae. *Hinschius* 30—46.

[10] *Innocentius I*, Epist. 17 ad episcopos Macedoniae cap. 4. *Migne*, P. lat. XX 531; *Mansi* III 1060 sq.; *Hinschius* 550; c. 18 *Ventum est* C. 1 q. 1.

[11] Cf. supra adn. 2.

[12] *Leo I*, Epist. 12 ad episcopos Africanos (apud Gratianum c. 3 D. LXXVIII et c. 5 et 8 D. LXI est epist. 85). *Migne*, P. lat LIV 645—656.

[13] C. 3 *Veniens* X de presb. non bapt. III 43.

[14] *Pseudo-Dionysius*, De eccles. hierarchia cap. 4 et 5. *Migne* P. gr. III 471—486 499—516. Praesertim in cap. 5 de sacris ordinationibus agitur.

[15] *Pseudo-Hieronymus*, Epist. 12 seu opusculum de septem ordinibus. *Migne*, P. lat. XXX 148—162. Cf. c. 1 D. LXII; c. 40 C. 1 q. 1.

[16] *Pseudo-Ambrosius* (qui et *Ambrosiaster* dicitur), Comment. in epist. 2 ad Tim. 1, 6. *Migne*, P. lat. XVII 486.

[17] *Augustinus*, De bono coniugali cap. 18 n. 21 et cap. 24 n. 32. *Migne*, P. lat. XL 387 sq. 394.

[18] Cf. supra p. 383, 23 adn. 6.

[19] *Act.* 6, 10.

[20] *Bonaventura*, In IV Sent. dist. 24 pars 2 a. 1 q. 1—4.

[21] *Thomas Aquinas*, Summa theol. p. III q. 63 a. 6; suppl. III partis q. 35 a. 2.

[22] Cf. supra adn. 14.

[23] *Cornelius*, Epistula ad Fabium episcopum Antioch. apud *Euseb.*, Hist. eccl. VI 43, 7—15 (ed. *E. Schwartz* II 616ss.).

[24] Cf. *Matth.* 10, 2 sqq.; *Marc.* 3, 14—19; *Luc.* 6, 13—16; *Io.* 1, 40—49. De 72 discipulis cf. *Luc.* 10, 1; de Petro *Matth.* 16, 17 sqq.

[25] Cf. *Eph.* 4, 11.

siae[a] non est? Quod etiam ostendit⟩[b] Clemens epist. 3 ad universos fideles[1]. Neque ordo est potestas praedicandi, sed offerendi. Unde apostoli ante institutionem ordinis potestatem praedicandi[c] a Christo habuerant[2]. Paulus etiam 5 ad Hebr. ⟨diffinit sufficienter sacerdotem, nulla facta mentione potestatis praedicandi⟩[b3]. Et 1 ad Tim. 5 [17] dicit: ⟨*Qui bene praesunt presbyteri*⟩[d], *duplici honore digni habeantur*, ⟨*maxime qui laborant in verbo et doctrina*. Ergo aliqui sunt presbyteri, qui non praedicant⟩[b]. ⟨Atque etiam⟩[e] episcopi duplicem habent potestatem, unam consecrandi, quae datur vi ordinis, quae et indelebilis est; alteram praedicationis et iurisdictionis, quae habetur a pontifice[f]. Sacerdotes ⟨quoque principaliter⟩[d] auctoritatem offerendi habent, ut Paulus ad Hebr. docet: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus* etc., *ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*[4]. Item Luc. 22 [19]: *Hoc facite in meam commemorationem* etc. Quibus verbis sacerdotes instituuntur; ergo et datur potestas offerendi, cum id sit proprium sacerdotum. Et ita ecclesia latina, graeca, aethiopica in canone[g] verbis utitur: «Offerimus tibi hostiam puram, hostiam sanctam» etc. Cyprianus lib. 2 epist. 3[5]; Ambrosius in epist. ad Hebr.[6]; Euthimius super illis verbis: *Hoc facite*[7] etc. Et B. Andreas dicebat, se quotidie offerre agnum immaculatum[8]. Unde Graeci lithurgiam vocant missam. Et haec potestas est firma et perpetua[h]. Et in veteri lege sacerdotes ad vitam erant, licet non semper administrarent. Et multo magis in nova lege. Unde Levit. ultimo dicitur: ⟨Quae semel Deo dicata et consecrata[i] sunt, perpetuo sancta sunt[9]⟩[k]. Idem docet concilium ⟨Toletanum 8 cap. 7[1 10] et Florentinum in bulla Armenorum[11] et⟩[b] Tridentinum sess. 7[12]; | [329r] Augustinus lib. 2 ⟨in epist. Parmeniani[13]⟩[b] cap. 13[m] et synodus septima[n] act. 1[14]; Tertullianus de persecutionibus[o] haereticorum[15]; Augustinus lib. 1 de bono coniugali cap. 24[16]. Praeterea quod in novo testamento sit sacerdotium visibile, probatur etiam, quia omnes congregationes id etiam habent, ut aliqui sint sacerdotes differentes ab aliis. Item per figuram veteris testamenti. Et Christus dicitur *princeps pastorum*, ut ait Petrus[17], et summus sacerdos ,⟨ut scribit Paulus⟩[d18]; ergo aliqui sunt minores pastores et sacerdotes[p]. Neque omnes fideles sunt sacerdotes. Unde Petrus dicit: Praesbyteros, *qui in vobis sunt*[19]. Et ad ⟨Titum 1 [5]: *Ut constituas per civitates presbyteros;* per constitutionem autem aliquid accipit esse⟩[q]. Et ad Hebr. 5 [1]: Ab [!] *hominibus constituitur, ut offerat* etc. Item ex traditione apostolorum in suis constitutionibus[r], cum inquiunt: *Nobis solis* concessum[20] etc.; et concilium Nicenum cap. 14[s 21], Lateranense cap. 1[22]. Praeterea ecclesia alias esset confusa, et Paulus ait: Diacones[b] bene ministrantes *bonum*[t] *gradum acquirunt*[23]; quod Ambrosius de

[a] *Th* ecclesiastica [b] *M om.; in A add. ut supra* [c] *Th add.* sed (non) offerendi [d] *M om.*
[e] *M* Item habetur ex traditione; item [f] *Th* papa [g] *C 118 et 119* canonis; *M* missae
[h] *M add.* 1 ad Tim. 5 et 2 Cor. 10: «Qui unxit nos, confirmat et signat» [*2 Cor. 1, 21 sq.*].
[i] *Th* consueta [k] *M* quod quae a Deo sunt, perpetua sunt; *in A corr. ut supra*
[l] *C 119 et Th* 3 [m] *M add.* ad Iustinianum [n] *M* sexta; *in A corr. ut supra*
[o] *M* ordinationibus; *in A corr. ut supra; Th* persecutione
[p] *M add.* Canon 4 apostolorum vocat sacram oblationem
[q] *M* Tim.: «Constitui tibi» etc.; *in A corr. ut supra* [r] *M* canonibus; *in A corr. ut supra*
[s] *In M lacuna; in A add. ut supra*
[t] *M* novum; *in A corr. ut supra*

[1] *Pseudo-Clemens*, Epistula 3 ad universos fideles de relatione inter episcopos, presbyteros et populum agit. *Hinschius* 52—60.
[2] Cf. *Matth.* 10, 5 sqq.; *Marc.* 6, 12 sq.; *Luc.* 9, 6.
[3] Cf. *Hebr.* 5, 1—4. [4] *Hebr.* 5, 1.
[5] Cf. supra p. 381 adn. 19.
[6] C. 53 *In Christo* de cons. dist. 2, re vera *Chrysostomus*, In Hebr. hom. 17, 3. *Migne*, P. gr. LXIII 131.
[7] *Euthymius Zigabenus*, In Matth. 26, 28. *Migne*, P. gr. CXXIX 670.
[8] Cf. supra p. 117 adn. 8.
[9] Cf. *Lev.* 27, 28.
[10] Cf. supra p. 384 adn. 5.
[11] In decreto pro Armenis, ubi de charactere agitur. *Mansi* XXXI 1054 sq.
[12] Sessio 7 can. 9 de sacramentis in genere. Conc. Trid. V 995.
[13] *Augustinus*, Contra epist. Parmeniani lib. II cap. 13 n. 28. *Migne*, P. lat. XLIII 70 sq.
[14] Cogitare videtur de c. 2 et 4 C. I q. 7 (sumpti e concilio VII act. 1), in quibus supponitur ordinatum ab ipsis haereticis vel in peccata lapsum perpetuo sacerdotem manere.
[15] *Tertullianus*, De praescriptione haer. 41, 6—8. Corp. Christ. I 221 s.
[16] Cf. supra p. 384 adn. 17. [17] *1 Petr.* 5, 4.
[18] Cf. *Hebr.* 4, 14. [19] Cf. *1 Petr.* 5, 1.
[20] *Constitutiones Apostolorum* VIII 46, 14: «Primus igitur natura pontifex unigenitus Christus non sibi honorem rapuit, sed a Patre constitutus est; ille propter nos factus homo et spirituale sacrificium offerens Deo suo ac Patri, ante passionem nobis constituit solis hoc facere, licet nobiscum essent alii quoque, qui in eum crediderant; verum non omnino omnis, qui credidit, iam et sacerdos constitutus fuit aut dignitatem pontificalem obtinuit.» *F. X. Funk*, Didascalia et Constitutiones Apostolorum I (Paderbornae 1905) 562/63.
[21] Cf. supra p. 116 adn. 12.
[22] Concilium Lateranense IV a. 1215. C. 1 *Firmiter* X de summa Trin. I 1.
[23] Cf. *1 Tim.* 3, 13.

praesbyteratu intelligit[1]. Et frustra ⟨haec potestas⟩[a] esset in omnibus, quia omnes illam administrare non possunt; neque enim unus alium ligare aut solvere posset, cum par in parem non habeat imperium. Et ad id, quod opponitur: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium*[2] etc., respondit intelligi quoad spiritalia dona. Et ad id: Fecit nos reges et sacerdotes[3] etc., ⟨respondit etiam intelligi spiritualiter, et quemadmodum⟩[b] omnes non sumus reges nisi spiritales, ita et sacerdotes, qui unguntur gratia Spiritus Sancti[c]. Aliud est autem sacerdotium externum, et hoc perpetuum est et sacramentum est. Spiritale vero amittitur per peccatum et per poenitentiam rursus[d] recuperatur. ⟨In ipso vero externo sacerdotio conferendo ceremoniis quibusdam ecclesia utitur, quae⟩[e] habentur ex traditione apostolorum. ⟨Neque episcoporum aut sacerdotum consecratio ad alios quam ad solos episcopos pertinet⟩[f]; electio autem principaliter ad ⟨summum pontificem⟩[g]
329v spectat, | qui per se eam potestatem exercere potest et etiam aliis impertiri; ⟨layci autem nullo modo in ea se intromittere debent⟩[h], quod multis in conciliis ⟨declaratum et⟩[a] prohibitum est. Ovis enim est pasci, non pascere. Ipsi praeterea episcopi iure divino instituti sunt, quatenus in genere. Christus enim instituit apostolos, quibus episcopi successerunt. Unde Ambrosius locum illum: Insuper alios dedit apostolos etc. de episcopis interpretatur[4]. Et Paulus dicit: *In quo Spiritus Sanctus posuit vos regere ecclesiam Dei*[5]. Et traditio docet, episcopos differre a presbyteris. Est enim varia forma, varia materia, varii effectus. Ac etiam episcoporum ordinationes ratae sunt et iure divino persistunt. Nam si ordinationes saeculares iure divino servari mandantur, multo magis episcoporum. Et alias in ecclesia non esset aliquis sacerdos, neque potestas absolvendi neque conficiendi; et fuisset ⟨hactenus et nunc esset⟩[a] in idololatria. ⟨Quod impium et blasphemum est.⟩[a]

Dimittitur deinde congregatio hora 24.

Adventus episcopi Montisfalisci.

Eadem die [**7. Decembris**] applicuit Tridentum R. D. Achilles de Grassis, episcopus Montisfali[s]ci, patria Bononiensis, qui a pontifice missus fuerat ad visitandos Ser[mos] regem et reginam Bohemiae.

Congregatio theologorum. Examinantur iidem articuli de sacrificio missae et sacramento ordinis.

Die Martis **8.** dicti mensis **Decembris** hora 20 (de mane enim non habetur ob festum Annunciationis[!] B. Mariae Virginis) habita est congregatio theologorum, quorum infrascriptus prosecutus est examinationem suprascriptorum articulorum, videlicet

Ruardus Tapper[6], decanus ⟨et cancellarius⟩[a] Lovaniensis, missus a Caes.[i] M[te]. Examinavit articulos de sacrificio missae, quos haereticos esse ostendit tum ex scriptura
330r sacra[a] tum | ex traditione apostolica. Chrysostomus serm. 69 habito ad populum Antiochenum[7]; Ireneus lib. 4 cap. 32 adversus haereses[8] Eucharistiam oblationem et sacrificium vocant et pro vivis et mortuis prodesse docent. Item concilium Nicenum ⟨can. 14⟩[d9]. Idem etiam patet ex ordinatione sacerdotum, qua[k] potestas offerendi solum datur et de consecratione nullum verbum habetur, quasi ad sacerdotes praecipue offerre pertineat magis quam consecrare. Omnes praeterea patres missam sacrificium vocant. Augustinus in lib. de cura pro mortuis agenda, qui etiam pro mortuis orandum ostendit[10]. Et ita

[a] *M om.* [b] *M* et prout [c] *M* Dei [d] *M om.; in A add. ut supra*
[e] *M* Et ceremoniae, quibus ecclesia utitur in collatione huius sacramenti
[f] *M* Et consecratio episcoporum et sacerdotum ad ipsos solos pertinet et non ad quosdam de plebe [g] *Th* papam [h] *M* non autem ad laycos spectat
[i] *M add.* et reginali [k] *M* quibus; *in A corr. ut supra*

[1] *Pseudo-Ambrosius* (qui et *Ambrosiaster* dicitur), Comment. in epist. 1 ad Tim. 3, 13. *Migne,* P. lat. XVII 470 sq. [2] *1 Petr.* 2, 9.
[3] Cf. *Apoc.* 1, 6; 5, 10; *Ex.* 19, 6.
[4] Cf. *Eph.* 4, 11. *Ambrosiaster,* Comment. in Eph. 4, 11. *Migne,* P. lat. XVII 387 sqq.
[5] *Act.* 20, 28.
[6] *Theiner* hoc votum omittit, reiiciens lectorem ad votum in scriptis datum apud *Le Plat* IV 337 ad 350, quod nos in App. IV n. 1 exhibemus. Ad votum cf. *H. Jedin,* Röm. Qu. L (1955) 31 s.
[7] Nunc est hom. 3 in epist. ad Philippenses c. 4. *Migne,* P. gr. LXII 204.
[8] *Irenaeus,* Adversus haereses lib. IV cap. 17 n. 5 (olim cap. 32). *Migne,* P. gr. VII 1023.
[9] Cf. supra p. 116 adn. 12.
[10] *Augustinus,* De cura pro mortuis gerenda cap. 1 n. 2 et 3. *Migne,* P. lat. XL 593.

habet consensus et consuetudo catholicae ecclesiae. Quo igitur ad primum articulum, is haereticus est. Declaravitque, qualiter intelligendum sit sacrificium, ex Augustino de civ. Dei lib. 10 cap. 6[1], missamque esse sacrificium probavit ex Luc. 22 [19]: *Hoc facite in meam commemorationem* etc., quod ostendit Cyprianus ⟨lib. 3 epist. 3⟩[a] ad ⟨Cecilium fratrem⟩[b][2], quia, si Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, oportuit, ut ipse semel sacrificaret secundum ordinem Melchisedech, in pane scilicet et vino; deinde, ut argumentatur Cyprianus, quia Christus dixit: *Hoc facite,* scilicet quod ego feci, ut consecrarent et offerrent[3]; et prout deducit Caietanus[4], cum dixit Christus: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*[5], ⟨id est offertur⟩[c], et subdit: *Hoc facite,* id est corpus meum, *quod pro vobis datur,* ⟨eo scilicet tempore in cena⟩[d]. Non dixit enim simpliciter: *Hoc est corpus meum,* sed addit: *quod pro vobis datur,* quod idem est, ac si dicat: Accipite potestatem convertendi panem in corpus meum[e] et vinum in sanguinem offerendo illud, quoties facerent, in memoriam passionis eius. Praeterea conveniunt ipsi Eucharistiae ea, quae in diffinitione sacrificii ponuntur, ut sit secundum Augustinum opus factum, ⟨*ut sancta societate*⟩[f] *Deo inhereamus*[1] etc. Idem etiam habet consuetudo ecclesiae in canone missae, cum ait: ⟨*Offerimus praeclarae Maiestati tuae etc.*, | et: *Hanc igitur oblationem servitutis nostrae* 330v *etc.*, et: *Quae tibi offerimus pro ecclesia tua etc.*⟩[g] Idem Augustinus declarat lib. 17 de civ. Dei[6]. Sacerdos autem offert Christum in terris, ut ipse Christus se in coelo offert perpetuo[c] Patri assistens ⟨in sancto sanctorum non manu facto⟩[h], ut Paulus refert ad Hebr.[7], non tamen ⟨passibili neque⟩[c] cruento modo etc. Articulus 2 etiam haereticus est, quia substantialia missae a Christo instituta sunt ut consecratio, oblatio et communio. Caetera a patribus addita sunt ad excitandam devotionem et reverentiam erga tantum sacramentum. Quae nihilominus a Spiritu Dei emanarunt et partim ex apostolis, partim a pontificibus habentur. Articulus 5 etiam est haereticus, quia, cum missa sit sacrificium, ergo aliis prodest, ut ⟨est natura sacrificii⟩[i] iuxta Paulum 5 ad Hebr. Et cum dixerit Christus: *Hoc facite,* id est sacrificate, neque pro quo id faciendum disposuerit, reliquit declarandum ecclesiae, ut in simili argumentatur Augustinus in epist. ad Ianuarium[8]. ⟨Non enim omnia scripta sunt[9].⟩[c] Unde dicebat Paulus: *Caetera cum venero disponam*[10]. Declaravit igitur ecclesia pro vivis et defunctis ad remissionem peccatorum applicari et ad alios usus. 7. articulus de missis privatis etiam haereticus est; nihil enim refert, [utrum] privatim an publice offeratur, cum simpliciter[c] munus sacerdotis sit pro populo offerre, non autem communio et convivium, ut Lutherani dicunt[11]. Quare, etsi nemo communicaret, est tamen vera missa et verum sacrificium.

Solvitur deinde congregatio hora 24.

Congregatio theologorum. Examinantur iidem articuli de sacrificio missae et sacramento ordinis.

Die Mercurii **9.** eiusdem mensis **Decembris** hora 16 habetur congregatio theologorum super examinatione eorundem articulorum de missa et ordine loquiturque hoc mane **Melchior Canus**[12], ord. Praed., ⟨Hispanus, missus etiam ab imperatore⟩[k]. Accepit exami|nandum articulum primum de missa eamque sacrificium esse confirmavit adducens 331r primo argumenta adversariorum, videlicet Lutheri de capt. Babil. et in apologia et aliorum in aliis locis[13]. Primo ex Luc. 22 [20] et 1 Cor. 11 [25], ubi calix vocatur testamentum, quod opus est testatoris et eius morte vires accipit[14], ergo non sacrificium, quod opus

[a] *M om.; in A add. ut supra* [b] *M* episcopum . . . [*lacuna*]*; in A corr. ut supra* [c] *M om.* [d] *M* id est offertur [e] *M* suum; *in A corr. ut supra* [f] *M* in sancta societate, ut [g] *M* Unde et memores servi tui offerimus etc. [h] *C 118 et C 119* in sancta sanctorum non manu facta [i] *M* docet [k] *Th om.*

[1] *Augustinus,* De civitate Dei lib. X cap. 6. *Migne,* P. lat. XLI 283. CSEL XL, I 454 s.
[2] *Cyprianus,* Ep. 63. CSEL III, II 703.
[3] *Ibid.* 712 s.
[4] *Thom. de Vio Caietanus,* De missae sacrificio c. 3. Opuscula, Venetiis 1596, 291 s.
[5] *Luc.* 22, 19.
[6] *Augustinus,* De civitate Dei lib. XVII cap. 17. *Migne,* l. c. 551. CSEL XL, II 252.
[7] Cf. *Hebr.* 9, 11 s.
[8] *Augustinus,* Epist. 54, 6, 8. *Migne,* P. lat. XXXIII 202. CSEL XXXIV, II 167, 10 s.
[9] Cf. *Io.* 20, 30. [10] *1 Cor.* 11, 34.
[11] Cf. supra 376, 16 ss.
[12] Ad eius votum cf. *H. Jedin,* Röm. Qu. L (1955) 32 s.
[13] Cf. quae supra p. 375 ss. ex his operibus adduximus. [14] Cf. *Hebr.* 9, 16.

nostrum est. Item quia in novo testamento unus tantum est sacerdos Christus, qui pro nobis continuo interpellat[1], et non ut in lege veteri, in qua plures erant sacerdotes, ut Paulus refert Hebr. 7 [23]. Per Christum igitur (aiunt) salvamur et aliis sacerdotibus vel sacrificiis non egemus. Et sacerdotes nostri sunt legales ut illi veteris legis. Item quod missa non sit sacrificium pro peccatis, argumentantur, ⟨quia, si sacrificium est, est gratiarum actionis, non autem propitiatorium. Praeterea[a]⟩[b] argumentantur ex Apostolo 10 [1 sq.] ad Hebr., quod hostiae in antiqua lege, quae saepe iterabantur, non poterant prodesse; ⟨sic et nec missa, quae toties reiteratur. Christus autem *unica*⟩[c] *oblatione consummavit in aeternum sanctificatos*[2]. Item ex eodem capite, quod, ubi est remissio peccatorum, *non est oblatio pro peccatis*[3]. Et cum addit: *Voluntarie peccantibus nobis iam non relinquitur pro peccatis hostia*[4]. Item adducunt rationes, quia, si per nostra sacrificia et operationes acquirimus nobis remissionem peccatorum, ergo cum Christo peccata remittimus et sumus conredemptores Christi eiusque passioni irrogamus[d]; et alias ex nostris operibus mereremur remissionem peccatorum ex opere operato et ratione sui. Idque fulciunt[e] ex Ireneo lib. 4 cap. 34 adversus haereses, ubi docet, non esse acceptum hoc sacrificium, nisi ab amico offeratur, adducens illud Abel etc., quasi Deus non sacrificia, sed animum[f] respiciat offerentis[5]. ⟨Item probant, quod Christus non remittit peccata, nisi per fidem; ergo non proderit missa aliis, nisi ii, pro quibus offertur, fidem habeant.⟩[g] Ulterius dicunt: Si oblatio Christi est sacrificium, ergo ⟨omnia peccata et⟩[h] poenae vivorum et defunctorum per illud remittuntur, cum sit infiniti valoris neque a ministro limitari pos-
331v sit[i]. | Ultimo[k] dicunt, quod sacrificium includit mortem animalis, quod offertur; sed in missa Christus non occiditur; ergo non est sacrificium, ut Paulus ad Hebr. refert[6]. Et quod alioqui Christus frequenter pateretur[l]. Quae argumenta falsa esse asseruit. Sed antea ostendit veritatem catholicam, missam scilicet esse vere sacrificium, cuius primo diffinitionem dedit, ut sit opus religionis sacrumque facere, licet tamen non semper sacrum facere sit sacrificium, ut sunt alia sacramenta septem; sed cum offertur res sacra, sacrificium est. Neque etiam omnis oblatio est sacrificium, ut B. Thomas II—II qu. 85 [a. 3] ostendit et Chrisostomus hom. 18 in Hebr.[7] confirmatque Theophilactus super 8 dictae epist. ad Hebr.[8] Et ipse Paulus dicit: *Ut offerat dona et sacrificia*[9]; ergo dona a sacrificiis differunt; et tamen dona etiam[m] offeruntur. Sed proprie sacrificium est, cum res sacra offertur et res ipsa efficitur[n] et sacerdos[o] efficit cum ceremonia sacra. Et ad id, quod adducitur de Ps. 50 [19]: *Sacrificium Deo cor contritum et humiliatum,* quasi ceremonia ulla non requiratur, respondit nomen *sacrificium* intelligi proprie et improprie. Cum igitur dicitur sacrificium laudis, cordis[m] etc., improprie sumitur[p]. Unde Iacobus dicit visitare pupillos esse maximam religionem[10], scilicet per metaphoram; et ita *cor contritum* dicitur *sacrificium.* Et ita etiam intelligendum est, quod Paulus 10 ad Rom. scribit: Sacrificate *corpora vestra hostiam Deo placentem*[11] etc. Et quatuor esse species sacrificii, ut habetur Levit. 7, sed[q] principaliter[r] propitiatorium et gratiarum actionis. Eucharistia itaque in missa sacrificium est et ita eam patres omnes appellarunt. Et licet adversarii dicant, ipsos patres intellexisse per quandam significationem et figuram, id tamen falsum esse ostendit. Alias enim et cum de sacerdotibus loquuti sunt, per metaphoram loquuti fuissent, quia, si non haberemus verum sacrificium, non haberemus veros sacerdotes, cum
332r sacerdos et sacrificium ad invicem se habeant, ut Paulus ad He|br. testatur[s][12]. Et sicut in veteri lege illa erant vera sacrificia, quae Christi mortem praefigurabant, ita et oblatio in missa, in qua Christi mors ⟨perfectiori modo⟩[m] praefiguratur, ⟨nempe eius vero corpore

[a] *Th* Propterea [b] *In C 119 add. in margine manu Massarelli*
[c] *M* ita et in nova lege, in qua Christus una [d] *M* irrogatur [e] *M* probant
[f] *M add.* et conscientiam [g] *C 118 et C 119 et Th om.* [h] *M* omnes
[i] *Th* potest [k] *In C 119 corr. ex* Unde [l] *M add.* ab origine mundi [m] *M om.*
[n] *C 119* afficitur [o] *M* sacerdotem
[p] *M* intelligitur [q] *M add.* duo [r] *C 119 et Th* simpliciter
[s] *M add.* et offertur in missa corpus et sanguis Christi, ut Augustinus libro ... *[lacuna]* ad Faustum[13] et 17 de civit. Dei[14] et alii omnes

[1] Cf. *Hebr.* 7, 25; *Rom.* 8, 34. [2] *Hebr.* 10, 14.
[3] Cf. *Hebr.* 10, 18. [4] *Hebr.* 10, 26.
[5] *Irenaeus,* Adversus haereses lib. IV cap. 18 n. 3 (olim cap. 34). *Migne,* P. gr. VII 1026.
[6] Cf. *Hebr.* 9, 22.
[7] *Chrysostomus,* Hom. 18 in epist. ad Hebr. cap. 1. *Migne,* P. gr. LXIII 134.
[8] *Theophylactus,* Expositio in epist. ad Hebr. cap. 8, 3. *Migne,* P. gr. CXXV 289/90.
[9] *Hebr.* 5, 1. [10] Cf. *Iac.* 1, 27.
[11] Cf. *Rom.* 12, 1. [12] *Hebr.* 5, 1.
[13] Contra Faustum Manichaeum lib. 20, 21. *Migne,* P. lat. XLII 385. CSEL XXV, I 564,11 ss.
[14] Cf. supra p. 379 adn. 20.

et vero sanguine⟩[a]. Praefiguratum autem fuit hoc sacrificium altaris a Melchisedech sacerdote[a], qui panem obtulit et vinum[1]. Est autem Eucharistia sacrificium propitiatorium, quod Ireneus lib. 4 cap. 32 adversus haereses ostendit, cum ait: «Novi testamenti novam docuit oblationem»[2] etc. Et primitias novi testamenti dedit adducens primum[b] Malachiae et tertium caput[3], ubi de Eucharistiae oblatione intelligit. Et Luc. 22 [19]: *Hoc facite* etc., id est ut ipse fecerat. Christus enim sacrificavit[c], ut patet ex ordine illorum verborum, ut Cyprianus declarat[4]. Praeterea Christus illis verbis: *Hoc facite* non solum intellexit, ut memoriam cenae, sed oblationis in cruce peractae memoriam agerent. Sed quemadmodum, si non cenamus, non repraesentamus illam cenam Christi, sic, si non offerimus et sacrificamus, Christi sacrificium in cruce oblatum non repraesentamus[d]. Et Christus non dixit: Hoc dicite, sed: *Hoc facite,* quasi significaret[e] non verbis, sed facto faciendam commemorationem. Idem etiam, quod missa[f] sit sacrificium propitiatorium pro peccatis vivorum et mortuorum, habetur ex traditione. Epiphanius lib. 3 cap. 31[g] adversus haereses[5] et alii multi. Idem etiam probavit ex Apostolo 5 [1] ad Hebr.: *Omnis pontifex constituitur, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* etc. Si habemus igitur verum sacerdotem, habemus verum sacrificium. Item ex forma, qua conficitur in ecclesia corpus et sanguis Christi, quae forma efficit, quod significat, cum dicitur, quod «pro vobis tradetur in remissionem peccatorum». Et evangelistae dicunt: *Quod pro vobis datur*[6] vel frangitur, ut, cum hostia frangitur, pro peccatis frangitur. Deinde respondit ad argumenta adversariorum superius adducta. Ad primum, quod vocetur testamentum etc.[h]; quod testamentum accipitur pro re legata in testamento, ut accipitur ad Hebr. 7 [22]: *Sponsor me|lioris* 332v
testamenti etc., prout promissio accipitur in sacris litteris pro re promissa, ut idem Paulus ait: *Ut repromissionem accipiant aeternae haereditatis*[7]. Et Act. 1 [4]: Expectabant *promissionem Patris,* id est Spiritum Sanctum. Ad 2m de cap. 7 ad Hebr. respondit, Paulum praeferre Christum sacerdotibus veteris legis, non autem loqui de nostris sacerdotibus, et quia illi diversas hostias offerebant, nostri autem unam omnes et eandem ⟨hostiam offerunt⟩[a]. Et Christus solus est sacerdos, qui se ipsum offert; nos vero eius vicarii eiusque nomine eandem hostiam offerimus; unumque ⟨et idem⟩[a] est sacerdotium Christi et nostrum et una est hostia, non plures. Neque obstat, quod sint peccatores offerentes, quia hostia de per se peccata remittit. Unde Ioannes Baptista dicebat: *Hic est, qui baptizat*[8], ut Chrisostomus hom. 19 super 1 ad Tim.[9] docet. Ad 3m, quod Christus semel oblatus est etc., respondit, oblationem dupliciter[i] intelligi, de universali et particulari. Universalis enim est, quam Christus obtulit ⟨in cruce⟩[a], particularis autem, qua de illa participamus. Et illa universalis est sufficiens ad sananda omnia peccata, haec tantum[a] ad particularia. Unde damnat Paulus, quod illa in veteri lege non habebatur. Cum igitur dicit Apostolus: *Unica oblatione consummavit*[10] etc., intelligit de oblatione facta[i] in cruce, quae nobis applicatur hac particulari in missa. Neque ideo plures oblationes dicuntur; haec enim particularis subordinatur ad illam universalem. Quare Paulus 2[k] ad Cor. 7 [1]: *Mundemus nos ab omni inquinamento.* Si autem mundati iam sumus per Christi passionem, quomodo dicit: *Mundemus nos*? Et si ⟨unica illa oblatione⟩[a] in aeternum consummavit sanctificatos, ut quidem[l] idem Paulus dicit[11]: *Perficientes ⟨sanctificationem in timore Dei⟩*[m]? Ad 4m, quod non occiditur Christus, ergo non sacrificium etc., respondit, ⟨non valere consequutionem⟩[n], quia non semper res, quae offertur, animalis est et occiditur, ut tus ⟨et panis⟩[a] in veteri testamento. Nos enim offerimus Christum, quatenus pro nobis | mortuus 333r
est, et illam mortem exhibemus; et offerimus Christum ea ratione, qua mortuus est, non quatenus vivit. Et est, ac si praesens esset. Non est tamen mors cruenta, sed incruenta.

a *M om.* b *C 118 et C 119* primo c *M add.* scilicet ipse d *M* commemoramus
e *M* innueret f *M* Eucharistia g *M* 71
h *M add.* ut respondit Roffensis[12] et; *quae verba in A uncis sunt inclusa, super quibus scriptum est* aliasque Roffensis
i *M add.* a Christo k *M* 1 l *Th* quid
m *M* consumationem etc.; *in A corr. in* sanctificationem n *M* falsum esse

1 *Gen.* 14, 18 sq.
2 Adv. haer. IV 17, 5. *Migne,* P. gr. VII 1023 C. 3 *Mal.* 1, 10 sq.; 3, 3 sq.
4 Cf. supra p. 387, 4ss. adn. 2.
5 *Epiphanius,* Panarion haer. 66 n. 71 sqq. *Migne,* P. gr. XLII 141 sqq. Die griech. christl. Schriftsteller der ersten drei Jahrh. *Epiphanius* III 112 sqq. 6 *Luc.* 22, 19.
7 *Hebr.* 9, 15. 8 *Io.* 1, 33.
9 *Chrysostomus,* Hom. 2 in epist. 2 ad Tim., cap. 1. *Migne,* P. gr. LXII 612.
10 *Hebr.* 10, 14. 11 2 *Cor.* 7, 1.
12 *Io. Fisher,* Assertionum regis Angliae . . . adv. Lutheri Babylon. Captivitatem defensio, cap. 5: *Missam haudquaquam testament. esse. Io. Fischerii* Roffensis . . . episc. opera (Wirceburgi 1597) 184.

Unde et sacrificium etiam incruentum est. Ad 5^{m} ex Paulo 10[a] [18] ad Hebr., quod, ubi est remissio, non est oblatio etc., respondit, post oblationem illam universalem remanere hanc particularem, per quam illa ⟨universalis nobis⟩[b] applicetur. Et quod, cum offertur pro iis, quibus peccata iam remissa sunt, ⟨peccata eis⟩[b] non remittuntur, sed tantum poenae ⟨pro peccatis debitae⟩[b]. Et ita intelligendus est Paulus. Ideo nos pro culpa non habemus sacrificium aliquod, sed sacramenta ut baptismus, poenitentia etc. Sola enim oblatio crucis fuit hostia pro peccatis; quae crucis oblatio per sacramenta applicatur. Hostia igitur, quae ⟨offertur ab⟩[c] ecclesia ⟨in altari⟩[b], est ad remittendas poenas, de qua non intelligebat Paulus, sed de culpa et de baptismo. Praeterea Paulus loquitur ad terrorem, unde addit: *Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati* etc. *Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem*[1]; et in 6 [9 sq.]: *Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora et viciniora saluti, tametsi ita loquimur; non enim iniustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri* etc. Quod si fuisset impossibile renovari, non dixisset sperare meliora et viciniora saluti. Ad 6^{m}, quod essemus consalvatores et corredemptores Christi etc., respondit, id ex gratia Dei fieri et nihil propterea Christi redemptioni derogari. Unde Ioannes dicit, quod quilibet sanctificat se[2]. Et Paulus ait: Cooperatores Dei sumus[3]. In quo quidem magis Dei misericordia ostenditur, ut cum ea iustitia coniuncta sit. Quare Paulus ait, nos redemptos[d] gratis per Christum[4]. Cum autem operamur, non nostra virtute operamur[e] [5] sed Christi, qua ratione meremur, et
333v vere dicitur operatio nostra, ⟨prout dicitur⟩[f], quum sacerdos ab|solvit vel baptizat. Ad 7^{m}, quod sit infiniti valoris Christi sacrificium etc., respondit esse verum quoad ipsum; sed quoad nos participatio finita est ex Dei voluntate et ex dispositione accipientis et participantis. Unde ex missa, si essent infiniti homines, omnes participarent, sed non omnes infinitam gratiam reciperent, non ex defectu sacrificii, sed ex defectu devotionis in recipiente. Quare Paulus dicit: Si compatimur, conglorificabimur[6]. Et quanto magis compatimur, tanto magis conglorificabimur.

Dimissaque fuit congregatio hora 20.

Congregatio theologorum super examinatione eorundem articulorum de missa et ordine.

Eadem die [**9. Decembris**] hora autem 21 habita est etiam congregatio theologorum super eadem examinatione articulorum de missa et ordine dixitque hodie suam sententiam

Alphonsus de Castro[7], ord. Min. de observantia, ⟨Hispanus, missus etiam a ⌜Caes. M^te⌝ [g]⟩[h]. Examinavit articulum primum de sacrificio missae, qui est error Erasmi ⟨sub pallio et tegumento quodam assertus⟩[i] super cap. 13 [2] Act. ⟨in illis verbis⟩[b]: *Ministrantibus illis*[8] etc., et Lutheri de capt. Babil.[9] Quem articulum haereticum esse ostendit primo ex Daniele 12 [11]: *Iuge*[k] *sacrificium ablatum fuerit* etc., quae prophetia de Eucharistia intelligitur, quod[l] sub antichristo ⟨delenda sit⟩[m]. Et ita intelligitur locus ille, ut sit conformis Matth. 24 [15]. Item ex Malachia 1 [10 sq.]: *Non est mihi voluntas in vobis* etc.; *in omni loco offertur oblatio munda.* Quae verba de Eucharistia intelliguntur. Dicit enim *oblatio* in singulari et *in omni loco* et una et eadem oblatio offertur. Et addit *munda*, ⟨scilicet Eucharistia⟩[n], quae sola de per se munda est. Item ex figuris veteris testamenti. Gen. 14 [18] de Melchisedech, qui figura Christi fuit, ut docet Paulus ad Hebr. 7 [1 sqq.]

[a] *In C 118 et C 119 corr. in* 6 [b] *M om.* [c] *M* ponitur in [d] *Th* redemptores
[e] *M* facimus [f] *M* ut [g] *M* imperatore [h] *Th om.* [i] *M om.; in A add. ut supra*
[k] *C 118* Iugae [l] *M et Th* quae [m] *M* delebitur
[n] *M corr. ex* quae sola est Eucharistia de per se

[1] *Hebr.* 10, 32 35. [2] Cf. *1 Io.* 3, 3.
[3] Cf. *1 Cor.* 4, 1; *3 Io.* 8. [4] Cf. *Rom.* 3, 24.
[5] Cf. *2 Cor.* 3, 5; *Phil.* 2, 13.
[6] Cf. *Rom.* 8, 17.
[7] *Alphonsus de Castro,* ord. Fratr. Min., natus a. 1495 Zamorae, professor theologiae, theologus cardinalis Giennensis in concilio Trident. a. 1545/47, auctor fuit operis celeberrimi Adversus haereses et aliorum. Mortuus est a. 1558. De eo cf. *LThK* ² I 330. Ad eius votum cf. *H. Jedin,* Röm. Qu. L (1955) 34.
[8] *Desiderii Erasmi Roterodami* Paraphrases omnes in Novum Testamentum, Lugduni Batavorum 1706, col. 717: In Acta Apost. 13, 2: „Porro cum omnes hi magno studio servirent ecclesiae commodis, dotes suas ad omnium salutem et Christi gloriam fideliter impartientes, quo non aliud est sacrificium Deo gratius“. Cf. *Erasmi* Annotationes in N. T., in Act. 13, 2: „Nullum autem sacrificium Deo gratius quam impartiri doctrinam evangelicam“, Basileae 1535, 302.
[9] Cf. supra p. 375 adn. 2.

et Ps. 109 [4]: *Tu | es sacerdos in aeternum* etc. Figuravit autem Melchisedech Christum 334r
multis modis, ut dicto cap. 7 ad Hebr. ostendit Paulus. ⟨De eo enim⟩[a] non scribitur pater neque principium neque finis[1]. Et Hieronymus notat epist. ad Evagrium[b] in ritu Melchisedech Christum figurasse[c][2]. Unde dicitur Ps. 109 [4]: *Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech,* qui ordo est, quia ille panem et vinum obtulit sicut Christus. Alias Christus in nullo posset verificari, quod[d] esset *sacerdos secundum ordinem Melchisedech.* Nam[e] Christus in cruce obtulit verum corpus et sanguinem suum[f]; ergo illa comparatio et similitudo est facta, cum in cena obtulit corpus suum[g] sub speciebus panis et vini etc. Et ita patres[h] omnes intellexerunt et[i] docet ⟨sancta ecclesia⟩[g] in canone missae. Alia figura est de agno paschali. Unde Ioannes Baptista dicebat: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*[3]. Et ut habetur Ioa. 19 [36]: *Ut impleretur scriptura, os non comminuetis ex eo,* quod de agno paschali scribitur[k]. Quae figura convenit, quia Christus ut agnus imolatus est, sanguis effusus est et delineatio sanguinis in postibus ⟨et superliminari⟩[l] portae signum[l] crucis significat. Item[m] et[n] cenam figurat, ut ex ordine comedendi agnum deducitur. Et quemadmodum, antequam agnus comederetur, oportebat, ut imolaretur, ita et de Christo oportet[g], ut offeratur in missa, deinde edatur. Ita factum etiam est a discipulis. Igitur non de imolatione facta in cruce, sed in cena agnus imolatus praefiguratur. Apostoli enim ante oblationem in cruce Christum comederunt in cena. Unde sacerdos celebrans[g] ante oblationem communicare non potest, etiam ex institutione Christi; ⟨oportet enim, ut prius sacrificium Deo offerat⟩[o], ut statuit concilium 12.Toletanum ⟨et habetur de consecr. dist. 2 cap. [11] *Relatum*⟩[p]. Item probavit missam esse sacrificium ex traditione et patribus[q] omnibus ⟨ac multis conciliis⟩[g], quae | missam sacrificium appel- 334v
lant[r]. Deinde adduxit quaedam argumenta adversariorum, quibus respondit. Et primo, cum dicunt missam esse testamentum, ergo non sacrificium, ut habetur Luc. 22 [20]: *Hic calix novum testamentum est,* ut et Paulus 1 ad Cor. 11 [25] asserit, quia testamentum morte testatoris vim habet[4]; non sic autem est sacrificium, ut deducit Lutherus de capt. Babil.[5] Respondit falsum esse, quod missa sit testamentum, ut iuxta eius definitionem non sit promissio Eucharistia, sed ipsa res donata. Neque enim in illis verbis remissio peccatorum est, sed effusio sanguinis. Non igitur promittitur sumenti remissio peccatorum, sed effusioni sanguinis. Missamque non esse testamentum probavit ex diffinitione iurisconsultorum, ut sit iusta sententia de eo, quod quis post mortem fieri voluit. Neque Lucas contrariatur Marco et Mattheo, qui dicunt: *Hic est calix novi testamenti in meo sanguine*[6], id est sanguis, quo testamentum novum confirmatum est, ut Paulus declarat[7] et interpraetatur Innocentius in cap. [6] *Cum Marthae* [X] de celebr. missarum [III 41] et Beda super Lucam[8] et alii doctores. Diciturque ⟨aliquo modo⟩[g] missa testamentum pro contentis in testamento, ut intelligitur[s]: *Calicem meum bibetis*[9] etc. Et: *Mandavit in aeternum testamentum*[t] *suum* etc.[u][10] Et Levit. 24[v]. Neque est testamentum, ut non sit sacrificium, cum ex tropica significatione inferatur. Quod non licet, ut dicitur: *Ego sum vitis*[11]. Et Christus dicitur leo[12], et tamen non potest inferri, ergo animal irrationale, ergo quadrupes. Missa itaque dicitur[w] testamentum symbolice et est sacrificium verum diversis tamen rationibus. Ad illud, quod adducitur, quod Christus non sacrificaverit in cena, ⟨ut Lutherani dicunt⟩[x], respondit, falsum id esse, quia sacrificavit corpus suum spiritualiter, ut doctores omnes tenent. Praeterea dato etiam, quod non sacrificasset, nihil obstat, quin[y] nos sacrificare debeamus[z], quia nos ⟨in sacrificio missae⟩[g] | repraesentamus 335r
mortem et sacrificium crucis, quae repraesentatio non potest fieri absque sacrificio. Et

[a] *M* Quia [b] *M* Evardium [c] *M* figuratur; *in A corr. ut supra*
[d] *M* ne [e] *M* Sed [f] *M* Christi [g] *M om.*
[h] *M add.* et ecclesia sancta [i] *M* ut [k] *C 119 et Th* dicitur
[l] *M om.; in A corr. ut supra* [m] *C 119* Ita [n] *Th. add.* in
[o] *M om.; in A add.* nisi prius sacrificium Deo obtulerit
[p] *M om.; in A corr. ut supra; sed omnes codd. et Th habent falso* Perlatum
[q] *M* scriptoribus [r] *M add.* item ex conciliis
[s] *M* dicitur [t] *M om.; in A add. ut supra* [u] *M add.* et 2 Machab.
[v] *M* 25 [w] *M* est [x] *M* etc. [y] *In M corr. ex* quod [z] *In M corr. ex* debemus

[1] Cf. *Hebr.* 7, 3.
[2] *Hieronymus,* Ep. 73 ad Evagrium n. 3. *Migne,* P. lat. XXII 677 sq. CSEL LV 16.
[3] *Io.* 1, 29. [4] Cf. *Hebr.* 9, 16.
[5] De capt. Babylon., de sacramento panis. Ed. Weimar. VI 513 s.
[6] *Marc.* 14, 24; item *Matth.* 26, 28.
[7] Cf. *Hebr.* 9, 13—20.
[8] *Beda Venerabilis,* In Lucae evang. expositio lib. VI cap. 22. *Migne,* P. lat. XCII 596 sq.
[9] *Matth.* 20, 23. [10] *Ps.* 110, 9.
[11] *Io.* 16, 1 5. [12] Cf. *Apoc.* 5, 5.

licet sit donum, est tamen et sacrificium. Alias nihil esset sacrificium, quia omnia dona Dei sunt. Unde Paulus dicit: *Quid habes, quod non acceperis?*[1] Et in canone dicitur: «Offerimus de tuis donis.» Quare Isaias ait: *Filius datus est nobis*[2]. Et Paulus inquit: Deus tradidit illum nobis et cum eo omnia bona donavit[3].

Deinde dimittitur congregatio hora 24.

Congregatio theologorum super eadem examinatione articulorum de missa et ordinis sacramento.

Die Iovis **10.** eiusdem mensis **Decembris** hora 16 habita fuit congregatio theologorum, quorum infrascriptus prosequutus est examinationem eorundem articulorum de sacrificio missae et sacramento ordinis, videlicet

Ioannes Arze, clericus saecularis, ⟨Hispanus, missus etiam ab imperatore[a]⟩[b]. Examinavit primum articulum de m i s s a , quem haereticum esse confirmavit, ostendens Eucharistiam esse sacramentum et sacrificium; neque est tantum commemorativum, sed propitiatorium pro peccatis, ut sit vere[c] et proprie sacrificium, in quo Christus imolatur, ⟨non ut in figuris veteris testamenti, in quibus et Christus ⌜per figuram⌝[d] imolabatur⟩[e]. Unde Ioannes in Apoc. [13, 8] dicit: Agnum occisum *ab origine mundi,* ⟨non autem⟩[f] prout in cruce imolatus est, sed medio modo, id est mystico et repraesentativo et imolatitio [!] sine effusione sanguinis. Neque hoc differt ab illo peracto in cruce, nisi quod illud cruentum, hoc incruentum; et illud semel oblatum fuit, hoc quotidie reiteratur. Est etiam sacrificium eucharisticum et commemorativum, sed non tantum. Articulus 2 etiam haereticus est, 3s idem, 4s et 5s et alii omnes. In 7° tamen de missis privatis ⟨cuperet dam-
335v nari alium error|em⟩[g], videlicet unam missam singulis diebus in una ecclesia et eam publicam celebrandam esse; non licere missas privatas[h] devotionis causa celebrare[4]. Missae enim privatae ab initio ⟨in ecclesia⟩[d] celebratae[i] sunt, ut habetur ex ⟨continua traditione patrum, et Sozimus⟩[k] tres[l] missas in paschate celebrandas instituit[5]. Et Ambrosius quotidie in suo oratorio celebrabat privatim[6]. Et hunc errorem Leo I epist. 69 cap. 2 damnat[m][7]. Et ad id, quod adducunt adversarii, quod missae privatae sint contra institutionem Christi, quia Christus consecravit coram multis discipulis, et ita videtur, quod discipuli ⟨ipsi postea⟩[d] observaverint, ut[n], cum erant[o] simul, communicarent, ⟨erant enim perseverantes in fractione panis⟩[d][8] etc., respondit, Christum communicasse solos sacerdotes. Unde et sacerdos celebrans communicare omnino debet. Item respondit, non per omnia exemplum Christi imitandum, cum etiam ⟨id fieri⟩[p] non possit. Neque enim Christus dedit hunc ⟨vel illum⟩[d] modum sacrificandi[q], sed reliquit id in potestate ⟨et dispositione⟩[d] ecclesiae. In primitiva vero ecclesia astantes omnes in missa communicabant ob maiorem fervorem[r] et fidem et charitatem, ⟨quae tunc vigebat⟩[d]; unde ad martyrium semper parati erant. Nunc autem, cum refriguerit charitas, id non observatur. Sed primo Sother pontifex ter in anno communicandum statuit[9]; concilium vero Lateranense semel tantum[10]. Articulus 8 etiam haereticus est, contra quem Cyprianus lib. 2 epist. 3 ad Cecilium scri-

a *M* Caes. Maiestate b *Th om.* c *M* verum d *M om.*
e *In C 119 add. in marg. manu Massarelli* f *M* neque g *M* cupit addi alius error[!]
h *M* privatim i *M* observatae k *M* Sozimo papa, qui
l *Th* p. III, *dicens hoc modo* Zosimus papa III
m *M add.* et ita habetur ex traditione n *Th* et o *M* essent
p *M om.; C 118* id etiam fieri q *M* sacrificii vel sacramenti
r *M* ferventiam; *in A corr. ut supra*

1 *1 Cor.* 4, 7. 2 *Is.* 9, 6. 3 Cf. *Rom.* 8, 32.

4 Cf. *Conf. Aug.*, art. 24 de missa. *Bekenntnisschriften* 2. ed. p. 94 l. 35 sqq. Similiter *Apol. conf. Aug.* art. 24 de missa. *Ibid.* 350 l. 35 sqq.

5 Nescio, de qua re agatur. In Zosimi papae epistulis, etiam spuriis, nil huiusmodi legitur.

6 Probabiliter cogitat de *Paulini* Vita sancti Ambrosii cap. 10, ubi legitur: «Per idem tempus cum trans Tiberim apud quandam clarissimam invitatus [Ambrosius] sacrificium in domo offerret, quaedam balneatrix» etc. *Migne,* P. lat. XIV 30.

7 *Leo I,* Ep. 9 ad Dioscorum cap. 2. *Migne,* P. lat. LIV 626 sq. 8 Cf. *Act.* 2, 42.

9 Impossibile est Sotherum papam hoc ordinasse, quia saeculo II antiquus mos communicandi, quoties sacrificium offerebatur, adhuc vigebat. Primum fuit concilium Agathense a. 506 habitum, quod can. 18 (c. 19 *Saeculares* de cons. dist. 2) praecepit, ut omnes Christiani in festis Nativitatis, Paschae et Pentecostes communicarent. *Mansi* VIII 327. Cf. c. 16 *Etsi non frequentius* de cons. dist. 2.

10 C. 12 *Omnis utriusque* X de poen. V 38.

bit ⟨quoad primam partem⟩[a][1]; secunda vero pars est error Armenorum et damnatus in concilio Florentino[2] et ab Alexandro I[3] et Iulio I[4] pontificibus. Articulus 9 haereticus quoque est et contra traditionem ecclesiae, ut Cassianus scribit de sacrificio missae, qui eam consuetudinem apostolicam esse refert[5]. Graeci tamen alta voce consecrant; ⟨est igitur haec secunda pars damnanda tantum quoad ecclesiam latinam de missis lingua vulgari celebrandis. | Nam⟩[b] et Graeci in eorum lingua celebrant, idem Aethiopes faciunt 336r et Moschovitae, ut latina ecclesia latina lingua, quam omnes olim intelligebant, celebrat. Ideo non usque adeo generaliter haec pars damnanda est. Semper enim apud omnes gentes propria[c] earum lingua missae celebratae fuerunt. Nunc autem non expedit, ut vulgari lingua celebre[n]tur; id tamen prohibitum non est. Articulus 10 etiam haereticus est. Vestes enim et ceremoniae in missa passionem Christi repraesentant et sunt (ut Gregorius Nazianzenus ait) fidei christianae pedagogia[6]. — Quo autem ad o r d i n e m, probavit ⟨in omnibus dicta per Alfonsum Salmeronem⟩[d], qui de eo disseruit[7]. Et cuperet ⟨decerni a sancta synodo illos⟩[e] septem diaconos, de quibus in Act. apost. [6, 3—6], fuisse veros diaconos. — Deinde exactius examinavit articulum 2 de m i s s a, ⟨qui eam a Christo institutam negat, quem tamen haereticum⟩[f] esse ostendit dividens missam triphariam[g], quoad essentialia, quoad annexa et quoad appendicem. Essentialia enim tres actus contine[n]t: consecrare, offerre, communicare[h]. Consecrare autem ab imolatione differt; imolare enim est rem consecratam offerre; communicare vero est rem consecratam et oblatam edere. Quae tria a Christo instituta sunt et in missa necessario requiruntur. Missaque aliis applicatur et iste est secundus actus missae annexus. Appendix autem sunt orationes, vestes, lectiones sacrae scripturae etc. ⟨Tria autem essentialia Christus instituit.⟩[c] ⟨Nam et⟩[i] consecravit[k], ut evangelistae referunt et Paulus testatur. ⟨Benedixit enim, gratias egit etc.⟩[c] Item communicavit[l]. Prius enim sumpsit ipse[m], deinde aliis distribuit. Item et imolavit ⟨ipsam Eucharistiam, ut patet ex verbis in cena prolatis et habetur ex traditione apostolica⟩[n]. Non enim omnia, quae in sacramentis habentur, scripta sunt, sed per manus ab apostolis tradita. Actiones etiam Christi in cena imolationem ostendunt, cum eadem[o] in aliis sacrificiis adhibeantur. Idem | probavit ex verbis ipsius Christi: *Desiderio desi-* 336v *deravi hoc pascha manducare vobiscum*[8], non autem vetus, sed novum; non de agno igitur[p], sed de se ipso. Agnus autem imolabatur in paschate veteri; ergo et Christus ⟨imolatus est⟩[q] in novo. Alias figura non responderet figurato. Praeterea[r] Christus fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedech; sed Melchisedech imolavit in pane et vino; ergo[s] oportuit, ut et Christus imolasset in ⟨pane et vino⟩[t]; alias non fuisset sacerdos ut Melchisedech, quem vere obtulisse panem et vinum declaravit tum aliis ⟨argumentis et⟩[c] rationibus, tum quia decimas accepit, benedixit et consecravit[u], quae nonnisi a veris[v] sacerdotibus fieri possunt. Quod autem Melchisedech sacrificaverit, ostendit Augustinus de civ. Dei lib. 16[w] cap. 22[9]; Eusebius etiam serm. 5 de Paschate[10]; Arnobius in Ps. 109[11]; Hieronymus ad Marcellam[12]; Ambrosius lib. 4 cap. 7 de sacramentis[13]; Augustinus epist.

[a] *M* in prima parte
[b] *M* damnetur igitur quoad ecclesiam latinam tantum iste 9s de secreto celebrandis missis; in secunda parte de lingua vulgari [c] *M om.* [d] *M* sententiam Don Alfonsi [e] *M* statui
[f] *M* quod ea non sit a Christo instituta etc., quod falsum [g] *M add.* ut
[h] *M add.* et cuperet exprimi formam consecrationis Eucharistiae [i] *M* Christus autem
[k] *M add.* in cena [l] *M add.* Christus [m] *M* se; *in A corr. ut supra*
[n] *M* Christus in Eucharistia, ut primo habetur ex traditione ecclesiastica [o] *Th* eaedem
[p] *M* quidem; *Th* agitur [q] *M* imolatur [r] *M* Item probavit, quia [s] *M* ita et
[t] *M* panis et vini speciebus [u] *Th* conservavit [v] *Th om.*
[w] *In M lacuna; C 119 et Th 22*

[1] Cf. supra p. 381 adn. 19.
[2] *Mansi* XXXI 1056 sq.
[3] *Alexander I*, Ep. 1 cap. 11. *Hinschius* 99. Est originis Pseudo-Isidorianae. C. 1 *In sacramentorum oblationibus* de cons. dist. 2.
[4] C. 7 *Quum omne* de cons. dist. 2, qui tamen non est Iulii pontificis, sed concilii Bracharensis III can. 1. *Hinschius* 434. *Bruns* II 98.
[5] Institut. III 9. CSEL XVII 43, 8ss.
[6] Cf. *F. X. Portmann*, Die göttliche Paidagogia bei Gregor v. Nazianz, St. Ottilien 1954, 134.
[7] Cf. supra p. 383—386. [8] *Luc.* 22, 15.
[9] *Augustinus*, De civit. Dei lib. XVI cap 22. *Migne*, P. lat. XLI 499 sq. CSEL XL, II 164.
[10] *Eusebius Emisenus*, De pasch. hom. 5. *Migne*, P. lat. XXX 272.
[11] *Arnobius iunior*, Comment. in Ps. 119. *Migne*, P. lat. LIII 496.
[12] Epistula non Hieronymi, sed Paulae et Eustochii ad Marcellam; inter Hieronymi epistulas sub numero 46, cap. 2. *Migne*, P. lat. XXII 484. CSEL LIV 331.
[13] *Ambrosius*, De sacramentis lib. IV cap. 3. *Migne*, P. lat. XVI 438 sq. CSEL LXXIII 50.

95[a][1]. Quod etiam Christus in illa cena[b] sacrificaverit, patet etiam ex Luc. 22 [19]: *Hoc facite*, ⟨scilicet quod ego feci, ut patres omnes intelligunt⟩[c]. Eusebius de demonstratione evang. lib. 5[d] cap. 3[d] et lib. 1 cap. 10[2]; Augustinus ⟨serm. 150 de tempore⟩[d][3]; Cyprianus lib. 2 cap. 3 epistolarum[4]. Ait enim: Ipse primus (scilicet Christus)[e] obtulit etc. Theophilactus ⟨super Matth. 28⟩[f][5]; Ambrosius in oratione in ⟨canone missae in cena⟩[g] Domini[6]; Beda in expositione Marci 14[e][7]. Secundi actus missae quae ⟨ei annexa⟩[h] sunt, ut applicatio, etiam a Christo instituti sunt, ut habetur ex traditione apostolica. Damascenus[8] in sermone pro mortuis[i] etc. Appendix autem missae ut ceremoniae, orationes etc. etiam a Christo sunt. Nam et Christus ipse[e] oravit ⟨et apostoli oraverunt, dum celebrabant,⟩[k] ut Act. 4[d]: *Erant perseverantes in orationibus* et fractione panis[9]. ⟨Ipsi vero missae deinde accessiones quaedam factae sunt, ut primo⟩[e] per Iacobum Hierosolymis et per Petrum Antiochiae[l]. ⟨Ac etiam postea⟩[m] alia addita sunt a ponti-
337r ficibus et sanctis | patribus. Quae ceremoniae licet[n] a Christo omnes[e] institutae non sint[o], ⟨sunt tamen institutae⟩[p] ab hominibus Spiritu Dei actis. Missa igitur quoad primam partem est a Christo instituta; secunda habetur ex traditione apostolorum; tertia ex sanctis patribus. Missam autem a Christo esse institutam declarat Ireneus lib. 4[10], Chrisostomus in missa[11], Cyprianus ad Cecilium[12]; Eusebius ⟨de demonstratione evangelica lib. 5 cap. 3⟩[n][13]; Ambrosius[14] ⟨in canone missae etc.⟩[d]. Applicatur autem missa pro aliis. Nam sicut in lege naturae et legis scriptae[e] sacrificia pro aliis applicabantur, multo magis in evangelica, ⟨cum illa essent tantum umbra et haec sint figurata⟩[e]. ⟨In lege enim naturae habetur⟩[q] ex Iob[r][15], qui ⟨pro filiis et pro amicis⟩[s] offerebat; idem habetur in lege scripta[e], Levit. 4. ⟨Alias enim imperfectior esset lex evangelica cunctis aliis legibus.⟩[t] Idem probavit ex ratione sacerdotii[u], ut Paulus ostendit ad Hebr. 5 [1—3], ut pro se et pro aliis sacerdos offerat etc. Praeterea sacrificium crucis pro aliis[v] applicatum fuit; idem et hoc in missa, cum idem cum illo sit ⟨et eadem victima⟩[e], neque nisi in modo differunt. Prodest denique pro defunctis, ⟨qui una nobiscum charitate coniuncti sunt⟩[e]; ⟨non igitur pro⟩[w] omnibus, sed iis, *qui dormiunt in somno pacis*, neque pro valde bonis neque pro valde malis, sed pro iis, qui non sufficienter in hac vita satisfecerunt, ⟨mortui tamen sunt in gratia Dei et ecclesiae membra sunt⟩[x].

Et dimittitur congregatio hora 20.

a *C 119 et Th* 91 — b *M* nocte
c *M* ut ipse fecit etc., quod patres dixerunt — d *In M lacuna* — e *M om.*
f *In M lacuna; in A add. ut supra* — g *M* missa; *in A corr. ut supra* — h *M* coniuncta
i *M add.* et damnatione ecclesiae — k *M* et habetur ex traditione apostolica
l *M add.* accessiones quaedam factae sunt — m *M* et deinde; *C 119 om.* postea
n *In M add. supra lineam* — o *M* ipsae — p *In M corr. pro* sed Spiritu Dei actis
q *In M add. supra lineam* in natura autem habetur — r *M add.* ultimo
s *M* pro amicis et alibi pro filiis — t *M* idem igitur in evangelica; alias esset imperfectior
u *Th* sacerdotis — v *Th* alio — w *M* sed non — x *M* sunt tamen membra ecclesiae

1 *Augustinus*, Ep. 177 ad Innocentium papam (olim 95) cap. 12. CSEL XLIV 681.

2 *Eusebius Caes.*, De demonstratione evang. lib. V cap. 3 et lib. I cap. 10. *Migne*, P. gr. XXII 365 sqq. 83—94.

3 Inter *Augustini* sermones supposititios est sermo 164 n. 1. *Migne*, P. lat. XXXIX 2066 sq.

4 *Cyprianus*, Epist. 63, 14. CSEL III, II 713, 12.

5 *Theophylactus*, Enarratio in evang. Matthaei cap. 28 vers. 1—8 (in principio). *Migne*, P. gr. CXXIII 479/80.

6 In Missali secundum ritum Ambrosianum in festo coenae Domini legitur in canone missae: «Communicantes et diem sacratissimum celebrantes, quo traditus est Dominus Iesus Christus. Tu nos, Domine, participes Filii tui, Tu consortes regni tui, Tu incolas paradisi, Tu Angelorum comites esse iussisti, si tamen illaesa et intemerata fide coelestis militiae sacramenta servamus. Haud quid desperare de tua misericordia possumus, qui tantum munus accepimus, ut talem tibi hostiam offerre mereremur, corpus scilicet et sanguinem Domini nostri Iesu Christi. Qui se pro mundi redemptione piae illi ac venerandae tradidit passioni, qui formam sacrificii salutis perennis instituens, hostiam se primus obtulit et primus docuit offerri.» Et in sequenti oratione: «Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus ob diem ieiunii coenae dominicae, in qua Dominus noster Iesus Christus Filius tuus in novo testamento sacrificandi ritum instituit, dum panem et vinum, quod Melchisedech in praefiguratione futuri mysterii sacerdos obtulerat, in sacramentum sui corporis et sanguinis transformavit celebranda, quaesumus, Domine . . .»

7 *Beda Venerabilis*, Expositio in Marci evang. lib. IV cap. 14. *Migne*, P. lat. XCII 272.

8 *Ps.-Ioannes Damascenus*, De iis, qui in fide dormierunt n. 5—6. *Migne*, P. gr. XCV 252/53.

9 Cf. *Act.* 2, 42. — 10 Cf. supra p. 386 adn. 8.

11 Cf. ad hoc supra p. 133 adn. 10. Institutio missae a Christo facta ex huius liturgiae textibus apparet.

12 Cf. supra lin. 4 et adn. 4.

13 Cf. supra lin. 3 et adn. 2.

14 Cf. supra adn. 6. — 15 *Iob* 1, 5.

Congregatio theologorum super eadem examinatione articulorum de missa et sacramento ordinis.

Eadem die Iovis [**10. Decembris**] hora autem 21 habita etiam fuit congregatio theologorum, quorum infrascripti prosecuti sunt discussionem eorundem articulorum de missa et ordine, videlicet

Ioannes de Orthega[1], ord. Min. de observ., ⟨Hispanus, missus etiam a ⌜Caes. Mte⌝[a]⟩[b]. ⟨Disseruit ar|ticulos de missa accipiens articulum 5, quem haereticum confirmavit declarans⟩[c] primo, in missa esse consecrationem, oblationem, communionem, lectionem ⟨sacrae scripturae⟩[d], orationes[e], gratiarum actiones etc. Quorum quaedam applicantur, quaedam non. Communio enim, consecratio, lectio non applicatur aliis; oblatio autem et oratio potest pro aliis applicari. Unde Paulus ait, quod sacerdos debet pro se et pro aliis offerre[2]. Et de ratione sacrificii est, ut aliis prosit. Et ad hoc sacerdos ex hominibus[f] constituitur, ut inquit Paulus, ut pro populo offerat[3]. Applicatio autem fit ex intentione offerentis. Effectus vero huius sacrificii est remissio peccatorum, non autem culpae, sed poenarum. Sicut enim Eucharistia ut sacramentum nunquam condonat[g] primam gratiam, sic etiam ut sacrificium. Ad hoc autem, ut sacrificium prosit, oportet, quod persona sit[h] accepta Deo. Unde dicitur Gen. 4 [4], quod Deus respexit ad Abel et munera eius. Remittit igitur poenam et culpam venialem. Applicatur vero hoc sacrificium et in generali, ut quum pro aliqua communitate offertur, et ⟨in particulari, ut quum pro particulari persona⟩[i] offertur. Applicaturque plus minus[k] iuxta dispositionem eius, pro quo offertur, non autem iuxta ⟨efficaciam et⟩[l] virtutem rei, quae offertur, quia ea infinita semper est. Applicatur etiam pro mortuis ea ratione, qua membra ecclesiae sunt. Quo igitur ad articulos propositos: primus haereticus est, et respondit ad argumenta adversariorum, quod missa[l] non sit sacrificium, quia ⟨in ea⟩[l] Christus non occiditur etc., cum semper[l] non requiratur, quod res, quae offertur, animata[m] sit. Unde ⟨in veteri lege⟩[l] et panis et tus offerebatur et nihilominus verum erat sacrificium; ⟨et quia in missa Christi mors repraesentatur⟩[l]. Articulus 2 haereticus quoque est in his actionibus, quae ⟨essentiales sunt⟩[n]; alia autem non sunt a Christo instituta. 3. articulus etiam haereticus est, idem 4s, 5s, 6s et alii omnes. Quo vero ad ordinem primus, 2s et alii etiam haeretici sunt. Probavitque[o] sacerdotium in nova lege esse visibile ⟨et externum⟩[l], quia, licet translata sint sacrificia carnis in spi|ritualia, tamen moralia ablata non sunt etc.[p] 337v 338r

Franciscus Somnius[4], clericus secularis, ⟨Flandrus, missus ex universitate Lovaniensi ab eadem Caes. et reginali Maiestatibus⟩[b], accepit 5. articulum de missa, quem haereticum esse comprobavit, ostenditque missam prodesse pro[b] vivis et defunctis, primo ex traditione: Dionysius[q] lib. 4 eccl. hierarchiae[5], Chrisostomus hom. 41 in 1 ad Cor.[6] et hom. 69 ad populum Antiochenum[7]; Epiphanius lib. 3 contra haereses, qui Aerium id negantem damnat[8], ⟨quem damnat⟩[b] etiam Augustinus ⟨lib. de haeresibus cap. 53⟩[r][9]; Damascenus in sermone de iis, qui in fide migrarunt[10]; Tertullianus lib. de corona militis[11]; Ambrosius epist. ad Faustinum[12]; Cyprianus epist. 9 lib. 1[13]; Augustinus in Enchiridio ad Laurentium[14] et lib. de cura pro mortuis agenda[15] et lib. 9 confessionum[16], qui allegat

[a] *M* imperatore [b] *Th om.* [c] *M* Accepit articulum 5 de applicatione missae, ostendit [d] *M* doctrinae [e] *In M add. supra lineam* [f] *M* populo [g] *M* remittit [h] *M add.* prius [i] *M* cum in particulari [k] *Th* minusve [l] *M om.* [m] *M* animalis; *in A corr. ut supra* [n] *M* Dei sunt in missa [o] *M add.* circa 4m [p] *M add.* et alii omnes haeretici sunt [q] *Codd. et Th* Eusebius [r] *In M lacuna; in A add. ut supra*

[1] Cuius votum in scriptis datum invenis in App. IV n. 2.

[2] Cf. *Hebr.* 5, 3; 7, 27. [3] Cf. *Hebr.* 5, 1.

[4] Cuius votum in scriptis datum videas in App. IV n. 3.

[5] *Pseudo-Dionysius,* De eccles. hierarchia cap. 7. *Migne,* P. gr. III 551—570.

[6] *Chrysostomus,* Hom. 41 n. 4 in epist. 1 ad Cor. *Migne,* P. gr. LXI 361.

[7] Cf. supra p. 386 adn. 7.

[8] *Epiphanius,* Panarion n. 75, 2, 3, 7. *Migne,* P. gr. XLII 513. GrChrSchr. *Epiphan.* III 333s.

[9] *Augustinus,* Liber de haeresibus ad Quodvultdeum cap. 53. *Migne,* P. lat. XLII 39 sq.

[10] Cf. supra p. 394 adn. 8.

[11] *Tertullianus,* De corona militis cap. 3, 3. *Migne,* P. lat. II 79. Corp. Christ. II 1043.

[12] *Ambrosius,* Ep. 39 ad Faustinum. *Migne,* P. lat. XVI 1145.

[13] *Cyprianus,* Ep. 1 ad clerum et plebem Furnis consistentem n. 2. CSEL III, II 466.

[14] *Augustinus,* Enchiridion de fide, spe et caritate ad Laurentium cap. 110. *Migne,* P. lat. XL 283.

[15] Cf. supra p. 386 adn. 10.

[16] *Augustinus,* Lib. IX confessionum cap. 12 (et 13). *Migne,* P. lat. XXXII 777 sqq. CSEL XXXIII 221 s. (Sed hic non allegatur *2 Mach.* 12.)

2 Mach. 12. Qui omnes eam consuetudinem orandi pro mortuis devenisse ab apostolis testantur. Ostendit idem ex rationibus, quia, licet in modo differat oblatio Eucharistiae et oblatio crucis, tamen eadem est, eadem caro et idem sanguis et ad eundem finem offertur, sub alienis tamen speciebus. Illa vero crucis cruenta fuit et semel oblata, haec in altari incruenta et quotidie offertur; illa etiam coelestis, ⟨quae fit in coelo a Christo coram Patre⟩[a] incruenta et semper[b] fit; perpetuo[c] enim assistit Christus coram Patre ad placandam divinam iram ⟨pro nobis interpellans⟩[d1]. Una ⟨et eadem⟩[d] est igitur hostia altaris cum illa crucis. At illa[e] pro vivis et defunctis oblata est; ergo et ista altaris pro vivis et defunctis offerri potest. Quod autem illa crucis defunctis profuerit, patet ex Zach. 4: Liberasti vinctos tuos[2] etc. Item post passionem *petrae scissae sunt et monumenta aperta et multa corpora sanctorum, quae dormierant, resurrexerunt* et intrarunt *in sanctam civitatem*[3]. Et ad id, quod opponitur, quod in missa repraesentatur cena Domini, sed per illam[d] cenam non sunt remissa peccata, ergo nec per missam, quae cenam repraesentat, respondit, Christum in cena etiam obtulisse, quod ex illis verbis patet: Datur,
338v fun|ditur, frangitur pro vobis in remissionem peccatorum. Verbaque illa in praesenti tempore legenda sunt, ut habetur in codicibus graecis[4], ut sit sensus, quod corpus, quod frangitur in his speciebus, pro vobis datur, ⟨id est⟩[d] offertur Deo Patri et sanguis funditur offerendo illum[d]. Praeterea Christus cepit tunc offerre in cena et in cruce consummavit. Unde dicit: *Filius hominis vadit*[5], et: Qui me tradit, ecce adest[6] etc. Ergo una et eadem oblatio est, quae facta est in cena et quae in cruce; et sicut illa crucis fuit pro vivis et defunctis, sic illa cenae. Per missam enim applicatur nobis mors illa Christi in cruce facta; est enim haec illius premium et fructus. Applicatio autem ad fideles tantum fit, non ad alios. Unde dicitur: Quod *pro vobis et pro multis effundetur*[7]. Et post passionem scribitur: *Multa corpora sanctorum, ⟨quae dormierant⟩*[d], *surrexerunt*[8]. Non igitur omnibus prodest, sed fidelibus, quod etiam ecclesia in canone missae testatur[f], cum dicit: «Offerimus pro iis, qui praecesserunt nos in signo fidei ⟨et dormiunt in somno pacis⟩[d]». Et alibi ⟨de vivis⟩[d]: «Quorum tibi fides cognita est et nota devotio.» Quod etiam probavit ex verbis Domini: *Hoc facite in meam commemorationem*[9], ut, quemadmodum mors Christi utilis fuit vivis et defunctis, ita et missa, quae mortem illam rememorat. Et sicut etiam missa pro vivis prodest, ita et defunctis, quia mortui membra viva sunt nobiscum in Christo[g]. Et sicut etiam oramus utiliter pro defunctis, Tob. 12 [12], 1[h] Ioa. 5 [14 sq.], 2 Mach. 12 [43—46], ita[i] et utiliter missam offerimus[k], quia et in ea funduntur preces et orationes ⟨ad Deum⟩[d]. Deinde respondit ad argumenta adversariorum, quod missa sit commemoratio; sed defuncti non possunt eam commemorationem facere; ergo eis non prodest etc. Sed prodesse ostendit non ut sacramentum, sed ut sacrificium, ⟨quod pro aliis ex sui natura applicari potest⟩[d]. Postea disseruit 3. articulum de sacramento ordinis
339r probavitque idem esse sacerdotium[l] Christi et nostrum. Nam Christus | potestatem, quam habebat remittendi peccata, apostolis dedit et potestatem transsubstantiandi corpus suum, quod et ipse fecerat; et Matth. 19 [28]: Eritis sedentes *super [sedes duodecim] iudicantes duodecim tribus Israel* etc. Non tamen omnes Christiani[d] sunt sacerdotes, ut patet 1 ad Tim. [4, 14]: Resuscita *gratiam, quae data est tibi per impositionem manuum presbyterii*[10], et ad Tit. [1, 5]: Ut ordines per singulas civitates presbyteros[m] etc.; ergo sacerdotes ⟨oportet ut ordinentur⟩[n]; non sunt autem omnes de populo neque ab ipso[d] populo ordinantur, sed ab episcopo. Unde dicit Paulus: *Sicut disposui tibi*[11], et: *Gratiam, quae data est tibi per impositionem manuum mearum*[12], et Act. 1 [20]: *Episcopatum eius accipiet alter*, quod de apostolo ut episcopo Petrus intelligit. ⟨Alii articuli omnes etiam haeretici sunt.⟩[d]

Et solvitur congregatio hora 24.

[a] *In M add. in margine* [b] *In C 119 manu Massarelli corr. ex* semel
[c] *M* semper [d] *M om.* [e] *M add.* crucis [f] *M* docet
[g] *M add.* quo argumento utitur etiam Augustinus [h] *Th om.* [i] *M* ergo
[k] *M add.* pro defunctis [l] *C 118 et C 119 et Th* sacrificium
[m] *M add.* sicut disposui tibi [n] *M* ordinantur

[1] Cf. *Hebr.* 9, 11 sq.; *Rom.* 8, 34.
[2] Cf. *Zach.* 9, 11. [3] Cf. *Matth.* 27, 51 sqq.
[4] Cf. supra p. 381, 10s. et adn. 3.
[5] *Matth.* 26, 24; *Marc.* 14, 21; *Luc.* 22, 22.
[6] Cf. *Luc.* 22, 21.
[7] Sic in canone missae.
[8] Cf. supra lin. 11 et adn. 3.
[9] *Luc.* 22, 19; *1 Cor.* 11, 25.
[10] Cf. etiam *2 Tim.* 1, 6.
[11] *Tit.* 1, 5. [12] *2 Tim.* 1, 6.

Congregatio theologorum. Examinantur iidem articuli de sacrificio missae et sacramento ordinis.

Die Veneris **11.** eiusdem mensis **Decembris** hora 16 habita fuit congregatio theologorum super examinatione eorundem articulorum de missa et ordine loquiturque hoc mane infrascriptus, videlicet

Iodocus Ravestein[1], clericus saecularis, Flandrus, missus ab eadem Caes. et reginali M[te] ex Lovaniensi universitate. Examinavit articulos de sacrificio missae, primumque haereticum esse confirmavit, cum semper ex traditione apostolica et antiquissimis patribus Dionisio[2], Ireneo[3] et aliis coëtaneis apostolorum[a] habeatur, in ecclesia missam esse sacrificium. Improbavitque sententiam adversariorum, quod missa sit testamentum et promissio remissionis peccatorum, aut sacramentum tantum aut commemoratio tantum gratuitae remissionis, cum haec[b] simul cohereie non possint. Nam sacramentum et promissio repugnant, quia sacramenta dant gratiam, non promittunt. Retulitque argumenta | et rationes eorum et eas confutavit. Neque enim testamentum promissio est, sed dispo- 339v sitio. Unde Christus in sermone ⟨habito in cena⟩[c] dixit: *Ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater*[4]. Et: Hoc est novum testamentum[5]. Quare Paulus de sanguine hircorum loquens dicit, eum fuisse conciliatorium veteris testamenti[6]. Sic et sanguis Christi est confirmatorius et conciliatorius novi testamenti. Non est igitur sanguis Christi promissio testamenti, ut Lutherus ait[7]. Missa itaque includit sacramentum et sacrificium seu oblationem corporis Christi; et[d] quatenus oblatio est, habet promissionem remissionis[e] peccatorum et pro peccatis valet iuxta ea, quae Paulus ad Hebr.[f] docet, quod proprium sacrificii sit remittere peccata[8]. Prodest autem[g] pro poena, prout prodest defunctis, quibus culpa remissa est; item prodest pro peccatis venialibus; prodest et denique pro peccatis mortalibus. Si enim non prodesset pro peccatis mortalibus, novum testamentum esset inferius et inefficacius testamento veteri, ⟨cum in eo culpa remitteretur⟩[h] in sacrificiis. At sacrificium ⟨novae legis⟩[i] perfectius est, ut Paulus ostendit[9]; ergo et ⟨multo magis⟩[e] in eo culpa remittitur. Quod autem in veteri lege[k] remitterentur peccata mortalia, patet ex Levit. 4, cum docet diversa sacrificia pro diversis delictis offerri. Hoc autem in nova lege unicum sacrificium est, et omnia vetera includit et eandem et multo maiorem vim habet. Si ergo illa remittebant peccata quoad culpam, ergo et istud. Praeterea ea ratione, qua valet ad remissionem poenae, eadem valet ad remissionem culpae. At[l] ratio, ⟨qua poena remittatur⟩[m], est propter illam victimam oblatam in cruce Deo Patri; ergo eadem remitti ⟨debet et culpa⟩[n], ob dignitatem scilicet et magnitudinem rei oblatae. ⟨Ad haec⟩[o] id etiam probatur, quia hoc est idem sacrificium cum illo crucis; ergo habet eandem efficaciam et vim. Sed[p] quemadmodum illa crucis non remittit peccata, nisi applicetur, sic et haec in missa. Licet[e] enim passio Christi sit merito|ria pro remissione peccatorum, 340r nisi tamen applicetur, peccata non remittit. Unde dicitur baptismum vere remittere peccata, quia per eum passio Christi nobis applicatur. Idem etiam docuerunt sanctissimi patres Ambrosius, Chrisostomus, Cyprianus, Augustinus, qui asserunt sacerdotem offerentem in missa esse ipsum Christum, qui offert. Sacerdotes enim sunt Christi vicarii et eius nomine offerunt. Cum igitur Christus offerat, omnia a Patre impetrat. Quod Ambrosius lib. 1 officiorum cap. 48[q] declarat[10]. Alio tamen modo Christus offert se in Eucharistia in missa, quam se obtulerit in cruce[r]. Adduxit deinde patres, qui[s] in missa ⟨culpam remitti testantur⟩[t]. Alexander I in epist. prima[u][11]; Cyprianus ⟨serm. de coena Domini⟩[u][12];

[a] *M add.* et deinde aliisque [b] *M* ipsa [c] *M* cenae [d] *M add.* ea [e] *M om.*
[f] *M add.* 5 [g] *M* etiam itaque primo [h] *M* in quo culpae remittebantur
[i] *M* in novo [k] *M* sacrificio [l] *M* sed; *quod est corr. ex* quae
[m] *In M add. supra lineam* [n] *M* debent mortalia [o] *M* Praeterea
[p] *M* Oportet tamen [q] *M* 8 [r] *M add.* scilicet per imaginem in caeremoniis illis etc.
[s] *M* ad id probantes, quod [t] *M* culpa remittatur [u] *In M lacuna; in A corr. ut supra*

[1] Eius votum in scriptis datum invenis in App. IV n. 4. *Theiner* hoc votum omittit, reiiciens lectorem ad *Le Plat* IV 350—359. Cf. Röm. Qu. L (1955) 34 s.

[2] Cf. supra p. 381 adn. 16.

[3] Cf. supra p. 386 adn. 8.

[4] *Luc.* 22, 29. [5] Cf. *Luc.* 22, 20.

[6] Cf. *Hebr.* 9, 13 sq. 19 sq.

[7] Cf. supra p. 375, 9 s. adn. 2.

[8] Ex. gr. *Hebr.* 5, 1—3. [9] Ex. gr. *Hebr.* 8, 6.

[10] *Ambrosius,* De officiis ministrorum lib. I cap. 48 n. 238. *Migne,* P. lat. XVI 94.

[11] *Alexander I,* Epistula ad universos orthodoxos cap. 9. Quae est Pseudo-Isidori. *Hinschius* 99. Locus, de quo cogitat, legitur ad partem in c. 8 *Nihil* de cons. dist. 2.

[12] Sermo «De coena Domini» est *Ernaldi,* abbatis Bonaevallis, non Cypriani; cf. supra p. 171 adn. 4. Locum hic allegatum invenis apud *Migne,* P. lat. CLXXXIX 1642 sq.

Origenes super Levit.[1]; Cyrillus[2], ⟨qui hostiam vivificatricem vocat⟩[a]. B. Thomas in 4 sent. dist.[b] 12 qu. 2. Idem comprobant Petrus de Palude[3] et alii omnes recentiores. Retulitque id, quod adversarii contra hoc afferunt, primo[c], quod, si per ⟨hoc missae⟩[c] sacrificium remittuntur peccata bene dispositis, ergo non est necessarium ad salutem in lapsis sacramentum poenitentiae. Respondit, ⟨sacramentum poenitentiae necessario requiri saltem⟩[d] in voto; alias quis non diceretur bene dispositus. Hoc tamen sacrificium non meretur pro aliis, sed aliis, qui merentur, applicatur, id est operatur in eis remissionem peccatorum. Requiritur igitur bonus motus et dispositio; ideo non valet ex opere operato quatenus per se, nisi suscipiens mereatur, ut illud ei prosit. Quod meritum habetur per praevias et requisitas dispositiones. Dispositi autem[e] sunt, qui deponunt affectum peccandi, de peccatis dolent, habent propositum confitendi et sacramentum absolutionis recipiendi. Ii enim[f], si missae adsint, ⟨vel pro eis offertur⟩[g], acquirunt remissionem peccatorum. Deinde examinavit articulum 8, quem haereticum esse confirmavit; idem et 9[s]; adduxitque argumenta adversariorum, quod missa debeat celebrari in lingua vul-
340v gari, primo ex Paulo 1 Cor. 14 [6]: *Si venero ad vos* et linguis loquar, | quid proderit? Nihilque prodesse populo, nisi intelligat orationes, lectiones et alia, ad quae invitantur ⟨in missa⟩[c], ut respondeant. Unde Chrisostomus et Ambrosius scripserunt missam eorum lingua etc. Respondit Paulum loqui de conventu ecclesiastico, ut consolationem per exhortationem acciperent, quod sine proprio idiomate fieri non potest; ideo, si populus debet erudiri per concionem, lingua, quae intelligatur, sermo faciendus est. In missa autem legitur[h] evangelium et alia latine; deinde populo ⟨lingua vulgari⟩[c] declaratur, ut habet mos ecclesiae Romanae. Et qui id non faciunt, dum celebrant, errant. Quae expositio et declaratio maioris fructus est populo, quam si simpliciter evangelium lingua, quam intelligeret, recitaretur. Praeterea multa scandala orirentur, si vernacula lingua missae celebrarentur. Neque etiam[i] convenit, ut missae mysteria illa populo patefiant[k]. Et cum sacerdos ⟨ea profert⟩[l], cum Deo loquitur, non cum populo, ut sunt verba consecrationis, quae substantia missae sunt.

Solvitur autem congregatio hora 19[m].

Congregatio theologorum super examinatione eorundem articulorum de sacrificio missae et sacramento ordinis.

Eadem die [**11. Decembris**] hora autem 21 habita est etiam congregatio theologorum, quorum infrascripti prosequuti sunt examinationem suprascriptorum articulorum, videlicet

Ioannes Valteri[4], ord. Praed., ⟨Germanus[n], missus etiam a Caesare[o] et reginali M[te] ⌜ex Lovaniensi universitate⌝[c]⟩[p]. Examinavit articulos de sacramento ordinis; et quoad primum eum haereticum esse ostendit. Unde Dionisius lib. 3 cap. 5 eccl. hier. ordinem inter[q] sacramenta ecclesiae numerat[r5]; idem Augustinus ⟨lib. 2 contra epistolam Parmeniani cap. 13⟩[s6]; D. Thomas pars 2 qu. 102[7]. Item ex ratione, quod, ubi reperiuntur ea,
341r quae sunt de essentia sacra|menti, est sacramentum. Ordo autem est huiusmodi; ergo ordo est sacramentum. Quod verum esse probavit, quia in eo sit materia, forma et gratia, ⟨⌜quae est effectus⌝[t]. Forma autem habetur in illis verbis⟩[u]: *Accipe*[v] *potestatem offerendi pro vivis et mortuis* etc.[8] Materia est impositio manuum episcopi, ut[w] patet ex Paulo 1 Tim. 4 [14]: *Gratiam, quae est in te per impositionem manuum*[9]. Et alibi: *Manus nemini cito imposueris*[10].

[a] *In M lacuna; in A corr. ut supra* [b] *M* art. [c] *M om.*
[d] *M* quod oportet, quod sacramentum poenitentiae habeatur [e] *M* igitur
[f] *M supra lineam* autem [g] *In M add. supra lineam* [h] *M* canitur [i] *M* quidem
[k] *M* declarentur [l] *M* illa loquitur [m] *M* 20
[n] *M* Flandrus [o] *M* caesarea [p] *Th om.* [q] *M* intra
[r] *M* nuncupat [s] *In M lacuna; in A add. ut supra* [t] *Add. in A*
[u] *M* videlicet forma [v] *Th* Accipite [w] *Th* et

[1] *Origenes,* Hom. 13 super Leviticum n. 3. *Migne,* P. gr. XII 547. GrChrSchr *Origenes* VI 471.
[2] *Cyrillus Alex.,* In Luc. 22, 19. *Migne,* P. gr. LXXII 907/8 B.
[3] Vide infra Addenda et Corrigenda.
[4] Ad eius votum cf. Röm. Qu. L (1955) 35.
[5] Cf. supra p. 384 adn. 14.
[6] Cf. supra p. 385 adn. 13.
[7] *Thomas Aqu.,* S. th. I-II q. 102 art. 5 ad 3.
[8] Cf. ritum consecrandi presbyteros in *Pontificali Romano.*
[9] *2 Tim.* 1, 6.
[10] *1 Tim.* 5, 22.

Et quod dicitur de Barnaba et Saulo Act. 13 [3]: *Imponentes eis manus* etc. Unde Ambrosius lib. 5 de dignitate ecclesiastica dicit, quod episcopus initiat et Deus dignitatem praestat[1]. Sed B. Thomas hanc impositionem manuum[a] non esse proprie materiam tenet, sed exhibitionem calicis cum vino et aqua etc., quod verius esse defendit[b 2]. Nam et diaconis imponuntur manus et tamen non sunt presbyteri; idem fit episcopo, qui non propterea fit presbyter, cum iam presbyterum[a] esse praesupponatur. Et[c] impositio manuum non confert gratiam, sed verba, quae in[d] impositione manuum dicuntur. Responditque ad ea, quae superius dixit, quod impositio manuum requiratur per modum praeparationis, non ex essentia. Per manuum igitur impositionem datur Spiritus Sanctus, ut digni fiant accipiendi potestatem sacerdotii. Designatque illa impositio[e] potestatem, quae confertur. Et Barnabas et Paulus acceperunt potestatem praedicandi, non offerendi per manuum impositionem[3]. ⟨Et ad id, quod adducitur⟩[f], quod illa porrectio calicis non sit ex Christi institutione, quoniam ea materia usus non est etc.[4], respondit Christum habuisse excellentiam potestatis in sacramentis, ut absolvit adulteram a peccato absque confessione[5], ⟨et habetur in aliis exemplis⟩[a]. Et Christus porrexit calicem ut materiam, quare dixit: Accipite et bibite[6] etc. Idem patet ex concilio Florentino[7], Constantiensi[8] et hoc Tridentino sess. 7[9]. Secunda pars, ibi *imo quod ordo* etc., etiam falsa est. Nam cum sit sacramentum, ergo non figmentum hominum. Neque enim imperitus est B. Augustinus[10], Dionisius[11] ⟨et alii sancti patres⟩[a], qui id dicunt. | Est igitur ordo[g] sacramentum. Nulla enim potestas humana 341v
potest concedere maiorem potestatem, quam ipsa habeat; sed ordinis sacramentum est potestas superhumana; ergo non nisi a Deo provenire potest, ut scil. panis fiat corpus et vinum sanguis Christi. Praeterea Christus assistit ordinato[h] et ei potestatem praebet, ⟨prout etiam⟩[i], dum quis verbum Dei praedicat propter ordinem, quem suscepit. Unde dicitur apud Ioannem, quod Christus non tantum oravit pro discipulis, sed pro iis, qui eorum verbo crediturі erant[12]. Quare et Caiphas, cum esset pontifex[k], prophetavit; Deus enim ei astitit, dum loquutus est: *Expedit enim, ut unus homo moriatur pro populo*[13] etc. Deinde examinavit secundum articulum[l], quem etiam haereticum ostendit. Ordo enim, ⟨licet plures habeat actus, unum tamen est sacramentum; ii nanque ordines⟩[m] omnes in sacerdotali ordine includuntur, et quicquid illi actus inferiores possunt, sacerdotalis potest, ut dicitur de anima, quae plures habet potentias et actus etc. Et ad id, quod deberent dici plura sacramenta, cum quilibet ordo infimus sit sacramentum, respondit inferiores ordines non habere rationem sacramenti[n] nisi quoad relationem presbyteralis. Non sunt igitur proprie sacramenta, sed relative. Quare non dicuntur plura sacramenta, sed unum, prout dicitur de pane consecrato et vino, quia, licet duo sint et quodlibet[a] de per se ⟨sit sacramentum⟩[o], non sunt tamen duo, sed unum, quia ad invicem ordinantur.

Ioannes Mausius[14], ord. Min. de observ., ⟨Flandrus, missus etiam ex universitate Lovaniensi ab imperatore et reginali M[te]⟩[p], disseruit primum articulum de missa eumque haereticum confirmavit ex Malach. 1 [10 sq.]: *Non est mihi voluntas in vobis* etc.[q]; *in omni loco offertur oblatio munda.* Quae verba non possunt intelligi nisi de oblatione in cruce vel in missa; at de illa crucis non possunt[r] intelligi, quia unus solus[a] Christus obtulit in uno solo[a] loco, ut testatur Ps. | 73 [12]: ⟨*Deus autem rex noster operatus est salutem*⟩[s] *in medio terrae.* Conveniunt ergo sacrificio Eucharistiae, quae ⟨munda est⟩[a], in ⟨omni loco⟩[t] et ab omnibus offertur et saepe et non semel ut illa crucis. Item ex Ps. 4[6]: 342r

[a] *M om.* [b] *M* censet
[c] *M add. supra lineam* propterea [d] *M* cum [e] *M add.* manuum
[f] *M* Item adduxit obiectiones [g] *M add.* verum [h] *In M corr. ex* ordinanti
[i] *M* alias de per se non prodesset; idem [k] *M* sacerdos [l] *M add.* de eodem ordine
[m] *M* est unum sacramentum, licet plures habeat actus, qui [n] *M* ordinum
[o] *M* sint sacramenta [p] *Th. om.* [q] *M add.* magnum est enim nomen meum etc.
[r] *Th* potest [s] *In M corr. ex* Salus [!] oblata est [t] *Th* omnibus locis

[1] *Pseudo-Ambrosius,* De dignitate sacerdotali c. 5. *Migne,* P. lat. XVII 577.
[2] *Thomas Aquinas,* Summa theol. Suppl. III. partis q. 37 art. 5.
[3] Cf. *Act.* 13,3.
[4] De diversis theologorum circa materiam sacramenti ordinis opinionibus videas *G. van Rossum,* De essentia sacramenti ordinis (Friburgi Brisg. 1914).
[5] Cf. *Io.* 8, 3—11.
[6] Sic in canone missae; cf. *Luc.* 22, 17.
[7] In decreto pro Armenis. *Mansi* XXXI 1058.
[8] Interrogationes Wicleffitis et Hussitis proponendae 25. *Mansi* XXVII 1212 D.
[9] Canon 1 de sacramentis in genere. Conc. Trid. V 995.
[10] Cf. supra p. 385 adn. 13.
[11] Cf. supra p. 384 adn. 14.
[12] Cf. *Io.* 17, 20.
[13] *Io.* 11, 50.
[14] Cuius votum in scriptis datum invenis in App. IV n. 5. Cf. Röm. Qu. L (1955) 35s.

Sacrificate sacrificium iustitiae et sperate in Domino. Dicit enim: *Sacrificate sacrificium,* quasi plures unum et idem sacrificium offerant[a], quod Eucharistiae convenit. ⟨Nam numerus huiusmodi in scripturis attendendus est exemplo Pauli⟩[b] ad Galat. [3, 16]: *Abraae et semini eius,* quod non dixerit *seminibus.* Item dicit: *Sacrificium iustitiae,* id est mundum, et: *Sperate in Domino* sacrificio facto. Praeterea Ps. 50 [18 sq.]: *Utique holocaustis non delectaberis, sacrificium Deo cor contritum.* Quod Augustinus lib. 10 cap. 5 de civit. Dei notat esse conforme cum eo, quod Malachias dixit[1]. ⟨Ad haec⟩[c], sicut oblatio facta in cruce fuit sacrificium, ita et oblatio in missa, quia idem Christus offertur. Probavit idem ex Luc. 22 [19]: *Hoc facite* etc., scilicet quod ipse fecerat. Consecraverat enim, cum dixit: *Hoc est corpus meum,* et obtulerat; dixit enim: *Quod pro vobis datur,* id est nunc datur[d]. Et notandum, quod in praesenti tempore loquitur. Unde Paulus Rom. 6 [17]: Fuistis aliquando in peccatis, et Ps. 118 [176]: *Erravi sicut ovis, quae perierat* etc. Quod exponit Ambrosius super ipso Psalmo[e2]. Atque etiam cum dixit: *Hoc facite,* de consecratione et oblatione intellexit. Missamque esse sacrificium comprobavit ex traditionibus, primo ex canonibus 3, 4 et 9 apostolorum[3]; Anacletus epist. 1[4]; Eusebius et Silvester pontifices[5]; Ambrosius in oratione praeparativa ad missae celebrationem[6]; Augustinus lib. 10 cap. 20 de civit. Dei[7]; Chrisostomus in Ps. 140 et 150[8] et in legenda B. Andreae[9] et beatorum Martini, Processi et Martiniani, quorum festum 1. Iulii celebratur[10]; item concilium Bracharense[11], Nicenum[12]. Item ex rationibus. Si enim missa non esset sacrificium, Christiani non haberent sacrificium et essent cunctis gentibus infeliciores[f], cum ⟨nulla unquam gens fuerit, quae illud non habuerit⟩[g]. Deinde examinavit 8. articulum, quem etiam haereticum
342v comprobavit, | videlicet quod vinum non sit materia huius sacrificii, cum dicatur in evangelio: *Ex genimine vitis*[13], et *calicem,* ut Lucas [22, 20] ait: *Similiter et calicem,* sicut videlicet fecerat de pane; quod ostendit Cyprianus[h] lib. 2 epist. 3[14]. Et ita etiam docent multae figurae ⟨veteris testamenti⟩[i]. Secunda pars 9. articuli habetur ex traditione apostolica; non enim omnia scripta sunt, ut Ioannes ultimo testatur[15]. Unde et Christus non semper scripturam allegabat, ut Matth. 12 [25]: *Omne regnum in se divisum* etc., et Paulus 1 ad Tim. 10: *Nos talem consuetudinem non habemus*[16]. Et Christus innuit, quod in sua cena opus erat aqua, cum dixit: Ite in castellum et occurret vobis homo habens lagenam aquae[17] etc. Et quia convenit etiam, ut sit similis ⟨oblatio illa cenae⟩[k] oblationi crucis, in qua ex latere Christi *exivit sanguis et aqua*[18]. Et ita Iulius pontifex scribens ad episcopos Aegiptios ait: Antiquissimis conciliis haberi, quod in calice aqua cum vino miscenda sit[19]. Ut etiam docet concilium Florentinum[20]. Postea disseruit articulum tertium de ordine[l], quem etiam haereticum ostendit. Sicut enim in veteri testamento[m] tanto apparatu Deus hierarchiam ordinavit[n], ita et multo magis in ⟨novo testamento, cum illo longe praestantius sit, et illud umbra, hoc veritas, quod Christi sanguine consecratum fuit⟩[o].

Solviturque congregatio hora 24.

[a] *M* faciant [b] *M* Qui numerus etiam a Paulo adnotatur [c] *M* Item [d] *M add.* et offertur
[e] *M add. in uncis* hoc verbum «et datur» magis convenit oblationi in missa quam in cruce
[f] *M* deteriores [g] *M* omnes gentes habeant et semper habuerint sacrificium
[h] *M* Tertullianus; *in A corr. ut supra* [i] *M* ut oblationes Melchisedech [k] *M om.*
[l] *M add.* et hierarchia ecclesiastica [m] *M* lege [n] *M add.* in sui tamen illa umbra
[o] *M* evangelica, quae longe illa praestantior est, in qua Christus sanguinem suum fudit etc.

[1] *Migne,* P. lat. XLI 282. CSEL XL, I 452.
[2] *Ambrosius,* Expositio in Ps. 118, sermo 22 n. 1. *Migne,* P. lat. XV 1511 sq. CSEL LXII 488.
[3] Nunc canon 2, 3 et 8. *F. X. Funk,* Didascalia et constitutiones Apostolorum I (Paderbornae 1905) 565, 567.
[4] *Pseudo-Anacletus,* Epistula 1 ad omnes episcopos n. 9. *Hinschius* 70. Est Pseudo-Isidori.
[5] Cogitat de c. 46 *Consulto* de cons. dist. 1, qui apud Gratianum Eusebio et Silvestro pontificibus attribuitur, revera autem sumptus est ex «Excerptis ex synodalibus gestis S. Silvestri papae» c. 6, quae leguntur apud Pseudo-Isidorum. *Hinschius* 450.
[6] *Pseudo-Ambrosius,* Precatio prima in praeparatione missae n. 5. *Migne,* P. lat. XVII 753.
[7] *Migne,* P. lat. XLI 298. CSEL XL, I 481.
[8] *Chrysostomus,* Expositio in Ps. 140 n. 4. *Migne,* P. gr. LV 433. In Expositione in Ps. 150 de sacrificio missae non loquitur.
[9] Cf. supra p. 117 adn. 8.
[10] Cf. *AA. SS.* Iulius I 270 sqq.
[11] Concilii Bracharensis II a. 572 habiti can. 10 (*Mansi* IX 841; *Bruns* II 42).
[12] Cf. supra p. 116 adn. 12.
[13] *Matth.* 26, 29; *Marc.* 14, 25.
[14] *Cyprianus,* Ep. 63 ad Caecilium n. 5. 7. 11. *Migne,* P. lat. IV 380 sqq. CSEL III, II 704 s. 710.
[15] *Io.* 21, 25.
[16] *1 Cor.* 11, 16.
[17] *Marc.* 14, 13. Cf. *Luc.* 22, 10.
[18] *Io.* 19, 34.
[19] Cf. supra p. 393 adn. 4.
[20] Cf. supra p. 393, 2 et adn. 2.

Congregatio theologorum.
Examinantur iidem articuli de sacrificio missae et sacramento ordinis.

Die sabbati **12.** eiusdem mensis **Decembris** hora 16 habita est congregatio theologorum, quorum infrascripti prosequuti sunt examinationem eorundem articulorum de missa et ordine, videlicet

Rogerius Iuvenis[a][1], ord. s. Augustini, ⟨missus etiam a Caes. et reginali Maiestatibus, ex universitate Lovaniensi⟩[b]. Examinavit articulos de sacramento o r d i n i s, et primo circa secundum de hierarchia ecclesiastica eum haereticum confirmavit. Ecclesia enim militans subordinatur illi coelesti triumphanti. Unde dicit Ioannes in Apoc. 21 [2]: *Vidi civitatem novam descendentem de coelo* etc., et Paulus ad Gal. 4[c] [26]: ⟨*Illa autem, quae sursum est, Hierusalem* etc.⟩[d], et Ps. 44 [10]: *Astitit regina a dex|tris tuis [in vestitu] deau-* 343r
rato circundata varietate. Et sicut illa triumphans habet hierarchiam quandam, ut Dionisius celest. hier. docet, ita et ista militans. Ad quod facit, quod Paulus ad Hebr. 3 refert: Quae enim a Deo sunt, ordinata sunt[2]. Et idem Paulus 1 Cor. 12 [28] dicit, quosdam dedisse Deum apostolos, quosdam prophetas etc. Christus etiam et elegit duodecim discipulos et iis postea 72 addidit[3]. Et in ecclesia sua Christus ordinem instituit, cum tot praerogativas ei dedit ut Ioa. 20 [23] et Luc. 22 [19]. Si autem ordinem, ergo hierarchicum. Nam Paulus dicit Act. 20 [28]: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos ⟨Spiritus Sanctus⟩*[d] *posuit episcopos*[d] *regere ecclesiam Dei.* Et ad Tit. 1 [5]: *Ut constituas per civitates presbyteros* etc. Et 1 Tim. 5 [22]: ⟨*Manus cito nemini imposueris*⟩[e]. ⟨Et 2 Tim. 1 [6]: *Ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.*⟩[d] Et Act. 6 [5] constituerunt septem diaconos etc. ⟨Et licet plures sint ordines⟩[d], unum tamen est sacramentum, in quo conferendo ritus quidam requiruntur, qui ex traditione apostolica habentur. Et Christus etiam ipse per manuum impositionem gratiam contulit ut parvulis[f] illis[4], et Paulus ait ⟨1 ad Tim. 4 [14]: *Noli negligere gratiam, quae est in te, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* Et apostoli septem diaconis manus imposuerunt idemque fecerunt Barnabae et Saulo, Act. 13 [3]: *Tunc ieiunantes et orantes imponentesque eis manus* etc.⟩[g] Idem habetur ex patribus. Dionisius enim tractans de mysteriis fidei ait: Non erat mos, ut apostoli scriberent etc.[5], et Christus in cordibus legem suam scripsit idemque apostoli fecerunt. ⟨Per traditionem enim reliquerunt ea, quae a nobis servanda erant.⟩[h] Unde Theophilactus refert Mattheum anno 8 post Christi mortem evangelium scripsisse, Marcum post 10, Lucam post 25, Ioannem in sua senectute[6]. Deinde probavit omnes ⟨Christianos ex aequo⟩[d] non esse sacerdotes. Nam Paulus ad Hebr. 5 [4] ait: Nemo assumat sibi honorem, nisi qui vocatus est velut Aaron[i]. Alias | enim 343v
et mulieres sacerdotes essent, quod absurdum et impium est, cum excludantur[k] a sacris tractandis et peragendis. Neque ad magistratum et populum electio sacerdotum pertinet, sed ad episcopos. Unde Timotheus a Paulo ordinatus est et Titus et septem diaconi ab apostolis, ⟨a quibus et Saulus et Barnabas⟩[d], et Aaron a Deo. Quod ostendit etiam Dionisius eccl. hier. cap. 5[7]. Improbavitque sacerdotem factum rursus fieri posse laycum, cum caracter sacerdotalis indelebilis sit. Unde dicitur in Ps. 81[l] [6]: Vos *dii estis et filii Excelsi omnes.* Quod et Dionisius damnat ad Demophilum[8] et concilium 4 Carthaginense[9],

[a] *M add.* Flandrus [b] *Th om.* [c] *Th* 14 [d] *M om.*
[e] *M* Gratia, quae data est tibi per manus presbyterii [f] *M* pueris
[g] *M* 2 ad Tim. 4: »Gratia, quae data est tibi per impositionem manuum« etc. *[1 Tim. 4, 14]*, et alibi: »Nemini cito manus imposueris« *[1 Tim. 5, 22]*, et Act. 6 [6] de septem diaconis, quibus manus imposuerunt apostoli; et Act. 13 [2 sq.]: »Ministrantibus illis etc., imposuerunt eis (scilicet Barnabae et Saulo) manus.«
[h] *M* sed per traditionem *et add. supra lineam* reliquerunt nobis custodienda
[i] *M add.* quod declarat Augustinus [k] *M add.* omnino [l] *In M lacuna*

[1] Eius votum in scriptis datum invenis in App. IV n. 6.
[2] Cf. *Rom.* 13, 1.
[3] *Luc.* 10, 1. [4] *Matth.* 19, 15; *Marc.* 10, 16.
[5] *Pseudo-Dionysius,* De divinis nominibus c. 1 n. 4: *Migne,* P. gr. III 619/20 sq.
[6] *Theophylactus,* In quatuor evangelia enarrationes. In prooemio ad enarrationem in evang. Matthaei scribit: »Matthaeus . . . scripsit evangelium . . . 8 annis post assumptum in coelos Christum. At Marcus post 10 annos assumpti Christi . . . scripsit, Lucas autem post 25 annos, denique Ioannes post 32 annos«. *Migne,* P. gr. CXXIII 145/46.
[7] Cf. supra p. 384 adn. 14.
[8] *Pseudo-Dionysius,* Epistula 8 ad Demophilum c. 1—5. *Migne,* P. gr. III 1087—1098.
[9] Cf. supra p. 384 adn. 4.

Remense[1] Lateranenseque[2]. Deinde probavit sacerdotium Dei[a] esse visibile in ecclesia[b], et semper ab apostolis ad haec tempora in omnibus ecclesiis habitos fuisse sacerdotes visibiles, ⟨externos, consecratos⟩[c], ⟨et hodie etiam habentur ex ipsorum apostolorum traditione⟩[d], prout ecclesia Romana continuam Petri successionem retinuit, quodque omnes sancti patres servarunt et servandum praeceperunt. Gregorius Nazianzenus scribens ad omnes episcopos in suis carminibus[3] ⟨et alii omnes⟩[a]. Praeterea, si nullum esset visibile sacerdotium, frustra ordinasset Christus suum ordinem et Spiritum Sanctum misisset, et alias etiam tot sancti patres semper[a] ⟨mentiti fuissent⟩[e], quod blasphemum est. Et ad id, quod opponitur, non inveniri in[f] novo testamento hanc vocem *sacerdos*, respondit apostolos ⟨eo nomine⟩[a] non usos esse[a], ne ecclesiam novam ⟨cum veteri confunderent et eandem esse viderentur affirmare⟩[g], sed ut veteres omnino delerentur sacerdotes, usi sunt nominibus aequivalentibus ut episcopis, presbyteris, ministris Dei, praepositis, dispensatoribus verbi Dei et similibus.

Alexander Candidus[4], ord. Carmelit., ⟨Flander, missus etiam ab imperatore ex[h] universitate Lovaniensi[i]⟩[k], disseruit 5. et 6. articulos de ordine. Et quoad 5[m] de unctione 344r ⟨eam in sacramento ordinis requiri declaravit⟩[l]. Dionisius enim de eccl. hier. cap. 4 un|ctionem necessariam in sacrando pontifice, baptisterio et altari ex apostolis esse refert, cum dicit: Lex est sanctissima et sacratissima[5] etc. Idem ait Cyprianus in sermone de coena Domini de lotione pedum, qui unctionem sacerdotum a Christo institutam esse scribit[6], qui etiam dicit sacerdotem laycum rursum fieri non posse[7]. Quod etiam habetur in concilio Agrippino[m] ante annos mille et ducentos celebrato sub beato Servatio[8]. Quoad secundam partem ipsius 5. articuli: eam etiam haereticam esse asseruit, cum dicitur ceremonias in ordine conferendo esse contemnendas. Nam et Christus in apertione oculorum ceci nati quibusdam ceremoniis usus est, ut ⟨fecit lutum ex⟩[n] sputo et iussit, ut lavaret se in Siloe[9], et dum aperuit auriculas surdi[10]. Cum tamen ab eo facta ea sunt, qui[o] *dixit et facta sunt*[11] [!]. Item in baptismo ut aqua et aliis, quae requiruntur [!]. De quibus ceremoniis Dionisius lib. 4 eccl. hier. latius meminit[12]. Tertia pars 5. articuli etiam haeretica est, quod sacerdos possit fieri[p] laycus, ad quod allegavit Cyprianum loco supra citato[13]. Articulus 6 etiam haereticus est. Ait enim Paulus: *Charitas Dei diffusa est per Spiritum Sanctum*, qui habitat in cordibus nostris[14]. Et alibi: *Spiritus reddit testimonium, quod filii Dei sumus*[15] etc. Et in multis aliis locis, ut [1] ad Tim. 4 [14]: *Gratia, quae data est tibi* etc. Et episcopi a Christo instituti sunt[q]. ⟨Unde Paulus ait⟩[r]: *Attendite vobis* etc., *in quo* [*vos*] ⟨*Spiritus Sanctus*⟩[s] *posuit episcopos*[16] etc. Et 1 Cor. 12[t] [28]: *Et quosdam Deus posuit apostolos* etc., qui et episcopi dicuntur, ut intellexit Petrus, cum dixit Act. 13: *Episcopatum eius accipiat alter*[17]. Differtque episcopus[a] a presbytero. Nam ⟨sacerdos ab episcopo ordinatur; episcopus autem non ordinatur a sacerdote⟩[u]; ergo inter se auctoritate et dignitate differunt. Neque episcopus a plebe, sed ab aliis episcopis ordinari debet, ut multa concilia statuunt, inter

[a] *M om.* [b] *M add.* Dei [c] *Codd.* externi, consecrati
[d] *M* prout etiam hodie omnes ecclesiae christiani orbis utuntur; et sic id haberi ab apostolis
[e] *M* mendacium dixissent [f] *M add.* evangelio et
[g] *M in margine* eandem esse videretur [h] *M* et [i] *M add.* et reginali Maiestate
[k] *Th om.* [l] *M* quod non requiratur in sacramento ordinis, quod falsum demonstravit
[m] *M add.* vel Coloniensi [n] *Codd.* ex luto et [o] *Th* quae [p] *M add.* rursus
[q] *M add.* et a presbyteris etiam charactere differunt
[r] *M* Quod a Christo sint instituti, allegavit Paulum dicentem [s] *M* Deus
[t] *In M lacuna* [u] *M* episcopus sacerdotem ordinat; sacerdotes non ordinant episcopum

[1] Concilium Remense II a. 813, cuius canones, ut dicit in voto scripto, «distinctionem functionum et ordinum sacrorum manifeste docent». *Mansi* XIV 77—82. MG Leg. III Concilia II, I 254 ss.

[2] Concilium Lateranense IV a. 1215, cap. *Firmiter*. *Mansi* XXII 982.

[3] *Gregorius Nazianzenus*, Carminum lib. II n. 13 ad episcopos. *Migne*, P. gr. XXXVII 1227/28.

[4] Eius votum in scriptis datum invenis in App. IV n. 7.

[5] *Pseudo-Dionysius*, De eccl. hierarchia cap. 4. *Migne*, P. gr. III 471—486. Verba, de quibus cogitat, invenis in voto scripto.

[6] Ex «Libro de cardinalibus operibus Christi» (de quo cf. supra p. 171 adn. 4) hic allegat cap. 8 de unctione chrismatis (non de coena Domini). *Migne*, P. lat. CLXXXIX 1653 sq.

[7] In eodem libro cap. 7 de ablutione pedum. *Migne* l. c. 1650.

[8] Concilium Agrippinum seu Coloniense sub beato Servatio, episcopo Tungrensi, quod dicunt a. 346 celebratum esse, numquam habitum, sed figmentum esse saeculi IX aut X iam demonstravit *I. Hartzheim*, Concilia Germaniae I (Coloniae 1759) 22; cf. *Hefele*, Conciliengeschichte I² (1873) 628 sq. Acta spuria apud *Mansi* II 1371—1374.

[9] *Io.* 9, 6 sq. [10] *Marc.* 7, 33. [11] *Ps.* 32, 9; 148, 5.

[12] Cf. supra adn. 5. [13] Cf. supra adn. 6.

[14] Cf. *Rom.* 5, 5. [15] *Rom.* 8, 16.

[16] *Act.* 20, 28. [17] *Ps.* 108, 8; *Act.* 1, 20.

quae est Romanum sub Sylvestro[1]; et apostoli Matthiam et diaconos ordinaverunt[2]. Et licet suffragia populi intervenirent, apostoli tamen ordinabant, | populus autem[a] adduce- 344v batur ob testimonium, ut, si quid haberet, quod ⟨contra ordinandum⟩[b] opponeret, afferre posset. Unde dicit Paulus, ut episcopus sit boni testimonii[3] etc. Si enim populus non potest manus imponere neque benedicere, quomodo poterit episcopos vel sacerdotes ordinare?

Dimittitur autem congregatio hora 19.

Congregatio theologorum super examinatione eorundem articulorum de missa et ordine.

Eadem die sabbati [**12. Decembris**] hora autem 21 habita est congregatio theologorum super examinatione eorundem articulorum de missa et ordine.

Sigismundus Diruta[4], ⟨Italus Umber⟩[c], ord. Min. Conv., ⟨familiaris R^mi^ et Ill^mi^ D. card. Tridentini⟩[c], examinavit articulos de ordine, et primum haereticum[d] esse confirmavit, quia ordo est sacramentum[e]. In ordine enim est gratia. Paulus nanque ait: Gratia, *quae data est tibi per impositionem manuum mearum*[b5]. Forma autem impositio manuum, ⟨ut idem Paulus testatur⟩[f]. ⟨Improbavit tamen, quod alii dixerant[6], mensas, de quibus Act. 6 [2], intelligendas de sacris et ministerio altaris.⟩[g] Alias enim non ⟨conveniret, quod dicitur⟩[h]: Non est bonum *relinquere verbum Dei et ministrare mensis*, quia opus etiam bonum est ministrare ⟨sacrae mensae altaris⟩[i]. Ordo igitur sacramentum est; neque vocatio ordo est, cum[k] ordinem praecedat[l]. Unde Paulus [Hebr. 5, 4] dicit: Nemo assumat sibi honorem, nisi qui vocatus est ut Aaron. Et Paulus ipse[b] ex[m] Deo vocatus est, ut ipsemet testatur[7], et tamen ab apostolis una cum Barnaba ordinatus est, Act. 13 [3]. Estque hoc sacramentum a Christo institutum tum in cena illis verbis: *Hoc facite* etc. tum Ioa. 20 [21]: ⟨*Sicut misit me Pater* etc.⟩[b] Articulus 2 etiam haereticus est, quia, si in lege Mosayca instituta fuit a Deo hierarchia ecclesiastica[b] et Moyses erat servus, multo magis in evangelica sub Christo Dei Filio. Quare et Paulus dicebat: *Servi, subditi estote* | praepositis 345r vestris[8]. Et alibi: *In uno corpore multa membra habemus et non omnia eundem actum habent*[9]. Non igitur omnes Christiani sunt ⟨ex aequo⟩[b] sacerdotes. Responditque ad verba illa Petri: *Vos genus electum, regale sacerdotium*[10]; et 1 Ioa. 1: Fecit nos Deo nostro regnum et sacerdotium[n11]. Omnes videlicet Christianos[b] esse sacerdotes interne, quibus sacrificium convenit, de quo Paulus: *Exhibeatis corpora vestra hostiam Deo placentem*[12], id est laudis et cordis, de quo Origenes hom. 9 ad Amantium, cum ait: Si diligam Deum super omnia, holocaustum Deo[o] offeram et factus sum victimae meae sacerdos[p13]. Externum autem sacerdotium non omnibus convenit, sed iis tantum, qui vocati sunt et ordinantur, ut Paulus ostendit[q] ad Hebr. [5, 4]. Alias enim et nos omnes[b] reges essemus[10]; sed sicut sumus reges spirituales, ita et sacerdotes. Et quemadmodum ⟨externis regibus⟩[r] indigemus, ita et ⟨externis sacerdotibus⟩[s]. Et Paulus 1 Cor. 10 [17] ait: Omnes unum corpus sumus, qui in uno corpore baptizati sumus[14]. Sumus autem omnes unum corpus, non unum membrum. Articuli 3 et 4 etiam haeretici sunt; 5[s] idem. Spiritus enim Sanctus per ordinationem datur, ut patet ex Paulo 1 ad Tim. 4 [14] et multis aliis locis. 6. articulus idem. Episcopi enim a Spiritu Sancto constituti sunt, ergo a Christo, ut habetur Act. 21: *Attendite vobis*[15] etc. Ex quo etiam patet, quod episcopi et presbyteri ⟨non sunt iidem, cum episcopi regant

[a] *M* enim [b] *M om.* [c] *Th om.* [d] *M* falsum [e] *M* sacrificium
[f] *M* unde dicebat Paulus: «Gratia, quae data est tibi per impositionem manuum».
[g] *M* Probavit tamen in Act. Apost. 6 [2]: «Non est bonum relinquere verbum Dei et ministrare mensis» etc., quod mensae illae non de altari intelliguntur.
[h] *M* bene diceretur [i] *M* in altari [k] *M* sed [l] *M* praecedit [m] *M et Th* a
[n] *M add.* et cap. 5 [10]: «Et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotium» etc.
[o] *M* Domino [p] *M add.* et Beda . . . *[lacuna]* [q] *M add.* diffuse [r] *M* externo rege
[s] *M* externo sacerdotio

[1] Acta concilii, quod dicebatur Romae sub Silvestro papa a. 325 habitum, spuria, can. 3. *Mansi* II 1083. Cf. *Hefele* I² 438. 440 s.
[2] De ordinatione apostoli Matthiae Actus Ap. expresse non loquuntur. Cf. *Act.* 1, 26; 6, 6.
[3] Cf. *1 Tim.* 3, 7.
[4] Cf. *H. Jedin*, Röm. Qu. L (1955) 36.
[5] Cf. *1 Tim.* 4, 14 et *2 Tim.* 1, 6.
[6] Cf. supra p. 383, 24s.
[7] Cf. *Gal.* 1, 15 sq.
[8] Cf. *Hebr.* 13, 17; *1 Petr.* 2, 18.
[9] *Rom.* 12, 4. [10] *1 Petr.* 2, 9.
[11] Cf. *Apoc.* 1, 6; 5, 10. [12] *Rom.* 12, 1.
[13] *Origenes (Adamantius)*, Hom. 9 in Lev. n. 9. *Migne*, P. gr. XII 521 sq. GrChrSchr *Origenes* VI 436. [14] Cf. *1 Cor.* 12, 13. [15] *Act.* 20, 28.

universum gregem suarum dioceseum, presbyteri⟩[a] ⟨tantum parochiarum eis commissarum⟩[b]. Et presbyteri ab episcopis residendi habent potestatem[c]; episcopi a Christo instituti sunt et ordinandi potestatem habent. Unde Tito [1,5] dicit Paulus: *Hac de causa reliqui te Cretae, ut constituas presbyteros.* Et alibi: *Nemini cito manus imposueris*[1] etc. Totus igitur 6. articulus haereticus est.

Martinus Olaveus[2], Hispanus[a], clericus secularis, ⟨procurator[d] R[mi] et Ill[mi] D. Ottonis cardinalis et episcopi Augustensis⟩[a], examinavit primum articulum de missa, quem haereticum confirmavit. Adduxitque argumenta[e] adversariorum[3], quod per hoc sacrificium ⟨ir-
345v rogatur iniuria⟩[f] ⟨sacrificio crucis⟩[g], et quod | in novo testamento unus sit sacerdos, Christus Iesus in sempiternum; unde et *unica oblatione consumavit in aeternum sanctificatos*[4]; et quod videatur asseri, quod est aliud sacrificium, in quo salutem habeamus, quam illud crucis, contra ea, quae Paulus refert 6 et 7 ad Hebr. Deinde ostendit diversitatem Eucharistiae, ut est sacramentum et ut est sacrificium. Sacrificium autem proprie et improprie accipi. Improprie enim est sola commemoratio passionis Christi, ⟨quae per cogitationem fit⟩[h], proprie autem, cum eam Eucharistiam Deo Patri offerimus ad eius iram placandam. Et licet alio modo Christus in missa, alio in cruce oblatus sit, idem tamen est sacrificium. In cruce[i] cruento modo corporaliter oblatus est, in missa vero incruento modo spiritaliter. Et in illa crucis mors includebatur, in missa autem non mors[h], sed mortis[k] memoria. Et ita intelligendus est Augustinus in epist. 23 ad Bonifacium[5], ⟨cum dicit repraesentationem esse mortis Christi⟩[l], non autem vere ⟨mortem intercedere⟩[m]. Et ita convenit, ut sacrificium hoc Christianis relinqueretur, cum nulla unquam natio sacrificium non habuerit, haecque evangelica esset cunctis[n] aliis deterior. Quod falsum est. Alias enim non haberemus, per quod Deum offensum (ut aliae gentes semper habuerunt) placaremus. Sed tamen nulla sacrificia antiqua hominem iustificabant[o], sed tantum erant ⟨umbrae et⟩[h] figurae nostri veri sacrificii. *Impossibile enim* erat *sanguine hircorum* etc., ut ait Paulus[6]. Fructus autem et finis huius sacrificii est idem cum illo crucis, ut scil. applicemus[p] nobis effectus illius, ita ut non solum pro poenis et venialibus culpis sed etiam pro mortalibus omnibus prosit. Passio autem Domini, licet pro omnibus facta sit, tamen non prodest nisi quibus applicatur. Unde dixit Christus: *Sanguis, qui* pro vobis et *pro multis effundetur*[7], non quia pro omnibus non sit effusus, sed quia omnes non participant de eo. Applicatur autem nobis per sacramenta; sed meritum applicationis impetratur nobis ab interpellatione,
346r quam Christus perpetuo pro nobis facit apud Patrem[8]. Applicatur vero | per sacramenta et per sacrificium. ⟨Per sacramentum autem⟩[q] non applicatur nisi suscipienti[r], per sacrificium vero[s] non offerenti tantum, sed etiam[t] aliis, pro quibus offertur, prout fit per orationes, quae a sacrificio differunt[u]. Per orationes enim[v] precamur Deum, ut per Filium suum ⟨nobis vel aliis[w]⟩[h] parcat; per sacrificium[x] autem offerimus Deo Patri ipsum Filium suum, quem ei ostendimus, cum per eum nobis parci postulamus. ⟨Sine tamen bono motu⟩[y] peccata non remittit, sed requiruntur dispositiones, quae a Deo ordinatae sunt, ut sunt sacramenta omnia. Vis tamen omnis[h] tribuenda est sacrificio missae, cuius effectum mediis sacramentis assequimur. Sine igitur bono motu missa nullo modo[z] applicatur. Opus enim[aa] operatum, id est efficacia ipsius sacramenti et sacrificii, nobis non[bb] applicatur, nisi quatenus dispositi sumus. Alias autem[cc] opus operatum nihil operaretur. Per virtutem tamen huius sacrificii possumus aliis, etiam non usque adeo bene dispositis, impetrare primam gratiam, ut fit per orationes. Alias autem, si sacrificium non haberemus, frustra esset in ecclesia[dd] sacerdotium iuxta ea, quae Paulus ad Hebr.[ee] dicit[9]. Christus etiam[ff] imolavit

[a] *Th om.* [b] *M* non ita [c] *M* auctoritatem
[d] *M add.* et missus [e] *Th* argumentum [f] *Th* irrogavit iniuriam
[g] *M* Christi sacrificio in cruce peracto [h] *M om.* [i] *Th add.* autem [k] *M add.* fit
[l] *M* ut sit repraesentatio tantum mortis Christi [m] *Codd.* mors intercedat [n] *M* omnibus
[o] *M* sanctificabant [p] *M* applicetur [q] *M et C 119* At per sacramentum
[r] *M* accipienti [s] *M et C 119* autem [t] *M et C 119 et Th om.* [u] *M et C 119 add.* quia
[v] *M et C 119 om.* [w] *C 119 et Th* illis [x] *M add.* missae
[y] *M* Sine motu autem; *C 119 et Th* Sine bono autem motu [z] *M add.* nobis [aa] *M* autem
[bb] *In C 119 add. supra lineam* [cc] *C 119 om.* [dd] *M et C 119 et Th add.* Christianorum
[ee] *C 119 et Th add.* 5 [ff] *C 119 et Th* enim

[1] *1 Tim.* 5, 22.
[2] Ad eius votum cf. Röm. Qu. L (1955) 36s.
[3] De quibus cf. supra p. 376, 1ss. et adn. 1—2.
[4] *Hebr.* 10, 14.
[5] *Augustinus,* Epistula 98 (olim 23) ad Bonifacium n. 9. *Migne,* P. lat. XXXIII 363 sq. CSEL XXXIV 531.
[6] Cf. *Hebr.* 10, 4.
[7] *Matth.* 26, 28; *Marc.* 14, 24.
[8] Cf. *Rom.* 8, 34; *Hebr.* 7, 25.
[9] Cf. *Hebr.* 5, 1; 8, 3.

corpus suum in cena sub illis speciebus hacque ratione sacerdos vere dicitur et est secundum ordinem Melchisedech. Deinde monuit patres, ut ederent legem, qua in missis solemnibus semper aliqui[a] interpraetarentur evangelia et lectiones in lingua vulgari, ut adversariis resistamus[b], qui tantum urgent, ut lingua vulgari missae celebrentur[c]. Quoad ordinem: eum esse sacramentum confirmavit, episcopatum[d] differre a sacerdotio[e], inferiores autem ordines esse sacramentalia, non sacramenta.

Dimittiturque congregatio hora 24.

Missa concilii dominica tertia Adventus Domini.

Die **13.** eiusdem mensis **Decembris,** quae fuit dominica tertia Adventus Domini, celebravit missam consuetam[f] in ecclesia cathedrali R. D. episcopus Algarensis oravitque[g] Franciscus Senensis, ord. S. Augustini. |

Adventus regis et reginae Bohemiae Tridentum.

Eadem die dominica **13. Decembris** hora 23 intrarunt Tridentum Ser^{mi} DD. Maxi- 346v
milianus[h], filius Ferdinandi, regis Romanorum, et Maria, filia Caroli V imperatoris, ⟨germanorum fratrum⟩[i], Bohemiae rex et regina, vir et uxor[k], qui ex Hispaniis venientes in eorum regnum proficiscuntur[1]. Iverunt eis obviam extra civitatem ad unum miliare[l] R^{mi} et Ill^{mi} DD. legatus, cardinalis Tridentinus, praesidentes et caeteri patres[m] concilii. Qui benevole et amanter excepti fuerunt et deinde sociati usque ad arcem Tridentinam, apud quam descenderunt atque hospitati sunt. Legatus autem et caeteri patres, cum pervenissent ad portam ipsius arcis, ex equis minime descendentes, ad eorum hospitia reversi sunt. In itinere vero rex ivit medius inter legatum et Tridentinum. Regina autem ferebatur lectica.

Congregatio theologorum. Examinantur iidem articuli de sacrificio missae et de sacramento ordinis.

Die lunae **14.** eiusdem mensis **Decembris** hora 16 habita est congregatio theologorum super examinatione eorundem articulorum de missa et ordine; licet enim nunc in hac civitate Tridentina praesentes sint rex et regina Bohemiae, ne tamen causa religionis ob quaevis impedimenta intermittatur, ut eo citius saluti rei publicae christianae iam diu diversis haeresibus misere afflictae consulatur, nulli omnino diei parcendum esse sancta synodus decrevit. Hodieque dixit suam sententiam

Ioannes Gropperus[n][2], clericus saecularis, ⟨Germanus, familiaris R^{mi} et Ill^{mi} D. electoris Coloniensis⟩[o], examinavitque articulos de missa[p] et primo declaravit[q], quid sit sacrificium, ex Augustino lib. 10 cap. 5 de civit. Dei[3], et ea, quae in omni sacrificio requiruntur, ex eodem Augustino lib. 4 cap. 14 de civit. Dei, ut sit, quid offeratur, pro quo, ad quid et a quo offeratur[4]. Quibus in quatuor nos a Lutheranis dissidemus. Et quod duo sint sacrificia, invisibile et internum | et visibile et externum. De externis et corporalibus habetur 347r

[a] *M om.* [b] *M et C 119 et Th* resistere possimus [c] *M et C 119 et Th add.* ut populus intelligat
[d] *M* episcopatus ordinem [e] *M* sacerdotali [f] *M et C 119* concilii
[g] *C 119* habuitque orationem [h] *M add.* rex [i] *M et Th om.*
[k] *M add.* ex eodem sanguine et familia fratres uterini
[l] *M et C 119 et Th* lapidem [m] *Th* praelati
[n] *M* Gropperius [o] *Th om.* [p] *M* sacrificio missae [q] *M* ostendit

[1] Maximilianus, Ferdinandi regis Romanorum filius, ab anno 1548 usque ad 1551 Caroli V eiusque filii Philippi vice in regno Hispaniae fungebatur. Medio mense Novembri, munere suo in Hispania expleto, cum Maria, filia Caroli V imperatoris, quam die 14. Sept. 1548 Vallisoleti uxorem duxerat, Genuam advenit; paulo post, Mantuam transiens, ubi eum Achilles de Grassis, episcopus Montisflasconis, et Ascanius de Cornia, nepos Iulii III, nomine pontificis salutaverunt, iter Tridentum versus prosecutus est. De itinere cf. *Nuntiaturberichte* I. Abt. XII 144 adn. 5. De ingressu in civitatem Tridentinam cf. amplam relationem *ibid.* 359 sq. Franciscus de Toleto cum legato iam antea de ritu et modo excipiendi reges Bohemiae egerat. Cf. Conc. Trid. XI 725 l. 13—21 et 730 l. 43 ad 731 l. 16.

[2] Eius votum invenis in App. IV n. 8. Cf. *H. Jedin,* Röm. Qu. L (1955) 27s. 37s. *W. Lipgens,* Kard. Johannes Gropper (Münster 1951) 205 s.

[3] *Augustinus,* De civit. Dei lib. X cap. 5: «Sacrificium ergo visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est sacrum signum, est.» *Migne,* P. lat. XLI 282. CSEL XL, I 452.

[4] *Augustinus,* De Trinitate (non De civit. Dei) lib. IV cap. 14. *Migne,* P. lat. XLII 901.

in toto libro Levitico. Quod inter holocaustum et victimam dividitur. Et victima[a] inter propitiatorium et expiatorium etc. Et multis aliis modis subdividuntur, ut ex dicto Levitico habetur. Quorum omnium sacrificiorum visibilium[b] vice Christus in ultima cena sacrificium sui corporis in Eucharistia instituit, tanto illis praestantius, quanto illa umbra erant et significabant; hoc sit figuratum et per se ⟨sit, nihil significans⟩[c]. Erant etiam in veteri lege sacrificia spiritualia, ut habetur Ps. 4 [6] de sacrificio iustitiae, Ps. 50 [19]: *Cor contritum et humiliatum.* Et alibi: *Imola Deo sacrificium laudis*[1]. Et: *Tibi sacrificabo hostiam laudis*[2]. Et: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*[3]. Haec autem sacrificia[d] cum populo et sacerdotibus communia erant; illa autem[d] visibilia conveniebant tantum sacerdotibus, ut habetur ex Chorae exemplo et Abiron[4] et Oziae regis[5]. Et propter sacrificia spiritualia gens Hebraeorum vocabatur gens sancta et sacerdotium, ut habetur Exodi 23[6]. Aliud et tertium fuit sacrificium Melchisedech, qui panem et vinum obtulit[7]. In nova quoque lege sunt sacrificia spiritualia, de quibus Paulus Rom. 15 [16]: *Ut fiat oblatio gentium* etc. Et eadem epistula cap. 12 [1]: *Corpora ⟨vestra exhibeatis hostiam viventem⟩*[e] etc., et Hebr. 13 [15]: *Offeramus hostiam laudis semper Deo.* Et ad Phil. 4 [18]: *Hostiam placentem Deo* in *odorem suavitatis.* Quae cum ministerio coniuncta sunt, ut notatur etiam[f] ex Christo in cena in domo Simonis: *Quid molesti*[g] *estis huic mulieri* etc., in memoriam meam *ad sepeliendum me fecit*[8]. Ex quo ultimus articulus de ceremoniis confutatur. Et Christus dixit discipulis[b]: Invenietis cenaculum in loco stratum[h 9] etc., quasi sacrificium hoc missae in loco strato et ornato debeat celebrari ⟨et offerri⟩[d]. Quo vero ad sacrificium externum et visibile ⟨iuxta diffinitionem Augustini lib. 10 cap. 5 de civit. Dei⟩[i 10], quod sit in ecclesia[k] et quod id sit missa, probavit et a Christo institutum et apostolis traditum. Quod missae[d] sacrificium invisibile Christi sacrificium[d] in cena et visi- 47v bile | in cruce repraesentat, ⟨et quod Christus⟩[l] perpetuo facit interpellans pro nobis apud Patrem in coelo[11]. Missa igitur omnia ista sacrificia repraesentat et commemoratio est. Eucharistia etiam[d] ut sacramentum et ut sacrificium non differt, nisi ratione distinguantur. Et licet missa unum sit sacrificium, tres tamen[d] partes continet[m]. Declaravitque[n] nomen missae[o] ex Deut. 16 [10], ut sit elevatio manus, et ⟨Beatus Rhenanus⟩[p] in Tertullianum exponit: Missa quasi remissa; Cyprianus ⟨autem interpretatur⟩[q] quasi demissa[r 12]. Quod etiam concilium 4 Carthaginense[s] videtur innuere[13] et Augustinus quaestione 132[t] in serm. de tempore[u 14] ac Ambrosius epist. 33 cap. 5[15] de missa cathecumenorum, id est cum

[a] *M add.* bifariam divi[di]tur *et del.* in alienum [?] [b] *In M add. supra lineam* [c] *M* est
[d] *M om.* [e] *M* nostra offerimus Deo hostiam vivam Deo placentem [f] *M supra lineam* et [g] *M add. supra lineam* (ait) [h] *Th* statuto
[i] *M add. in margine* [k] *In M hoc loco del.* a Christo institutum probavit
[l] *In M legitur supra lineam pro aliis verbis deletis, quae legi nequeunt.*
[m] *M hoc loco del.* Christus et species illas suis manibus consecrat et mi[ssa]
[n] *M* demonstravitque quod; *supra lineam est del.* retulitque opiniones [o] *M add.* significat
[p] *M* Regnanus; *in A corr. ut supra* [q] *M* exponit [r] *M* dimissa
[s] *M add.* can. 84 [t] *M* 232 [u] *M add.* videtur sentire

[1] *Ps.* 49, 14. [2] *Ps.* 115, 17.
[3] *Ps.* 140, 2. [4] Cf. *Num.* 16, 1—35.
[5] Cf. *2 Par.* 26, 16—21. [6] Cf. *Ex.* 19, 6.
[7] Cf. *Gen.* 14, 18 sq. [8] *Matth.* 26, 10 sqq.
[9] Cf. *Marc.* 14, 15 sq.; *Luc.* 22, 12 sq.
[10] Cf. supra p. 405 adn. 3.
[11] Cf. *Hebr.* 7, 25; *Rom.* 8, 34.
[12] Quia Massarellus non bene intellexit, quod Gropperus dixit de origine nominis missae secundum Beatum Rhenanum et Cyprianum, exhibemus ad verbum, quod scribit *Beatus Rhenanus* in Annotationibus in IV libr. Tertulliani adv. Marcionem (Basileae 1539) p. 149: «Diximus de remissione peccatorum. Ex Gorziensi collatione reposuimus remissa. Nam veteres remissam dixere pro remissione. Cyprianus in De bono patientiae: ‚Dominus' ‚inquit, ‚baptizatur a servo et remissam peccatorum daturus ipse non dedignatur lavacro regenerationis corpus abluere'. Idem epistula decima quarta: ‚Qui autem', inquit, ‚blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habet remissam, sed reus est aeterni peccati'. Sic missam dixit ea aetas pro missione. Unde sacrificio id vocabulum accomodatum ex hac occasione. Catechumeni, qui et auditores dicuntur et audientes Tertulliano, in templo manebant, donec evangelium exposuisset episcopus. Tum clamabat Levita: Catechumeni exeunto, vel: si quis catechumenus remansit, exeat. Ab hac itaque catechumenorum dimissione vulgus appellationem missae sacro attribuit . . .» Similiter in Annotationibus in librum De corona militis. Cypriani verba a Beato Rhenano adducta invenis in libro De bono patientiae cap. 6 (CSEL III, I 401) et in epistula ad Iubaianum de haereticis baptizandis 73, 19 (*ibid.* III, II 793). De nomine missae cf. *Lexikon für Theologie und Kirche* VII 116 et *J. A. Jungmann,* Missarum Sollemnia I^2 (1949) 222 sqq.
[13] Statuta eccl. antiqua can. 84. *Mansi* III 958. *Bruns* I 149.
[14] *Augustinus,* Sermo 49 (olim 237 de tempore) cap. 8: «Ecce post sermonem fit missa cathecumenis.» *Migne,* P. lat. XXXVIII 324.
[15] *Ambrosius,* Epistula 20 (olim 33) ad Marcellinam n. 4. *Migne,* P. lat. XVI 995.

dimittuntur cathecumeni, quod illa dimissio missa vocetur. Patres autem omnes missam pro ipsa actione rei sacrae acceperunt. Missaque illa tria proprie continet: consecrationem, oblationem et communionem. Quae tria[a] a Christo instituta sunt. Illa vero[b], quae in missa praecedunt ⟨vel subsequuntur⟩[a] ⟨haec tria⟩[c], habentur pleraque[d] ex traditione apostolica, aliqua addita a summis pontificibus, qui[e] potius ornarunt quam nova quaedam omnino addiderunt. In qua missa olim astantes omnes communicabant, quia soli sancti in ea admittebantur et poenitentes, cathecumeni et alii immundi eiiciebantur. Unde[f] et ostiarii constituti sunt, qui ostia custodiebant, ne immundi[g] intrarent. Quare dicitur in canone: *Offerimus* et: *plebs sancta etc.* Nunc[h] autem, cum omnes indifferenter[a] in ipsa[a] missa admittantur, solum ii communicant, qui se paratos agnoscunt. Et cum dicitur in canone: *Offerimus* et: de altari participant, licet sit unus ipse communicans, ⟨ea tamen verba respiciunt universos fideles⟩[i]. Unde Paulus dicit: *Unus panis* et *unum corpus sumus, qui de uno pane* ⟨et uno calice *participamus*⟩[k1]. Et quod olim verba consecrationis alta voce proferebantur et ea lingua, quam astantes omnes[a] intelligebant, verum esse eo tempore, cum plebs sancta | tantum interveniebat in missa. Nunc autem, 348r cum omnes, etiam indisciplinati, intersint, secreto proferuntur, quia illi indigni sunt, ut ea verba audiant. Propterea[l] lingua latina celebrandum statutum est, ne[m] vilescerent sacra ⟨et margaritae spargerentur porcis⟩[a], ut Innocentius III de missa testatur[2]. Paulum autem 1 Cor. 14 [16] loqui de exhortatione, quae fit in conventu, ut asserit etiam Rupertus Tuiciensis[3]. Comprobavit deinde missam esse sacrificium, praemittens quod Paulus scribit Rom. 5 [12]: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum* etc. Quod peccatum nemo humanus poterat exolvere, ex quo Deus Pater[a] misit Filium suum etc. Et oportuit, ut homo fieret et eius mors in omnes nos ⟨sicut peccatum Adae⟩[a] transfunderetur. Unde dicit Paulus, omnes nos mortuos esse in morte Christi[4]. Christus itaque obtulit se Patri pro nobis in cruce; ex quo omnes salvi facti sumus. Antea autem Christus se in cena obtulerat sub illis speciebus. Quod praecepit, ⟨ut a nobis fieret⟩[n], ipsaque[o] oblatio cenae est eadem cum illa crucis. Sacrificium enim Christi[p] totam illam actionem compraehendit. Unde ⟨in veteri lege⟩[a] agnus paschalis dicebatur victima, statim[a] cum pro sacrificio destinatus fuerat. Quod autem Christus se Deo Patri in cena obtulerit, ⟨ex eo patet⟩[q], quia agnus paschalis fuit typus Christi et agnus ille etiam a Christo imolatus est, ut ex Luca et aliis evangelistis habetur[5]. Erat pascha, in quo necesse erat agnum imolari etc. Et ipse[a] Christus dicit: *Post biduum pascha fiet*[6] etc. Non autem Christus[a] imolavit agnum, sed eius loco se ipsum. Et cum primum super asellum in civitatem ivit, se ad sacrificandum praeparavit et se cepit imolare, ut declarat Theophilactus[7]. In cena autem non sola voluntate, sed visibilibus rebus se imolavit sub typo agni paschalis. Unde dicit Ioannes, agnum occisum esse ab origine mundi[8]. Et cum dixit: *Hoc est corpus meum; hoc facite in meam commemorationem*[9], quia illa ceremonia imolationis agni paschalis, id est sui corporis, fieret loco aliorum | sacrificiorum veteris legis. Et sicut imolatio agni 348v veteris erat sacrificium, ita et illa agni Christi corporis; alias subrogatum non saperet naturam sui principalis. Praeterea Christus benedixit, consecravit, obtulit, communicavit. Et tunc adimplevit, quod Ioa. 6 [52] promiserat: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Dare autem ⟨corpus suum⟩[a] pro mundi vita nihil aliud est quam imolari. Cum igitur dedit corpus suum ⟨in cena⟩[a], dedit carnem ab eo oblatam pro mundi vita, ut verba Ioa. 6 [52] promissa[r] denotant. Et ita interpretantur verba illa: *Ego me pro eis sanctifico, ut sint et ipsi sanctificati*[10]. Unde et Lucas dicit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*[11]. Non enim dicit *dabitur*, sed *datur*, id est immolatur nunc. Et Mattheus de

[a] *M om.* [b] *M add. supra lineam* [c] *M add. supra lineam pro* haec, *quod est del.*
[d] *M add. in margine* [e] *M add.* tamen [f] *In M corr. ex* ut [g] *M* illi [h] *M* modo
[i] *M* respondit ea verba respicere universos fideles in orbe christiano communicantes et celebrantes; *ultima duo verba sunt add. supra lineam*
[k] *M* communicamus; *in A corr. ut supra* [l] *M add.* etiam [m] *Codd.* neve
[n] *M* a nobis faciendum [o] *M* et [p] *In M corr. ex* illud [q] *M* probavit [r] *Th* praemissa

[1] Cf. *1 Cor.* 10, 17.
[2] *Innocentius III*, De sacro altaris mysterio lib. III cap. 1. *Migne*, P. lat. CCXVII 840.
[3] *Rupertus Tuitiensis*, De divinis officiis lib. X cap. 17. *Migne*, P. lat. CLXX 280 sq.
[4] Cf. *Rom.* 6, 3 sq.; *Col.* 2, 12.
[5] Cf. *Matth.* 26, 17 sqq.; *Marc.* 14, 12—16; *Luc.* 22, 7—13.
[6] *Matth.* 26, 2.
[7] Cf. Enarrat. in evang. Matth. 26, 17 s. *Migne*, P. gr. CXXIII 441/42 B.
[8] Cf. *Apoc.* 13, 8.
[9] *Luc.* 22, 19; *1 Cor.* 11, 24.
[10] *Io.* 17, 19.
[11] *Luc.* 22, 19.

calice ait: *Sanguis, qui pro multis* funditur[1]. Et Paulus: *Corpus, quod pro vobis* frangitur[2]. ⟨Qui omnes⟩[a] corpus et sanguinem imolari, dari, frangi in cena intelligunt, ⟨ut sit sacrificium⟩[b]. Quod et patres etiam senserunt. Augustinus in Ps. 39 [7] in illud: *Sacrificium et oblationem noluisti,* ⟨corpus autem aptasti mihi⟩[b 3]. Et verbum *frangitur* pro *offertur* intelligitur, ut intellexit Chrisostomus in hom. 24 in cap. 11[c] 1 Cor.[4] Quo vero ad ritum idem patet Exod. 12 [11] de phase transitu. Et Exod. 24 [8] de sanguine expiationis: *Hic est sanguis testamenti* etc. Sanguine autem testamentum dedicatur, ut etiam[b] Christus testatur: *Hic est calix* novi testamenti[5]. Ergo sanguis iste fuit imolatus, prout ille in veteri testamento erat etiam imolatitius. Et Christus inquit: *Hic calix,* scilicet[b] quem tunc[b] consecraverat. Non igitur[d] de sanguine in cruce fuso ⟨intelligi potest⟩[e]. Idem declarat Theophilactus in 26 Matth.[6] Instituit itaque[d] Christus[b] hoc sacrificium et id nobis faciendum praecepit his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*[7]. Eusebius lib. 5 de demonstratione[8]. Et missa unicum est sacrificium, ut est unum sacramentum,
349r et idem sunt et una et eadem res; propterea[f] sicut Eucharistia ut sacrificium | pro aliis offertur, ita ut sacramentum pro aliis sumi potest. Unde dicitur in canone: Haec divina perceptio sacramenti[9] etc. Et in oratione: *Sacramenta, quae sumpsimus, sint*[g] *vivorum et mortuorum*[10] *etc.* Et imolatio et consecratio[h] in missa ab ipsomet Christo fit; sacerdotes autem[b] praebent tantum ministerium. ⟨Ex quo⟩[i] refellitur, quod Lutherani dicunt, nos ⟨per sacrificium missae⟩[b] derogare oblationi Christi, cum praeter illam nos etiam imolemus et offeramus ⟨in missa⟩[b].

Dimittitur autem congregatio hora 20.

Legatus et patres concilii regem et reginam Boemiae visitant.

Die Martis **15.** dicti mensis **Decembris** hora 17 Ill[mus] D. legatus una cum praesidentibus et[k] patribus concilii iverunt ad arcem Tridentinam regemque et reginam Boemiae visitarunt, a quibus humanissime et gratissime recepti fuerunt, veniente eis obviam rege usque ad primum atrium ipsius arcis, maxime diuque contendente, ut ipsi legato primum locum daret, in quem[l] cum nullo modo legatus consentiret, tandem, ne visitatio ipsa sub di[v]o[m] compleretur, rex ipse, invitus[n] quidem, ivit medius inter legatum et cardinalem Tridentinum.

Rex Boemiae legatum concilii domi visitat.

Eadem die hora autem 23 rex ipse Boemiae accessit[o] ad hospitium Ill[mi] D. legati sacri concilii eumque perhumane[p] visitando nullo non honoris genere affecit. Quod versa vice ab ipso legato ipsi regi impensum est. Ivit autem legatus ei obviam usque ad ianuam[q] hospitii tam in adventu quam in recessu, quousque etiam equum ascenderet, immorando[r]. |

Recessus regis et reginae Boemiae.

349v Die Mercurii **16.** eiusdem mensis **Decembris** hora 18 Ser[mus] rex et regina Boemiae recesserunt ex Tridento Germaniam versus ituri ad Caesarem, qui nunc est in oppido

[a] *M* Omnes itaque [b] *M om.* [c] *in M add. supra lineam* [d] *M* autem
[e] *M* intelligitur [f] *M* et [g] *In M corr. ex* prosit [h] *Th* conservatio
[i] *In M corr. pro* Unde [k] *M add.* omnibus fere [l] *Th add.* ire [m] *Th* die [n] *Th* coactus
[o] *M et C 119 et Th* profectus est [p] *M* humanissime [q] *M* portam
[r] *M hic add.* Elephas a rege ductus. Ducebat rex ipse ex Hispaniis elephantem, quem rex Portugalliae ei dono dederat; is hac eadem die hora 21 ductus est ante conspectum R[mi] et Ill[mi] legati, et ut non erat forma usque adeo magna (est enim iuvenis 12 tantum annorum) et ut profecto (hisce enim oculis vidi et verum est) satis agilis corpore, etiam aulam ultimam et cubiculum ipsius legati secretum intravit et nonnullas sensui rationali plurimum accommoda[ta]s actiones peregit. Eius autem forma est altitudinis 2 passuum, longitudinis 3, latitudinis 1, dentes longitudinis ½ passus.

[1] Cf. *Matth.* 26, 28; sed Vulgata habet *effundetur.*
[2] *1 Cor.* 11, 24: *Corpus, quod pro vobis tradetur.*
[3] Cf. supra p. 379, 25 et adn. 20.
[4] *Chrysostomus,* Hom. 27 in epist. 1 ad Cor. 11, 23—27 n. 4. *Migne,* P. gr. LXI 229 sq.
[5] Cf. *Luc.* 22, 20; *1 Cor.* 11, 25.
[6] *Theophylactus,* Enarratio in evang. Matth. 26, 26 sqq. *Migne,* P. gr. CXXIII 443—446.
[7] *Luc.* 22, 19; *1 Cor.* 11, 24.
[8] Cf. supra p. 394 adn. 2.
[9] Non legitur in canone missae, sed in *Postcommunione* pro papa, inter orationes diversas *Missalis Romani* n. 4.
[10] In *Postcommunione* pro vivis et defunctis, inter orationes diversas *Missalis Romani* n. 35.

Oenipontis, et inde ad eorum regnum, comitati[a] ab oratoribus[b] et praelatis quamplurimis extra civitatem ad unum mill[iare][c 1].

Congregatio theologorum. Examinantur iidem articuli de missa et ordine.

Eadem die Mercurii [**16. Decembris**] hora autem 21 habita est congregatio theologorum super examinatione eorundem articulorum de missa et ordine.

Everhardus Billicus[2], ord. Carmel., ⟨Germanus[d], familiaris R[mi] et Ill[mi] D. electoris Coloniensis⟩[e], examinavit articulos de ordine ostenditque multis rationibus ⟨non fuisse expediens, ut omnia, quae in hoc sacramento habentur⟩[f], scripto communicarentur. ⟨Quaedam enim divina providentia quasi per manus tradi tam ab ipsomet Christo D. N. quam ab apostolis ecclesiae suae voluit. Quae traditiones non minoris auctoritatis quam scriptura ipsa haberi debent, ut etiam in hoc sacro concilio sub Paulo III declaratum est[3]. Quare mirum videri non debet, si omnia, quae ad ipsum sacramentum pertinent, in scriptis expressa non habentur.⟩[g] Declaravitque[h] ordinem esse sacramentum novae legis ⟨a Christo Domino institutum⟩[i] et in ecclesia necessarium. *Translato enim sacerdotio* transfertur sacrificium et lex, ut Paulus ad Hebr. [7, 12] testatur. Nam[k] essemus quidem[g] cunctis gentibus deteriores neque[l] sacerdotes[m] haberemus. In quo ordine Christus hierarchiam instituit. Unde Paulus dicit, quosdam Deum dedisse apostolos[4] etc. Primus igitur articulus | haereticus est. Ordo tamen est sacramentum, quatenus ordinationem notat. 350r
Quare congruentius diceretur, sacerdotium esse sacramentum. Et primo, quia, ubi est sacrificium, est sacerdotium; sed in ecclesia Dei est sacrificium Eucharistiae, ergo et sunt in ecclesia sacerdotes. Et ita patres semper intellexerunt. Origenes hom. 9 super Levit. et hom. 3[5]. Et Paulus ad Hebr. dicit cap. 8 [3 sq.]: In veteri lege, qui offerebant hostias pro populo, erant sacerdotes. Et tamen illi offerebant in figura. Ergo in nova lege, qui offerunt veras hostias pro populo, veriores erunt sacerdotes. Et idem Paulus Hebr. 9 [11 ss.] ait, Christum successisse summo pontifici veteris legis; ergo aliqui erunt, ut in lege veteri, sacerdotes minores ultra summum[n] sacerdotem; alias sacerdotio levitico nulli sacerdotes successissent. Praeterea[o] sacerdotii[p] proprium est intercedere ⟨apud Deum pro populo⟩[q], ut idem Paulus testatur[6]; quod faciunt sacerdotes novae legis, qui ⟨non solum intercedunt pro populo, sed⟩[r] peccata ⟨etiam ipsimet⟩[g] ex Dei institutione[s] dimittunt. Est igitur ordo sacramentum, quod et ostendit Augustinus lib. 2 in epist. ⟨Parmeniani cap. 13⟩[t 7]; Chrisostomus hom. 4 in 2 Cor.[8] Ordinique ipsi[g] omnia, quae sacramentorum sunt, conveniunt. Primo eius signum est ⟨impositio manuum⟩[u], datio vestium, unctio manuum et panis

[a] *M* sociantur; *C 119 add.* autem fuerunt [b] *M add.* caesareis et regis Romanorum
[c] *M add.* et nonnulli eorum sequuti sunt iter cum suis Maiestatibus usque ad Oenipontem, inter quos est card. Tridentinus.
[d] *C 119 om.; in M corr. ex* Flandrus [e] *Th om.*
[f] *M* non omnia, quae in sacramento hoc sunt, expedisse, ut
[g] *M om.* [h] *M* Probavitque [i] *M et C 119 et Th om.* [k] *M* Et
[l] *M et C 119 et Th* si [m] *M et C 119 et Th add.* non [n] *M* magnum [o] *M* Item
[p] *M* sacerdotis [q] *M* inter Deum et populum [r] *M* et [s] *M add.* et auctoritate
[t] *In M lacuna; in A add. ut supra* [u] *In M cancellatum, postea restitutum*

[1] Card. Tridentinus et archiepiscopus Coloniensis et nonnulli alii, inter quos erat Franciscus Manrique de Lara, episcopus Auriensis, cum regibus usque Bolzanum profecti sunt, non autem usque Oenipontem, ut Massarellus supra adn. c scribit. Rex enim Bohemiae Bolzani dietae praesedit et festum Nativitatis Domini ibidem transegit. Die 31. Ianuarii 1552 Oenipontem advenit, sed patres concilii iam principio anni 1552 Tridentum regressi in congregationibus generalibus aderant. Imperator aegre tulit nonnullos episcopos Tridento abiisse, ut reges Bohemiae prosequerentur, quia absentia patrum labores concilii impediri existimabat. Cf. litteras Granvelae episcopo Segobricensi die 15. Dec. datas in Conc. Trid. XI 778 adn. 3. Episcopus Auriensis a Granvela vituperatus est, quod opera Francisci de Toleto factum putabat, sed strenue se defendit. Conc. Trid. XI n. 537. Responsum Granvelae ad Auriensem datum *ibid.* n. 551.

[2] Ad eius votum cf. Röm. Qu. L (1955) 38.

[3] Sessio 4, decretum de libris sacris et traditionibus apostolorum. Conc. Trid. V 91.

[4] Cf. *1 Cor.* 12, 28; *Eph.* 4, 11.

[5] *Origenes*, Hom. 9 super Leviticum n. 10; in hom. 3 n. 1 super eundem librum de sacrificio Christi in genere tantum agitur. *Migne*, P. gr. XII 523 423. GrChrSchr *Origenes* VI 438 300 sq.

[6] Cf. *Hebr.* 5, 1 sqq.

[7] Cf. supra p. 385 adn. 13.

[8] *Chrysostomus*, Hom. 4 in epist. 2 ad Cor. *Migne*, P. gr. LXI 417—428. De quo loco cogitet, nescio.

et vini consignatio, ⟨cumque eis cum impositione manuum dicitur⟩[a]: *Accipe Spiritum Sanctum* etc. Quae omnia cum Christi institutione conveniunt. Ioa. enim 20 [22] Christus insufflavit in discipulos dicens: *Accipite Spiritum Sanctum.* Et Luc. 22 [19]: *Hoc facite in meam commemorationem.* Unde episcopus dicit sacerdoti: *Accipe potestatem offerendi*[1] etc. De unctione autem licet non habeatur mentio in cena, ecclesia tamen habet eam ex traditione; quae retenta fuit ob significationem, scilicet Spiritus Sancti, ut declarat Chrisostomus hom. 4 ad Phil.[2] Et de ea unctione meminit Dionisius eccl. hier. cap. 5[3]. Et Christus dixit Ioa. 20 [22]: *Accipite Spiritum Sanctum.* Quod correspondet verbis episcopi, cum 350v eadem verba pronunciat[b]. Et licet non habeatur | Ioa. 20 [22 sq.] de impositione manuum, ita tamen est credendum, quod Christus fecerit, ut habetur ex apostolis[c], qui, dum Spiritum Sanctum dabant, manus imponebant[4]. Unde Simon Magus petebat ⟨habere potestatem⟩[d], ut, cui imponeret manus, Spiritum Sanctum reciperet[5]. Et idem apparet ex Paulo 1 ad Tim. 4 [14] et 2 ad Tim. 5[e]: Gratia, quae data est tibi *per impositionem manuum mearum*[6]. Et licet multi sint gradus[f], unum est tamen sacramentum, quia omnes inferiores ordinantur ad sacerdotium; et in his omnibus caracter imprimitur[g], sed non perfectus et absolutus, sed ordinatus ad presbyterium, ⟨quod verum est sacramentum⟩[h], ut habetur etiam ex patribus. Ambrosius lib. 10 epist. 82[7]; Dionisius lib. 6 eccl. hier.[i 8] Articulus 2 etiam haereticus est, idem et 3[s], qui negat ecclesiasticam hierarchiam. Ordo enim dividitur inter sacramentalem et hierarchicum; primus est auctoritas, secundus est executio potestatis. Nam ostiarius habet potestatem; eam tamen non potest exercere sine ordine hierarchico, si ei scil. mandatur. Ita lector, exorcista, accolitus, diaconus, subdiaconus et presbyter. Nam nisi ⟨ii omnes⟩[k] vocentur ab ordine hierarchico, id est superiore, nullam potestatem exercere possunt[l]. Supremus autem[k] in hoc ordine hierarchico est summus pontifex, qui a Deo habet auctoritatem et functionem, cum dictum ei fuerit: *Pasce oves meas*[9]. Alii autem inferiores[k], licet ordinentur et potestatem habeant, nisi tamen a summo pontifice vocentur, ea uti non possunt. Unde vocat episcopos in auxilium ministerii in universali ecclesia. Et episcopi vocant sacerdotes in eorum diocesibus. Ordo etiam episcopalis et sacerdotalis a ⟨Christo est⟩[m]. Si enim potestas layca a Deo est, ut ait Paulus[10], multo magis episcopalis et sacerdotalis. Quare Paulus dicit: *Attendite ⟨vobis et⟩*[k] *universo gregi, in quo ⟨Spiritus Sanctus⟩*[n] *posuit vos regere ecclesiam Dei*[11]. In 3. vero articulo ibi *sed omnes* melius diceretur *quinimo omnes*, quia, ⟨ut iacet⟩[k], non videtur vera adversativa. Neque omnes Christiani sunt sacerdotes, scil. visibiles et externi, ut colligitur ex Paulo 351r ad Hebr. 5 [4] et ad Tit. 1 [5] et Act. 13 [2 sq.]. Alias non | opus fuisset, ut ordinarentur episcopi neque presbyteri per civitates etc. Neque ⟨verum est, quod,⟩[k] qui sacerdos semel fit, laycus rursus fieri possit, quia caracter est indelebilis. Et sicut dicitur in matrimonio: Quos *Deus coniunxit, homo non separet*[12], ita et multo magis in hoc sacramento. Sicuti etiam dicitur de baptismo. Quod etiam Augustinus declarat[13]. Articulus 4 etiam haereticus est; 5[s] et 6[s] idem. Episcopi enim a Christo instituti sunt. Ait enim Paulus: *Attendite gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit vos regere*[14]. Et secunda pars etiam falsa est ex 7 [7] ad Hebr. Minor est enim, qui benedicitur, quam qui benedicit[o].

Dimittitur vero congregatio hora 24[p].

[a] *M* impositio denique manuum, dicente [b] *M* dicit [c] *M* discipulis
[d] *M* et ipse, ut habeat potestatem [e] *M* 1 et 5 [f] *M* ordines [g] *M* est
[h] *M* praeterea ordini omnia insunt, quae sacramentum faciunt, ut efficax sit signum; habet enim formam et materiam et effectum, ut probatum est
[i] *C 118, C 119 et Th* hist. [k] *M om.* [l] *M anteponit* et
[m] *M* Deo sunt [n] *M* Deus [o] *M add.* tertia pars etiam et aliae omnes
[p] *M add.* Applicuit Tridentum R. D. ep. Algabicorum, Lusitanus.

[1] *Pontificale Romanum,* Ritus consecrandi presbyteros.
[2] *Chrysostomus,* Hom. 4 in epist. ad Philippenses n. 4. *Migne,* P. gr. LXII 210 sq.
[3] *Pseudo-Dionysius,* De eccl. hierarchia cap. 5 n. 5. *Migne,* P. gr. III 505/06.
[4] Ex. gr. *Act.* 6, 6; 8, 17; 13, 3.
[5] *Act.* 8, 19. [6] *2 Tim.* 1, 6.
[7] *Ambrosius,* Epistula 63 (olim 82) ad Vercellensem ecclesiam n. 59. *Migne,* P. lat. XVI 1204.
[8] *Pseudo-Dionysius,* De eccl. hierarchia cap. 5. *Migne,* P. gr. III 499—516.
[9] *Io.* 21, 17.
[10] Cf. *Rom.* 13, 1 sq. [11] *Act.* 20, 28.
[12] *Matth.* 19, 6; *Marc.* 10, 9.
[13] Cf. supra p. 385 adn. 13.
[14] Cf. supra lin. 29s.

Congregatio theologorum.
Examinantur iidem articuli de sacrificio missae et sacramento ordinis.

Die Iovis **17.** eiusdem mensis **Decembris** hora 16 habita est congregatio theologorum, qui prosecuti sunt examinationem eorundem articulorum de missa et ordine.

Ambrosius Pelargus, ord. Praedic., ⟨Germanus, familiaris Rmi et Illmi D. electoris Treverensis⟩[a], examinavit articulos de sacrificio missae, ⟨quam sacrificium esse corroboravit⟩[b]. Ubicunque enim[c] est sacerdotium externum, necesse est, ut sit sacrificium ⟨etiam externum⟩[d], ut Paulus ad Hebr. 8 [3 sq.] declarat. Cum autem lex vetus ablata sit, necesse fuit, ut sacerdotium et sacrificium transferre[n]tur, ut idem Paulus testatur[1]. Christus autem *sacerdos* est *in aeternum secundum ordinem Melchisedech*[2] et eius sacerdotium in ecclesia conservatur, et sacrificium per sacerdotes in oblatione missae. Et cum ipse[d] Christus sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, oportet, quod ipse sacrificaverit ⟨secundum ordinem⟩[e] Melchisedech, in pane scilicet et vino. Id autem Christus nunquam fecit nisi in cena; ergo Christus in cena sub illis speciebus obtulit[f] corpus suum. Nam haec comparatio Melchisedech[d] non convenit oblationi crucis, ⟨sed oblationi cenae⟩[d]. Et sicut oblatio Melchisedech fuit figura | Christi, si Christus non sacrificasset in pane et vino, non [351v] adimplevisset figuram illam. Quod autem Melchisedech sacrificaverit, patet ex illis verbis: *Erat enim sacerdos Dei altissimi*[3]. Et ita omnes doctores semper intellexerunt. Praeterea quod Christus sacrificaverit suum corpus in cena, apparet etiam ex verbis Evangelistae: *Hoc facite*[4], scil. quod ego feci. Et: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*[4], frangitur, sanguis funditur, id est tunc, cum porrigebatur in cena sub illis speciebus. Si igitur Christus obtulit et ipse praecepit, ut nos faciamus, quod ipse[g] fecerat, ergo sacerdotes, cum faciunt, quod Christus fecit, sacrificant[h] in missa. Idque etiam sancti patres perpetuo senserunt, ut Cyprianus super 2 ad Tim. [2, 4][5]; Augustinus de fide ad Petrum[6]; Irenaeus ⟨lib. 4 cap. 34⟩[i7]. Et cum dicitur: *Tu es sacerdos in aeternum*[8], innuitur, quod perpetuo in missa eius corpus a sacerdotibus offeretur. Et ita etiam sacerdotium Christi perpetuatur in sacerdotibus. ⟨Christus autem⟩[k] non solum in cena et in cruce, sed perpetuo offert se Patri. Unde Ioannes inquit, eum continuo praebere se advocatum ⟨pro nobis⟩[d] coram Patre[9] et pro nobis interpellare, id est corpus suum opponit ⟨Patri contra nos irato⟩[d]. Quod tamen non facit in coelo offerens se sacrificium, sed per Eucharistiam[l] in altari. Quod sacrificium aliis applicatur, id est facit participes fructuum et effectuum passionis Christi, prout fit etiam per sacramenta. Applicatur autem non omnibus, sed dispositis, ut dicitur de passione Christi et eius sanguine, *qui pro vobis* (ait Christus)[d] *et pro multis effundetur*[10], non quod passio Christi insufficiens sit, ut pro omnibus applicetur, sed ex defectu eorum, qui non merentur[m], ut eis[d] applicetur. Et sacrificium missae est idem cum illo crucis. Et sicut illud crucis prodest omnibus bene dispositis, sic et hoc altaris. Et id, quod opponitur, quod Christi sacrificium in cruce delevit omnia peccata praeterita, praesentia et futura, ergo nos non indigemus alio sacrificio etc., non obstat, quia id verum est causaliter, non autem effectualiter, | quia necesse est, ut illud crucis[n] applicetur. Et [352r] cum hoc sacrificium offertur pro illis, quibus sunt iam remissa peccata, prodest tunc ad gratiarum actionem et gratiae etiam[d] incrementum et ad alia beneficia impetranda et ⟨ad delendam poenam temporalem⟩[o]. Quo igitur ad articulos propositos, primus haereticus est; nollet tamen, quod simpliciter damnaretur missam esse testamentum, quatenus respicit proprietatem ipsius vocabuli *testamenti*. Nam eo casu satis convenit missae, quatenus scilicet[d] est pactum factum et relictum a Christo in nova lege. Non autem vere missa est testamentum, sed per quandam significantiam. In 7° autem ultima pars non videtur[p] asseri a Luthero[q]. Et quod dicitur in 8°, vinum non esse materiam huius sacrificii, non enim ita loquuntur ⟨ipsi haeretici⟩[r]. Est etiam advertendum in 1. articulo de ordine, ibi

[a] *Th om.* [b] *M* et primo missam sacrificium esse ostendit [c] *M* igitur
[d] *M om.* [e] *M* ut [f] *M* sacrificavit
[g] *M* ille [h] *M* offerunt [i] *In M lacuna* [k] *M* Et Christus
[l] *M* sacrificium Eucharistiae [m] *M* sunt digni [n] *M add.* nobis
[o] *M* deletionem poenae [p] *M* credit [q] *M* Lutheranis [r] *M* Lutherani

[1] *Hebr.* 7, 12. [2] *Ps.* 109, 4; *Hebr.* 5, 6; 7, 17. [3] *Gen.* 14, 18. [4] *Luc.* 22, 19.
[5] *Cyprianus,* Epist. 1 ad clerum et plebem Furnis cons. n. 1. *Migne,* P. lat. IV 398. CSEL III, II 465.
[6] *Pseudo-Augustinus,* Liber de fide ad Petrum (qui est Fulgentii Ruspensis) cap. 19. *Migne,* P. lat. XL 772 sq. [7] Cf. supra p. 388 adn. 5.
[8] *Ps.* 109, 4; *Hebr.* 5, 6.
[9] *1 Io.* 2, 1. [10] Sic in canone missae.

sacramentum esse addendum *novae legis a Christo institutum.* Et verba illa *sed excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum* etc. non ⟨videntur etiam asseri a Lutheranis⟩[a]. 3[s] quoque articulus melius aptari debet, quia non sequitur, quod omnes Christiani[b] non sint sacerdotes, quia ⟨in ecclesia est⟩[c] hierarchia, quae potest esse et omnes nihilominus[d] esse sacerdotes. Quodque dicitur *et qui sacerdos semel fit* ⟨aptari posset⟩[e]: *Et sacerdotes non differre a laycis nisi ministerio, atque ideo qui sacerdos semel fit* etc. Possetque[f] damnari alius articulus, videlicet: *Verba «Hoc facite» pertinere ad administrationem, non consecrationem et oblationem.*

Ioannes Delphius, clericus saecularis, ⟨Germanus, familiaris eiusdem R[mi] D. electoris Treverensis⟩[g], accepit discutiendos[h] articulos de missa, et primo probavit verba Malachiae 1 [10 sq.]: *Non est mihi voluntas in vobis* etc. intelligi debere de sacrificio missae, cum non possint ⟨referri ad illud tempus⟩[i], cum dicatur: *Magnum est nomen meum in gentibus,* quod tunc non erat nisi apud Hebraeos; et cum dicit: *In omni loco offertur oblatio munda,* quod etiam tunc verum non erat. Sed ea omnia ⟨sacrificio missae⟩[k] 352v conveniunt. | Praeterea quod etiam dicitur de oblatione Melchisedech: | si igitur Christus non fecisset[l] oblationem panis et vini in cena, ⟨non esset⟩[m] sacerdos *secundum ordinem Melchisedech.* Quod tamen falsum est ex Ps. 109 [4]: *Tu es sacerdos in aeternum* etc. Habetur item ex evangelio: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum*[1] etc. In veteri autem lege non manducabatur agnus, nisi prius fuisset oblatus. At[b] Christus[n] non obtulit ⟨agnum, sed eius loco corpus suum sub illis speciebus. Christus itaque obtulit⟩[o] in cena, quod etiam ecclesia in canone missae testatur[p], ut sit *sacerdos secundum ordinem Melchisedech.* Et quod Christus fecit, faciendum praecepit discipulis, ut scilicet consecrarent et offerrent[q] corpus suum. Huius vero sacrificii effectus est remissio peccatorum et culpae et poenae, prout testatur ipsemet Christus inquiens: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*[2], et: Hic est sanguis, qui pro vobis funditur[r][3]. Quae omnia de oblatione in cena intelliguntur, quae est eadem cum illa ⟨crucis et illa⟩[b] altaris. Et sicut illa crucis[b] pro vivis et defunctis prodest, ita et haec. Articulus igitur primus haereticus est; sed illa verba *translato nomine* non sunt simpliciter damnanda, cum in aliquo sensu vera sint. Sed non propterea sequitur, quod missa non sit sacrificium. Omnesque patres missam esse sacrificium asseruerunt. Neque enim est promissio remissionis peccatorum, sed habet in se remissionem[s] peccatorum. Ita et nec est testamentum; alias quoties celebraretur, Christus moreretur, ut testamentum requirit. Articuli 2 prima pars damnanda ⟨est, sed non simpliciter⟩[t], quia missa est[u] ex evangelio, ⟨quatenus ex evangelio docetur⟩[v]. Secunda pars secundi est haeretica, ut probatum est. Tertia autem pars non videtur falsa, quia, licet a Deo sit, tamen ab hominibus invenitur, ut dicitur de Deo Matth. 6: *Qui quaerit* me, *inveniet*[4]. Et Paulus ad Hebr. dicit[5]. Si autem intelligitur ita *ab hominibus inventam,* ut non sit etiam a Deo, falsa est. Quinta[6] pars de opere bono falsa etiam est, quia missa[b] 353r est opus bonum, ⟨in qua offertur⟩[w] Christus, de quo | ait Pater: *In quo mihi* bene *complacui*[7]. Sexta[x][8] pars 2. articuli haeretica est, quia solus Deus adoratur in missa et intercessio sanctorum desideratur et precatur. Articulus 3 etiam haereticus est. Hoc enim sacrificium est idem cum illo crucis et sacerdotium Christi est idem cum nostro. Non enim aeternum Christi sacerdotium nostrum temporale excludit. Unde Paulus ad Hebr. 7 non dicit Christum sacerdotem tantum[y], sed summum[9]. Non igitur per sacrificium altaris irrogatur[z] sacrificio crucis. Quod autem Paulus ad Hebr. testatur, Christum unica oblatione consummasse in aeternum sanctificatos[10] etc., intelligitur de cruenta oblatione crucis, quae tamen[b] non prodest, nisi applicetur. Applicatur autem per hoc sacrificium altaris. Arti-

[a] *M* credit, quod sint verba Lutheranorum [b] *M om.* [c] *M* est ecclesiastica
[d] *M* non [e] *M* aptetur
[f] *M* Cupit [g] *Th om.* [h] *M* examinandos [i] *M* intelligi de eo tempore
[k] *M* ad oblationem sacrificii in missa [l] *M* fecit [m] *M* ergo non est
[n] *M add.* itaque [o] *C 119 om.* [p] *M add.* et [q] *M* sacrificarent
[r] *M add.* et Paulus 1 ad Corinth. 11 [24]: Corpus, quod pro vobis frangitur
[s] *Codd. et Th falso* promissionem [t] *M* non est [u] *M* sit
[v] *M* quia est a Christo est [!], quod autem non doceatur ex evangelio, hoc falsum est
[w] *M* et ipse est [x] *Th* Ultima [y] *M* solum [z] *A hic add.* iniuria

[1] *Luc.* 22, 15. [2] *Luc.* 22, 19.
[3] Cf. *Matth.* 26, 28; *Marc.* 14, 24; *Luc.* 22, 19.
[4] Cf. *Matth.* 7, 8.
[5] Cf. *Hebr.* 4, 16; 9, 12.
[6] Potius legendum est *Quarta.*
[7] *Matth.* 3, 17. [8] Rectius legitur *Quinta.*
[9] Cf. *Hebr.* 7, 23 sq.
[10] Cf. *Hebr.* 10, 14.

culus 4 haereticus est. In canone enim missae nonnisi Deus adoratur[a] neque etiam sancti in ea[b] invocantur, sed tantum rogatur Deus, ut respiciat ad effectum[c] et merita sanctorum, per quae ⟨ipse Deus⟩[d] nobis salutaria concedere dignetur. Fit etiam in ea gratiarum actio, obsecratio pro ecclesia, pro pontifice, pro principibus et aliis. Quae omnia sanctissima sunt, et eadem nos facere docet Paulus ⟨1 Tim. 2⟩[e1]. Et Iacobus ait: *Orate pro invicem, ut salvemini*[2]. Articulus 5 haereticus est; 6[s] idem, quia de natura sacrificii est, ut pro[d] aliis offeratur, de natura autem sacramenti non, sed ut soli accipienti prosit. 7. articulus etiam est haereticus. Missae enim privatae semper fuerunt in ecclesia. Neque communicare tenentur, nisi qui voluerint et dispositi fuerint. 8. articulus haereticus est. In concilio enim Triburiensi cap. 9 statuitur aquam miscendam vino[3]. Quod etiam ex[f] Christo habetur, et multis aliis in conciliis ut Florentino[4] ⟨et Iulio[g] papa⟩[h5]. ⟨Nollet tamen verba 8. canonis [!] in principio ita dici⟩[i]: *Vinum non esse materiam huius sacrificii* etc., quia ⟨non ita asseruntur⟩[k] a Lutheranis. 9[s] et 10[s] etiam haeretici sunt. Caeremoniae enim in ecclesia retinendae sunt, ut Paulus[l] docet 1 Cor. 11 [5—15] de velatis mulieribus etc. Idem habetur ex Matth. 15 et Gal. 4[6].

Solvitur autem congregatio hora 20.

Congregatio theologorum super examinatione eorundem articulorum de missa et ordine.

Eadem die **17. Decembris** hora autem 21 habetur congregatio theologorum super 353v examinatione eorundem articulorum de missa et ordine.

Gregorius Sylvius, ord. Praedic., ⟨Flander, procurator R[mi] et Ill[mi] D. Georgii ab Austria, episcopi Leodiensis⟩[m], examinavit articulos de o r d i n e et secundum et primum de missa. Quoad ordinem probavit, in ecclesia esse hierarchiam[n]. Nam iuxta Paulum omnia, quae a Deo sunt, ordinata sunt[7]. Et alibi: Multa membra sumus unius corporis et *non omnia eundem actum*[o] *habent*[8]. Et quemadmodum in antiqua lege ordines divisi erant secundum quandam hierarchiam, erat enim gradus sacerdotius et supra eum pontificius et infimus leviticus, multo igitur magis in nova lege, quae longe praestantior ⟨et perfectior⟩[d] est. In qua etiam veteri lege praeter illos tres erant etiam alii gradus. Nam leviticus subdividebatur in alios gradus. ⟨Quod etiam est in nova lege, in qua multi⟩[p] gradus sunt, de quibus Clemens epist. 1[9] et Ignatius epist. ad Antiochenos[10]. Paulus autem de episcopis, presbyteris et diaconibus meminit. Et sancti patres deinde subsecuti sunt. Tamen alii etiam ⟨praeter illos⟩[d] a Deo sunt. Neque omnes Christiani[d] sunt ⟨ex aequo⟩[d] sacerdotes, sed solum qui eliguntur, prout Aaron[11]. Et Paulus electus est a Spiritu Sancto[12] Barnabasque per apostolos[13]. Unde Paulus ad Tit. 1 [5] ait: Hac de causa *reliqui te Cretae* etc. Et 1 Cor. 12 [28]: Quosdam dedit apostolos, quosdam prophetas. Et ad Hebr. [5, 4]: Nemo sibi assumat honorem, nisi qui vocatus est. Ordinavit autem sacerdotes Christus Luc. 22 [19]: *Hoc facite* etc. et Ioa. 20 [22 sq.]: *Accipite Spiritum Sanctum* etc. Et nisi quis per impositionem manuum acciperet gratiam, non esset sacerdos. Et sicut omnes Christiani[d] non sunt reges, ita non omnes sunt sacerdotes[14]. Verum sicut omnes sumus reges spirituales, ita et sumus sacerdotes spirituales. Non igitur omnes sa-

[a] *M* precatur; *in A corr.* oratur [b] *M* eo [c] *M* affectum [d] *M om.*
[e] *In M lacuna; in A add.* ad Timotheum 2 et prima epistula [f] *M* a [g] *M add.* II
[h] *Th om.* [i] *C 118 et C 119* Verba tamen ipsius 8. articuli ita possent aptari
[k] *C 118 et C 119* hoc modo asseritur [l] *M add.* easdem
[m] *Th om.; M add.* Maximiliani imperatoris filii [n] *M add.* ecclesiasticam [o] *M* effectum
[p] *M* ita et in nova lege

[1] Cf. *1 Tim.* 2, 1 sq.
[2] *Iac.* 5, 16.
[3] Concilium Triburiense a. 895 habitum can. 19. *Mansi* XVIII 142. *Mon. Germ. Leg.* II Capitul. II 223 sq.
[4] Decretum pro Armenis. *Mansi* XXXI 1056 sq.
[5] Testimonium Iulii papae invenis in eodem Decreto pro Armenis, sumptum ex c. 7 *Quum omne* de consecr. dist. 2, qui tamen non est Iulii papae, ut legitur apud Gratianum, sed concilii Bracharensis III a. 675 habiti. Cf. supra p. 393, 2 et adn. 4.
[6] *Matth.* 15, 1—20 et *Gal.* 4, 10 sq. potius in contrarium facere videntur.
[7] Cf. *Rom.* 13, 1. [8] Cf. *Rom.* 12, 4.
[9] Cf. supra p. 385 adn. 1.
[10] *Pseudo-Ignatius,* Epistula ad Antiochenses cap. 8 et 12. *Migne,* P. gr. V 905—908. *F. X. Funk,* Patres Apostolici II (Tubingae [2]1913) 218. 220 s.
[11] Cf. *Hebr.* 5, 4.
[12] *Act.* 9, 3—6; 22, 6—10 13—18.
[13] *Act.* 4, 36; 13, 2 sq.
[14] Cf. *1 Petr.* 2, 9; *Apoc.* 1, 6.

cerdotes externi; alias omnes ⟨essemus etiam⟩[a] reges[b] externi. Et quis esset subditus, si 354r omnes reges? Et si omnes sacer|dotes, quis populus? Qui sacerdotium praesupponit, ut docet Paulus Hebr. 5 [1 sqq.]. Et in omni semper lege discreti fuerunt sacerdotes a plebe. Quo vero ad sacrificium missae primum articulum haereticum esse confirmavit[c], quia missa est verum sacrificium et in ecclesia semper oblatum fuit. Dionisius lib. 3 cap. 5 eccl. hier.[1] et alii omnes antiqui patres id testantur. Et B. Andreas dicebat: Ego quotidie imolo agnum immaculatum Deo[2]. Clemens I[3], Cletus[4], Alexander I[5], Ignatius[6] et alii omnes. Praeterea Christus est sacerdos, ergo offert pro hominibus, ut testatur Paulus[7], obtulitque in cena corpus suum sub speciebus panis et vini. Et hac ratione est *sacerdos secundum ordinem Melchisedech*[8]. Quod et sacerdotes in ecclesia eius vice continuo faciunt. Unde conservatur[d] Christum in aeternum esse sacerdotem[9].

Martinus Malo, clericus saec., ⟨Hispanus, familiaris R. D. Ovetensis⟩[e], accepit discutiendos[f] articulos de missa, adducens primo argumenta adversariorum, quibus respondit, et missam sacrificium esse confirmavit et institutum a Christo, qui in cena et consecravit et obtulit. Quae duo suis[f] discipulis facienda praecepit, dicens: *Hoc facite*[10], scil. quod ipse fecerat, quod per agnum paschalem in veteri lege figurabatur. Et ritus, qui in missa observantur, ex traditione habentur. Nam et in veteri lege sacerdotes vestibus quibusdam utebantur; ita etiam fit in lege nova, prout apostoli tradiderunt. Missa igitur a Christo instituta est et in evangelio habetur, et opus bonum est et meritorium. Non est ergo commemoratio tantum[g] neque ab hominibus inventa, sed verum est sacrificium ⟨Deo gratum⟩[f]. Quod et omnes patres semper tenuerunt et docuerunt ac etiam concilia ut Lateranense[11], Toletanum 1[12] et Toletanum 12[13] et Ephesinum epistola ad Nestorium[14]. Et universa tandem tenuit et tenet sancta mater[h] ecclesia, ⟨cui reluctari impium et prophanum est⟩[f].

Deinde dimittitur congregatio hora 24.

Congregatio theologorum.
Examinantur iidem articuli de missa et ordine.

354v Die Veneris **18.** eiusdem mensis **Decembris** hora 16 habita est congregatio theologorum, quorum infrascripti prosequuntur discussionem eorundem articulorum de missa et ordine.

Iacobus Ferrusius, clericus saec., ⟨Hispanus, familiaris R. D. Segobricensis⟩[e], disseruit articulos de missa, et primo ostendit missam esse opus. Matth. enim 26 [26] dicitur: *Cenantibus illis accepit Iesus panem, benedixit, fregit,* porrexit etc. Quae omnia ad opus spectant. Neque est testamentum vel[i] promissio, sed promissionem gratiae habet ut baptismus et reliqua sacramenta; alias et baptismus esset etiam promissio, quia promissionem gratiae habet, quod falsum est. Sed est opus ministri, quo opere illius promissionis[k] participes fimus[l]. Ita etiam et[m] in missa. Primus igitur articulus haereticus est; idem et 2[s] et 3[s]. Non enim per sacrificium missae derogatur sacrificio Christi in cruce peracto, cum idem sit et hoc ab eo vim habeat et per hoc illud applicetur. Et cum adoratur Christus in Eucharistia, non committitur idololatria[n], cum in ea sit verum[o] Christi corpus et verus Deus, ut iam ab hac sancta synodo declaratum est[15]. Est autem missa verum sacrificium non

[a] *M* et essent [b] *C 118 et C 119 falso* sacerdotes [c] *M* ostendit
[d] *M* dicitur; *Th* patet [e] *Th om.* [f] *M om.* [g] *M add.* neque testamentum tantum
[h] *M* universalis [i] *M* neque [k] *C 118 et C 119 et Th* promissione
[l] *C 119 et Th* simus [m] *C 119 et Th om.* [n] *C 119* adolatria [o] *M* vere

[1] Cf. supra p. 381 adn. 16.
[2] Cf. supra p. 117 adn. 8.
[3] Cf. supra p. 381 adn. 10 et c. 14 *Hic ergo* de consecr. dist. 1.
[4] Cf. supra p. 381 adn. 11.
[5] Cf. supra p. 381 adn. 15.
[6] Cf. supra p. 381 adn. 17.
[7] Cf. *Hebr.* 7, 26 sqq.; 8, 1—6; 9, 11—15.
[8] *Ps.* 109, 4; *Hebr.* 5, 6; 7, 17.
[9] Cf. *Hebr.* 6, 20.
[10] *Luc.* 22, 19; *1 Cor.* 11, 24 sq.
[11] Cf. supra p. 117 adn. 4.
[12] Concilium Toletanum I a. 400 habitum c. 5. *Mansi* III 999. *Bruns* I 204.
[13] Concilium Toletanum XII a. 681 habitum c. 5. *Mansi* XI 1033. *Bruns* I 326. C. 11 *Relatum* de cons. dist. 2.
[14] Cf. supra p. 117 adn. 1.
[15] Sessio III (XIII), decretum de Eucharistia cap. 5; item can. 6 de Eucharistia, supra p. 202 et 203 sq.

respectu effusionis sanguinis, quae in ea non fit, sed propter Christi mortem, quae repraesentatur, prout fuit sacrificium Christi in cena, quod fuit verum sacrificium respectu ad mortem, quae instabat et postea secuta est in cruce. Neque etiam per sacerdotium nostrum Christi sacerdotio praeiudicatur, imo per hoc illud conservatur, ut sit perpetuum. Nam oblatio crucis cessavit et semel oblata est; per sacerdotem autem quotidie Christus se offert Patri et ita se offert in aeternum, quousque ipse veniat, ut ait Paulus[1]. Deinde declaravit[a] significationem dictionis *missa*, et quod ea habetur in veteri testamento, Deut. 16 [10] ibi *oblationem spontaneam* etc., ut interpraetatur *Messan*[b2]. Unde Hieronymus vertit *oblationem*, ut missa sit oblatio. Item interpraetatur, ut deducatur a dictione hebraea *Nes*, ut habetur Esai. 61[3], Num. 21 [8], ut sit pro *Nes* serpens, id est [pro] signo, quia esset sublimis, elevatus. *Nes* enim significat omne, quod supra ele|vatur, apud Hebraeos. Unde 355r alii[c] verterunt *elevationem*, quod Hieronymus *oblationem* vertit Deut. 16 [10] de *Messan*. Articulus igitur 3 in omnibus partibus haereticus est, 4s, 5s et 6s etiam haeretici sunt. Alia est enim ratio sacrificii et alia ratio sacramenti. Nam ut sacramentum pro alio sumi non potest, ut autem sacrificium pro alio offerri potest, sicut pro alio orare possumus.

Franciscus de Heredia, clericus saec., ⟨Hispanus, procurator R. D. episcopi Tirasonensis absentis⟩[d], examinavit articulos de ordine, et quoad primum adduxit argumenta adversariorum, et primo quod ecclesia Christi ignoret ordinem, et quod in sacris litteris non fiat mentio de hoc sacramento. Et si est sacerdotium, id omnibus convenit, ut 1 Petr. 1: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium*[4], et Ioa. in Apoc. [1, 6]: *Et fecit nos Deo regnum* et sacerdotium. Deinde confirmavit[e] catholicam veritatem, ut ordinatio sacramentum sit et omnia, quae ad sacramentum requiruntur, in eo habeantur. Qui ordo necessarius est in ecclesia ad conficienda et ministranda sacramenta. Quod autem sit sacramentum, patet ex diffinitione[f], ut sit signum visibile[g], efficax etc. ⟨Forma autem eius est ordo verborum, quae in ordinatione dicuntur.⟩[h] Materia impositio manuum, calicis datio etc. Et gratiam confert, ut habetur multis in locis, Act. 6 [6] et 13 [2 sq.]; 1 Tim. 4 [14][i]. (Sacramenta enim gratiam causant; ideo sunt signa efficacia.) Et ita ecclesia habuit ab apostolis et semper retinuit et docuit. Responditque ad argumenta: primum esse falsum, quia ecclesia Christi est, quae tenet ordinem esse sacramentum. Et cum dicunt ecclesiam papae id asserere, non ecclesiam Christi, respondit, ecclesiam papae esse ecclesiam Christi nec differre. Et ipsa ecclesia tenet ordinem esse sacramentum a Christo constitutum, Luc. 22 [19]: *Hoc facite in meam commemorationem*, nempe consecrare, offerre. Item Ioa. 20 [22 sq.]: *Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis* etc. Ergo et secunda obiectio falsa est[k]. Tertium argumentum etiam falsum ostendit, quia non omnes ex aequo sunt sacerdotes, sed in ecclesia ordo hierarchicus est. Quod etiam patet ex ordine rerum naturalium. Et | Christus dixit soli Petro: *Pasce oves meas*[5]. Supremus igitur hierarcha[l] in 355v ecclesia est summus pontifex. Quod in veteri lege etiam erat; ergo et multo magis in nova. Supremusque habet sub se medios et infimos, ut patriarchas, archiepiscopos, episcopos, presbyteros etc. et alios inferiores. Non sunt igitur omnes Christiani ex aequo sacerdotes. Dicuntur autem omnes Christiani sacerdotes per quandam participationem sacerdotii Christi tanquam capitis omnium. Qua ratione nos[m] dicimur etiam Christiani. At Paulus Hebr. 5 [1—4] docet qualitates sacerdotis[n], quae omnibus Christianis non conveniunt. Alia etiam ratione Christiani[o] dicuntur sacerdotes, scilicet metaphorice, ut dicitur *sacrificium laudis*[6], sacrificium cordis etc., videlicet interni sacerdotes. Quos monet Paulus, ut corpora sua exhibeant *hostiam placentem Deo*[7] etc.

Dimittiturque congregatio hora 19.

[a] *M* ostendit [b] *C 118 et C 119* missa; *add. omnes codd.* hebraice [c] *M* aliqui
[d] *Th om.* [e] *M* asseruit [f] *M add.* sacramenti [g] *M* sensibile
[h] *M* habeat materiam etc. (est enim invisibilis gratiae visibilis forma et eius formam gerat etc.) In ordine autem est forma, id est verba in collatione ordinis et
[i] *M add.* 2 ad Tim. 1
[k] *M add.* ostenditque multis rationibus ecclesiam papae et Christi eandem et unam esse
[l] *C 119* hierarchia [m] *M add.* omnes [n] *M* quae debent esse in sacerdote
[o] *M* omnes

[1] Cf. *Hebr.* 9, 28.
[2] Cf. de hac re *E. Iserloh*, Die Eucharistie in der Darstellung des Johannes Eck (Münster i. W. 1950) p. 93.
[3] Apud *Is.* 61 hoc verbum non legitur, sed *Is.* 33, 23.
[4] *1 Petr.* 2, 9.
[5] *Io.* 21, 17.
[6] *Ps.* 49, 14 23.
[7] *Rom.* 12, 1.

Congregatio theologorum super examinatione eorundem articulorum de missa et ordine.

Eadem die 18. **Decembris** hora autem 21 habetur congregatio theologorum, qui examinarunt eosdem articulos de missa et ordine, loquiturque primus

Aloysius de Cathania, ord. Praedic., ⟨Siculus, familiaris R. D. Panormitani⟩[a]. ⟨Quoad articulos de missa primum haereticum esse asseruit missamque sacrificium esse declaravit⟩[b], probans primo, quod Christus obtulit se ut sacrificium in cruce[c] et obtulit etiam se ipsum in cena, cum dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*[d 1]. Hac enim ratione transsubstantiavit illas species in corpus suum, quod obtulit, qua [!] in cruce patiebatur[e]. Ergo hoc sacramentum habet rationem veri sacrificii. Neque est sola commemoratio, sed vere continet corpus Christi. Quod sacrificium figuratum fuit in veteri lege per immolationem agni paschalis[2]. Unde dicebat Ioannes Baptista: *Ecce agnus Dei*[3]. Et omnia, quae in immolatione illius agni requirebantur, ⟨repraesentantur nunc in altari in
356r oblatione Christi⟩[f]. Illa enim erant figura, hoc figuratum. Et | hoc est idem cum sacrificio crucis, quod[g] in missa repraesentatur, et ab illo vim et efficaciam habet[h]. Repraesentat etiam sacrificium Melchisedech, ⟨qui in vino et pane obtulit, ut Christus fecit in cena; alias Christus non esset *sacerdos secundum ordinem Melchisedech*⟩[i 4]. Obtulit igitur Christus[k] corpus suum in cena, ergo et sacerdotes etiam offerunt in altari. Si enim illud Christi[k] fuit sacrificium, ⟨istud etiam altaris sacrificium erit, cum Christus praeceperit fieri, quod ipse fecerat, scil. consecrare et offerre. Et licet illud crucis fuerit infiniti valoris, idem tamen est hoc altaris, quod illud repraesentat; et in utroque est idem Christus⟩[l], ergo valet ad remissionem culpae et poenae. Neque propterea poenitentiae sacramentum est superfluum, quia per illud quis fit dignus, ut hoc sacrificium, id est mors Christi, applicetur. Omnia enim sacramenta a crucis oblatione vim habent. Applicatur autem hoc ⟨sacramentum ut⟩[k] sacrificium ex vi sacramenti ordinis, prout eadem[k] vi sacramenti ordinis consecratur.

Hieronymus Vannusius, ord. Praedic., ⟨⌜ex Fano Fortunae⌝[m], familiaris R. D. Calaritani⟩[a], disseruit primum articulum de ordine, quem haereticum comprobavit, damnans[n] tamen, quod hoc sacramentum sit ipsa ordinatio, cum illa transeat; sed est ipse ordo, qui permanet. ⟨Quod etiam ex diffinitione declaravit.⟩[o] Praeterea Christus omnia sacramenta instituit; ergo etiam hoc ordinis. Instituit autem illud in cena, cum dixit: *Hoc facite*[5] etc. et Ioa. 20 [22 sq.]: *Accipite Spiritum Sanctum*[p]. De quo sacramento sancti patres semper meminerunt, ac etiam concilia ut Carthaginense 4[6] et Florentinum[7], quod tamen differt a Carthaginensi, quia ⟨in eo⟩[q] non numerat episcopatum. Quod ⟨ideo fecit, quia B. Thomas non tenet[8] episcopatum esse ordinem⟩[r] quatenus sacramentum, cum hoc sacramentum subordinetur ad Eucharistiam, prout alia omnia[k] sacramenta, quod[s] ad sacerdotes magis pertinet. Episcopatus autem est ordo hierarchicus, non sacramentum; imprimiturque in episcopatu caracter, sed non sacramentalis. Deinde accepit primum articulum de missa,
356v quam | sacrificium esse confirmavit, etiam propitiatorium ratione rei contentae, scilicet

[a] *Th om.* [b] *M* Examinavit articulos de missa, quam sacrificium esse ostendit
[c] *M add.* allegavitque contraria, quibus respondit. Oblatus enim est, quia voluit[9] etc.
[d] *M* tradetur [e] *In M corr. ex* passurus erat [f] *M* in imolatione Christi in altari repraesentantur [g] *M* cuius sacrificium
[h] *M add.* illudque tamen repraesentat
[i] *M* sed ipse non sacrificavit nisi in pane et vino; ergo idem fecit Christus ut figura Melchisedech; alias non esset Christus figura Melchisedech
[k] *M om.*
[l] *M* ergo et hoc est sacrificium. Nam Christus dixit: «Hoc facite», scilicet quod ipse fecit; consecravit autem, benedixit, obtulit etc. Quod faciendum a nobis ordinavit. Et sicut illud crucis fuit infiniti valoris, sic est hoc altaris, cum illud iam transivit, et remaneat in altari, et sic in hoc illud idem corpus Christi
[m] *M* de Fano, Picenus [n] *M* improbavit
[o] *M* Et quod sit sacramentum, probavit ex diffinitione sacramenti et ordinis, qui conveniunt.
[p] *M add.* necesseque fuit, ut hoc sacramentum in ecclesia esset et permaneret
[q] *M* in sacramento ordinis
[r] *M* dixit factum esse, quia secundum B. Thomam episcopatus non est ordo
[s] *M* et id

[1] *Luc.* 22, 19. [2] Cf. *Ex.* 12, 1—11. [3] *Io.* 1, 29. [4] *Ps.* 109, 4; *Hebr.* 5, 6; 7, 17. [5] *Luc.* 22, 19; *1 Cor.* 11, 24 sq. [6] Cf. supra p. 384 adn. 4. [7] Cf. supra p. 385 adn. 11. [8] *Thomas Aquinas,* Summa theol., suppl. III partis q. 40 a. 5. [9] *Is.* 53, 7.

Christi. Et omnibus applicari potest, pro quibus offertur, quantumcunque etiam indispositis, quia tunc impetrat eis primam gratiam. Unde Iob pro filiis quotidie offerebat, licet essent peccatores[1]. Dispositio autem requiritur ad integrum effectum consequendum, scilicet et gratiae et gloriae aeternae. Improbavitque, quod aliqui dixerant, quod sacramentum Eucharistiae[a] possit pro aliis sumi[2], cum sit cibus, de cuius ratione est, ut tantum manducantem iuvet. Contra est autem natura sacrificii, ut pro aliis offeratur, sicut Paulus Hebr. 5 [1 sq.] testatur. Et ut[b] sacramentum nonnisi etiam[b] dispositis prodest, quia hominem vivum praesupponit et membrum Christi ⟨iam factum⟩[b], sacrificium vero etiam pro non effectis adhuc membra [!] Christi offerri potest et illis[b] iuvat.

Deinde solvitur congregatio hora 24.

Congregatio theologorum.
Examinantur iidem articuli de sacrificio missae et sacramento ordinis.

Die sabbati **19.** eiusdem mensis **Decembris** hora 16 habita est congregatio theologorum super examinatione eorundem articulorum de missa et ordine.

Alfonsus de Contreras, ord. Min. de observ., Hispanus[c], examinavit primum articulum de missa definiens eam, quod sit integra et perfecta Eucharistiae celebratio, scil. consecratio, oblatio et communio; ⟨quae tria⟩[b] in ea necessario requiruntur. Caetera vero[b], quae ad ritum et ceremonias pertinent, non sunt essentialia, sed annexa et coniuncta[d], necessario tamen a ministro observari debent. Deinde declaravit[e], quid missae nomen importet[f], scil. quod habeatur ab hebraeo *Missan*, id est oblatio spontanea[3]. Nam Christus spontanee se in cena obtulit ⟨sub illis speciebus⟩[b]. Improbavitque, quod significet missionem, quasi missa ad Patrem. In quolibet autem sacrificio tria requiruntur, videl. res oblata, cui offeratur et a quo offeratur[4]. ⟨Suntque plura sacrificia, aliud typicum, aliud proprium.⟩[g] 357r
Primo modo ⟨id est, cum⟩[h] aliud[i] fit, aliud significat, ut erant sacrificia antiquae legis; ea enim, quae cruenta erant, sacrificium crucis repraesentabant[k]; quae vero[b] non erant cruenta, ut illa panis et vini, oblationem in cena[l]. Sacrificia autem, quae aliud non significant, sunt illa martyrum, qui corpora sua Deo immolabant, de quibus dicitur: *Aestimati sumus sicut* agnus *occisionis*[5]. Missa igitur verum sacrificium est, quod veteris legis sacrificia figurabant. Non est autem typicum, sed proprium et per se. Licet enim repraesentet illud crucis, tamen non est figura illius, sed commemoratio et repraesentatio. Esseque sacrificium missam praedixit[m] cap. 24 [5—8] Levit. de 12 panibus ex simila confectis, in mensa purissima superpositis, de quibus nonnisi Aaron et filii eius comedere poterant. Quae omnia conveniunt proprie sacrificio Eucharistiae in missa. Fuerunt enim 12 panes, ut Christus 12 portiones fecit, cum[n] in cena 12 discipulis dedit; et ex simila purissima, id est fermento azimo, puro, non fermentato. Et in singulo pane duae decimae, id est in qualibet portione duae Christi naturae. Nam numerus denarius perfectionem significat. Addebatur tus, quod orationem significat. Et cum dicebatur: Erunt *in monimentum*[o] *oblationis Domini*, prout est missa commemoratio oblationis Domini in cruce. Et solus Aaron et filii comedebant in loco sancto, id est soli sacerdotes conficere et offerre[p] in ecclesia sancta debent. Articulus igitur primus haereticus est, quia missa est verum[b] sacrificium, neque est sola commemoratio passionis Christi, sed fructus illius et repraesentatio, neque *translato nomine* sed proprie[q], sicut non metaphorice, sed vere ⟨Christus in ea est⟩[r]. Neque est testamentum. Nam duo tantum sunt testamenta, vetus et novum, ut Paulus ad Gal. 4 [24] testatur. At missa non est vetus testamentum neque novum. Vetus enim missam non cognovit; novum autem est, quod in sacris litteris, evangelio, | epistolis Pauli, Apocalypsi etc. continetur; 357v
ergo non missa. Et ad id, quod adducitur ex Luc. 22 [20] et Paulo 1 Cor. 11 [25]: *Calix novum testamentum est in meo sanguine*, respondit calicem accipi pro ipsa passione, id

[a] *M* hoc [b] *M om.* [c] *Th om.; M add.* socius patris de Ortega
[d] *M add.* quae necessaria non sunt, sed [e] *M* ostendit [f] *M* significat
[g] *M* Et est sacrificium typicum, aliud non typicum, sed proprium et per se
[h] *M* ea sunt, quae [i] *Th* aliquid [k] *M* significabant [l] *M add.* significabant
[m] *M* adduxit [n] *Th* eadem [o] *C 119* munimentum
[p] *M* comedere [q] *M add.* sacrificium est [r] *M* est ibi Christi corpus

[1] Cf. *Iob* 1, 5.
[2] Videas votum Ioannis Gropperi, supra p. 408 lin. 15.
[3] De qua re cf. supra p. 415, 8 et adn. 2.
[4] Cf. supra p. 405, 30 et adn. 4.
[5] *Ps.* 43, 22.

est sanguis in calice contentus est confirmativus novi testamenti. Neque missa est *promissio remissionis peccatorum*, sed ipsum sacrificium remissionem peccatorum conferens. Articulus 2 etiam haereticus est. Missa enim est ex evangelio et eam Christus instituit. Neque omne, quod in evangelio expressum non est, non est ex evangelio, quia multa ecclesia habuit ex traditione apostolorum, quae evangelium etiam sunt [!]. Nam Christus praedicabat: *Poenitemini et credite evangelio*[1], antequam evangelium scriptum esset. Missa igitur quoad essentialia expressa est in evangelio; caetera, quae accessoria sunt, secundo modo ex evangelio habentur. Neque in ea idololatria committitur; alias ecclesia fuisset et esset deterior quam synagoga[a] antiqua Israelitarum, quae nunquam sacrificavit idolis. Et ecclesia sancta Dei ⟨sanguine Christi consecrata⟩[b] idolis sacrificaret? Quod blasphemum et impium est. Articulus 3 etiam haereticus est, quia sacrificium missae est idem cum illo crucis et ab eo vim habet, et idem corpus Christi offertur, quod et in cena oblatum est. Dicit enim Christus: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*[2] in remissionem peccatorum, id est offertur nunc in cena; cum autem dicit *tradetur*[3], respicit oblationem crucis. ⟨Et sicut nos facimus in memoriam cenae, ita Christus obtulit in memoriam oblationis crucis⟩[c] et suam mortem significabat. Unde panem in cena et vinum post cenam consecravit, ut denotaret separationem corporis ab anima et corporis a sanguine in cruce faciendam[d]. Articulus 4 et 5 etiam sunt haeretici. Nam missa ut sacrificium aliis prodest et applicatur vivis et mortuis ex opere operato et pacto divino, ut apud Ioa. 14: Quicquid *petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*[4]. Tunc autem proprie in eius nomine offerimus, cum ipsummet Christum Deo Patri offerimus. Alia vero sacrificia ex opere operantis tantum[e] valebant[f].
358r Unde scriptum est, quod Deus | *respexit ad Abel et munera eius*[5]. Prodest etiam missa ex opere operantis, ut cum est iustus, qui offert, et quia offertur nomine ecclesiae, quae meretur apud Deum. Quare non omnes missae eodem modo valent, sed secundum qualitatem offerentis. Prodest etiam mortuis, quia[g] illi nobiscum membra Christi sunt et coniuncti nobiscum eadem fide et charitate sub uno capite Christo[h].

Dimittitur autem congregatio hora 19.

Congregatio theologorum.
Examinantur iidem articuli de sacrificio missae et de sacramento ordinis.

Eadem die **19. Decembris** hora autem 21 habetur congregatio theologorum super eadem articulorum de missa et ordine examinatione.

Antonius de Uglioa, ord. Min. de observ., ⟨Hispanus, socius patris de Castro⟩[i], ⟨disseruit articulos de sacramento ordinis⟩[k] et primo probavit, ordinem esse sacramentum, ⟨etiam episcopatum⟩[l]. Si enim episcopatus non esset sacramentum, esset tantum[e] potestas iurisdictionis; ergo conferri posset ⟨etiam ei⟩[m], qui non esset sacerdos; ⟨cum tamen⟩[n] potestas consecrandi sacerdotes, conficiendi chrisma et alia non sit[o] iurisdictionis sed ordinis, neque a sacerdotio differt, sed eo consumatur et perficitur. Differt igitur episcopatus a sacerdotio. Et licet concilium Florentinum episcopatum in ordine non nominet[6], tamen illud concilium non ponit ex ordine gradus illos, et quia etiam[e] episcopatus in sacerdotio continetur. Ordines etiam[p] inferiores[q] sacramenta sunt. Nam si in veteri lege[r] minores ordines sacramenta erant, ut habetur Num. 8[13ss.], multo magis in nova lege eoque magis, cum illa esset umbra, nostra figuratum. Idem etiam habetur in concilio Florentino in bulla Armenorum, in qua[s] septem illi ordines in sacramento ordinis numerantur[7]. Idem Clemens I epist. 1[8] et Anacletus epist. etiam prima[9] atque etiam in canonibus aposto-

[a] *M* ecclesia [b] *M* secundum Lutheranos
[c] *C 119 et Th om.* [d] *M* factam [e] *M om.* [f] *M add.* non opere operato
[g] *M add.* et [h] *M add.* 6. articulus etiam haereticus est [i] *Th om.*
[k] *M* qui super ordinis sacramento dixit [l] *M* et etiam episcopatus ordinem sacramentum esse [m] *M* alicui [n] *M* licet et [o] *M* est [p] *M* autem
[q] *M add.* etiam [r] *M* testamento [s] *M add.* omnes

[1] *Marc.* 1, 15. [2] *Luc.* 22, 19.
[3] *1 Cor.* 11, 24.
[4] *Io.* 16, 23; cf. 14, 13.
[5] *Gen.* 4, 4.
[6] In decreto pro Armenis; cf. adn. sequentem.
[7] Non expresse enumerantur, sed dicitur: «Et sic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur». *Mansi* XXXI 1057.
[8] Cf. supra p. 384 adn. 9.
[9] *Anacletus* papa, Epistula 1 n. 10 (est Pseudo-Isidori). *Hinschius* 70. Cf. c. 59 *Episcopus Deo* de consecr. dist. 1.

lorum[1]. Praeterea semper ab omnibus patribus ii septem ordines vocati sunt; si sunt autem ordines, | sunt sacramenta. Idem Beda sentit in 6. cap. Act. de ordinatione septem 358v
diaconorum[2]. Et licet ii septem ordines non videantur habere[a] manus impositionem, tamen id falsum est, quia et in illis manus imponuntur. Diaconissae autem in hoc ordine numerandae non sunt, quia[b] manus impositionem non habeant[c], sed sunt tanquam abbatissae vel priorissae, quae praeerant viduis etc., ut Hieronymus refert[3]. Deinde examinavit articulum 8 de missa, quod vinum non sit materia huius sacrificii, quod falsum ostendit ex Matth. 26 [29] et Marc. 14[d] [25]: *Amen dico vobis, non bibam admodum de genimine vitis huius* etc. Et aquam etiam vino miscendam[e] comprobavit, ut Alexander I testatur et habetur in concilio Florentino[4]. Et Christus etiam in vino et aqua consecravit. Damascenus lib. 4 de fide orthodoxa[5] et Cyprianus ad Caecilium fratrem[6] et colligitur ex Paulo 1 Cor. 11 [25], cum de calice inquit: *Hoc facite in meam commemorationem*, scil. effusionis sanguinis in cruce, ex cuius latere exivit sanguis et aqua. Articulus etiam 9 haereticus est. Neque etiam missas in honorem sanctorum celebrare malum est, ut Felix papa I epist. 3[7], concilium Gangrense[8], concilium 6. Constantinopolitanum[9] testantur. Articulus 10 haereticus est. Et missa Christi etiam cum quibusdam[f] ceremoniis celebrata fuit, ut ostendit Thomas Valdensis[10].

Franciscus Visdomini[g][11], ord. Min. Conv., Ferrariensis, ⟨regens Venetiarum⟩[f], missus a sua religione, examinavit articulos 4, 5 et 6 ⟨de ordine⟩[h] et probavit, in ecclesia Dei esse sacerdotium visibile, adduxitque argumenta adversariorum, primo, quod sacerdotes debeant a plebe et populo ordinari, quod non fit in ecclesia; ergo non sunt sacerdotes. Quodque episcopi non conferant Spiritum Sanctum, quia alias aemularentur Christo, et sicut episcopi non possunt dicere: *Lazare, veni foras*[12] et mortuos suscitare, sic et[f] nec Spiritum Sanctum tribuere. Et quod unctio vana sit, cum habeatur ex veteri lege[i]; alias et agnus occidi deberet, sanguis spargi etc. Et quod | impositio manuum[k] non sit sacra- 359r
mentum, quia, licet a Paulo sit factum et praeceptum[13], tamen Paulus et orare docet manibus iunctis elevatis, versus orientem genua flectere[14], quae etiam essent ⟨ea ratione⟩[f] sacramenta. Deinde confirmavit veritatem catholicam, quam ecclesia Romana semper tenuit, ut sacerdotium sit ordo et eo modo, quo confertur, conferendus. ⟨Fecitque quasdam distinctiones, ut⟩[l] agens unum sit praeparans, aliud vere[m]. Et verbum Christi aliud praeceptivum ut: *Hoc facite in meam commemorationem*[15]; *Diligite inimicos vestros*[16]; alterum exempli et[n] hoc aliud imitabile, ut: Praeceptum *enim dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis*[17]; aliud admirabile ut: *Adolescens, tibi dico, surge*[18]; et elementum uno modo per se purum, alio modo, quod habet gratiam annexam; et usus rei alius proprius, ut solis lumen; alius improprius, qui aliis etiam[f] rebus convenit. Posuit deinde

[a] *Th* haberi [b] *Th* quae [c] *Th* habent [d] *Codd. et Th falso* 24 [e] *Th* miscendum
[f] *M om.* [g] *M* Vicedominus [h] *Th om.* [i] *M* testamento [k] *M* manus
[l] *M* distinxit [m] *M add.* agens
[n] *Codd. et Th* ut; *sed legendum est* et, *quia alio modo sensus non habetur; etiam in voto scripto legitur* et

[1] In Canonibus Apostolorum nominatim enumerantur sequentes gradus ordinum: Episcopus, presbyter, diaconus, subdiaconus, lector et cantor (can. 42 43 69). *F. X. Funk*, Didascalia et constitutiones apostolorum I (Paderbornae 1905) 576/77 584/85.

[2] *Beda Venerabilis*, Super Acta Apostolorum expositio cap. 6. *Migne*, P. lat. XCII 956; *idem*, Liber retractationis in Actus Apost. cap. 6. *Ibidem* 1012.

[3] De diaconissis videas *A. Kalsbach*, Die altkirchliche Einrichtung der Diakonissen bis zu ihrem Erlöschen (Freiburg i. Br. 1926). Hieronymi testimonia de hac re invenis *ibid.* 76 sq.

[4] *Alexander I*, Epistula 1 ad universos orthodoxos n. 9 (quae est Pseudo-Isidori). *Hinschius* 99. C. 1 *In sacramentorum* de cons. dist. 2. Cuius verba adducuntur in decreto pro Armenis concilii Florentini. *Mansi* XXXI 1056.

[5] *Ioannes Damascenus*, De fide orthodoxa lib. IV cap. 13. *Migne*, P. gr. XCIV 1139—1142.

[6] Epist. 63, 10. CSEL III, II 708 s.

[7] *Felix I*, Epistula 2 ad episcopos Galliae n. 16 (quae est originis Ps.-Isidorianae). *Hinschius* 203.

[8] Concilium Gangrense saec. IV habitum c. 20. *Mansi* II 1112. *Bruns* I 109. C. 9 *Si quis per superbiam* D. XXX.

[9] Synodus quinisexta (Trullana a. 692 habita) in c. 2 canones concilii Gangrensis confirmavit, *Bruns* I 36.

[10] Vide infra Addenda et Corrigenda.

[11] Franciscus Visdomini (Vicedominus, Francischinus de Ferraria) O. M. Conv. interfuit concilio iam annis 1546/47 (etiam Bononiae) et postea annis 1562/63. Obiit die 29. Oct. 1573, aetatis 59 annorum. Conc. Trid. II 737 adn. 7; VI, I 87 adn. 8 et 842; IX 161 adn. 1. Cuius votum in scriptis datum exhibemus in App. IV n. 9. Cf. Röm. Qu. L (1955) 38 s.

[12] *Io.* 11, 43.

[13] Cf. *1 Tim.* 4, 14; 5, 22; *2 Tim.* 1, 6.

[14] Huiusmodi praecepta apud Paulum non leguntur; cf. *1 Tim.* 2, 8.

[15] *Luc.* 22, 19; *1 Cor.* 11, 24.

[16] *Matth.* 5, 44; *Luc.* 6, 27 35.

[17] *Io.* 13, 15: *Exemplum enim dedi vobis* etc.

[18] *Luc.* 7, 14.

conclusiones quasdam. Prima: Episcopi rite et vere ordinati soli sacerdotium conferre possunt. Nam Paulus, antequam esset cum Barnaba segregatus in episcopatum[1], presbyteros non constituit; et ita ordinavit Titum, Timotheum[2] etc., quia solus episcopus potest manus imponere; et licet presbyteri etiam[a] manum imponant, ad diversum tamen effectum, ut scil. episcopi conferant ordinem, presbyteri ⟨a peccatis⟩[a] absolvant. Unde Bonaventura ait: Episcopi imponunt manum cum benedictione[3] etc. Praeterea si episcopi soli possunt confirmare, ergo multo magis ordinare, quod plus est. Maior item est, qui benedicit, quam qui benedicitur; sed presbyteri benedicuntur, ergo ab episcopis, cum soli episcopi maiores sint presbyteris in ecclesia Dei. Et ⟨episcopi etiam episcopum ordinant, et eo casu ordinantes maiores sunt ipso ordinando ob auctoritatem, quam pontifex eis dat⟩[b]. Neque obstat, quod Ostiensis episcopus summum pontificem ordinet[4], quia ipse dat, quod est in episcopo; caetera pontifex habet a Christo. Item Act. 14[c] [22]: *Cum constituissent presbyteros per singulas civitates* etc.; qui ordinantes fuerunt Paulus et Barnabas,
359v ⟨cum essent et ipsi in episcopos ab apostolis ordinati⟩[d][5]. Con|clusio secunda est, quod plebs non potest constituere sacerdotes, quod etiam concilium Laodicense cap. 13 prohibet[6]; sed ⟨id munus⟩[a] ad solos episcopos spectat. Nam nisi vocati et missi non possunt esse sacerdotes. Mitti autem nisi ab episcopo non possunt. Plebs autem aliquando praebebat testimonium in ordinationibus faciendis; eius tamen plebis praesentia non ordinabat, sed bonae vitae testimonium praebebat. Quod et Paulus refert[7]. Postea respondit ad argumenta adversariorum, scil. quod soli episcopi ordinant, Spiritum Sanctum conferunt et sunt aemulatores Christi; quod ipsemet Christus[a] praecepit, cum dixit: *Hoc facite*[8] etc.; *Accipite Spiritum Sanctum*; *quorum remiseritis peccata*[9]; et Paulus ait: Imitatores Christi estote[10]. Et exemplum Lazari est exemplum admirabile[11], non imitabile neque praeceptum, licet et id sancti viri[a] fecerint. Deinde aliam attulit conclusionem, videlicet unctionem esse materiam huius sacramenti, quae Spiritum Sanctum significat, ut dicitur: *Spiritus Domini super me, quia Deus unxit me*[12]; et alibi: *Unxit te Deus oleo laetitiae*[13]. In qua unctione et manuum impositione gratia confertur, ut habetur ex Paulo 1 Tim. 4 [14] et Act. 6 [6][e]. Quae unctio habetur a lege veteri, quae umbra erat huius unctionis. Unde Cyprianus vocat hanc unctionem reliquias legis[14]; habeturque ex traditione apostolica. Neque propterea iudaizamus, cum non significet tantum gratiam ut illa, sed etiam conferat. Quam unctionem a Christo, non ab Aarone habemus. Neque omnia, ⟨quae Christus nobis reliquit⟩[a], scripta sunt, ut testatur Ioannes ultimo[15]. Apostoli tamen et ea usi sunt et ⟨eandem nobis reliquerunt⟩[f]; sicque patres docuerunt[g] et ecclesia sancta Dei. Ideo et sanguinem non aspergimus, ut in veteri lege fiebat[a]; *nos* enim *talem consuetudinem non habemus*[16].

Solvitur autem congregatio hora 24.

Missa concilii dominica 4 Adventus Domini.

Die **20.** eiusdem mensis **Decembris,** quae fuit dies dominica 4 Adventus Domini, celebravit missam consuetam R. D. episcopus Misiensis, Germanus, oravitque sacrae
360r theologiae magister | Alexander Candidus, ord. Carmel., Flander. Quibus sacris interfuerunt legatus, praesidentes, electores, oratores et patres omnes.

Congregatio theologorum. Examinantur iidem articuli de sacrificio missae et sacramento ordinis.

Eadem die Dominica **20. Decembris** hora vero 21 habetur congregatio theologorum super examinatione eorundem articulorum de missa et ordine.

a *M om.* b *M* episcopus episcopum ordinat et est eo maior ob auctoritatem, quam eo in casu ei dat pontifex c *Codd. et Th* 13 d *M* qui iam erant episcopi e *M add.* et multis aliis in locis f *M* tradiderunt g *C 119 et Th* reliquerunt

1 Cf. *Act.* 13, 2 sq. 2 Cf. *Tit.* 1, 5; *2 Tim.* 1, 6.
3 *Bonaventura,* In IV. Sent. dist. 25 a. 1 q. 1 ad 2. 4 Cf. *K. A. Fink,* LThK VII 823.
5 Cf. *Act.* 13, 2 sq.
6 Concilium Laodicenum saec. IV habitum can. 13. *Mansi* II 578 586. *Bruns* I 75. Cf. c. 6 *Non est permittendum* D. LXIII.
7 Cf. *1 Tim.* 3, 7.
8 *Luc.* 22, 19; *1 Cor.* 11, 24. 9 *Io.* 20, 22 sq.
10 Cf. *1 Cor.* 4, 16; 11, 1; *Eph.* 5, 1.
11 Cf. *Io.* 11, 43 sq. 12 *Is.* 61, 1. 13 *Ps.* 44, 8.
14 Talem sententiam in Cypriani operibus invenire non potui.
15 Cf. *Io.* 21, 25. 16 *1 Cor.* 11, 16.

Ioannes Tertius, ord. Min. Conv., minister[a] Mediolanensis, ⟨patria Bergomensis⟩[b], missus ab eius religione, disseruit articulos de ordine, quem sacramentum esse confirmavit ex sacramenti diffinitione, ut habeat materiam, formam et pactum gratiae; quod sacramentum institutum fuit ⟨a Christo⟩[c] Ioa. 20 [22 sq.]: *Accipite Spiritum Sanctum* etc.; *sicut misit me Pater, et ego mitto vos*[1]. Neque haec missio est ad praedicandum, cum apostoli iam Matth. 10 [5 sq.] missi fuissent ad praedicandum. Adduxitque argumenta quaedam adversariorum, quae et solvit. Ordinis autem potestatem ostendit non esse sacramentum, sed ipsam ordinationem. Non enim gradus et potestas est sacramentum, cum sit quoddam invisibile, sed effectus ipsius sacramenti. Confert autem hoc sacramentum, quatenus est in se, gratiam et hominem sanctificat. Primus igitur articulus haereticus est; idem 2[s] et 3[s], quia in ecclesia est hierarchia, quod probatur in Petro, cui Ioa. 1 [42] fuit haec potestas initiata, cum dictum est ei: *Tu vocaberis Cephas,* promissa Matth. 16 [18 sq.]: *Tu es Petrus et super hanc petram* etc. ⟨et ibi⟩[d]: *Dabo claves regni coelorum,* insinuata Luc. 22 [32]: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos,* tradita autem Ioa. 21 [17]: *Pasce oves meas.* Quem locum Chrisostomus de primatu iurisdictionis exponit[2], prout etiam sancti patres semper intellexerunt. Cyprianus lib. 1 epist. 3[3]. Responditque ad quasdam obiectiones, ut 2 [9] ad Gal.: Dedit dextram | *societatis,* et 360v
Ioa. 20 [23]: *Quorum remiseritis* etc., quasi omnes apostoli sint pares etc., scilicet quod apostoli in defensione fidei pares sunt; ac etiam respectu ad corpus Christi, quod omnes aequaliter, etiam ⟨quilibet sacerdotes⟩[e], conficere possunt. Quo autem ad Christi corpus mysticum non erant pares, sed Petrus maior erat iurisdictione. Qui ordo hierarchicus est etiam in aliis gradibus ecclesiae, praemittens in antiqua ecclesia non fuisse discrimen inter episcopos et presbyteros. Et quod ea, quae a Deo sunt, ⟨ordinata sunt⟩[b4] etiam in naturalibus. Potestas autem a Deo est; ergo ordinata est. Quidam igitur in ecclesia aliqua[f] facere possunt, quae ⟨alii non possunt, ut⟩[g] Act. 8 [14—17] et ad Phil. 1 [1]: *Omnibus sanctis,* presbyteris, diaconibus etc. Et per presbyteros Paulus intellexit episcopos, ut etiam intelligitur Tit.[h] 1 [5]: *Ut constituas per* singulas *civitates presbyteros.* Beda super 15 Luc. lib. 3 ostendit esse discrimen inter episcopos et presbyteros[i5]. Et Anacletus papa[6] ac Ignatius epist. ad Antiochenos[7]. Non sunt igitur omnes Christiani ex aequo sacerdotes. Unde 1 Cor. 12 [12] et Rom. 12 [4 sq.] dicit Paulus multa membra esse in ecclesia, non omnia tamen habere eundem actum[k].

Antonius a Sapientibus[8] ex Augusta Praetoriae, ord. Min. Conv., regens Mediolanensis, missus etiam a sua religione, disseruit articulos de missa eamque sacrificium eucharisticum, propitiatorium et expiatorium esse declaravit, non autem testamentum neque promissionem remissionis peccatorum. [l]Improbavit autem deduci ex illis verbis: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*[9] aut ⟨frangitur; vel sanguis, qui funditur, missam dici posse ex evangelio et a Christo institutam⟩[m], cum nos dicamus in canone *tradetur* et *frangetur* in futuro[10]. Sed deduxit ipse ex illis verbis: Accipiens panem et gratias agens benedixit et fregit[11]. Accipiens igitur panem et illum in suum corpus transsubstantians, cum illum benedixit, Deo Patri obtulit. Deinde fregit et porrexit discipulis. Neque |
obstat, quod Christus illis verbis consecraverit: *Hoc est corpus meum,* ergo non illis, cum 361r
benedixit, ut dictum est; quia respondit nos facere, quod Christus praecepit faciendum, non autem quod ipse fecit. Non enim omnia, quae Christus fecit, nos facimus, sed quae Christus nobis faciendum praecepit. Missa igitur est sacrificium et aliis, vivis etiam et mortuis, applicatur, scilicet ut sacrificium; ut sacramentum autem applicatur tantum sumenti.

Deinde dimittitur congregatio hora 24.

[a] *M* provincialis [b] *Th om.* [c] *M om.* [d] *Th* tibi [e] *M* sacerdotes omnes [f] *M* quaedam
[g] *M* non alii, ad quod allegavit [h] *Th* Tim. [i] *M* sacerdotes [k] *M* effectum
[l] *M anteponit* Quod autem missa sit ex evangelio et a Christo instituta
[m] *M* sanguis frangitur [!]

[1] *Io.* 20, 21.
[2] *Chrysostomus,* Hom. 88 in Ioannem n. 1. *Migne,* P. gr. LIX 478 sq.
[3] *Cyprianus,* Epistula 59 ad Cornelium papam n. 14. *Migne,* P. lat. III 806 sq. CSEL III, II 683.
[4] Cf. *Rom.* 13, 1.
[5] *Beda Venerabilis,* In Lucae evang. expositio lib. III cap. 10. *Migne,* P. lat. XCII 461.
[6] Cf. supra p. 418 adn. 9.
[7] Cf. supra p. 413 adn. 10.
[8] Antonius Sapiens sive a Sapientibus, ord. M. Conv., Augustanus (*Aosta*) anno 1562 electus est generalis sui ordinis, quo in munere anno 1566 mortuus est. Interfuit concilio etiam annis 1562/63. Conc. Trid. VIII 462 adn. 6 et passim; IX passim.
[9] *Luc.* 22, 19.
[10] Quod non dicitur in canone, sed tantummodo: «sanguis, qui effundetur».
[11] Cf. *Matth.* 26, 26; *Marc.* 14, 22; *Luc.* 22, 19; *1 Cor.* 11, 23 sq.

Congregatio theologorum. Examinantur iidem articuli de sacrificio missae et sacramento ordinis.

Die lunae **21.** eiusdem mensis **Decembris** hora 21 habita est congregatio theologorum (mane enim ob festum B. Thomae non habetur), quorum infrascripti prosecuti sunt examinationem eorundem articulorum de missa et ordine.

Ioannes de Corrigio[a][1], ord. Min. Conv., minister[b] Bononiensis, missus etiam a sua religione, examinavit articulos de o r d i n e primum et tertium. Quo igitur ad 1^{m} probavit ordinem esse sacramentum, allegans primo Paulum ad Rom. 12 [4 sq.] et 1 Cor. 12 [12], qui ecclesiam ad corpus humanum[c] comparat; et sicut necessaria est haec ordinatio in corpore humano, sic etiam in corpore ecclesiae, prout ⟨idem est⟩[d] in ecclesia triumphante, in qua diversi ordines angelorum et spirituum sunt; ergo 3. articulus falsus[e] est, quod in ecclesia non sit hierarchia, ⟨in qua septem ordines sunt. Quod etiam⟩[f] semper patres omnes tradiderunt, quod[g] refert Gratianus dist. 20, 22 et 23, praesertim ex Anacleto pontifice[2]. Nam cum Christus praeceperit consecrationem corporis Christi et absolutionem et retentionem peccatorum, quae non possunt exerceri nisi a sacerdote, ergo Christus sacerdotes[h] necessario[i] instituit. Unde apud Ioa. 20 [21] ait: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* 361v Et licet tunc[i] | discipulis tantum loqueretur, tamen transivit etiam[i] ad successores; alias in ecclesia non essent episcopi nec sacerdotes. Quomodo enim apostoli adimplevissent verbum Christi, ut praedicarent evangelium in universo mundo[3], cum consumatio facienda esset et illi non ad omnes mundi partes devenissent? At peragrarunt successores, ⟨episcopi scilicet, qui eorum loco successerunt, et presbyteri, qui loco 72 discipulorum⟩[k]. Ordinem autem esse sacramentum probavit ex diffinitione, cum omnia, ⟨quae in ea requiruntur⟩[l], in eo[l] habeantur, intelligendo tamen[i] ordinem in prima significatione, id est consecratione visibili; neque omnes Christiani ex aequo sunt sacerdotes, licet 1 Petr. 4 dicatur: *Vos gens sancta, regale sacerdotium*[4]. Et Christus fuit rex et sacerdos. Unde Magi dixerunt: *Ubi est, qui natus est rex Iudaeorum?*[5] Et Psalm. 109 [4]: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Et discipuli non ⟨primum quam⟩[m] baptizati sunt, sacerdotes facti sunt, sed cum eis dictum fuit Luc. 22 [19]: *Hoc facite* etc. et Ioa. 20 [21 sqq.]: *Sicut misit me Pater* etc. Neque qui non praedicat, non est sacerdos, cum sacerdotium sit potestas offerendi et ministrandi sacramenta, non ⟨autem praedicandi⟩[n]. ⟨Quis enim praedicare potest, qui non⟩[o] mittatur, etiam quod sit sacerdos? Neque a magistratu et plebe fiunt sacerdotes, quinimo Act. 4 Petrus noluit obedire magistratui, sed dixit: *Oportet magis obedire Deo quam hominibus*[6]. Et Act. 14[p] [23] legitur de Paulo et Barnaba, qui constituebant presbyteros per civitates; et ad Titum ait Paulus: *Ut constituas per civitates presbyteros*[7]. Quibus in locis de magistratu et plebe nulla fit mentio.

Ioannes a Novesio[8], Coloniensis, Germanus[q], ord. Min. Conv., missus etiam a religione sua, examinavit articulum 6 de o r d i n e, quem haereticum ⟨ostendit, declarans⟩[r] episcopos esse a Christo institutos[s]; atque corroboravit[t] in ecclesia esse iurisdictionem | 362r et praelaturam quandam, quae aliis praeest, prout in iurisdictione politica. Quae iurisdictio distincta est a potestate ordinis, quia illa ad episcopos tantum pertinet et ⟨ad eos⟩[u], qui praesunt; in ordine autem datur tantum potestas offerendi; ordinato tamen datur ab epi-

a *M* Corigio b *M add.* provinciae c *M add.* et membra d *M* etiam
e *M* haereticus f *M* et septem sunt ii ordines in ecclesia, prout
g *Th* quos h *Th* sacerdos i *M om.*
k *M* et episcopi successerunt loco 12 apostolorum, presbyteri autem loco 72 discipulorum
l *C 118 et C 119 et Th falso* ea; *M* ordine m *M* cum
n *M* praedicationis o *M* Neque enim quis praedicare potest, nisi p *Codd. et Th* 13
q *Th om.* r *M* comprobavit ostendens
s *M add.* adducens argumenta adversariorum, quae et solvit
t *M* ostendit u *Codd.* iis

[1] Ioannes Bernerius de Corrigio, ord. Min. Conv., concilio iam prius congregato interfuit. Conc. Trid. I passim. Tractatum de satisfactione canonica scripsit, quem invenis in Conc. Trid. XIII, I, n. 13. Eius votum in scriptis datum exhibemus in App. IV n. 10.

[2] In tribus distinctionibus supra citatis primae partis Decreti solummodo c. 2 *Sacrosancta Romana* D. XXII Anacleto papae adscribitur; revera est originis Pseudo-Isidorianae.

[3] Cf. *Matth.* 28, 19; *Marc.* 16, 15.

[4] *1 Petr.* 2, 9. [5] *Matth.* 2, 2.

[6] *Act.* 5, 29. [7] *Tit.* 1, 5.

[8] Eius votum de sacrificio missae et ordine secretario concilii in scriptis traditum invenis in App. IV n. 11.

scopo iurisdictio regendi oves, quae a Christo est, qua etiam Christus usus est Matth. 21 [12 sq.], cum eiecit ementes et vendentes ex templo. Eam iurisdictionem ⟨ipse Christus⟩[a] dedit Petro et successoribus Matth. 16 [19]: *Tibi dabo claves regni coelorum* et[b] Ioa. ultimo [17]: *Pasce oves meas.* Quam etiam Paulus exercuit 1 Cor. 4 [14—21] et 5 et 2 Cor. 13: Si quis non diligit Dominum Iesum[1] etc. Idemque docuerunt sancta concilia, quae haereticos ⟨aliter sentientes⟩[a] damnarunt[c]. Episcopi igitur sunt maioris dignitatis quam presbyteri, quod etiam patet ex canone apostolorum 40[2]. In multis enim inter se differunt, licet quoad meritum sint aequales et[d] etiam quoad corpus Christi naturale. In ministerio autem et iurisdictione differunt.

Solviturque congregatio hora 24.

Congregatio theologorum super examinatione eorundem articulorum.

Die Martis **22.** dicti mensis **Decembris** hora 16 habetur congregatio theologorum super eisdem articulis de missa et ordine.

Marianus Feltrinus[3], ord. s. Augustini, ⟨prior S. Marci Tridentini⟩[e], examinavit 1. et 6. articulos de missa, et primo missam sacrificium esse firmavit ex Malachia[4], prout deducit Cyprianus lib. adversus Iudaeos[5] ac Hieronymus[6] et Augustinus[7] et alii sancti patres, praesertim cum ibi dirigatur sermo ad sacerdotes veteris legis, quod amplius Deus non esset de eorum manibus sacrificia accepturus, sed ⟨quod essent futuri sacerdotes⟩[f], qui offerent in omni loco hostiam puram et oblationem mundam, scil. Eucharistiam. Item ex ratione, quia, si missa non esset sacrificium sed idololatria etc., ecclesia Christianorum[a] errasset ⟨iam | tot annis⟩[a] et Christus non fuisset in ea, quod blasphemum est et contra 362v
eius promissionem. Et cum Paulus dicat: Vos estis membra Christi[8], ⟨ergo membra Christi⟩[g] idololatrassent. Ergo non Christi membra, sed sathanae; sique Christus ecclesiam dereliquisset, nulla igitur ecclesia Dei in orbe fuisset, quod nullus unquam negavit[h]. Si autem Christus eam non dereliquit, ⟨prout non dereliquit⟩[a], ergo non fuit idololatra. Ecclesia vero, quae perpetuo conservata est, est Romana, ab apostolis fundata. Unde Paulus in sua epistola Romanos Deo dilectos et sanctos vocat, et quod eorum fides annunciaretur[i] in universo mundo[9]. Ecclesia itaque Romana semper tenuit missam esse sacrificium, et Christus semper cum ea fuit; pro eius enim fide Christus oravit, ut non deficeret[10]; ergo non defecit, quia alias Christus non esset exauditus contra Paulum ad Hebr. [5, 7]: *Exauditus est pro sua reverentia.* Et sicut Christus, licet semel pro ecclesia oraverit, tamen continuo pro ea interpellat, ita et *unica oblatione consummavit in aeternum sanctificatos*[11]; tamen etiam quotidie sacrificat per sacerdotes in altari. Et quamvis[a] illa crucis infinita fuerit et sufficientissima, tamen oportet, ut applicetur; ⟨alias non prodest[k]⟩[a]. Applicatur autem per hoc sacrificium. Quod et fit perpetuo ex Dei praecepto: *Hoc facite in meam commemorationem*[12]. Et hoc idem sacrificium est cum illo crucis et eadem hostia; differtque tantum[l] in modo offerendi. Et cum offertur missa pro aliis, ideo repetitur oblatio, quia sacerdos est tantum minister, et Deus est, qui miseretur et ignoscit, quando exaudiatur[13].

Franciscus Tranensis[14], eiusdem ord. s. Augustini, ⟨⌜regens Paduae⌝[m], qui est apud eius generalem⟩[n], disseruit 2. articulum de missa, an sit missa a Christo instituta et in evangelio habeatur. Partem affirmativam defendit ex Luc. 22 [19]: *Hoc facite* etc., ut Am-

[a] *M om.* [b] *M* dedit autem [c] *M add.* et eiecerunt
[d] *M add.* in sacerdotio [e] *Th om.; M add.* Italus, patria Feltrensis
[f] *M* erunt sacerdotes in nova lege [g] *C 119 om.* [h] *Th* affirmavit
[i] *C 119 et Th* annunciaverunt [k] *Th* prodesset [l] *M* tamen
[m] *M* Apulus [n] *Th om.*

[1] Cf. *1 Cor.* 16, 22.
[2] Potius can. 39. *F. X. Funk,* Didascalia et constitutiones apostolorum I, l. c. 576/77.
[3] Marianus Feltrinus, ord. Er. S. Aug., in theologorum de decreto iustificationis discussionibus anno 1546 partem habuit. Pauca de eius indole theologica invenis apud *H. Jedin,* Girolamo Seripando I (Würzburg 1937) 398 403 sq.; II 177 253. Eius votum in scriptis datum videas in App. IV n. 12.
[4] *Mal.* 1, 10 sq.
[5] Cf. supra p. 379 adn. 5.
[6] Cf. supra p. 379 adn. 10.
[7] Cogitat, ut ex voto scripto apparet, de *Augustini* libro I contra adversarium legis et prophetarum cap. 20 n. 39. *Migne,* P. lat. XLII 626 sq.
[8] Cf. *1 Cor.* 6, 15; 12, 27.
[9] Cf. *Rom.* 1, 7 sq.
[10] Cf. *Luc.* 22, 32.
[11] Cf. *Hebr.* 7, 25; 10, 14.
[12] *Luc.* 22, 19; *1 Cor.* 11, 24.
[13] Scilicet sacerdos.
[14] Eius votum in scriptis datum invenis in App. IV n. 13.

brosius in canone missae[1] et in libro de sacramentis[2] declarat, qui etiam Christum se in 363r cena ob|tulisse ostendit; et ex Paulo ad Hebr. 5 [1], ut, cum sit pontifex et sacerdos, habere debuit hostiam, quam offerret. Non intelligitur autem de cruce, quia non obtulisset *secundum ordinem Melchisedech*; ⟨ergo de cena⟩[a]. Missa igitur a Christo instituta est et in evangelio habetur, quod etiam sancti patres semper tenuerunt[b]. Cyprianus de cena Domini[3]; Augustinus lib. 5[c] de Trinitate cap. 10[4]. Estque opus bonum, cum per illud Deo incorporemur. Et sicut in antiqua lege offerre sacrificia erat opus bonum, quia a Deo praecipiebatur[d], multo magis ⟨in nova⟩[a] oblatio huius sacrificii[e], ⟨in quo non umbra vel figura, ut in illis, sed verum Christi corpus offertur⟩[f]. Quare et nec idololatria in ea committitur, ⟨cum verus Deus adoretur[g]⟩[h].

Stephanus Sestinus[i5] eiusdem ord. s. Augustini[k], cum eodem generali, primo disseruit articulum 3 de ordine probavitque in ecclesia esse hierarchiam[l] quandam et sublimes potestates, ut deducitur ex Paulo Rom. 10: *Omnis anima subiecta sit sublimioribus potestatibus*[6], et: Omnis potestas a Deo est[6]. Quod docet etiam Gelasius 92. dist. cap. *Duo sunt*[7]. Estque in ecclesia ipsa monarchia, diversitas ordinum et graduum; alias processus naturae esset perfectior ipso ordine ecclesiae, quod falsum est. Igitur sicut in naturalibus diversitas est ordinum, ita et in ecclesia. Sicut etiam erat in lege veteri et synagoga, multo magis in nova longe nobiliori, ut ostendit Augustinus de differentia synagogae veteris et novae legis[8]. Erat autem ista diversitas ordinum in veteri lege, ut habetur Num. 3. Figuratum vero debet respondere figurae. Idem habetur Iob 38 [33]. Ad instar etiam coelestis hierarchiae, ut refert Dionisius lib. coel. hier.[9] Bernardus lib. 3 de consideratione ad Eugenium cap. 13[10]. Ut, sicut in illa triumphanti, ita in hac militanti sit ordo hierarchicus. Adduxitque argumenta adversariorum: primo quod ecclesia sit una, quod repugnat diversitati ordinum, unde Ioa. ultimo rogat Christus, ut nos unum simus, sicut et ipse cum 363v Patre[11]. Et de loco Matth. 16: Principes saeculares dominantur; | sic vos[12]. Ergo in ecclesia non est aliquis, qui aliis dominetur. Respondit ad primum, quod diversitas quaedam repugnat unitati, ut in iis, quae sunt fidei, quae diversitas unionem scindit, quod Paulus vetat[m] ad Corinthios: Estote conformes et *in vobis non sint schismata*[13]. Alia est diversitas, quae unitatem non scindit, sed imo[a] est perfectio unitatis, ut membra[a] in corpore humano, ut refert Paulus 1 Cor. 12 [12] et Rom. 12 [4 sq.]. Quae membra ⟨non solum corpus⟩[a] non scindunt, sed eius[n] pulchritudinem faciunt. Unde David Ps. 44 [10] dicebat: *Astitit regina a dextris tuis, circumdata varietate* etc. Quod de ecclesia Cassiodorus[14], Augustinus[15] et alii intelligunt[o]. Ad ⟨2[m]⟩[p] de Matth. 16[q]: Vos autem non sic[16] etc. respondit, ⟨ea verba⟩[r]

[a] *M om.* [b] *M* senserunt [c] *M* 3 [d] *M anteponit* ergo [e] *M add.* novae legis
[f] *M* cum illa essent umbra et figura, hoc sit figuratum et veritas [g] *Th* adoratur
[h] *M* quia in ea verus Deus sub illis speciebus continetur
[i] *M hic del.* de Montefiascone [?], Senensis [k] *M add.* regens Paduae
[l] *M* monarchiam [m] *M* refert [n] *M* corporis
[o] *M add.* Ad 2[m], quod claves sint ecclesiae datae, non Petro etc., respondit, ecclesiam intelligi aliquando pro unione omnium fidelium, aliquando pro particularibus, aliquando pro praelato, qui est caput ecclesiae illius, ut intelligitur Matth. 18 [17]: «Dic ecclesiae», ut sancti patres interpraetantur. Dedit igitur ecclesiae claves Christus, cum Petro eius capiti dedit. Item respondit datas aliquibus de ecclesia ut episcopis et praelatis, non autem singulis de ecclesia, qui dicuntur ecclesia, quia ecclesiam repraesentant. Unde concilium dicitur ecclesia universalis, quia illam repraesentat.
[p] *M* 3[m] [q] *C 118 et C 119 et Th* 15 [r] *In M hoc loco del.* ita

[1] In Missali secundum ritum Ambrosianum post consecrationem.
[2] *Ambrosius,* De sacramentis lib. IV cap. 5. *Migne,* P. lat. XVI 445 sq. CSEL LXXIII 55 s.
[3] Cf. supra p. 397 adn. 12.
[4] *Augustinus,* De Trinitate lib. III cap. 10 n. 21. *Migne,* P. lat. XLII 881.
[5] Stephanus Sestinus (a Sestino), ord. Er. S. Aug., variis in ordine suo muneribus functus est (cf. *H. Jedin,* Girolamo Seripando I [Würzburg 1937] 275 adn. 1); cum generali H. Seripando anno 1546 ad concilium profectus est (cf. praesertim Conc. Trid. V 607—611). Anno 1548, tunc temporis regens conventus Mediolanensis, de haeresi accusatus coram inquisitore abiuravit et a generali ordinis punitus est, qui ei postea, quia poenae se subiecit, veniam dedit. *H. Jedin* l. c. I 274 sq. et II 558. Anno 1550 iterum in suspicionem haereseos venit, *ibid.* I 277 adn. 1. Conc. Trid. VI, I 40 adn. 7. Eius votum in scriptis datum invenis in App. IV n. 14.
[6] *Rom.* 13, 1.
[7] Legendum est *Pelagius papa,* D. XCVI c. 10 *Duo sunt,* ut in voto scripto.
[8] Ex. gr. in libro De spiritu et littera cap. 18—20. *Migne,* P. lat. XLIV 219—222.
[9] *Pseudo-Dionysius,* De eccl. hier. cap. 5 n. 2. *Migne,* P. gr. III 501/02.
[10] *Bernardus Claraevallensis,* De consideratione ad Eugenium III papam lib. III cap. 4 n. 17. *Migne,* P. lat. CLXXXII 768. Cf. votum scriptum.
[11] Cf. *Io.* 17, 11. [12] Cf. *Matth.* 20, 25 sq.
[13] *1 Cor.* 1, 10.
[14] *M. A. Cassiodorus,* Expositio in Psalterium, Ps. 44, 11. *Migne,* P. lat. LXX 324.
[15] *Augustinus,* Enarratio in Ps. 44 n. 24. *Migne,* P. lat. XXXVI 509 sq. Corp. Christ. XXXVIII 512. [16] Cf. supra lin. 25 et adn. 12.

declarari ⟨ibidem per⟩[a] subsequentia, cum dicitur: Qui ex vobis erit maior, minor fiat. Quibus verbis potius ordo ecclesiasticus[b] constituitur; sed monet eos Christus, ut non sint sicut ethnici tyranni, sed in sancta vocatione. Unde Paulus ad Hebr. dicit: Nemo assumat sibi honorem, nisi qui vocatus est[1]. Qua ratione etiam non omnes Christiani sunt ex aequo sacerdotes. Quare dicit Christus: *Ego elegi vos.* Ad quid autem, ipse docet: *Ut eatis* (scilicet) *et fructum afferatis*[2]. Et ut Paulus ait: Unusquisque debet manere in sua vocatione[3]. Quomodo autem id fit, si omnes sunt ex aequo sacerdotes? Et ubi essent illi gradus distincti, de quibus Paulus Rom. 12 [3—6] et 1 Cor. 12 [4 sqq.]? Et ad quid Paulus instituit Titum et Timotheum[4]? Ad quid etiam ipse Paulus et Barnabas Act. 13 constituebant per singulas civitates presbyteros[5]? Et ad id, quod habetur 1 Petr. 2 [9] et Apoc. 2[6] et 5 [10], respondit, Christianos esse reges et sacerdotes sibi. Unde Paulus ait: *Non regnet peccatum in mortali corpore vestro*[7]; et esse sacerdotes spirituales ad offerendum hostias suorum corporum Deo placentes[8]. Neque qui sacerdos semel fit, amplius laycus fieri potest, prout semel baptizatus amplius inbaptizatus fieri non potest, quia haec duo sacramenta sunt irreiterabilia et caracterem indelebilem imprimunt; neque nisi cum[c] vita deletur. Et | sicut nullus sacerdos in veteri lege[d] id potuit, ⟨ita et⟩[c] multo minus 364r
in nova[e], quia illi erant sacerdotes de per se neque accipiebant caracterem indelebilem, prout fit in nova lege. Quinimo etiam secundum Lutherum, si omnes Christiani[c] sunt ex aequo sacerdotes, ergo qui semel est Christianus[f] et sic ⟨secundum eum⟩[c] sacerdos, non potest non esse sacerdos[g].

Dimittitur congregatio hora 19.

Congregatio theologorum. Examinantur iidem articuli de sacrificio missae et sacramento ordinis.

Eadem die **22. Decembris** hora autem 21 habetur congregatio theologorum, qui prosecuti sunt examinationem eorundem articulorum de missa et ordine.

Adeodatus Senensis[9], eiusdem ord. s. Augustini, ⟨familiaris R. D. Panormitani⟩[h], ⟨quoad ordinem primum articulum haereticum esse corroboravit, et ordinem⟩[i] sacramentum esse defendit semperque in ecclesia Dei sacerdotium fuisse; alias Christus mentitus fuisset, cum promiserit se[h] affuturum ecclesiae usque ad consummationem saeculi[10] et missurum Spiritum Sanctum, qui doceret[k] omnem veritatem[11]; ⟨quam tamen[l] non docuisset, si sacerdotium sacramentum non esset, prout ipsa ecclesia semper tenuit, quae⟩[m] sine sacerdotio esse non potest, ⟨prout sine eo nulla unquam⟩[n] natio[o] fuit; alias Christianorum natio[p] esset cunctis aliis deterior. Nam et gentiles, qui idolis sacrificabant, suos externos habebant sacerdotes. Qui fieri potest, ut ecclesia sancta Christi, in qua vero Deo verus Deus sacrificatur, sacerdotes visibiles non habeat? Praeterea populus et sacerdos sunt invicem correlativi, et unus sine alio esse non potest. Item ecclesia est externa et visibilis; ergo habet sacerdotes externos et visibiles. Si autem ecclesia esset mathematica et invisibilis, non posset adimpleri, quod Christus dixit: *Dic ecclesiae*[12] et Paulus: *Nos talem consuetudinem non habemus neque ecclesia Dei*[q][13]. In lege etiam naturae visibilis fuit sacerdos ut Melchisedech; idem in lege veteri ⟨de Aaron et aliis⟩[c]. Ad haec, si in ecclesia Dei est lex, est et sacerdo|tium; alias si ecclesia invisibilis, sacerdotium invisibile; ergo et evangelium 364v
invisibile; nam ista tria ad invicem se habent, ut ait Paulus ad Hebr. [7]. Sed hoc falsum est; ergo et id, ex quo deducitur[r]. Si enim evangelium, id est lex, est visibile, visibilis erit ecclesia, visibile erit et sacerdotium[s].

[a] *M* in verba [b] *M* hierarchicus [c] *M om.* [d] *M* testamento [e] *M add.* lege
[f] *M* Christifidelis [g] *M add.* quae contrariantur et impia et blasphema sunt
[h] *Th om.* [i] *M* disseruit articulos de ordine, quem [k] *M* edoceret [l] *C 118 et C 119* eam
[m] *M* neque enim docuisset veritatem, si sacerdotium ipse semper tenuit etc. Neque ecclesia
[n] *M* neque unquam aliqua [o] *M add.* sine sacerdotio [p] *M* ecclesia
[q] *M add.* Quod et multis modis probavit [r] *Th* deducit
[s] *In M hoc loco est del.* Quod sacrificium vivis et defunctis; *insuper est add.* Est igitur missa sacrificium et vivis et mortuis applicari potest.

[1] Cf. *Hebr.* 5, 4. [2] *Io.* 15, 16.
[3] Cf. *1 Cor.* 7, 20.
[4] Cf. supra p. 420, 3 et adn. 2.
[5] Cf. *Act.* 14, 23. [6] *Apoc.* 1, 6.
[7] *Rom.* 6, 12. [8] Cf. *Rom.* 12, 1.
[9] De quo cf. Conc. Trid. VI, I 18 adn. 1. Eius votum in scriptis datum videas in App. IV n. 15. Cf. Röm. Qu. L (1955) 39.
[10] Cf. *Matth.* 28, 20. [11] Cf. *Io.* 14, 16 sq. 26.
[12] *Matth.* 18, 17. [13] *1 Cor.* 11, 16.

Franciscus de Senis[1], eiusdem ord. s. Augustini, ⟨regens Venetiarum, apud eius generalem⟩[a], omnes articulos propositos haereticos esse confirmavit, examinavitque principaliter[b] ultimum articulum de o r d i n e, quod episcopi sint iidem cum presbyteris, idque falsum esse[c] ostendit. Et quod in sacris litteris de episcopatu fiat mentio, Ps. 104: *Et episcopatum eius accipiet alter*[2]. Quod Petrus Act. [1, 20] repetit. Et Paulus ait: *Episcopum oportet esse irreprehensibilem*[3] etc., et multis aliis[d] in locis. Et Act. 20 [28]: *In quo vos posuit episcopos regere etc.* Et de presbyteris etiam fit mentio in veteri lege, Eccl. 4 [7], 6 [35], 7 [33], 8 [9] et 25 [6]. Idem in nova lege 1 Tim. 5 [17 sqq.] et ad Tit. 1 [5]. Ac etiam sacerdotes in veteri lege a Deo ordinati sunt, ut primo in Aaron[4]; levitici etiam, licet distincti essent[5], iidem[e] tamen erant. At David exorcistas et ianitores instituit[6]. Sic ecclesia Christi habet episcopos, sacerdotes et alios inferiores ordines, ut diaconos, subdiaconos, lectores etc. Et horum omnium ordinum caput est summus pontifex, prout membrorum[d] in corpore humano est caput. Et hoc modo ecclesia haec militans similis est ecclesiae triumphanti, ut in ea multi ordines sint et eorum omnium caput Christus. Articulus igitur ultimus de ordine haereticus est, quia episcopi a Christo ⟨instituti sunt⟩[f]. Si enim episcopi et presbyteri in lege veteri a Deo ordinati erant, ut Exod. 28 [1], Eccles. 4 [7], multo magis nova, quae perfectior est, perfectiores habet sacerdotes et perfectius sacrificium. Et[g] Christus apostolos elegit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*[7]. Qui apostoli episcopi erant, ut declarat Petrus Act. [1, 20]: *Episcopatum eius accipiet alter.* Instituitque Christus 72 discipulos[8], ⟨quorum loco sunt presbyteri⟩[h].

Solvitur congregatio hora 24.

Congregatio theologorum.
Examinantur iidem articuli de missa et ordine.

365r Die Mercurii **23.** dicti mensis **Decembris** hora 16 habetur congregatio theologorum, quorum infrascripti prosecuti sunt examinationem eorundem articulorum de missa et ordine, videlicet

Gabriel de Ancona[i 9], ord. s. Augustini, ⟨regens Bononiensis⟩[k], examinavit articulos de m i s s a, quam sacrificium esse confirmavit[l] ex diffinitione sacrificii secundum Augustinum, cum ea omnia, quae ad sacrificium requiruntur, in missa habeantur, ut sit opus bonum, «quod agitur, ut sancta societate inhaereamus [Deo], relatum in eum finem, ut beati esse possimus»[10]. Quam diffinitionem ⟨ut bonam⟩[m] defendit. Idem probavit ex figura Melchisedech, qui fuit typus Christi; ergo et eius sacrificium fuit typus sacrificii Christi. Et sicut in illo sacrificio fuit panis et vinum, sic[n] et in hoc Christi; ergo hoc Christi est sacrificium, sicut et Christus e[s]t sacerdos, cuius fuit typus[o] Melchisedech. Non gerebat autem typum sacrificii crucis, quia[p] in eo corpus suum naturale[d], non panem et vinum obtulit, ut in cena, id est corpus suum sub illis speciebus. Et si umbra Melchisedech fuit verum sacrificium, multo magis erit veritas ipsa[d] et figuratum. Quod docet Augustinus 16 de civit. Dei cap. 22[11] et lib. 17 cap. 17[12]. Et sicut datur sacerdotium in ecclesia Christi, ita necessario datur sacrificium iuxta Paulum Hebr. 5 [1 sqq.]. Et ex fine sacrificii, ut remittantur peccata, ut idem Paulus testatur et[q] habetur Levit. 1 [4] et 3. ⟨Quae omnia habentur⟩[r] in missa, in qua habentur ea quatuor, quae Augustinus lib. 4 de civit. Dei

[a] *Th om.* [b] *M* particulariter [c] *C 119* est [d] *M om.* [e] *M* idem
[f] *M* ordinati sunt iure divino [g] *M* In novo etiam testamento
[h] *M* quibus successerunt presbyteri, ut omnes patres docent
[i] *M* Anchona [k] *Th om.; M add.* Picenus, cum suo generali [l] *M* roboravit
[m] *M* bonam et perfectam esse [n] *Th* sicut [o] *M add.* sacerdos [p] *Th* qui
[q] *Th* ut [r] *M* Quod etiam habetur

[1] Franciscus de Senis, ord. E. S. Aug., inter theologos concilii Bononiensis, ipse tunc temporis ibidem regens, numeratur. Conc. Trid. I 668 l. 32; 669 l. 4; 680 l. 3; VI, I 247, adn. 6.
[2] *Ps.* 108, 8. [3] *1 Tim.* 3, 2.
[4] Cf. *Ex.* 28, 1. [5] Cf. *Num.* 3, 6—10.
[6] Cf. *1 Par.* 23, 5.
[7] *Io.* 15, 16. [8] Cf. *Luc.* 10, 1.

[9] Gabriel de Ancona, ord. E. S. A., usque ad annum 1534 sacrista papae fuit. *H. Jedin*, Girolamo Seripando I (Würzburg 1937) 195 adn. 3. Concilio Bononiae congregato interfuit. Conc. Trid. I 646 l. 3; VI, I 80, adn. 4.
[10] *Augustinus*, De civ. Dei lib. X cap. 6. *Migne*, P. lat. XLI 283. CSEL XL, I 454. [11] Cf. supra p. 393 adn. 9. [12] Cf. supra p. 387 adn. 6.

cap. 14 in sacrificio requiri declarat[1]. Adduxitque argumenta quaedam adversariorum, quae solvit.

Ioannes Antonius Delphinus[2], ord. Min. Conv., ⟨regens Bononiae, patria de Casali maiore⟩[a], ⟨qui suo loco non dixerat⟩[b], examinavit articulos de missa, et primo declaravit, quid missa sit quoad nomen, ut sit nomen hebraicum, ut supra[c] ostensum est[3]. Et quod Eucharistia sit sacramentum et sacrificium. Et quod, quatenus est sacramentum, differt a sacrificio, quia ut sacramentum sunt illa accidentia; quatenus vero sacrificium, ipsum Christi | corpus. Et tres esse oblationes corporis Christi: prima in cena, secunda 365v
in cruce, tertia in missa. In prima et tertia offertur Christus sub speciebus panis et vini; in secunda autem ⟨Christi corpus⟩[d] naturaliter, et haec fuit cruenta et passibilis; illae duae incruentae et impassibiles. Secunda oblatio figurata fuit in agno paschali; prima et tertia sacrificio Melchisedech. Et prima et tertia secundae est figura. Secunda etiam fuit generalis; tertia est particularis et ab illa secunda pendet et vim ab ea recipit et in ea inest. Et sicut aer illuminatus a sole nos illuminat neque propterea derogatur solis lumini, ita sacrificium missae vim habens et virtutem a sacrificio crucis illud non obscurat neque ei derogat, sed magis illud illustrat. Et sicut aer illuminatus non distinguitur a lumine solis, ita hoc sacrificium altaris non distinguitur a sacrificio crucis. Missam igitur esse sacrificium confirmavit, scilicet propitiatorium. Declaravitque species[e] sacrificiorum in antiqua lege, quae aliquando propitiatoria dicebantur, quia figurabant hoc sacrificium Christi vere propitiatorium; quod et expiatorium est et satisfactorium et reconciliatorium, non legale, sed evangelicum. Non est igitur missa testamentum, quod nonnisi morte confirmatur[4]. Et sicut testamentum vetus Deus instituit, cum promisit Israelitis terram promissionis, quod sanguine animalium immolato confirmavit[5], testamentum autem novum fecit Abraae, ⟨quod sanguine circumcisionis confirmavit[6], sed non plene. Cum vero[f] hoc testamentum⟩[g] non valeret, nisi mors testatoris intercederet, misit Deus[h] Filium suum, qui suo sanguine illud confirmavit, ut ad Hebr. 9 [13—22] Paulus declarat, prout ipse Christus in cena ⟨testatus est inquiens⟩[i]: *Hic est calix*[k] novi testamenti *in meo sanguine*[7]. Missa itaque non[l] est ⟨testamentum, sed⟩[l] sacrificium, quo novum testamentum confirmatur[m]. Et sicut testamentum est promissio filiis adoptivis ad consequendam haereditatem, ut simus *haeredes Dei, cohaeredes autem Christi*[8], sic missa prodest ad ipsam haereditatem consequendam. | Quo vero ad applicationem: missam probavit applicari vivis et mortuis, 366r
ut declarat Cyprianus de corona militis[9] et Chrisostomus hom. 69[10] et habetur in concilio Cabilonensi[11]. Et licet quantum ad se et eius sufficientiam omnibus hominibus, qui fuerunt, sunt et erunt, posset applicari, non omnibus tamen applicatur, ⟨sed tantum⟩[n] dispositis, primo per sacramenta[o] et iis, qui Deo vocanti consentiunt; secundo[p] qui sunt iam effecti membra viva Christi. Efficaciter autem applicatur a Deo, ministerialiter vero per sacerdotes, qui ex praecepto Christi offerunt, cum eis dictum sit: *Hoc facite in meam commemorationem*[12]. Christus etiam ministerialiter eam applicavit, primo in cena, deinde in cruce. Et omnibus quoad sufficientiam applicavit, ut scilicet haberent vitam aeternam; effectualiter

[a] *Th om.* [b] *M* missus a sua religione [c] *M* alias [d] *M* Christus [e] *M* genera [f] *M* igitur [g] *In M corr. pro* quod autem [h] *Codd.* Deum [i] *M* expressit [k] *M* sanguis [l] *M om.* [m] *M hic add.* non igitur testamentum [n] *M* nisi [o] *M add.* 3° [p] *In M corr.* 3° *in* 2°

[1] Cf. supra p. 405, 30 et adn. 4.

[2] Ioannes Antonius Delphinus, de Casali maiore, O. M. Conv., celebris ordinis sui theologus, iam concilio prius congregato interfuit. Variis in ordine suo muneribus functus anno 1551 regens et theologiae lector Bononiae nominatus est. Insuper fuit inquisitor Romandiolae. Obiit anno 1560. De eius vita et scriptis agit *F. Lauchert*, Der italienische Franziskaner Johannes Antonius Delphinus und die Beziehungen seiner literarischen Tätigkeit zum Konzil von Trient, in: Zeitschrift f. kathol. Theologie XXXIV (1910) 39—70; *Idem*, Die italienischen literarischen Gegner Luthers (Freiburg i. Br. 1912) 487—536. Quoad ea, quae inquisitor gessit, cf. *G. Buschbell*, Reformation und Inquisition in Italien (Paderborn 1910) passim. Insuper videas Conc. Trid. V 410 adn. 1; VI, I 70, adn. 1; XII 651 adn. 5 et 7; XIII 72 adn. 3 et 364 adn. 14. Coaequales, qui cum eo in concilio erant, valde eum laudabant. Conc. Trid. V 1042 adn. 1 (card. de Monte); XI 485 adn. 2 (Massarellus) et 753 l. 12—16 (Vulmarus Bernaert). Votum in scriptis datum super articulis missae ab eo non habemus, super doctrina autem et canonibus missae mense Ianuario 1552 secretario in scriptis tradidit sententias, quas invenis in App. IV n. 18 et 31.

[3] Cf. supra p. 415, 7s. et adn. 2.

[4] Cf. *Hebr.* 9, 16. [5] Cf. *Ex.* 24, 4—8.

[6] Cf. *Gen.* 17, 9 sqq.

[7] Cf. *Luc.* 22, 20; *1 Cor.* 11, 25. [8] *Rom.* 8, 17.

[9] Qui liber non est Cypriani, sed Tertulliani. Cf. supra p. 395 adn. 11.

[10] *Chrysostomus*, In epist. ad Phil. hom. 3, 4. *Migne*, P. gr. LXII 204.

[11] Concilium Cabilonense II a. 813 habitum can. 39. *Mansi* XIV 101 sq. C. 72 *Visum praeterea* de consecr. dist. I. [12] *Luc.* 22, 19; *1 Cor.* 11, 24.

autem nonnisi dispositis. Sacerdos itaque[a] applicat hoc sacrificium vel specialissime ut sibi, vel[b] generalissime pro cunctis fidelibus, vel[b] medio modo particularibus personis ut amicis, benevolis et affinibus. Applicatur autem per intentionem ipsius offerentis. Primo modo requiritur intentio actualis, secundo habitualis, tertio virtualis. Specialissime vero nonnisi sibi ipsi potest applicari, quia ex charitate sibi ipsi[b] tenetur prius benefacere. Generalissime autem nonnisi membris Christi. Sed medio modo potest cuicunque voluerit, nisi aliter obligatus fuerit ⟨ad celebrandum⟩[c] in tali altari pro fundatore vel pro papa vel alia obligatione, ut regulares pro benefactoribus ex iustitia celebrare tenentur. Et quoad meritum particulare offerentis potest nisi pro quo tenetur applicari. Quatenus vero respicit merita ecclesiae, potest applicari uni et aliis. Et ita uni eorum proderit, sicut pro eo solo celebrata esset, quia tunc offert ut minister ecclesiae, non ut particularis persona, isti vel illi. Id autem, quod applicatur, est Christus in cruce oblatus. Applicatur vero missa ut sacrificium, non ut sacramentum, quia, cum offertur, prodest ex opere operantis et
366v ex opere operato, non sic autem, cum manducatur. Ut sacramentum vero[d] | intentione et re ipsa ex sumptione, ut sacrificium sola intentione applicatur. Et quia Deus instituit sacramenta, ut sumantur, et eorum est proprius usus, sacrificii autem usus est, ut aliis applicetur, ideo sacramentum prodest sumenti et ex intentione et ex opere operato; sacrificium tantum ex opere operantis. Applicatur autem propter merita propria vel ecclesiae. Prodest vero et[e] vi operis operati. Fructusque huius sacrificii est revocatio[f] memoriae passionis Christi; et eos fructus producit, quos illa oblatio crucis, non tamen ita perfecte. Remittit igitur peccata venialia, conservat a mortalibus, remittit mortalia non meritorie, sed impetrative ex opere operato, et relaxat poenas temporales, tam defunctorum quam viventium, et auget gaudium accidentale beatorum. Quare etiam certis sanctis missae celebrantur. Et licet ⟨hoc sacrificium⟩[b] sit idem cum illo crucis, tamen non producit eosdem effectus, quia in illo crucis Christus obtulit se immediate et tanquam praemium proprium propter merita sua; in missa autem applicat se ipsum Christus[b] mediate per sacerdotem, non tanquam merita propria, sed sacerdotis vel ecclesiae. Nulla enim merita[g] de condigno[h] remissionem peccatorum merentur; caetera autem, id est iustorum, merita de congruo impetrant peccatorum remissionem. In sacramento vero poenitentiae et baptismi sacerdos propria intentione applicat, quia in sacramentis Christus ut sacrificium applicat se et sua merita. In sacrificio autem missae Christus non applicat se nisi ut sacrificium, non autem sua merita propria intentione, sed sacerdotis et ecclesiae.

Dimittitur autem congregatio hora 19.

Congregatio theologorum super examinatione eorundem articulorum de sacrificio missae et sacramento ordinis.

Eadem die **23. Decembris** hora autem 21 habetur etiam congregatio theologorum super discussione eorundem articulorum de missa et ordine loquiturque hodie |
367r **Antonius Marinarius**[1], ord. Carmel., Grittaliarum[i] Apulus eiusque provinciae minister, missus a suo generali. Disseruit articulum primum de missa, quam sacrificium esse corroboravit et prodesse vivis et mortuis. Adduxitque argumenta adversariorum, primo: Si passio Christi delevit omnium omnia peccata, irrogatur ei, cum per missae sacrificium peccata deleri dicitur et pro peccatis offerri. Unde Paulus ad Hebr. 10 [1 sq. 11] dicit, sacrificia antiqua[k] non delevisse peccata, quia reiterabantur; sic et missa, cum reiteratur, peccata delere non potest. Quare sequitur Paulus, quod Christus *unica oblatione consummavit in aeternum sanctificatos*[2]. Item: Peccata non remittuntur sine effusione sanguinis,

[a] *M* aut [b] *M om.* [c] *M* ut celebret [d] *Th add.* ex [e] *Th* ex [f] *Th* renovatio
[g] *M add.* nisi Christi [h] *C 119 add.* impetrant [i] *Th om.* [k] *M* antiquae legis

[1] Ioannes Antonius Marinarius, de Apulia, ord. Carm., interfuit concilio iam prius congregato, tunc temporis provincialis sui ordinis Neapoli. Die 20. Decembris 1545 coram concilio habuit orationem, qua, ut scribit Massarellus in diario I, omnibus, qui ante eum in concilio oraverant, antecelluit. Conc. Trid. I 356 l. 7—10. Sed propter aliam orationem dominica 4 Quadragesimae anni 1546 habitam a Dominico Soto O. P. de haeresi accusatus est. *Ibid.* I 535 l. 20—24; V 11 adn. 4 et 67 adn. 1. *St. Ehses*, Hat Paolo Sarpi für seine Geschichte des Konzils von Trient aus Quellen geschöpft, die jetzt nicht mehr fließen?, in: Histor. Jahrbuch XXVI (1905) 305 sq. Mortuus est anno 1570. Cf. insuper Conc. Trid. I 532 adn. 6; IV 563 adn. 2. *Cosmas de Villiers a S. Stephano*, Bibliotheca Carmelitana I (Aurelianis 1752) 176—180. — Eius votum in scriptis datum exhibemus in App. IV n. 16. Cf. Röm. Qu. L (1955) 39s.

[2] *Hebr.* 10, 14.

ut testatur Paulus ad Hebr. 9 [22]. In missa autem non est effusio sanguinis, ergo non remissio peccatorum. Praeterea argumentantur, quod missa non habeatur[a] ex mandato Christi. Deinde declaravit post peccatum Adae necessum fuisse, ut Christus solus peccata nostra deleret, et quod missa sit sacrificium propitiatorium pro peccatis, quia Christus est, qui offertur. Et de ratione victimae propitiatoriae est, ut peccata deleat. Neque enim ante Christi adventum aliquod sacrificium erat propitiatorium, quia non erat victima. At adveniente Christo sacrificium missae sacrificium propitiatorium vere fuisse. Responditque ad argumenta, oblationem crucis fuisse sufficientissimam; sed necesse esse, ut applicetur; sicut et Christus oravit pro omnibus in cruce, et tamen perpetuo orat ante Patrem, quia semper nobiscum est et Deum iratum per peccata nostra placat; et ipse[b] Christus continuo est victima, quae Deo obiicienda est pro peccatis nostris. Offertur autem continuo in altari; neque irrogatur oblationi crucis, cum eadem sit, et idem Christus. Ad secundum respondit, quod sacrificium altaris reiteratur; sed est semper idem Christus. In antiqua vero lege erant diversae hostiae; nunc autem eadem semper est hostia. Et illa crucis delevit omnia peccata, id est meruit deletionem omnium peccatorum omnium hominum; nunc vero non ad merendum, sed fruendum meritum crucis offertur hoc | missae sacrificium. 367v Et hoc modo intelliguntur verba Pauli: *Unica oblatione consummavit*[1] etc., id est meritum sanctificationis. Ad illud, quod sine sanguine non fiat remissio, respondit intelligi de antiqua lege, et ita Paulus loquitur[c 2]. Neque ulla sanguinis effusio in antiqua lege peccata delevit, sed delebantur per sanguinem Christi effundendum. Unde Ioannes dicit, agnum occisum esse ab origine mundi[3]. Et sicut Christus in cena instituit manducationem externam sui corporis, et noluit sufficere manducationem spiritualem tantum, quae semper in lege veteri fuit, ut Paulus testatur[d], quoniam omnes eandem escam manducaverunt[4], ita et instituit sacrificium externum, per quod fides exerceatur et conservetur. Quod sacrificium a Christo esse institutum, probavit primum ex Hieremia: Non interibit de sacerdotibus, qui offerat sacrificia et holocausta cunctis diebus[5]. Quod de sacrificio externo intelligitur. Cum igitur Deus promiserit, post Messiae[e] adventum in nova lege futuros sacerdotes et sacrificium, neque in nova lege sit aliud sacrificium quam hoc altaris, ergo hoc est sacrificium. Ad quod etiam adduxit Malachiae 1 [11]: *In omni loco offertur oblatio munda* etc., ut toties adductum[f] est. Quod[g] de sacrificio cordis ⟨intelligi non potest⟩[h], cum omnes nostrae actiones immundae sint et solus Christus mundus sit; ⟨et ita convenit Eucharistiae⟩[b]. Item Esaiae cap. 59 [21] Deus promittit conservaturum verbum suum in ore ecclesiae. Non omnia itaque scripta sunt, sed multa[b] tradita fuerunt[b]. Neque Christus praecepit apostolis, ut scriberent, sed ut praedicarent[6], neque nisi aliqui pauci ex apostolis scripserunt, et ipsemet Paulus dicit: *Vae mihi, si non evangelizavero*[7]. Non autem dicit: Si non scripsero. Unde et ait: *Tenete traditiones meas, quas*[i] *sive per epistolam sive per sermonem didicistis*[8]. Licet igitur missa expresse non habetur in scripturis sacris[b], ita tamen ecclesia et patres tradiderunt et ab apostolis ad nos devenit. Est ergo missa sacrificium, non autem sola commemoratio passionis Christi, et ita semper omnes patres docuerunt. Chrisostomus homil. 69, | qui eam pro vivis et defunctis prodesse 368r declarat[9]; Cyprianus lib. 1 epist. 9, qui allegat concilium Carthaginense[10]; Augustinus in Enchiridion[11] et lib. 9 confessionum cap. 13[12]. Praeterea commemoratio fit populo; at patres Deo hoc sacrificium offerri dicunt; ergo non est sola commemoratio, sed sacrificium Deo oblatum. Cyprianus lib. 2 epist. 3[13]; Ambrosius de cena Domini[14]. Et sacerdotes Christi sacrificium in nova lege imitantur; in veteri autem repraesentabant, non imitabantur Christi sacrificium.

Dimittitur autem congregatio hora 24.

[a] *Th* habetur [b] *M om.* [c] *M* intelligit
[d] *M* declarat [e] *M* Missiae; *C 118 et C 119* Misiae [f] *C 118, C 119 et Th* deductum [g] *M* Neque [h] *M* etc. intelligitur [i] *M om.; Th* quae

[1] Cf. supra p. 428, 42 et adn. 2.
[2] Cf. *Hebr.* 9, 22.
[3] Cf. *Apoc.* 13, 8.
[4] Cf. *1 Cor.* 10, 3.
[5] Cf. *Ier.* 33, 18.
[6] Cf. *Matth.* 10, 6 sq. et parall.
[7] *1 Cor.* 9, 16. [8] *2 Thess.* 2, 15.
[9] Cf. supra p. 427, 32 et adn. 10.
[10] *Cyprianus,* Epistula 1 ad clerum et plebem Furnis consist. n. 2, supra p. 395, 37 adn. 13.
[11] Cf. supra p. 395 adn. 14.
[12] Cf. supra p. 395 adn. 16.
[13] Cf. supra p. 394, 4 et adn. 4.
[14] Missale secundum ritum Ambrosianum, *Communicantes* in feria V in cena Domini, supra p. 394 adn. 6.

Vesperae concilii in vigilia Nativitatis Domini.

Die Iovis **24.** eiusdem mensis **Decembris** celebrantur de more vesperae conciliares in ecclesia cathedrali, in quibus fecit sacra R. D. archiepiscopus Sipontinus, secundus praesidens; interfueruntque omnes patres ipsius concilii.

Missa in die festo Nativitatis D. N. Iesu Christi.

Die Veneris **25.** dicti mensis **Decembris,** quae fuit dies Nativitatis D. N. Iesu Christi, mane hora 16 celebratur missa solemnis concilii in ecclesia cathedrali. Peregit sacra R. D. archiepiscopus Sipontinus, secundus praesidens. Quibus interfuerunt R^{mi} et Ill^{mi} DD. legatus, Tridentinus, praesidentes, electores, oratores et caeteri patres concilii. Matutinae autem et missae aliae duae in galli cantu et aurora non celebrantur ob incommoditatem loci et temporis (vigent enim nunc ingentia frigora) et praelatorum.

Missa concilii in festo S. Stephani prothomartyris.

Die sabbati **26. Decembris,** in festo S. Stephani prothomartyris, celebravit missam concilii in eadem ecclesia cathedrali R. D. episcopus Pacensis. Habuitque orationem sacrae theologiae magister Franciscus de Toro Hispanus, familiaris R. D. archiepiscopi Granatensis, fueruntque praesentes omnes conciliares. |

Missa concilii in festo S. Ioannis Evangelistae.

368v Die dominica **27**[a]. dicti mensis **Decembris,** in festo B. Ioannis apostoli et evangelistae, celebravit missam concilii consuetam in eadem ecclesia cathedrali R. D. episcopus Siracusanus. Habuitque orationem D. Antonius Florebellus, Mutinensis, secretarius R^{mi} et Ill^{mi} D. legati, qui una cum aliis praelatis praesens fuit. Et licet huiusmodi orationes in his Actis describere non consueverim, quia tamen ipse D. Antonius est vir doctissimus magnaeque eloquentiae, nullo modo orationem ab eo recitatam praetermittendam censui. Quae est tenoris, qui sequitur.

Oratio D. Antonii Florebelli Mutinensis de laudibus D. Ioannis apostoli et evangelistae habita ad patres Tridentinos in festo ipsius apostoli 1551[1].

Cum argumenti gravitas, quod mihi ad dicendum propositum est, patres amplissimi, tum vestri consessus maiestas nunc primum me ex hoc loco dicere incipientem non mediocriter commovet. Quaenam enim in me vis ingenii, quae dicendi exercitatio, quae orationis est copia, ut tanto muneri satisfacere et aliquid dignum hoc loco, dignum vestris, dignum tot aliis eruditissimis auribus, dignum denique Ioanne apostolo possim dicere? Sed me tamen et pietas vestra hortatur et meum erga apostolum hunc studium accendit, ut laudes eius, quanquam plane explicare non possim, saltem coner attingere. Neque enim fas est, divinas eius virtutes et immortalia merita, quoniam satis digne laudari non mea modo, sed humana omnino oratione non possunt, ingrato prorsus praeterire silentio, hoc praesertim festo eius die atque solemni. Neque tamen humanitate vestra abutar, sed habebo et temporis huius et vestrae amplissimae dignitatis rationem. Ac primum sanctissimum ecclesiae morem institutumque laudabo, quae cum aliorum, qui in

[a] *C 118 falso* 24

[1] De Antonio Florebello cf. Conc. Trid. I 279 adn. 5. *F. Lauchert,* Die italien. literar. Gegner Luthers (Freiburg i. Br. 1912) 474—484. In ingressu card. Crescentii in civitatem Tridentinam die 29. Aprilis 1551 respondit nomine legati orationi, qua D. Laurentius Pratanus, secretarius card. Tridentini, legatum et praesidentes salutavit. Conc. Trid. II 225 et supra p. 22. Die 13. Iulii 1555 a Paulo IV nominatus est secretarius a litteris in forma brevis. Conc. Trid. II 276 l. 33 sq. Die 24. Aug. 1558 factus est episcopus Lavellensis; sed anno 1561 resignavit. *van Gulik-Eubel* ²III 221. Conc. Trid. VIII 79 adn. 4. Fuit secretarius brevium etiam sub Pio IV et Pio V. Mortuus est anno 1574. — Quod orationem sequentem attinet, non adnotandos esse putavimus singulos scriptores ecclesiasticos, qui facta et miracula Ioannis apostoli a Florebello narrata descripserunt, quia verisimile esse videtur, Florebellum non ex eis hausisse. Sine dubio usus est operibus hagiographicis tunc temporis noviter editis, inter quae nominamus Friderici Nauseae opus «Anonymi Philaleti Eusebiani in vitas, miracula passionesque apostolorum rhapsodiae» (Coloniae 1531). Quod opus est prima editio latina «Passionum Apostolorum», quae falso Abdiae adscribuntur; fol. 29—40 huius editionis legitur vita Ioannis. De Nauseae opere cf. *R. A. Lipsius,* Die apokryphen Apostelgeschichten und Apostellegenden I (Braunschweig 1883) 129.

illam coelestem sedem fuerunt et triumphantem ecclesiam recepti, festos et natales dies pie et grate celebrat, tum apostolorum memoriam praecipuo quodam honore merito vene- | ratur atque prosequitur. Etenim omnium Christi D. N. discipulorum ii fuerunt ut delectu 369r primi ita auctoritate principes, familiaritate intimi, gratia charissimi. In eos mirabili quadam ratione uberius quam in caeteros Spiritus Sanctus effusus est. Eorum maxime sapientia gentes eruditae, virtutibus allectae, prodigiis compulsae, repudiatis diis falsis et commentitiis Deum verum et eius filium Iesum Christum agnoscere et colere coeperunt. Postremo ii fundatae a se et constitutae ecclesiae principes, pastores et moderatores fuerunt, pro qua etiam vincula, verbera, contumelias, supplicia cruciatusque perpessi sunt. Sed etsi omnes optime de ecclesia meriti et sanctitate insignes, prodigiis admirandi, exitu gloriosi fuerunt, divum tamen Ioannem eo sanctius venerari et studiosius colere debemus, quo plus eum quam caeteros apostolos Dominus noster dilexit[1] et plura per eum in ecclesiam beneficia contulit, ut cum Domini iudicio nostrum de illo iudicium, noster cultus pietasque consentiat. Natus est autem, ut de eius patria et genere primum dicam, in pago Galileae, Bethsaida, Zebedeo piscatore, infimo nimirum loco et humillimo[2]. Verum cum Dominus noster praeteriens visum eum vocasset et relicto patre venientem ad se una cum Iacobo fratre comitem sibi et discipulum ascivisset, quem a retibus sarciendis abduxerat, tantopere amavit ac tantis honoribus et muneribus extulit, ut, quae aliis sanctis viris dispartita fuerant, in hunc universa congesta sint idemque summus apostolus, idem evangelista praestantissimus, idem propheta maximus fuerit. Et quantopere quidem hunc Dominus praeter caeteros dilexerit, sacrum nobis evangelium indicat, in quo saepe hoc ipso dilecti a Domino discipuli solus ornatur elogio[3]. Nec vero illud obscurum eximiae cuiusdam benevolentiae signum fuit, quod ingressurus Dominus Iairi, synagogae principis, domum, ut eius filiae mortuae vitam redderet, discipulorum, qui | secum venerant, neminem praeter hunc et 369v Petrum ac Iacobum ad spectandum tam insigne prodigium admisit[4]. Quid? Cum in montem Thabor ascendit, ut illud admirandum gloriae suae specimen daret, mediocremne Ioanni honorem habuit, qui ne tum quidem ex tanto discipulorum comitatu quemquam praeter illos ipsos tres adhibuerit, quorum oculis ipsius prope divinitatis suae splendorem maiestatemque subiiceret[5]? Quid, cum hic apostolus in illo sacro solemnique convivio non tam epulis instructo quam mysteriis, ⟨ad quod parandum ipse potissimum una cum Petro praemissus fuerat[6], super Domini⟩[a] pectus recubuit[7], nonne perspicuum illud et illustre admodum summi cuiusdam amoris et familiaritatis indicium extitit? Cui Dominus hoc praeterquam Ioanni tribuit? Cui tantopere indulsit? Quantum ex illo pectore divinitatem inclusam continente coelestis eum sapientiae flumen tunc hausisse? Quantam reconditorum mysteriorum scientiam percepisse censemus? Mitto ipsius Petri iudicium, qui cum Dominus inter cenam iniecisset futurum, ut quidam ex apostolis suis eum proderet, ex eo quaerere ipse non ausus, quis esset tantum et tam impium ac nefarium facinus commissurus, huic innuit, ut Dominum ipse de eo proditore percontaretur, quem huic ille statim indicavit[8]. Praetermitto alia quaedam eximiae cuiusdam benevolentiae signa ac testimonia. Unum enim illud, quod proferam, est eiusmodi, ut nullum praeterea requirendum esse videatur. Quod enim vel amoris indicium maius vel indicii testimonium gravius proferri aut omnino cogitari potest, quam quod Dominus noster, cum in ara crucis immolatus sui ipsius corporis sacrificio labem et peccata humani generis expiaret, astantis matris suae luctum, dolorem solitudinemque miseratus filium ei pro se hunc ipsum apostolum subrogavit, eam his verbis alloquutus: *Mulier, ecce filius tuus.* Et ad hunc conversus: Fili, *ecce mater tua*[9]. O voces, spectatae | fidei testes, admirabilis indices charitatis! O excogi- 370r tatum ad leniendum moerorem utriusque solatium! O singularem et huius unius proprium honorem, qui in tantam familiam pervenerit, qui tantae matris filius, tanti magistri frater effectus sit, cui sanctissima illa Domini nostri mater fuerit commendata, quae fuit templum Dei, sacrarium Spiritus Sancti[10], quae Deum virgo concepit, virgo peperit, quae coeli regina ex aeterno tempore designata fuerat et coelestium domina! Cuius autem fidei potius ea commendaretur quam huius apostoli, qui tanto in eius filium et eundem Domi-

[a] *C 119 om.*

[1] Cf. *Io.* 13, 23; 19, 26; 20, 2; 21, 7 20.
[2] Cf. *Matth.* 4, 21 sq.; *Marc.* 1, 19 sq.; *Luc.* 5, 10.
[3] Cf. supra adn. 1.
[4] *Marc.* 5, 37; *Luc.* 8, 51.
[5] *Matth.* 17, 1 et parall.
[6] *Luc.* 22, 8.
[7] *Io.* 13, 23.
[8] *Io.* 13, 21—26.
[9] *Io.* 19, 26 sq.
[10] *Breviarium Romanum,* Antiphona ad Bened. off. B. M. V. in sabbato.

num ac magistrum suum studio atque amore flagravit, ut, cum Petrus unius ancillulae vocem exhorruisset, ipse non militum gladios, non populi furorem, non sacerdotum et scribarum odium veritus, cum Dominus vinctus ad Caipham adduceretur, sequi eum et pontificis atrium ingredi minime dubitarit[1]? Nam quid dicam de illa incredibili eius pietate atque constantia, cum Domino moriente (o acerbam illius temporis, quamquam salutare humano generi fuit, memoriam, patres, o spectaculum coelo elementisque ipsis luctuosum), cum, inquam, caeteris apostolis metu perterritis unus hic ad sanctissimam illam crucem astitit, et cum sol refugeret, cum terra contremisceret, ipse nec contremuit nec refugit nec toto labante mundo potuit a Domino suo divelli ac separari[2]? Quis porro dignior fuit, quem sibi et Dominus coelebs fratrem ascisceret et virgo filium adoptaret, quam hic, qui cum reliquis virtutibus tum hac ipsa laude virginalis cuiusdam castitatis excelluit? At talia quidem de illo Domini iudicia fuerunt, quibus adeo egregie hic in fungendo legationis officio respondit, ut se pulcherrimo illo suo *tonitrui filii* cognomine dignum praebuerit[3]. Eius enim evangelium divulgantis clamore et vocibus non Palestina solum, sed totus terrarum orbis resonuit. Atque Hierosolymis quidem aliquamdiu post Domini in coelum 370v ascensum una | cum caeteris apostolis mansit. Quo quidem tempore non recenti illo Domini et magistri sui supplicio teterrimo et crudelissimo, non scribarum nec sacerdotum metu est deterritus, quominus ibi evangelium publice praedicaret. Quam ob causam ipse et Petrus sacerdotum iussu primo coniecti in carcerem fuerunt, deinde cum noctu inde ab angelo educti, postridie mane una cum reliquis apostolis, spretis sacerdotum minis atque interdictis, in templo ipso concionem haberent, omnes virgis caesi sunt. Qua tamen illi contumelia tantum, ut frangerentur, abfuit, ut, quemadmodum in eorum actis scriptum est, *gaudentes* abirent *a conspectu concilii, quod digni habiti* fuissent, qui *pro nomine Iesu contumelia* afficerentur[4]. Samaria postea Dei verbum accepit. Quod cum apostolis renunciatum fuisset, hunc et Petrum potissimum ex suo collegio delectos miserunt, qui Christo initiatis manus imponerent et Spiritum Sanctum impertirent[5]. Cum autem in illis locis Dei iam crevisset ecclesia, relicta apostoli Palestina ingenti sane animo terrarum inter se orbem sunt partiti, ut gentes omnes simulachrorum cultui deditas ad Christi fidem religionemque traducerent. Itaque cum alias alii terras regionesque petiissent, hic se in Asiam contulit[6] et in illo theatro magnitudine amplissimo, celebritate refertissimo tanta animi constantia ad delendam ex mortalium animis impietatem et Dei veri cultum inserendum incubuit, ut eius concionum sonitus in occidentem usque referrentur et Romam ad Domitiani principis aures pervenirent. Qui quidem Neronis in Deum impietate et odio in Christianos simillimus, cum Christi nomen et religionem in dies magis celebrari graviter ferret, hoc clarissimum Christianae ecclesiae lumen novo quodam supplicii genere est conatus extinguere. Romam enim adductum in dolium ferventi oleo plenum immanis 371r tyrannus sanctissimum senem demitti iussit. Quod nisi misertum esset | populi sui clementissimum Dominum, post occisos aliquot ante annis in ea ipsa urbe Petrum et Paulum hoc Christianae religionis columen sublatum fuisset. Quid ergo evenit? Cum hic aliquandiu in illo ignito oleo immersus stetisset, stupentibus omnibus incolumis atque integer exiit. Hunc exitum habuit tyranni crudelitas. Haec fuit sanctissimi apostoli ex impio hoste victoria, quem tamen, cum Dominus prohibuisset interfici, exulare non vetuit. In insulam enim Pathmon eiusdem fuit tyranni iussu relegatus[7]. O incredibilem tuam, Domitiane, non iam dicam crudelitatem, sed stuporem, sed amentiam. Quid tu illi terribile exilium fore censes, cuius non modo constantiam sed etiam alacritatem animi in illo supplicio pro Dei honore et gloria subeundo perspexisti? An ab hominum coetu eiicere eum vis et segregare? Istud quidem beneficium est. Ubi enim tantus et tam Domino carus apostolus solus esse poterit? Non fruetur hominum consuetudine; at Dei et Domini sui colloquio fruetur. Quis autem tam asper locus, quae tam deserta et vasta regio sanctissimum virum excipiet, quae non ob eius praesentiam demissura asperitatem suam, etsi non hominum, at coelitum frequentia celebris sit futura? Quam vero hominum barbariem vel potius quam belluarum feritatem non illa singularis eius suavitas emolliet atque mansuefaciet? O beata fortunataque insula, quae tantum apostolum relegatum excepisti, cuius adventu non hominum hospitium, sed Dei et coelitum effecta es domicilium! Quam multa illic divino dictante Spiritu excepta fuerunt oracula! Quot futurarum rerum praedictiones scriptae! Quot et quanta litteris consignata mysteria! Mansit ea in insula usque ad Domitiani mortem apostolus.

[1] Cf. *Io.* 18, 15—18. [2] Cf. *Io.* 19, 26. [3] *Marc.* 3, 17. [4] *Act.* 4, 1—22; 5, 17—42. [5] Cf. *Act.* 8, 14—17. [6] *Eusebius,* Hist. eccl. III 31 n. 3; V 24 n. 3. *Migne,* P. gr. XX 279/80. 493/94. GrChrSchr *Eusebius* II 264. 490. [7] *Apoc.* 1, 9.

Actis enim eius, simulac interfectus fuit, a senatu rescissis Ephesum in Ioniam rediit, qua in urbe domicilium sibi et sedem pontificatus sui delegerat[1]. Iam incredibile est, patres amplissimi, qua hic pastor charitate, | qua cura, qua sollicitudine saluti ovium suarum prospicere consueverit. 371v Cuius rei exemplum inprimis memorabile proferam, quod a gravissimis antiquissimisque scriptoribus memoriae proditum dignum est, quod et omnium, qui ecclesiis praesunt, sacerdotum et eorum, qui vel gravissime peccatis suis Deum offenderint, animis ac memoriae perpetuo infixum haereat, ut et illi officii sui admoneantur, et ii, ne post gravissima quidem admissa scelera divinae misericordiae diffidant, sed paratam sibi esse non dubitent post naufragium, si modo resipiscere voluerint, illam poenitentiae tabulam, de qua vos superioribus diebus hoc ipso in loco divinitus decrevistis[2]. Id dum breviter narro, quaeso diligenter, ut adhuc fecistis, attendite. Nam cum hic aliquando suas illas ecclesias diligens pastor inviseret, in urbem quandam venit; ibi peractis eis rebus, quarum causa venerat, cum adolescentem quendam liberali facie et ingenuis moribus atque acri, ut videbatur, ingenio praeditum aspexisset, in eo egregiam quandam ad virtutem indolem sibi prospicere visus est. Comiter igitur vocatum ac minime abnuentem episcopo, quem in ea urbe constituerat, tradit, nec semel, sed iterum et saepius ecclesia teste commendat; facile ut praeclarum quiddam de eo adolescente sperare ac sibi polliceri intelligeres. Commotus tam diligenti commendatione et precibus apostoli illius civitatis episcopus post eius discessum non mediocrem sane in eo adolescente instituendo et ad pietatem informando diligentiam adhibebat. Nec frustra ut videbatur. Etenim adolescens plurimum proficiebat et egregiam de se spem cum episcopo tum reliquis omnibus afferebat. Itaque cum iam se corroborasset et cum partim diligenti illa institutione partim naturali quodam pudoris et temperantiae bono satis munitus esse videretur, liberius ei, ut fit, vivendi potestas fuit. Hic quantam vim ad corrum|pendos adolescentium animos aequalium vita et 372r pravae consuetudines habeant, insigni documento potuit intelligi. Etenim is tam diligenter institutus, cum in flagitiosorum quorundam iuvenum amicitiam et familiaritatem incidisset, paulatim depravatus eorum similis evasit. Itaque cum acrem illam animi et ingenii vim ad flagitia et prava facinora convertisset, brevi omnes nequitia et improbitate superavit. Quid multa? Non iam mediocribus sceleribus contentus ascita sibi facinorosorum hominum manu dux et princeps latronum effectus est. Redit post aliquot annos in eam ipsam urbem apostolus horum omnium ignarus. Quaerit continuo ex episcopo, quid is adolescens agat, quem illi tantopere commendarat, et, ut ad se adducatur, postulat. Episcopus vehementer perturbatus haeret, quid responderet, tandem mortuum esse respondit. Hem [!] quid ais? Itane, inquit, est mortuus. Tum episcopus, ut Christo mortuus fuerit, narrat. Ex modestissimo enim adolescente flagitiosissimum primo iuvenem, deinde sceleratissimum latronem evasisse. Hoc ut audiit apostolus, mirum in modum perculsus ingemuit et maxima lachrimarum vi erumpente frontem prae dolore feriens ac vestem scindens equum et ducem itineris poscit. Quibus celeriter adductis aetatis suae tantus apostolus immemor, at pastoris officii et charitatis memor, continuo ad quaerendam, quae perierat, ovem sese proripit. Cum in eum locum pervenisset, quem latrones insederant, statim ab eis captus ad eorum ducem, ut petierat, deducitur. Hunc ut ille ad se venientem eminus agnovit, recordans videlicet paterni illius erga se amoris et scelerum suorum sibi conscius, prae pudore in fugam se coniicit. Approperat quantum potest apostolus, ut hominem assequatur. Clamat interea atque obsecrat, ut consistat, ne filius patrem fugiat, ne ab inermi sene armatus iuvenis metuat, ne spem salutis abiiciat; posse enim eum servari etiamnum ac vivere, confirmare sese pro illo | vel morte sua, si ita opus esset, Christo satis esse facturum. Cum 372v tandem ille amantissimis apostoli vocibus coactus constitisset et proiectis armis tristis demisso capite terram intueretur, adventu eius, conscientia videlicet scelerum suorum [commota], oculos minime audebat attollere. Sed cum se ad apostoli pedes abiecisset, maximo fletu et plurimis gemitibus acerbissimum quendam animi dolorem indicabat. At senex sanctissimus hominem avidissime complexus lachrimis os et pectus illius respergebat; nec loqui primo poterat, post consolari eum et confirmare coepit apprachensam eius dexteram identidem osculans, quam si hominum caedibus et sanguine pollutam occultare conabatur. Ita dolore in laetitiam converso apostolus secum eum ducens ad ecclesiam rediit, neque eius salutem Domino precibus et ieiuniis commendare destitit, quoad correctum et ad pietatem religionemque revocatum ex latronum duce ecclesiae principem et pastorem instituit. Admirabile profecto et omnium litteris atque linguis commemorandum charitatis

[1] Cf. supra p. 432 adn. 6.

[2] Sessio IV (XIV), supra p. 344—355.

exemplum! Quis enim unquam saluti suae studiosius prospexit, quam hic consuluit alienae? Quis dolentius sua ipsius peccata deflevit, quam hic aliena scelera deploravit? Istuc est pastorem esse, istuc commissas a Domino oves custodire! Ex hoc quod commemoravi exemplo quivis facile coniecerit, quanto amoris et charitatis incendio animus huius flagraret apostoli, quo is studio, qua diligentia suas illas dioceses Asiaticas gubernaret. Declarant hoc idem eius epistolae, quibus nihil dulcius fieri potest, nihil lenius, nihil amantius. Quibus ille cohortationibus, quibus monitis, quibus praeceptis huius ipsius charitatis plenae ac refertae sunt! Nihil ut fere aliud ei, cum illas scriberet, propositum fuisse videatur, quam ut ad retinendam et colendam inter nos charitatem hortaretur. Possem multa ab eo mirabiliter supra naturam acta proferre. Possem in his Drusianae illius sanctae admodum et
373r religiosae | admodum feminae, quae eo Dominum deprecante revixit, mentionem facere. Verum huiusmodi facta atque prodigia primis illis ecclesiae temporibus pene erant quotidiana atque vulgaria. Neque tamen dubitandum est, quin quo maiore hic apostolus fide et charitate praeditus fuit, quoque apud Dominum plus et auctoritate valuit et gratia, hoc pluribus maioribusque prodigiis veritatem christianae fidei comprobavit. Iam vero quantopere caeteris actorum Domini nostri scriptoribus praestiterit, vel illud celeberrimum scripti ab eo evangelii initium declarat. Nam cum ab illis Christi ortus ab ea parte, quatenus is homo est, explicatus fuisset, hic a divina eius natura et verbi aeternitate ipsum duxit exordium. Permulta praeterea, quae Dominus noster gesserat, ab illis praetermissa memoriae prodidit. Nec vero aut theologi cognomen tanto hominum consensu obtinuisset aut aquilae fuisset divino iudicio comparatus, nisi et coelestium mysteriorum scientia caeteris praestitisset et ad divinam Domini nostri naturam contemplandam altius evolasset. Quid Apocalypsis liber quantum eum prophetam fuisse declarat? Cuius libri quot sunt verba, totidem esse existimantur oracula. Cui praeter hunc Dominus recondita illa mysteria enunciavit? Cui intimos sensus suos et consilia patefecit? Cuius in hoc genere scripta et praedictiones ecclesia praeterquam huius unius approbavit, retinuit, conservavit? O summum et omni a nobis cultu[a], honore et veneratione dignum apostolum! Quanta, quam multa, quam varia eius in ecclesiam merita fuerunt! Hic plurimis et maximis nationibus sanctum et salutare Christi evangelium praedicavit. Hic conversos ad Christi fidem et religionem populos incredibili amore et diligentia gubernavit. Hic ad erudiendos non suae solum aetatis homines, verum etiam omnium gentium ac saeculorum posteros Servatoris nostri acta litteris mandavit. Hic non solum gestarum rerum narratione, verum etiam fu-
373v turarum praedictione ecclesiam | erudivit. Postremo hic amoris, hic patientiae, hic castitatis exempla maxime insignia nobis ad imitandum proposita reliquit. At credo, cum his muneribus perfunctus fuisset, celeriter ecclesiam reliquit ac Dominum suum est subsequutus. Ille vero non modo pluribus in rebus quam quisquam alius apostolorum suam Christo et ecclesiae operam navavit, sed etiam in proferendis ecclesiae finibus et propaganda Christi religione diutius elaboravit. Etenim novem et nonaginta vixit annos, ex quibus octo et sexaginta Domino superstes fuit. Et nimirum tam diuturna illi vita divinitus contigit, ne durissimis illis et asperrimis Neronis Domitianique temporibus tanto praesidio spoliaretur ecclesia. Quot illum inter tot annos labores hausisse, quot et quam graves aerumnas pertulisse! Quoties fortissimum Christi militem pro sui imperatoris gloria, pro ecclesiae salute, pro religionis incolumitate certasse! Quos excepisse impiorum hominum impetus, quae sustinuisse pseudoapostolorum praelia censemus! Extitit enim tum Marcion, extitit Cerinthus, extitit Ebion. Quae, bone Deus, monstra, quae prodigia! Cum his et aliis huiusmodi sathanae satellitibus huic sanctissimo viro assidue fuit depugnandum; et ne perniciosis discipulis suis ecclesiae obessent, providendum, ut totum illud tempus perpetua quaedam pugna et perenne certamen fuisse videatur. Hactenus vitam eius attigimus.

Restat, ut de eius morte aliquid dicamus. Quanquam nonnulli fuerunt, qui eum nondum mortuum esse, sed ut Henoch et Helian adhuc vivere[1] putarint, sed tamen plerique mortem obiisse non dubitant. Negant enim illis verbis, quae ex sacro evangelio paulo ante recitata sunt, Dominum hoc intelligi voluisse futurum, ut is minime moreretur, sed ut absque dolore et cruciatu corporis ex hac vita decederet[2]. Illud constat, cum iam aetate confectus
374r migrationis suae diem venisse praesensisset, sepulchrum sibi | in monte quodam Asiae effodi iussisse, eo constitutis ecclesiae rebus et re divina facta, posteaquam discipulos suos consolatus fuisset, viventem descendisse ac statim splendore quodam circumfusum

[a] *C 119 om.*

[1] Cf. *Gen.* 5, 24; *4 Reg.* 2, 11. [2] Cf. *Io.* 21, 22—23.

nusquam comparuisse. Insignis profecto et tanto apostolo dignus exitus, qui, cum tanquam sol alter illis orientis populis illuxisset, itidem etiam, ut sol occidere solet, ex terris excesserit. Quem nunc in illa caelesti sede, aeterna beatitudine fruentem et coelum ac stellas ipsas splendore suo vehementius illustrantem, ecquid charitatis illius pristinae oblitum esse censemus? Ille vero minime oblitus est; neque fieri potest, quin et misereatur ecclesiae, quam iam pridem oppugnari, quam concuti, quam labefactari videt; et vestris optimis sanctissimisque consiliis faveat, qui ad eam tuendam et fulciendam huc convenistis. Neque enim charitas unquam extinguitur, nec, si sanctorum virorum animae in portum quietis et tranquillitatis ipsae pervenerunt, iccirco non miserentur nostri, quos eiusdem secum spiritus et corporis communione coniunctos et eundem, quem ipsae adeptae sunt, portum petentes, huius turbulenti maris fluctibus agitari vident. Hoc loco et oratione mea extrema nihil faciam insolenter, patres sanctissimi, neque vos tanta sapientia ac pietate praeditos hortabor, ut ad constituendam ecclesiam incumbatis. Quid enim aliud tot iam menses agitis? Quid aliud dies noctesque laboratis? Quo curae, quo vigiliae, quo acta et decreta vestra pertinent, nisi ut errorum caliginem et tenebras discutiatis, ut mores depravatos severis legibus corrigatis, ut errantes fratres in sinum sanctae matris ecclesiae redigatis, ut ipsis adversariis, si ad sanitatem redire voluerint, paterna charitate consulatis? Vos vero non hortandi a quoque estis, sed ab omnibus potius laudandi, quod tam diligenter, tam studiose, tam sedulo communi saluti et religioni inservitis. Quare cohortatione non utar, qua non egetis. Illud potius faciam, quod meum est et eorum omnium, qui
nihil conferre | in tam salutare opus praeter studia et preces possumus, ut Deum precer, 374v
quemadmodum quidem assidue facio, ut vestrorum laborum et consiliorum eum exitum esse velit, quem et boni omnes iam pridem optant et res publica Christiana maxime desiderat.

Congregatio theologorum.
Perficitur examinatio suprascriptorum articulorum de sacrificio missae et sacramento ordinis quoad ipsos theologos.

Die Martis **29.** supradicti mensis **Decembris** hora 16 habita est congregatio theologorum, in qua perficitur examinatio suprascriptorum articulorum de missa et ordine, loquiturque hodie

Bartholomaeus Miranda[1], Hispanus, ord. Praed., ⟨missus etiam a Caes. Maiestate⟩[a], qui suo loco non dixit, cum eo tempore, quo dicturus fuisset, Tridentum applicuerit. Examinavit autem articulos de missa, et quoad primum haereticum eum esse confirmavit, referens genera sacrificiorum[b]; sed quod apud Christianos unum est sacrificium, ⟨nempe missa ipsa, prout semper antiqui patres tradiderunt, inter quos est Cyprianus ad Cecilium[2], Augustinus⟩[c] de cura pro mortuis agenda[3] et in Enchiridion cap. 69[d] et 108[4], ac etiam ex perpetua ipsa apostolorum traditione. Quodque missa sit a Christo Domino instituta, etiam ut[e] sacrificium, ex Luca 22 [15]: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare* etc. Pascha autem non poterat sine imolatione celebrari. Unde dicitur ⟨in evangelio⟩[f] *pascha*, in quo necesse erat agnum imolari[5]; sed loco agni suum corpus Christus imolavit. Et ideo Paulus ait: *Pascha nostrum imolatus est Christus*[6]. Et: *Nonne panis, quem frangimus, participatio corporis Christi est?*[7] Et valde refert in mensa nostra fieri imolationem Christi; alias nulla erat comparatio Pauli, si in nostra mensa non fuisset imolatio prout

[a] *Th om.* [b] *M add.* et differentiam inter nos et adversarios
[c] *M* et quod missa ab omnibus antiquis patribus sacrificium esse relatum fuerit, maxime a Dionysio, Cypriano ad Cecilium, Ambrosio, Augustino
[d] *Th* 59 [e] *Th* et [f] *M om.*

[1] Bartholomaeus Carranza de Miranda O. P., natus anno 1503, iam 1546 et 1547 concilio interfuit. Iussu Caroli V (cf. Conc. Trid. XI 607 n. 429 et 617 n. 436) iterum Tridentum se contulit ad concilium. Anno 1557 archiepiscopus Toletanus est nominatus. De catechismo ab eo edito processus ad tribunal inquisitionis Hispanae contra eum est institutus. Mortuus est anno 1576. *H. Laugwitz*, B. C., Kempten 1870. *Pastor* VI 547 sqq.; VII 523—528. *Quétif-Echard*, Scriptores ord. Praed. II 236. *H. Reusch*, Index der verbotenen Bücher I 455 sqq. *van Gulik-Eubel* III[2] 315. Eius votum in scriptis datum videas in App. IV n. 17.

[2] Cf. supra p. 394 adn. 4.

[3] Cf. supra p. 386 adn. 10.

[4] *Augustinus*, Enchiridion de fide, spe et caritate ad Laurentium cap. 69 et 108 nihil de sacrificio missae continent. Potius legendum est cap. 62 et 110. *Migne*, P. lat. XL 261. 283.

[5] Cf. *Luc.* 22, 7. [6] *I Cor.* 5, 7. [7] *I Cor.* 10, 16.

in mensis gentilium et Iudaeorum. Et idem Paulus 7 ad Hebr. docet, legem, sacerdotium et sacrificium ad invicem connexa esse et se habere, ita ut destructo uno alia destruantur.
375r Adduxit deinde argumenta adversariorum. | Primo, quod nos[a] in missa repraesentamus mortem Christi, et sicut non moritur Christus, ⟨ita non⟩[b] est sacrificium, prout, dum nativitatem Christi et resurrectionem celebramus, non nascitur Christus nec resurgit. Item quod omnia holocausta consumebantur, in missa autem non ita fieri. Praeterea ex Paulo Hebr. 7, 8 et 9, ubi reprobat sacrificia veteris legis multis modis, primo quod essent multi sacerdotes, noster sit unus Christus. Illi succedebant, quia moriebantur; Christus est in aeternum sacerdos. ⟨In ea lege⟩[c] sacrificia repetebantur; in nostra una sit hostia pro peccatis in aeternum. Ac etiam ex dignitate sanguinis, quia Christus[d] suo proprio, non taurorum intravit in sancta[1] etc., quod[e] non habebatur in veteri lege. Quae omnia adversarii contra nos deducunt, videlicet quod multi sint sacerdotes, quod reiterentur sacrificia, quod sit contra Christi mortem, quae de per se sufficiens est ad omnia expianda peccata absque alia nova missae[d] oblatione. Et quod saepe Christus offeratur, ergo non semel *consumavit unica oblatione ⟨in aeternum sanctificatos*, ut testatur Paulus⟩[d2]; alias frustra offerretur ⟨in missa⟩[d]. Sed respondit ex Caietano in tractatu de sacrificio Missae[3], declarans primo, in ecclesia esse cruentam et incruentam hostiam: cruentam, quae in cruce oblata est, incruentam, quae in coena ⟨oblata fuit⟩[d] et in missa offertur. ⟨Quae tantum modo inter se differunt.⟩[f] Et illa crucis est exemplar, haec in missa exemplum et illam repraesentat. ⟨Quae duo unum est sacrificium et eadem oblatio, eadem imolatio; res enim eadem est, quae offertur. Non igitur diversum nec aliud est sacrificium hoc altaris ab illo crucis; sed hoc per illud est⟩[g] et per hoc fructus illius nobis applicantur. Quibus[h] rationibus verum[i] sacrificium appellatur et est hoc, quod in altari offertur, et ita ⟨illud crucis⟩[k] perseverat continuo et perseverabit in aeternum, ut Caietanus declarat[4]. Ad argumenta igitur superius allata respondit, in nostra ecclesia esse etiam unum solum Christi
375v sacerdotium | et unam oblationem. Et celebrans sacerdos est idem Christus, cuius personam gerit; alias non conveniret, cum dicit: *Hoc est corpus meum*. Neque fit repetitio, quia eadem oblatio est et eadem res oblata. Illa enim crucis perpetuo continuatur et perseverat; non igitur repetitur. Consideratur insuper Eucharistia ut sacramentum et sacrificium. Et ⟨quantum ad⟩[l] sacramentum non prodest ad remissionem peccatorum ex sua institutione. Quatenus vero sacrificium, prodest. Non duo tamen sunt, sed unum et idem. Et cum adducitur contra, quod non relinquatur *hostia pro peccatis* etc., ut ait Paulus[5], respondit, hanc eandem hostiam esse cum illa crucis. Et in hoc sacrificio omnia conveniunt, quae habebantur in omnibus sacrificiis veteris legis. Illa enim erant umbra huius. Est namque impetratorium, propitiatorium, expiatorium, reconciliatorium etc. Et valet ad omnes effectus, qui in illis antiquis[d] figurabantur et ad quos valet oblatio ipsa crucis, dum tamen illi sint coniuncti cum Christo fide et caritate. Unde Christus dixit in coena: *Hic est sanguis, qui pro* vobis funditur *in remissionem peccatorum*[6]. Et 1 Io. 1 [7] ait: *Si in luce ambulamus, sanguis Christi emundat nos ab omni iniquitate.* Pro fidelibus igitur tantum hoc sacrificium offertur. Et Ioannes ipse dicit *emundat*, non *emundabit*, quia semper sanguis Christi emundat nos ab iniquitate. Deinde retulit aliud argumentum adversariorum, quod omnis cultus sine verbo Dei est idololatria; sed missa (dicunt) non habet cultum Dei ex scriptura; ergo est impius [!] et idololatria. Respondit ⟨primum assumptum⟩[d] esse verum, dum tamen non habeatur vel[m] ex scriptura expresse vel ex traditione apostolica, quae duae probationes fidei in ecclesia faciunt. Et maioris etiam auctoritatis est traditio quam scriptura, cum ex ecclesia habeatur, quae sit scriptura canonica. Ecclesiae enim facta est revelatio. Neque vero Christus scripsit aut praecepit scribendum, sed dicebat discipulis: Prae-
376r dicate *do|centes servare*, quae praecepi vobis[7]. Neque in exordio[n] Christianae ecclesiae fuit

[a] *Th* non [b] *M* nec [c] *M* Et quod [d] *M om.* [e] *M* et fructus redemptionis, quod
[f] *M* Quae duo unum est sacrificium et eadem oblatio, eadem imolatio, ut enim eadem est, quae offertur, et modo tantum differunt.
[g] *M* Et haec per illud est, ergo non diversum nec aliud [h] *M add.* duabus
[i] *M* vere [k] *M* illa [l] *M* quatenus [m] *C 119 et Th om.* [n] *M* principio

[1] Cf. *Hebr.* 9, 12. [2] Cf. *Hebr.* 10, 14.
[3] *Thomas de Vio Caietanus*, Tract. de missae sacrificio c. 6: „ . . . in novo testamento est hostia cruenta, est et hostia incruenta. Hostiam siquidem cruentam agnoscimus Iesum Christum in crucis ara oblatum . . ., hostiam vero incruentam agnoscimus institutam a Christo, corpus et sanguinem eius sub specie panis et vini . . . Verum hostia cruenta et incruenta non sunt hostiae duae, sed hostia una.“ Opuscula, Venetiis 1596, 292 s.
[4] *Caietanus* l. c. 293. [5] Cf. *Hebr.* 10, 26.
[6] Cf. *Matth.* 26, 28. [7] Cf. *Matth.* 28, 20.

aliquid scriptum, et tamen ecclesia sancta erat et fides Christi in ea retinebatur. Scriptura itaque ab ecclesia auctoritatem habet. Cultus igitur in missa Deo exhibitus habetur ex traditione ecclesiastica. Articulus 2 etiam haereticus est; non debet tamen dici: *neque esse opus meritorium*, cum derogetur sacramento ipsi ⟨et Christus amplius non mereatur⟩[a]. Alii quoque articuli haeretici sunt. Sed nonus non debet ut alii damnari, de celebratione missae in lingua vulgari, licet canon semper debeat latina lingua et secreto dici ob mysteria magna, ut Basilius docet[1]. Alia etiam debent lingua latina legi, sed in concione declarari, in quo maior fructus affertur[b] populo. Quae declaratio necessaria est et in ecclesia fieri debet. Quo vero ad ordinem: ⟨etiam omnes articulos haereticos censuit⟩[c], nollet tamen in secundo decidi, an inferiores ordines sint sacramenta, ⟨ob diversas doctorum⟩[d] opiniones. Articulum 6 etiam haereticum confirmavit, distinguens ordinem inter sacramentalem et hierarchicum. In primo enim omnes sunt aequales, et episcopi et presbyteri; in secundo autem differunt, quia episcopatus est maior et dignior. Et licet aliquando videatur confundi episcopus et sacerdos, ut apud Paulum ad Tit. 1 [5] et 1 Tim. 4 [14] et apud Hieronymum ad Evagrium[2], et quod episcopi non ⟨videatur haberi⟩[e] institutio in sacra scriptura, sunt tamen inter se distincti, ut docet ecclesia in eorum diversa consecratione. Quare damnatus fuit Aerius[3], qui id negabat. Et Paulus 1 Tim. 5 [1] ostendit, episcopum habere quandam iurisdictionem supra presbyterum, cum inquit: *Seniorem ne increpaveris*, sed argue ut pater. Et ne admiseris accusationes *nisi duobus testibus etc.*[4] Ergo presbyterorum accusatio fiebat coram episcopo. Concilium etiam Hispalense cap. 7 declarat differentiam[f] episcopi et presbyteri necnon concilium Toletanum 8[5]. Et hic error damnatus etiam fuit in concilio Constantiensi[6]. Et Anacletus epist. 1 ambos hos ordines | a Christo institutos refert[7]. Et Damasus in epist. de corepiscopis[8]. 376^{v}

Dimittitur autem congregatio hora 20. Et quamvis multi adhuc theologi super his articulis sententias dicturi fuissent, quia tamen dies sessionis instat et multa praeterea peragenda sunt, imponitur finis examinationi praescriptorum articulorum quoad ipsos theologos, praesertim cum iam satis abunde ab iis, qui hactenus loquuti sunt, articuli ipsi fuerint discussi, enucleati atque examinati[9].

Principium anni 1552. 375^{r}

In nomine Domini Nostri Iesu Christi. Amen. Incipit annus salutis a Nativitate Domini 1552, sedente in b. Petri cathedra sanctissimo et beatissimo in Christo patre et domino nostro D. Iulio III pont. opt. max., pontificatus sui anno secundo, imperante vero felicissimo et augustissimo Carolo V, christianissimo principe, sacrosanctae Romanae ecclesiae et sanctae sedis apostolicae defensore invictissimo.

Missa concilii in festo Circumcisionis Domini.

Die Veneris **1. Ianuarii 1552,** in festo Circumcisionis Domini, celebravit missam solemnem concilii R. D. archiep. Sipontinus, sacri concilii secundus praesidens, habuitque orationem sacrae theologiae magister Everhardus Billicus, ord. Carmel., Germanus, familiaris R. et Ill^{mi} D. electoris Coloniensis.

[a] *M om.* [b] *M* est; *Th* offertur
[c] *M* primum haereticum confirmavit, secundus etiam [d] *M* cum de hoc sint
[e] *M* habeatur [f] *M* diversitatem

[1] *Basilius*, De spiritu sancto 27, 66. *Migne*, P. gr. XXXII 188. Sed ibi agitur de ritibus ex secreta traditione receptis, non de secreta canonis missae recitatione.

[2] *Hieronymus*, Epistula 146 ad Evangelum presbyterum. *Migne*, P. lat. XXII 1192—1195.

[3] *Epiphanius*, Panarion lib. III haer. 75 n. 3 et 5. *Migne*, P. gr. XLII 505/06 509/10. GrChrSchr *Epiphanius* III 334 sqq.

[4] *1 Tim.* 5, 19.

[5] Concilium Hispalense II (a. 619) cap. 7. *Mansi* X 559. — Concilium Toletanum VIII a. 653 habitum in can. 4—6 contra clericos incontinentes distinguit inter episcopos, sacerdotes, diaconos et subdiaconos praecipitque, ut episcopi contra sacerdotes delinquentes procedant. *Mansi* X 1216 sq. *Bruns* I 279 s.; II 71.

[6] Cf. supra p. 399 adn. 8.

[7] *Pseudo-Anacletus*, Ep. 1 n. 10 (quae est Pseudo-Isidori). *Hinschius* 70.

[8] *Pseudo-Damasus*, Epist. de vana superstitione corepiscoporum vitanda. (Est Pseudo-Isidori.) *Hinschius* 509—515.

[9] In *Conc. 118* fol. 376^{v}—377^{v} sequuntur nomina theologorum, qui in congregationibus praecedentibus de articulis propositis vota emiserunt. In fine huius enumerationis Massarellus addit: *Sunt praeterea nunc Tridenti ultra praescriptos 30 fere theologi, qui super his articulis sententias non dixerunt ex ratione superius adnotata.*

Congregatio prima generalis anni 1552. Decernitur examinandam una cum articulis doctrinam de sacrificio missae et sacramento ordinis.

[1]Die sabbati **2.** eiusdem mensis **Ianuarii** hora 23[a] celebratur congregatio generalis, ⟨in qua post lectam solitam orationem Sancti Spiritus⟩[b] R^{mus} et Ill^{mus} D. **legatus** retulit patribus ea, quae acta fuerunt ⟨post congregationes theologorum⟩[c], videlicet quod[d] sit formata doctrina super ⟨sacrificio missae et sacramento ordinis secundum sententias theologorum, qui in examinatione articulorum supradictorum nihil notatu dignum animadverterunt; sed omnes unanimiter articulos omnes propositos haereticos iudicarunt; et quod ipsa doctrina, ut tempus redimeretur, posset una cum ipsis articulis examinari. Brevitatemque in sententiis dicendis plurimum commendavit, ad quam patres summopere hortatus est; et quod praeterea deligendi sunt aliqui patres, qui curam conficiendi canones et
378^{v} aptandi doctrinam suscipiant⟩[e]. Rogavit igitur sententias[f], an dicta[g] do|ctrina una cum ipsis[g] articulis sit examinanda, et an deputati sint nunc eligendi et aliqua ratio ineunda sit circa brevitatem sententiarum[h].

R^{mus} et Ill^{mus} cardinalis **Tridentinus** laudavit omnia proposita per R^{mum} et Ill^{mum} legatum, ut doctrina una cum articulis examinetur; imponatur ⟨cuilibet certum⟩[g] tempus ⟨in dicenda sententia⟩[g] et deputati antiqui[2] confirmentur.

R. et Ill^{mus} D. archiepiscopus **Coloniensis** elector idem probavit in omnibus.

R. D. episcopus **Zagabriensis**, orator Ser^{mi} Romanorum regis, idem etiam confirmavit.

R. D. archiepiscopus **Turritanus** idem ⟨laudavit excepta deputatione, a qua ipse se excusavit, cum sit unus ex deputatis antiquis⟩[i].

Antibarensis probavit sententiam R^{mi} Tridentini.

Arborensis probavit proposita per R^{mum} et Ill^{mum} D. legatum.

Upsalensis idem confirmavit.

Panormitanus idem probavit.

Granatensis probat doctrinam una cum articulis examinari; sed prohibendum est, ne doctrina extra patres publicetur. Et deputati novi deligantur.

Calaritano placet, quod doctrina exhibeatur una cum articulis et deputati veteres retineantur.

R. D. [episcopo] **Feltrensi** placent dicta per D. Calaritanum.

Placentinus probat proposita per R^{mum} et Ill^{mum} D. legatum.

S. Marci placet dari doctrinam cum articulis et nunc eligi deputatos.

Camerinensis idem probat, sed patres dicant prius sententias[g] super articulis, deinde super doctrina.

Castellimaris cuperet servari modum antiquum ⟨hactenus observatum⟩[g], ut prius |
379^{r} examinentur articuli, deinde doctrina, ⟨quae ex sententiis patrum conficienda est⟩[g].

Lancianensis vellet prius examinari articulos, postea ex sententiis patrum doctrinam confici. Et deputati veteres retineantur ⟨et brevitas servetur⟩[g].

Algarensis probavit doctrinam una cum articulis examinari, et quod eligantur deputati.

Misiensis idem ⟨probat, ut doctrina simul cum articulis examinetur⟩[k] et veteres deputati confirmentur.

Numbergensis probavit sententiam R. D. Granatensis.

Siracusanus ⟨probavit sententiam R. D. Camerinensis⟩[l].

Vigorniensis idem; et ⟨deputati confirmentur⟩[m].

Argentinensis probavit sententiam R^{mi} et Ill^{mi} D. Tridentini.

[a] *M 20* [b] *Th om.*
[c] *M* hoc interim, quo congregationes habitae non sunt [d] *Th* quae
[e] *M* missa et ordine, et quod in articulis nihil theologi notatu dignum cogitarent, sed omnes articulos haereticos iudicarunt. Consuluit patres, an doctrina una cum articulis examinari [!], commendavit brevitatem et eligendos deputatos, qui omnia viderent et curarent.
[f] *Th* sententiam; *M add.* supra praedictos [g] *M om.* [h] *M add.* dicendarum
[i] *M* cum Tridentino, excepta deputatione [k] *M* super ambobus simul
[l] *M* placet doctrinam cum articulis examinari, ut dicit Camerinensis
[m] *M* et veteres retineantur deputati

[1] Acta, quae Massarellus in ipsis congregationibus scripsit, a principio anni 1552 usque ad congregationem sacrae deputationis die 15. Ianuarii habitam inveniuntur in tomo *Conc. 10* fol. 196^{r}—203^{v} (= *M*). — Cf. Röm. Qu. L (1955) 41.

[2] Quorum nomina vide supra p. 324, l. 23 ss.

Bituntino placet doctrinam cum articulis examinari, sed deputati novi deligantur.

Bellicastrensis probat doctrinam nunc[a] cum articulis examinari. Et deputati veteres confirmentur.

Auriensis ⟨probat idem in omnibus⟩[b].

Pacensis ⟨cuperet examinari prius articulos, deinde doctrinam⟩[c], et novi deputati eligantur.

Constantinensi placuit doctrinam cum articulis examinari. Et deputati nunc eligantur.

Oscensis idem de doctrina et articulis, sed deputati veteres confirmentur.

Clodiensis idem. Et veteres retineantur deputati.

Solonensis de doctrina idem probat. Et deputati deligantur, ⟨qui hactenus⟩[d] fuerunt.

Calaguritano placet examinari articulos et doctrinam, sed prius examinentur articuli. Et deputati confirmentur.

Elnensis probat doctrinam una cum articulis examinari, et deputati confirmentur.

Cenetensis probat sententiam R^{mi} et Ill^{mi} Tridentini. 379v

Monopolitanus probat doctrinam cum articulis examinari, et deputati confirmentur.

Mindoniensis approbavit sententiam R^{mi} et Ill^{mi} D. Tridentini.

Legionensi placet, quod doctrina una cum articulis examinetur, et nunc deputati deligantur vel antiqui confirmentur, sed ipsi etiam dicant suas sententias.

Tudensis ⟨probat examinari doctrinam cum articulis et deputati [!] nunc deligi⟩[e].

Guadicensis ⟨idem probat, dum tamen capita utriusque respondeant⟩[f] et novi deputati fiant.

Lacorensi placet doctrinam cum articulis[g] examinari, et veteres deputati confirmentur.

Civitatensis[h] idem probat in omnibus.

Astoricensi non placet, quod doctrina simul cum articulis examinetur, sed prius articuli, deinde doctrina, quae, ⟨antequam publicetur, ab aliquibus ex patribus revideatur⟩[i], et novi deputati deligantur.

Virdunensi placet, quod doctrina una cum articulis examinetur et deputati confirmentur, qui hactenus fuerunt.

Constantiensis probat sententiam R^{mi} et Ill^{mi} D. Tridentini.

[k]**Algarbiensi** placet doctrinam cum articulis examinari, et deputentur patres.

Salaminensi placet, quod doctrina simul cum articulis examinetur et deputati confirmentur.

Bossanensis ⟨probat idem in omnibus⟩[l].

Segobiensis cuperet prius examinari articulos, deinde doctrinam, ut videretur ex sententiis patrum esse confectam. Et deputati antiqui confirmentur.

[m]**Vicentino** placet, quod doctrina una cum articulis examinetur, et deputati confirmentur.

Mutinensis idem probat de doctrina, sed novi eligantur deputati. |

Civitatensis probat doctrinam una cum articulis examinari et deputatos confirmari. 380r

Montisfalisci idem ⟨probat, sed primo loco examinentur articuli⟩[n]. Et deputati confirmentur.

R. P. **abbas Flandrus** probat sententiam R^{mi} et Ill^{mi} Tridentini.

RR. PP. **abbates Itali** probant doctrinam cum articulis examinari et deputatos confirmari.

R. P. **generalis s. Augustini** idem probat.

[a] *M* simul [b] *M* doctrina nunc detur et cum articulis examinetur et deputati confirmentur
[c] *M* idem de doctrina, sed articuli prius examinentur, deinde doctrina [d] *M* ipsimet qui
[e] *M* placet, quod doctrina nunc celebratur [!] et simul cum articulis examinetur et deputati nunc confirmentur
[f] *M* placet doctrinam simul cum articulis examinari, sed simul correspondeant in capitibus
[g] *M add.* simul [h] *In M corr. pro* Algarbiensis
[i] *M* prius examinetur a quibusdam patribus, deinde publicetur
[k] *In M votum Algarbiensis, quod in margine inferiori additum est, hoc loco inserendum esse signis indicatur.*
[l] *M* placet, quod doctrina cum articulis exhibeatur et examinetur; deputati antiqui confirmentur
[m] *In M votum Mutinensis ante votum Vicentini scriptum est; sed signis in margine additis indicatur ordinem inversum esse servandum.*
[n] *M* quod doctrina una cum articulis examinetur, sed prius articuli examinentur

R. P. **vicarius generalis ord. Min. Convent.** (qui, cum obierit eorum generalis, a summo pontifice in eius locum constitutus est)[a] idem probat.

Deinde R^{mus} et Ill^{mus} D. **legatus** ⟨iuxta sententias maioris partis patrum conclusit, doctrinam ipsam una cum articulis examinandam, et quod patres pro eius exemplo ad secretarium mitterent, monens tamen omnes, ne eam, antequam emendata et aptata fuerit, evulgarent. Quo vero ad deputatos, cum antiqui iterum deputari renuerent idque summis precibus peterent, iterum sententiae super ea re rogatae fuerunt omnesque unanimiter remiserunt se R^{mo} et Illmo D. legato⟩[b].

Et dimissa fuit congregatio hora 24.

Datur exemplum doctrinae de missa et ordine omnibus patribus.

Die dominica **3.** eiusdem **Ianuarii** datur omnibus patribus exemplum doctrinae de sacrificio missae et sacramento ordinis confectae ex sententiis theologorum per patres examinandae[1].

Datur omnibus patribus exemplum censurarum factarum a theologis super articulis de missa et ordine.

Die lunae **4.** dicti mensis datur omnibus patribus exemplum quarundam censurarum factarum per theologos in examinatione articulorum de sacrificio missae et sacramento ordinis sub his verbis, videlicet: |

380v [c]Articuli de missa et ordine omnes iudicantur damnandi a theologis, neque adnotationes alicuius momenti factae sunt. Ut tamen quibusdam patribus satisfiat, haec minutula ex sententiis ipsorum theologorum excerpta fuerunt.

De missa: In primo articulo.

Quidam nollet simpliciter damnari *missam esse testamentum,* cum possit (ait) habere bonum sensum. Et alius quidam nollet etiam verba illa *translato nomine vocari missam sacrificium,* quia dicit posse esse vera in aliquo sensu.

In secundo.

Missam inventam ab hominibus etc. cuidam non videtur hoc simpliciter falsum, cum possit esse aliquid a Deo, at ab hominibus inventum. *Neque esse opus meritorium:* Quidam censet haec verba non esse damnanda, quia Christus amplius non meretur.

In tertio.

In hoc articulo quidam vellet etiam damnari, quod verba illa: *Hoc facite* etc. pertineant ad administrationem, non autem consecrationem et oblationem.

In quarto.

Quidam cuperet hoc in loco damnari diversas formas consecrationis et declarari, quae sit vera forma consecrationis.

In septimo.

Aliquis admonuit advertendum, ultimam partem huius articuli non asseri a Lutheranis. Quidam vellet etiam damnari in hoc loco alium articulum, videlicet: Singulis diebus
381r unam missam | et illam publicam in una ecclesia celebrandam esse. Item et alium, videlicet: Non licere privatim missam celebrare ob devotionem.

In octavo.

Vinum non esse materiam huius sacrificii. Quidam admonuit considerandum, hanc assertionem non ita poni ab haereticis.

[a] *M* (obiit enim generalis)

[b] *M* dixit, quod cum maiori parti placeat, quod doctrina cum articulis examinetur, quod ita concludendum est et ita fiet. Sed non publicetur extra patres, antequam sit aptata. Quo vero ad deputatos, patres remiserunt se R^{mo} legato, qui, cum videret sententias discordes et antiquos renuentes iterum deputari, nihil concludere voluit

[c] *Non leguntur in M*

[1] Doctrinam de sacrificio missae vide infra p. 475 ss., doctrinam de sacramento ordinis infra p. 483 ss.

In nono.

Quidam non putat expedire damnare hunc articulum generaliter, sed tantum quoad ecclesiam Romanam et latinam, cum Graeci, Aethiopes et quaedam aliae nationes contrarium observent, vel quod non damnetur sub censura aliorum articulorum. Et quidam vellet statui a sancta synodo, quod in missis publicis semper aliqui interpraetarentur epistolam et evangelium in lingua vulgari.

De sacramento ordinis: In primo articulo.

Ordinem non esse sacramentum. Quidam vellet addi *novae legis a Christo institutum,* cum id negent haeretici. Et verba illa *excogitatum a viris rerum* etc. monuit consideranda, an sint haereticorum.

In secundo.

Quidam censet abstinendum omnino a decisione, an inferiores ordines sint sacramenta, propter opiniones doctorum.

In tertio.

Sed omnes Christianos ex aequo esse sacerdotes etc. Quidam vellent hunc articulum clarius poni, cum non videantur illa verba adversativa. Et quod posset dici: *Quinimo omnes Christianos* etc. vel quid simile, cum possit esse ecclesiastica hierarchia et omnes Christianos esse sacerdotes. | *Et qui sacerdos semel fit* etc. Quidam ita vellet dici: *Et* 381v
sacerdotes non differre a laicis nisi in ministerio, atque ideo qui sacerdos semel fit etc.

Vesperae concilii in vigilia Epiphaniae.

Die Martis **5.** eiusdem mensis in vigilia Epiphaniae Domini fuerunt vesperae concilii in ecclesia cathedrali, in quibus peregit sacra R. D. archiepiscopus Arborensis[a].

Missa concilii in festo Epiphaniae Domini.

Die Mercurii **6.** eiusdem mensis **Ianuarii** in festo Epiphaniae Domini celebravit missam concilii idem R. D. archiepiscopus Arborensis[b], habuitque orationem sacrae theologiae doctor Ioannes Gropperius, clericus secularis Germanus, familiaris R. et Ill^{mi} D. electoris Coloniensis.

Congregatio generalis. Incipit examinatio articulorum et doctrinae de missa et ordine inter patres.

Die Iovis **7.** dicti mensis **Ianuarii** hora 16 habita est congregatio generalis, in qua, celebrata solita missa et oratione consueta recitata, patres ceperunt dicere sententias super articulis et doctrina de missa et ordine, loquunturque hoc mane infrascripti, videlicet:

R^{mus} et Ill^{mus} D. cardinalis **Tridentinus**[c] cuperet poni doctrinam de ordine ante illam de missa, quia sacerdotium sacrificium praecedit, ut Paulus ad Hebr. 5 [1] ostendit. ⟨In doctrina autem de missa in primo capite, ubi dicitur *ut semper in ecclesia Dei creditum est* etc., diceretur: *ut semper in ecclesia Dei creditum est, per circumcisionis et veteris legis abrogationem factum non fuisse, ut Christiani omni prorsus circumcisione et lege carerent* etc.⟩[d] In 2. capite ⟨*illo impetrante et disponente* addatur⟩[e] *altissime disponente* etc.; in eodem ⟨*ex summa illa obedientia percipit* dicatur *summa illa reverentia, hoc est charitate, et summa etiam obedientia percipit*⟩[f]; in eodem ⟨*baptizatis peccatoribus*⟩[g] *applicatur* addatur *maxime.* In 3. capite *impertiantur* ⟨*atque impetrentur*⟩[g] dicatur *aut*[h] *saltem impetrentur*[i]; | in eodem 382r
capite ⟨addatur, quod etiam pro iis offerri potest hoc sacrificium, qui membra Christi adhuc non sunt, pro quibus etiam ecclesia orat⟩[k]; in eodem *adhuc in hoc*[l] *mysterio patitur*

[a] *M add.* Hispanus, fueruntque praesentes R^{mus} legatus, electores, oratores et praelati omnes
[b] *M add.* cui interfuerunt conciliares omnes [c] *M add.* legit ex scripto suam sententiam
[d] *M* In primo capite de missa cuperet quaedam verba
[e] *M* ibi «ut post baptismum» dicatur
[f] *M* «summa illa reverentia» etc. loco «charitate» [g] *M om.*
[h] *Th* ut [i] *M add.* loco copulae
[k] *M* «pro iis, qui per baptismum» etc. addatur, quod etiam pro aliis orari possit in missa, quia possunt esse membra Christi [l] *M* suo

dicatur *quasi patitur*. De ordine autem in 1. capite *qui*[a] *hausto* ⟨*plenissime Spiritu Sancto* dicatur *qui*[a] *hausto spiritu opulentiore*⟩[b]; ⟨in eodem *praesertim vero munus calicem Domini dispensandi* dicatur *munus evangelizandi*⟩[c]. Articulos vero omnes ⟨ut haereticos⟩[d] damnat.

R. et Ill^{mus} D. elector **Maguntinus.** Quoad articulos: primum de missa haereticum esse confirmavit ex Malach. 1 [10 sq.] ⟨et ex Luc. 22 [19 sq.] et aliis locis, quia missa est verum sacrificium⟩[d]. Secunda pars primi huius articuli ⟨est contra Augustinum lib. Sent.[1] et concilium Lateranense[2]; videtur tamen hic articulus nimis distracte positus⟩[e]. Articulus 2 etiam haereticus et temerarius[f] est et fuit error Vicleph, damnatus in concilio Constantiensi[g][3]. Tertii prima et tertia impiae sunt contra verba Christi et sensum ecclesiae; secunda vero pars haeretica est contra Augustinum lib. 10 de civitate Dei[4]. 4^s blasphemus est; 5^s haereticus; 6^s idem. Alia est enim ratio sacramenti, alia sacrificii, ut Paulus ad Hebr. ostendit. Septimi prima pars blasphema et falsa, secunda et tertia temeraria et haeretica. *In omni* enim *loco* (ait Malachias [1, 11]) *offertur oblatio munda*. 8^s haereticus est contra Cyprianum ad Cecilium[5], concilium Carthaginense 3[6], concilium Florentinum[7] et Alexandrum[h] I[8]; ⟨aptetur autem iste articulus secundum verba haereticorum⟩[i]. 9^s etiam damnandus est[k]. 10^s impius et falsus est. Quo vero ad articulos de ordine: primus haereticus est; ei enim omnia, quae ad sacramentum requiruntur, in eo conveniunt [!] et iam damnatus est in concilio Florentino[9] et hoc Tridentino[l][10]. 2^s etiam ⟨haereticus est⟩[m]; 3^s idem[n]; posset tamen melius aptari secundum verba Lutheri. 4^s impius et haereticus est, sed verba illa *ad absolvendum coram Deo* videntur superflua, cum iam damnata sint in hoc concilio[11]. ⟨5^s⟩[o] ⟨falsus est, sed⟩[d] aptetur *in traditione ordinis sacerdotalis*. 6^s haereticus est contra Paulum[p]: *Attendite vobis et universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit regere*[12] etc.; et ad Titum[q][13] et contra concilium Hispalense[14]. Quoad doctrinam de missa: in praefatione,
382v cum dicitur *quemadmodum* | *sacerdos et sacrificium* etc., *sic eorum tractatio* etc. dicatur *sic*[d] *tractari et declarari non potest;* et ibidem *quibus* etc. dicatur *quae itaque* etc. In primo capite *ecclesia nunc instructa* deleatur *nunc*[r]. Et ibi *ex simila conficitur* deleatur *ex simila* ob ⟨ecclesiam orientalem⟩[s]. Cuperetque exprimi omnia verba consecrationis, ibi *Hoc facite* etc.[t] Et est advertendum, quod dicitur communionem esse partem sacrificii, cum multi id negent; et quia communio non est oblatio. Et verba illa *interius et exterius* deleantur. In 2. capite *baptizati praevaricentur* advertatur, ne assentiatur Lutheranis; ideo deleatur. ⟨Et etiam quod dicitur de exequiis Christi⟩[u]. Quo autem ad doctrinam ordinis: in praefatione ⟨verba illa *gratia gratum faciens* etc. melius aptentur⟩[v]. Et *elegisse 7 diaconos* dicatur *imposuisse manus*, ⟨ut habetur in textu[15]. Et quod dicitur, Christum instituisse omnes ordines minores⟩[w], advertatur, an id probari possit. Reliqua in doctrina placent[x].

a *Th* quod b *M* Spiritus Sancti plenitudine
c *M* ibidem «munus dispensandi» dicatur «verbum Dei evangelizandi» d *M om.*
e *M* etiam ex Augustino libro sentent. et concilio Lateranensi; admonuit tamen esse distracte positum primum hunc articulum et dedit novam formam.
f *M add.* et falsus g *M add.* Prima pars, secunda et tertia igitur damnentur sub anathemate.
h *Th* Alexandrinum
i *M* haeretici autem non ita loquuntur in 8. articulo, ideo secundum eorum verba aptetur
k *M add.* quia lingua latina missa et secreta secrete proferenda sunt; ultima pars etiam temeraria est. l *M add.* posset tamen melius aptari m *M* damnetur
n *M* haereticus et falsus est contra Dionysium, qui hanc hierarchiam ponit o *Th* 3^s
p *M* Act. Apost. q *M add.* 3 r *M add.* et quaedam alia, legens ex scripto suam sententiam
s *M* Graecos t *M add.* saltem «hoc est corpus meum» et «hic est sanguis meus» etc.
u *M* «eius exequias quotidie celebrat» expungantur
v *M* «Accipite Spiritum Sanctum» etc., melius aptentur «gratia gratum faciens» etc.
w *M* et «Christus auctor et institutor fuit» graduum minorum
x *M add.* In qua sententia dicit esse etiam electorem Treverensem, qui aegrotat.

1 In *Prosperi Aquitani* libro sententiarum, quas ex Augustini scriptis collegit, de Eucharistiae sacramento quidem, non autem de sacrificio agitur. Sed cogitat de c. 48 *Hoc est* de cons. dist. 2, qui apud Gratianum ex *sententiarum libro* sumptus esse legitur, revera tamen est Lanfranci.
2 Cf. supra p. 117 adn. 4.
3 Concilium Constantiense, sessio 8, errores Ioannis Wicleff n. 5. *Mansi* XXVII 1207.
4 Cf. supra p. 387 adn. 1.
5 Cf. supra p. 400 adn. 14.
6 Concilium Carthaginense III a. 397 habitum can. 24. *Mansi* III 884. *Bruns* I 126. C. 5 *In sacramento* de cons. dist. 2.
7 Cf. supra p. 393 adn. 2.
8 Cf. supra p. 393 adn. 3.
9 Cf. supra p. 384 adn. 6.
10 Cf. supra p. 384 adn. 7.
11 Sessio IV (XIV), doctrina de poenitentia cap. 6 et can. 10 de eodem sacramento, supra p. 350 sq. et p. 358.
12 *Act.* 20, 28. 13 Cf. *Tit.* 1, 5.
14 Cf. supra p. 437 adn. 5.
15 *Act.* 6, 6.

R. et Ill^mus^ D. elector **Treverensis** aegrotat, sed significavit se esse in sententia Ill^mi^ D. electoris Maguntini.

R. et Ill^mus^ D. elector **Coloniensis** ⟨excusavit se ab hodierna congregatione⟩[a][1].

R. D. **Zagabriensis**[2] probavit praemitti tractationem de ordine ante missam, quia ad hoc illud sacramentum ordinatur, unde Paulus ad Hebr. 6: *Translato enim sacerdotio necesse est, ut translatio legis fiat*[3] etc. Quoad articulos: In primo de missa ibi *sacrificium* addatur *novae legis propitiatorium.* 8^s^ aptetur iuxta verba Lutheranorum[4]. 9^s^ non videtur generaliter damnandum de lingua vulgari, quia ⟨in multis locis, ut est⟩[b] in sua diocesi, missae eorum lingua celebrantur, quam dicunt esse B. Hieronymi[5]; et placeret constitui, ut celebrans declararet lingua vulgari, quae latina dicit. Quoad doctrinam de missa: Ubi dicitur *sacramento ordinationis* dicatur *ordinis.* In primo capite non videtur verum, quod Christus non fuerit functus sacerdotio in cruce, quia, si illud fuit sacrificium, fuit ibi et sacerdos. In eodem, quod dicitur *Melchisedech* | *obtulisse* advertatur, quod in textu dicitur *protulisse*[6]. 383r Et quod dicitur de exequiis, deleatur. Et ibi *pro iis, qui*[c] *in ecclesia sunt, offerendum* etc. advertatur, quia in die Parasceve ecclesia orat etiam pro infidelibus, et Stephanus oravit pro Saulo[d][7]. Caetera placent.

R. D. **Viennensis**[2]. Primus articulus haereticus est et falsus in omnibus, quia missa est sacrificium verum, quod Deo Patri offertur[e], et pro peccatis prodest, ut sacrificii proprium est[f]. 2^s^ ⟨etiam haereticus et impius est⟩[g] contra verba Christi: *Hoc facite*[8] etc.; et Paulus ait: Quotiescunque feceritis[9]; et praefiguratur Malach. 1 [10 sq.] ⟨Neque ulla unquam gens fuit, quae non habuerit sacrificium. Est igitur missa a Christo instituta quoad essentialia,⟩[h] caeremoniae autem habentur ab apostolis. Secunda pars 2[i] articuli et tertia impiae et falsae sunt. 3^s^ articulus haereticus et blasphemus est. Non enim ⟨per hoc sacrificium⟩[b] irrogatur illo crucis, cum hoc ab illo vim habeat et idem cum illo sit. Damnetur igitur in omnibus partibus. Nam et *facere* sacrificare est etiam apud ethnicos: *Cum faciam vitula*[10] etc. 4^s^ haereticus et impius est et antichristianus, ut prophetavit Daniel[11]. Articulus 5 etiam est haereticus. Sicut enim sacrificium crucis vivis et defunctis profuit, sic et hoc, cum idem sit et eiusdem virtutis[k]. 6^s^ erroneus et falsus est. 7^s^ haereticus et impius[l]. Semper enim in ecclesia Dei fuerunt missae privatae neque Christi institutioni repugnant; nam quod[m] ⟨in eis⟩[b] astantes non communicent, non celebrantis[n], sed ipsorum[b] astantium culpa evenit[o]. 8^s^ etiam haereticus[p] est. 9[i] prima pars haeretica[q], secunda[r] falsa, tertia idem, quia non sanctis, sed Deo sacrificatur; sancti vero invocantur. 10^s^ falsus et impius est; omnes enim ceremoniae suam significationem habent passionis, mortis et resurrectionis Christi[s]. Quoad ordinem: Primus haereticus est[t], 2^s^ idem contra proprium[u] ordinis, ut multi simul[b] ordinati sint, et contra Paulum: *Quosdam dedit apostolos, quosdam prophetas*[12] etc. 3^s^ etiam haereticus est. Neque enim corpus est unum membrum[v] neque omnia eundem effectum habent[13]; populus autem aliquando adhibitus est in ordinatione[w] ob testimonium, quo Paulus ⟨episcopos et⟩[b] presbyteros indigere testatur[x][14]; neque enim magistratus non ordinatus alios ordinare potest. | Ad episcopos igitur per- 383v tinet, ut Paulus testatur[y] ad Tit. 1 [5][z]. Articulus 4 haereticus est; si enim in ecclesia est

[a] *M* hodie abest [b] *M om.*
[c] *Th* quae [d] *M* Paulo [e] *M add.* et missa vocabulum liberum est
[f] *M add.* non est igitur sola commemoratio passionis Christi, neque translato nomine, sed proprie, neque in testamentum; damnetur igitur in omnibus partibus.
[g] *M* idem; impius enim est [h] *M* neque in ulla lege non fuit sacrificium
[i] *C 118 et C 119 et Th falso* 3 [k] *M add.* et hoc [!] quotidie illius virtus ad nos descendit.
[l] *M add.* in omnibus partibus [m] *Th* qui [n] *M* sacerdotis [o] *M* provenit
[p] *M* falsus [q] *M add.* de secreto celebrando et proferendo verba consecrationis
[r] *M add.* de lingua vulgari
[s] *M add.* Omnes igitur articuli propositi haeretici et damnandi sunt.
[t] *M add.* et diffinitione ordinis et sacramenti [u] *M* proprietatem [v] *M add.* sed multa
[w] *M add.* presbyterorum [x] *M* docuit [y] *M* asserit
[z] *M add.* Ultima pars 3. articuli etiam falsa est, cum irreiterabilis sit caracter.

[1] Sententiam suam secretario in scriptis misit, qui eam die 14. Ianuarii patribus in congregatione praelegit. Cf. App. IV n. 30.
[2] Una cum Viennensi votum in scriptis secretario dedit, quod exhibemus in App. IV n. 20.
[3] *Hebr.* 7, 12.
[4] Cf. supra p. 377 adn. 3.
[5] Innocentius IV. a. 1248 dioecesibus Croatiae permisit, ut in liturgia Romana uterentur lingua Sclavonica in forma Glagolica. Cf. *L. Rogič*, LThK IV 514. *Corp. Cath.* XXVIII (Münster 1959) 14.
[6] *Gen.* 14, 18. [7] *Act.* 7, 60.
[8] *Luc.* 22, 19. [9] Cf. *1 Cor.* 11, 25.
[10] *Vergilius*, Ecloga III 77: «Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito».
[11] Cf. *Dan.* 9, 27; 11, 31; 12, 11.
[12] *Eph.* 4, 11; cf. *1 Cor.* 12, 28.
[13] Cf. *Rom.* 12, 4. [14] Cf. *1 Tim.* 3, 7.

sacrificium[a], ergo et sacerdotium visibile[b]. 5^{s} etiam haereticus est; 6^{s} idem contra Paulum: *In quo Spiritus Sanctus posuit vos regere ecclesiam Dei*[1] etc. ⟨Omnesque alii⟩[c] haeretici sunt. Quoad doctrinam[d]: Notationes quasdam[e] afferet etc.

R. D. [archiepiscopus] **Turritanus**. Doctrina proposita placet, et probat notationes Tridentini et Maguntini ac articulos omnes haereticos confirmat ex rationibus per theologos adductis.

R. D. **Antibarensis** probat sententiam R^{mi} et Ill^{mi} D. Tridentini.

R. D. **Arborensis**[2] articulos propositos omnes haereticos esse censet et anathemate damnandos tam de missa quam de ordine. Quoad doctrinam probabit, quod a sancta synodo probabitur.

R. D. **Upsalensis** omnes articulos propositos ut haereticos damnat. In primo autem de missa habeatur ratio, quod Mattheus non concordat cum Luca de ⟨calice et⟩[f] testamento[g][3]. Et in 8° advertendum, quod Sixtus IV concessit Norvegiis, ut in solo pane consecrarent[h][4]. Quoad ordinem: Etiam omnes haeretici sunt et anathemate damnandi. Quoad doctrinam: In primo capite *novum sacerdotium* dicatur *sacerdotium evangelicum*. Et considerandum, quod ⟨dicitur *ad remissionem peccatorum* etc., cum⟩[f] alia sacramenta sint instituta ad delenda peccata[i]. Caetera placent.

R. D. **Panormitanus**[k][5]. Primus articulus haereticus est. Probatque in eo notationes theologorum. 2^{s} etiam haereticus est; ⟨non probat⟩[l] tamen, quod theologi adnotarunt. Notatio autem 3., 8. et 9. articulorum placet, ⟨non tamen, quod statuatur interpraetandum in missis evangelium lingua vulgari, neque quod de forma consecrationis fiat aliqua mentio. Alii articuli omnes haeretici sunt. Quo vero ad doctrinam adnotavit quaedam in scriptis referenda etc.⟩[m]

Solvitur autem congregatio hora 19.

Congregatio generalis.
Examinantur iidem articuli et doctrina de missa et ordine.

384r Eadem die Iovis [**7. Ianuarii**] hora autem 21 habita etiam fuit congregatio generalis, in qua patres infrascripti prosequuti sunt examinationem eorundem articulorum et doctrinae de missa et ordine.

R. D. [archiepiscopus] **Granatensis** primum articulum haereticum confirmavit. Missa enim sacrificium est; nam cum Christus vere sit in Eucharistia, sequitur, quod sit sacrificium, cum possit, ⟨postquam consecratum est⟩[f], Deo Patri a celebrante imolari; hacque de causa sancti patres[f] sacrificium hoc appellaverunt, quia in eo vere Christum esse tenuerunt, ut ostendit B. Thomas 3. parte q. 73 art. 6 et parte 2 q. 105[n][6]. Idem enim est sacramentum et sacrificium; eorum tamen diversa ratio est. Quo vero ad verba illa *translato nomine vocari missam sacrificium,* patres aliqui ita vocare videntur[7]; sed non propterea non est vere sacrificium, ut dicitur sacrificium Melchisedech fuisse figuram

[a] *M add.* ut probatum est [b] *M add.* et aliae partes haereticae sunt
[c] *M* Omnes igitur articuli [d] *M add.* de missa praefatio placet et [e] *M add.* postea
[f] *M om.* [g] *M add.* singulosque articulos esse haereticos ostendit [h] *M* conficerent
[i] *M add.* quam missa, ideo verba illa «pro peccatis» etc. aptentur
[k] *M add.* in doctrina de ordine quaedam adnotavit ex scripto. Quoad articulos
[l] *M* reprobat
[m] *M* sed non statuatur de interpretatione evangelii in missis; de forma consecrationis non fiat mentio, caetera placent.
[n] *Th* 101

[1] *Act.* 20, 28.

[2] Carolus de Aragona, cler. Calaritanus, die 18. Maii 1537 a Caesare nominatus est archiepiscopus Arborensis et s. Iustae (in insula Sardinia). Die 26. Novembris Tridentum advenit (cf. supra p. 372 l. 1s, ubi Massarellus eum falso Petrum vocat; similiter in catalogo patrum, qui interfuerunt sessioni V; recte autem eum nominat Carolum in ultimo catalogo patrum, qui interfuerunt concilio 1551 ad 1552). *van Gulik-Eubel* III[2] 115. Pauca de eo legis in Conc. Trid. XI 778 adn. 3.

[3] Cf. *Matth.* 26, 28 cum *Luc.* 22, 20.

[4] Cf. supra p. 120 adn. 13.

[5] Eius votum in scriptis datum invenis in App. IV n. 21.

[6] *Thomas Aquinas,* Summa theol. III q. 73 art. 6 et I—II q. 105 art. 2 ad 12.

[7] Cf. votum Feltrensis infra p. 446, 21s. cum adn. 5.

sacrificii[a] Christi[1], sed non propterea illud non fuit vere sacrificium[b]. Secunda pars ibi *sed tantum commemorationem* etc. non videtur omnino[a] falsa, ⟨non ideo tamen⟩[c] infertur, quod non sit sacrificium. Item et illa *sed tantum testamentum,* quia Lucas[d] et Paulus[e] dicunt calicem esse testamentum[2], ⟨et quia non repugnat⟩[f], quod sit etiam sacrificium[g]. Articulus 2 haereticus etiam est quoad essentialia et damnatus in concilio Constantiensi[h][3]. Neque in ea *idololatria* committitur, cum ⟨verus Deus adoretur⟩[i]. 3^{s} etiam est haereticus et 4^{s}, 5^{s}, 6^{s} et ⟨7^{s}⟩[k]. ⟨8^{s} etiam⟩[l]; ⟨ex latere enim Christi exivit sanguis et aqua, ut ostendit⟩[m] Augustinus lib. diffinit. cap. 41 et cap. 31 ⟨de instit.⟩[n] cler. et sermone 119[4]; Ambrosius lib. 5 cap. 1 de sacramentis[5]; Chrisostomus homil. 83[o][6] et Innocentius III de celebr. miss.[7]. Est igitur ponenda aqua ⟨cum vino in calice⟩[a], non quia Christus apposuerit in cena, sed quia ex eius latere in cruce una cum sanguine exivit. Alias enim aqua esset de necessitate sacramenti, quod falsum est. Si autem Christus posuit aquam ⟨in cena⟩[a], causa sobrietatis fecit et ob significationem. Articulus 9 etiam falsus est, licet ecclesia possit contrarium statuere. 10^{s} haereticus est et erroneus. Quoad o r d i n e m: primus haereticus est. | 384v Est enim in ecclesia potestas supernaturalis conficiendi corpus Christi, quae sacramentum est et ordo est. Articulus 2 haereticus quoque est, idem 3^{s}; 4^{s} idem. Si enim est sacramentum, ergo visibile. 5^{s} est blasphemus, 6^{s} falsus. Sed an episcopi sint iure divino iurisdictione superiores presbyteris an iure humano, difficultas est neque debet sub anathemate decidi[p]. Quoad d o c t r i n a m: ⟨non placet, quod dicitur Christum in cruce usum fuisse sacerdotio Aaronis, non Melchisedech; alias enim et esset sacerdos secundum Aaron, quod falsum est. Et quod dicitur Melchisedech sacrificasse pro victoria Abraae, cum hoc sit dubium, videtur subticendum. Et idem de duobus sacrificiis, cruento et incruento, cum non duo, sed unum sit sacrificium. Caetera placent⟩[q].

R. D. **Calaritanus** primo reprobavit ea, quae Tridentinus[r] dixerat, quod ordinis doctrina debeat praeponi[s] ex ratione in ipsa doctrina allegata[8]; confirmavitque adnotationem iam factam[9], Christum non usum fuisse sacrificio[t] Melchisedech in cruce, sed Aaronis, quia ponerentur duo sacerdotia in Christo et duo sacrificia, ⟨quod falsum est⟩[a]. Quoad a r t i c u l o s: Primus haereticus est; missa enim vere sacrificium est, et ⟨ex consequenti omnes alii articuli haeretici sunt. Idem etiam et ii[u] de ordine⟩[v]. Et quod dicitur, quod plura sint sacramenta, quia plures sunt ordines, respondit falsum esse, quia unum et idem sunt essentialiter, plures autem materialiter, ut dicitur ⟨de corpore et sanguine in Eucharistia⟩[w]. Unde etiam ecclesia dicit orans: *Purificent nos, quaesumus, sacramenta, quae sumpsimus*[10] etc.[x] Quoad d o c t r i n a m: In primo capite *sacerdotibus relictum* addatur *a Christo.* In 2° non dicatur *in duplici sacrificio,* cum idem sit et tantum modo differant; dicatur *duobus modis* etc.

Et absolvitur congregatio hora 24.

[a] *M om.*
[b] *M add.* Est igitur missa verum sacrificium, sed immolatio per metaphoram, ut mors Christi.
[c] *M* quia non propterea [d] *M* Matthaeus [e] *In M corr. ex* Lucas
[f] *M* quia non ideo sequitur [g] *M add.* et quia in rei unitate est aliquo modo testamentum
[h] *M add.* 2. pars ibi «neque esse opus meritorium» falsa sunt [i] *M* sit vere Christus
[k] *M add.* idem et erroneus [l] *C 118 et C 119 om.*
[m] *M* utrumque igitur est falsum, quia aqua est miscenda, quia ex latere Christi exivit, ut dicit
[n] *Th* dist. [o] *C 119 et Th* 73; *in C 118 corr.* [p] *M add.* et aliae partes haereticae sunt
[q] *M* mittet ex scripto, quod sentit, ad sacram deputationem; sed advertendum est, quod in ea dicitur, quod Christus in cruce sacerdotio Melchisedech usus non est sed Aaron, quia secundum Aaron esset sacerdos, non secundum Melchisedech, et quod dicitur, quod sacrificaverit pro victoria Abraae, quia hoc dubium est, et quod videntur asseri duo sacrificia incruentum et cruentum contra b. Thomam et veritatem, quia unum est sacrificium.
[r] *M add.* et Zagabriensis [s] *Th* proponi; *M add.* missae [t] *M* sacerdotio [u] *Th* II
[v] *M* omnes alios articulos haereticos censet et anathemate damnandos. Quoad ordinem etiam omnes haeretici sunt.
[w] *M* de Eucharistia, quia corpus de parte est sacramentum et sanguis sacramentum
[x] *M add.* sed idem est et unum sacramentum essentialiter, duo materialiter

[1] Cf. *Hebr.* 7. [2] Cf. *Luc.* 22, 20; *1 Cor.* 11, 25.
[3] Cf. supra p. 442 adn. 3.
[4] *Gennadius,* De eccles. dogmat. c. 42 (inter Augustini opera). *Migne,* P. lat. XLII 1220 et LVIII 997 D. — *Hrabanus Maurus* (non *Augustinus*), De institutione clericorum I 31. *Migne,* P. lat. CVII 318 D. 320 A. — *Augustinus,* Sermo 213 (olim 119 de tempore) cap. 8. *Migne,* P. lat. XXXVIII 1064.
[5] *Ambrosius,* De sacramentis V cap. 1 n. 2—4. *Migne,* P. lat. XVI 446 sq. CSEL LXXIII 59 s. Cf. c. 83 *In calice* de cons. dist. 2.
[6] *Chrysostomus.* In Ioannem hom. 85 n. 3. *Migne,* P. gr. LIX 463.
[7] C. 6 *Quum Marthae* § 1 et c. 8 *In quadam* X de celebr. miss. III 41. *Friedberg* II 638. 641.
[8] Cf. supra p. 441 l. 25 s.
[9] Videas votum praecedens.
[10] *Missale Romanum,* Postcommunio pro vivis et defunctis, inter orationes diversas n. 35.

Congregatio generalis.
Examinantur iidem articuli et doctrina de missa et ordine.

385r Die Veneris 8. eiusdem mensis **Ianuarii** hora 16[a] habita est congregatio generalis, in qua patres infrascripti prosecuti sunt examinationem eorundem articulorum et doctrinae, videlicet:

R. D. [episcopus] **Feltrensis**[1] cuperet in doctrina poni locum Pauli 1 Cor. 10 [21]: *Non potestis* fieri *participes mensae Domini et daemoniorum* etc., et ad Hebr. 13[b] [10]: *Habemus altare, de quo edere non habent* etc. Quibus in locis infertur missam esse sacrificium. ⟨Item cuperet in ea poni loca clara et indubia, propterea⟩[c] non videtur bona figura illa Melchisedech, quia non legitur, quod ipse obtulerit, sed tantum protulisse panes Abraae[2], neque Psalm. 109 [4], ut Paulus ad Hebr. 7 [1 sqq.] ostendit, intelligit de comparatione Christi et Melchisedech quoad sacrificium, sed ⟨ad genealogiam⟩[c], quia non legitur de patre, ⟨de matre⟩[c], de fine, et quod sit rex iustitiae et pacis[d]. Ac etiam oblatio illa Melchisedech fuit gratiarum actionis pro victoria Abraae, non autem propitiatorium ⟨ut hoc Christi⟩[c]. Neque videtur etiam locum Malachiae primo[3] facere ad propositum[e] indubium, cum multi locum illum de orationibus intelligant et oblationibus internis. Ad quod facit, quod habetur 1 Petr. 2 [5] et Pauli ad Rom. 12 [1]: *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam* etc. Et Hieronymus ita videtur interpraetari dictum Malach. 1[4]. Et cuperet dici *in missa esse sacrificium*, non autem *missam esse sacrificium*, cum missa in tres partes dividatur, consecrationem, oblationem et communionem; et denominatio debeat fieri a nobiliori, quae[f] est sacramentum ipsum; neque idem est sacrificium et sacramentum, sed differt. Cum enim Eucharistia reservatur in sacrario vel circumfertur, est merum sacramentum, non autem sacrificium. Neque videtur dicendum missam esse vere[g] sacrificium, cum[h] sit imago veri sacrificii; et[i] Ambrosius vocat eam *exemplum* sacrificii[5]. Neque debemus absolute affirmare Christum communicasse se ante discipulos et in cena obtulisse, cum id clare probari non possit. Haec admonens, ut clara et indubitata a concilio referantur. |

385v **Placentinus** Hispaniae[6] articulos omnes propositos haereticos censet. Missa enim est vere sacrificium, quod clare praedixit Daniel de iuge sacrificio[7] et Melchisedech figura ostendit[2], et Malach. 1 [11]: *In omni loco offertur oblatio munda* etc. Prodest pro peccatis etiam mortalibus. Sed in 2° cuperet addi *quoad essentialia*[k] et deleri *neque esse opus meritorium*. Et in 9° advertatur, ne ecclesia orientalis damnetur. In 2° de ordine probat notationes theologorum; in 6° non decidantur opiniones, in 3° fiat mentio de caractere, quem haeretici negant.

S. Marci commendavit summopere doctrinam, cuperet tamen haberi rationem adnotationum a patribus factarum. Quoad articulos: Primum de missa haereticum confirmavit et missam esse sacrificium necessario ostendit; alias neque Christus esset *sacerdos in aeternum*[8] per successionem neque sacerdotio opus esset neque Christiani sacrificium expiatorium pro peccatis haberent, quae omnia falsa sunt. Idem et alii articuli omnes[c] haeretici sunt[l] etc.

Camerinensis. Primus articulus haereticus est, contra concilium Ephesinum[9] et ecclesiam catholicam. 2^{s} idem et habetur ex traditione apostolica. 3^{s} etiam haereticus est. 4^{s}, 5^{s} idem contra Damascenum[10] et alios[m] sanctos patres. 6^{s} idem contra Chrisostomum in epistola ad Phil.[n][11] 7^{s} et 8^{s} etiam sunt haeretici ac 9^{s} et 10^{s}. Quoad ordinem: primus

[a] *Th* 13 [b] *Th* 3 [c] *M om.*
[d] *M add.* non fit igitur comparatio Christi et Melchisedech quoad sacrificium, sed ad genealogiam
[e] *C 119* praepositum [f] *Th* quod [g] *C 119 et Th om.* [h] *M add.* tantum
[i] *M* ut [k] *M add.* ibi: «esse ex evangelio»
[l] *M add.* tam super missa quam ordine et anathemate damnandi [m] *Th* omnes [n] *Th* Psal.

[1] Duo vota secretario concilii in scriptis tradidit, unum super articulis, alterum super doctrina missae. Primum vero brevitatis causa in congregatione non pronuntiavit, ut Massarellus in ipso voto adnotavit. Cf. App. IV n. 22.
[2] Cf. *Gen.* 14, 18. [3] *Mal.* 1, 10 sq.
[4] *Hieronymus*, Comment. in Malachiam cap. 1, 10 sqq. *Migne*, P. lat. XXV 1551 sq. [5] C. 53 *In Christo* de cons. dist. 2 sub. rubr. *Ambrosius in epist. ad Ebr.* (*Friedberg* I 1333), re vera *Chrysostomus*, In Hebr. hom. 17, 3. *Migne*, P. gr. LXIII 131.
[6] Guterius Vargas de Carvajal ab anno 1524 usque ad 27. Apr. 1559 (quo die mortuus est) fuit episcopus Placentinus Hispaniae. *van Gulik-Eubel* III ^{2}275. Conc. Trid. XI saepius (v. indicem).
[7] Cf. *Dan.* 11, 31; 12, 11.
[8] Cf. *Hebr.* 5, 6; 7, 17 21.
[9] Cf. supra p. 117 adn. 1.
[10] Cf. supra p. 394, 8 et adn. 8.
[11] *Chrysostomus*, Hom. 3 in ep. ad Philipp. n. 4. *Migne*, P. gr. LXII 203 sq. Cf. Conc. Trid. VI, I 226 adn. 9.

haereticus est[a] et alii omnes. Quoad d o c t r i n a m : In primo capite ibi *sacerdotium relictum* addatur *a Christo*. Ponanturque aliqua verba, quibus exprimatur sacrificium altaris et crucis tantum in modo differre. Et advertatur, quod hoc sacrificium potest etiam pro iis offerri[b], qui non sunt actu membra Christi, sed in potentia[c]. Et in fine ibi *continet virtutem veterum sacrificiorum* addatur *figuratorum*. Quoad o r d i n e m : Nollet damnari opinionem B. Thomae et Turrecrematae de tempore, quo Christus dedit auctoritatem absolvendi sacerdotibus[1] etc.

Lancianensis[2]. Primus articulus de missa haereticus est. ⟨Remittit vero hoc sacrificium peccata per | applicationem, et venialia tantum et poenam temporalem. Et ad id, 386r quod adducitur contra de ecclesia, quae orat: «Sit hoc sacrificium ablutio scelerum»[3] etc.⟩[d], respondit intelligi ⟨de poenis⟩[e], unde B. Thomas in 4 art. 12 ⟨refert pro iis prodesse, qui sunt membra Christi viva⟩[f], aliis autem per impetrationem contritionis[4]. Articulus 2 etiam haereticus est, damnatus in concilio Constantiensi[5]. 3^{s} et 4^{s} etiam haeretici sunt ⟨et alii omnes⟩[g]. Quoad ordinem: ⟨omnes etiam haeretici sunt et 2^{s} damnetur[h]⟩[i] ut[k] in concilio Florentino[l][6]. Quoad d o c t r i n a m : Probat sententiam R^{mi} D. Tridentini[m][7]. Et advertatur, quod dicitur Eucharistiam arcte copulatam cum sacrificio crucis, quasi duo distincta[n] sint sacrificia. Et[o] non distinguatur sacrificium cruentum ab incruento; ⟨neque videtur verum⟩[p], quod sacrificia antiqua ⟨fuerint instituta ad delenda⟩[q] peccata, neque quod animae in purgatorio habeant devotionem et[r] mereantur. In o r d i n e[s] non decidatur, ad quid 7 diaconi ab apostolis instituti fuerint[t]. ⟨Et utraque doctrina brevior fiat.⟩[n]

Algarensis omnes articulos propositos haereticos et damnandos censet, prout[u] iam damnati ab ecclesia sunt. Quoad d o c t r i n a m cupit haberi rationem ⟨censurarum adductarum⟩[v].

Misiensis. Primus articulus haereticus est, quum missa sit vere[w] sacrificium; neque est tantum testamentum, sed confirmativum testamenti, ut[x] sanguis Christi. 2^{s} quoad essentialia[y] haereticus etiam est, quae[z] a Christo instituta sunt[aa]. 3^{s} haereticus etiam est; 4^{s}, 5^{s} idem et alii omnes; ⟨idem etiam et omnes de ordine⟩[bb]. In 6° autem episcopi maiores sunt presbyteris circa corpus Christi mysticum, circa naturale autem pares sunt. Quoad d o c t r i n a m : Ubi dicitur, quod est alia ratio oblationis ⟨in cena et alia crucis⟩[cc], dicatur *alius modus*. Et probat dicta per Tridentinum de sacerdotio Aaronis in cruce peracto[8], ⟨cum alias Christus esset sacerdos secundum ordinem Aaron, non Melchisedech, quod falsum est; ideo verba illa aptentur⟩[n].

Dimittitur autem congregatio hora 19.

[a] *M add.* quia sacramentum necessarium est ordo, secundus et tertius etiam haeretici sunt
[b] *Codd.* offerre [c] *M add.* ut dicit B. Thomas
[d] *M* Quo vero ad remissionem peccatorum, quomodo hoc sacrificium peccata remittat, ostendit id esse per applicationem, sed non omnia peccata remittit, sed poenam, et ad id quod opponitur, quod orat ecclesia: «Sit hoc sacrificium ablutio scelerum» et «pro redemptione animarum», ut dicitur in canone
[e] *M* quoad poenam [f] *M* asserit, quod scilicet tantum prodest vivis membris Christi
[g] *M* 5^{s}, 6^{s} et 7^{s} etiam sunt haeretici, 8^{s} etiam, et 9^{s} et 10^{s} in omnibus partibus
[h] *Th* damnatur [i] *M* primus haereticus est, 2^{s} idem, et ponatur [k] *Th om.*
[l] *M add.* et alii omnes haeretici sunt
[m] *M add.* praesertim quod Christus usus fuerit in cruce sacrificio Aaronis, estque nimis longa et obscura [n] *M om.*
[o] *M* In primo capite de iuge sacrificio obscure ponitur, in fine capitis cupit quidam [!], in secundo capite
[p] *M* in tertio «sacrificia antiqua pro peccatis instituta» non videntur vera
[q] *M* non delebant [r] *M* ex qua
[s] *M add.* in secundo capite ponantur verba Christi: «Accipite Spiritum Sanctum», cum dicitur Christum dedisse apostolis auctoritatem remittendi peccata [t] *M add.* cum sint opiniones
[u] *M add.* omnes [v] *M* adnotationum iam adductarum a patribus [w] *M* verum
[x] *Th* et [y] *M add.* missae [z] *Th* quod
[aa] *M add.* estque opus meritorium, quia opus charitatis est
[bb] *M* Quoad articulos ordinis etiam omnes haeretici sunt
[cc] *M* crucis et altaris

[1] Quoad *Thomam Aquin.* videas Comment. in IV sent. dist. 24 q. 2 art. 3 ad 2. De Turrecrematae opinione vide infra Addenda et corrigenda.
[2] Votum eius in scriptis datum super doctrina missae et ordinis invenis in App. IV 23.
[3] *Missale Romanum*, Orationes diversae n. 35, Postcommunio, ubi autem non legitur «sacrificium», sed «sacramentum».
[4] *Thomas Aquinas*, In IV. sent. dist. 12 q. 2 art. 2 quaestiunc. 2.
[5] Cf. supra p. 442 adn. 3.
[6] Cf. supra p. 384,9 et adn. 6.
[7] Cf. supra p. 441 l. 25ss.
[8] Cf. votum Granatensis (non Tridentini), supra p. 445, 20s.

Congregatio generalis super examinatione eorundem articulorum et doctrinae de missa et ordine.

386v Eadem die [**8. Ianuarii**] hora autem 21 habetur etiam congregatio generalis super examinatione eorundem articulorum de missa et ordine una cum doctrina etc.

Numbergensis[1] primum articulum haereticum comprobavit, quia missa est verum sacrificium (alias enim frustraretur in ecclesia christianum sacerdotium) et propitiatorium pro peccatis, quo illud cruentum crucis nobis applicatur. Non est igitur sola commemoratio passionis Christi neque tantum testamentum, sed verba aptentur, ne ⟨sint contra Paulum⟩[a]. 2. articulus haereticus etiam est in prima parte; sed quod dicitur *opus meritorium*, consideretur, ⟨an sit verum⟩[b], quia Christus semel in cruce meruit in aeternum. ⟨3s et alii articuli omnes haeretici sunt et damnandi.⟩[c] Quoad ordinem primus haereticus est, sed addatur *a Christo*[d] *institutum*, et alii omnes haeretici sunt[e].

Siracusanus[2] ⟨quoad articulos probat sententiam R. D. Granatensis⟩[f]. Quoad doctrinam: Placet ordo propositus; in 2. capite deleatur, quod dicitur de exequiis Christi; in 3° *pro iis, qui sunt membra Christi*, advertatur, quod etiam pro aliis offerre possumus ⟨prout orare⟩[g], ut Augustinus epist. 79[h] sentit[3]. In ultimo ⟨non videtur verum, quod missae deputentur peculiari ratione sanctis, cum semper Deo offeramus⟩[i]. De ordine, *ut non solum viduarum mensis* etc., advertatur, quod hoc non ⟨dicitur in textu⟩[k4]; alias communio sub utraque specie esset de iure divino, quia ab ⟨ipsis diaconis⟩[l] necessario esset ministranda omnibus.

Vigorniensis omnes articulos propositos[m] damnandos censet. Missa enim verum sacrificium propitiatorium[n] est, sicut illud crucis, cum idem sit et tantum modo differant[o]; et nunc nobis per missam impetratur, quod Christus in cruce nobis meruit; fuit autem praedictum apud Malachiam 1 [10 sq.], praefiguratum a Melchisedech[5] et Daniele[6] et a Christo institutum Luc. 22 [19]: *Hoc facite* etc. ⟨Omnes igitur articuli tam de missa quam ordine damnandi ut haeretici sunt.⟩[p]

Argentinus probat sententiam R. et Ill[mi] D. electoris Maguntini[7]. |

387r **Mindoniensis**[8] probat sententiam R. D. Granatensis[9].

Pacensis. Primus articulus haereticus est[q] ex consensu ecclesiae ⟨et damnatus⟩[r]

[a] *M* Paulus damnetur, qui id asserit [b] *M* bene

[c] *M* 3s haereticus est, 5s idem ac etiam 6s ob diversitatem utriusque, ac omnes alii articuli haeretici sunt et damnandi. 9s tantum de lingua vulgari non debet generaliter damnari.

[d] *M add.* Domino [e] *M add.* Quoad doctrinam quae occurrant, mittet ad secretarium

[f] *M* articulos damnat iuxta sententias theologorum et Granatensis.

[g] *M* ut ecclesia orat pro infidelibus [h] *M* 59

[i] *M* «in honorem sanctorum peculiari ratione deputentur» non videtur verum, cum semper peculiari ratione Deo offeramus [k] *M* exponitur in Actibus Apostolorum [l] *M* eis

[m] *M add.* haereticos et [n] *M add.* pro peccatis [o] *M* differt

[p] *M* Et alii articuli etiam haeretici sunt, legens ex scripto suam sententiam. Quoad ordinem etiam omnes articuli haeretici sunt et anathemate damnandi.

[q] *M add.* omnia enim, quae in diffinitione sacrificii sunt, habentur in missa, quod per singula probavit; idem [r] *M om.*

[1] Iulius Pflug, 1542—1564 episcopus Numburgensis, concordiae inter Catholicos et Protestantes ineundae assiduam navabat operam. Praecipuis de religionis causa colloquiis interfuit; in dieta Augustana anno 1547/48 habita fuit inter illos viros, qui iussu Caesaris legem illam elaborabant, quam «Interim» vocant. Die 19. Novembris 1551 Tridentum venit (supra p. 327 l. 8 sq.), sessioni IV interfuit dieque sequenti, nempe 26. Nov., Georgio Gienger de statu concilii scripsit: «Und, vertraulich zu schreiben, so bedunckte mich, etliche leut sein allhie genaigter zu condemniren, dan die ursachen schismatis aufzuheben, welches mir gleichwol allerlai bedenken mochet», (*A. v. Druffel*, Briefe und Akten zur Geschichte des 16. Jahrh. I [München 1873] 831). Quo omnes praesertim Germaniae Hispaniaeque patres et oratores dolebant! Cf. de eo *Lexikon für Theologie und Kirche* VIII 207 sq.; *Realencyklopädie für prot. Theologie und Kirche* XV (1904) 260—263; XXIV (1913) 323; *Dictionnaire de Théologie catholique* XII, I (1933) 1366—1369; Conc. Trid. XII 290—295; *H. Jedin*, Die deutschen Teilnehmer am Trienter Konzil, in: Theologische Quartalschrift CXXII (Tübingen 1941) 249; *idem*, Röm. Qu. L (1955) 22-43; *van Gulik-Eubel* III² 261. Eius votum de doctrina missae vide in App. IV n. 24.

[2] Votum eius in scriptis datum exhibemus in App. IV n. 25.

[3] *Augustinus*, Epist. 149 (olim 59) ad Paulinum c. 2 n. 12—17. *Migne*, P. lat. XXXIII 635 sqq. CSEL XLIV 359 sqq.

[4] Cf. *Act.* 6, 1—4. [5] *Gen.* 14, 18.

[6] Cf. *Dan.* 8, 12 sq.; 9, 27; 11, 31; 12, 11.

[7] Cf. supra p. 442 l. 4 ss.

[8] Franciscus de Benavides, ord. S. Hieronymi, anno 1541 episcopus Carthaginensis (Cartagena in Indiis occid. seu Columbia) est nominatus; anno 1550 ad ecclesiam Mindoniensem in Hispania et anno 1558 ad Segobiensem translatus est. Obiit die 15. Maii 1560. *van Gulik-Eubel* III² 154. 245. 296. [9] Cf. supra p. 444 l. 28 ss.

epistula concilii Ephesini ad Nestorium[1]; et sancti patres idem semper tenuerunt; et ex verbis Christi: *Hoc facite*, ut ipse fecerat. Marcialis epist. 3 ad Burdegallenses[2], Cyprianus lib. 2 epist. 3[3]; estque opus bonum et meritorium. 5s haereticus etiam est; ⟨est enim sacrificii proprium, ut peccata deleat et vivis et defunctis prosit⟩[a]; si enim in veteri lege sacrificia pro defunctis proderant, multo magis in lege evangelica. De ordine primus haereticus est, quia ordo sacramentum est, et licet multi sint ordines, unum tamen[b] est sacramentum. Et alii omnes haeretici sunt[c].

Solonensis[4]. Dicatur in articulo primo: *in missa non esse sacrificium*[d], cum hoc modo loquantur Lutherani, et utroque modo[e] haereticus est. Et ibi *pro peccatis* dicatur *nec oblationem ad reconciliationem peccatorum*. Articulus 2 etiam haereticus est, sed dicatur *sacrificium missae non esse ex evangelio;* Lutherani enim missam ut consecrationem et communionem admittunt; vel addatur *quoad essentialia*; alia enim in missa non sunt ex evangelio, licet[f] Christi institutioni non repugnent. 3s haereticus etiam est ⟨et alii omnes⟩[g].

Et deinde absolvitur congregatio hora 24.

Congregatio generalis. Examinantur iidem articuli et doctrina de missa et ordine.

Die sabbati **9.** eiusdem mensis **Ianuarii** hora 15 habetur congregatio generalis, in qua examinantur iidem articuli et doctrina de missa et ordine.

R. D. [episcopus] **Bellicastrensis** cuperet doctrinam breviorem, et haberi rationem censurarum factarum[h], et placeret ⟨prius poni doctrinam⟩[i] de ordine quam de missa. Quoad articulos: Omnes haeretici sunt et damnandi sub anathemate; comprobavitque missam esse sacrificium, respondens ad argumenta adversariorum ex Paulo 7 [27] et 10 [14] ad Hebr., quod reiteratio denotet imperfectionem, | quod non reiteretur, cum idem sit cum 387v
illo crucis, estque propitiatorium pro poena, cum culpa per sacramentum poenitentiae iam remissa praesupponatur. Quoad 9m, quomodo[k] sit damnandus[l] propter Graecos, remittit se synodo.

Bituntinus[5] (qui aberat, cum Bellicastrensis ceperat suam sententiam) ostendit longa oratione missam esse sacrificium et propitiatorium pro peccatis, et omnes alios articulos propositos haereticos et damnandos. Quoad doctrinam: Improbavit, quod dicitur Christum in cena obtulisse seipsum, quia alias gratis mortuus esset, quia illud suffecisset ad reconciliandum nos Deo. Neque Paulus, qui de sacrificio Christi loquitur, ullum verbum de cena facit, sed semper de cruce. Nam quemadmodum omnia sacramenta antiqua illo sacramento Eucharistiae aboleta sunt, ita et illo sacrificio cenae omnia sacrificia antiqua[m] aboleta fuissent, quod falsum est, quia sacrificio crucis abrogata sunt; ergo non sacrificavit Christus in cena, sed in cruce tantum[n], in cena autem solum[o] sacramentum instituit, in cruce vero sacrificium. Instituit tamen in cena Christus et sacramentum et sacrificium dicens: *Hoc facite*; sed semel tantum sacrificavit, in cruce scilicet. Obtulit autem se spiritualiter Christus non solum in cena, sed alias multotiens, cum desideravit pati, at vere et realiter ac etiam sacramentaliter tantum in cruce se obtulit; sacrificavitque se secundum ordinem Melchisedech in cruce, ut habetur ex Paulo ad Hebr. 5 [5—10]. Et respondit ad contraria Christum non sacrificasse secundum ritum Melchisedech, sed secundum ordinem, scilicet ecclesiasticam unitatem, quae denotatur in pane et vino oblato a Melchisedech. Et sacrificavit secundum ordinem Melchisedech, quia benedixit gentibus, ut[m]

[a] *M* quia pro peccatis prodest, quod proprium est sacrificii, 5 ad Hebr. et Matth. 26, et vivis et defunctis prosunt [b] *Th* tantum
[c] *M add.* Quoad doctrinam exhibebit suas notationes secretario
[d] *M add.* non autem: «missam non esse sacrificium» [e] *M* in sensu
[f] *M* sed evangelio et
[g] *M* 4s et 5s idem, prodest enim pro peccatis; 6s articulus etiam est haereticus, 7s et 8s idem, alii omnes haeretici sunt
[h] *M* iam a patribus adductarum
[i] *M* etiam servari ordo consideratus a cardinali Tridentino, ut prius ponatur doctrina
[k] *M* de alta vel submissa voce celebrandum, an [l] *M add.* sub anathemate
[m] *Th om.* [n] *M om.* [o] *M* tantum

[1] Cf. supra p. 117 adn. 1. [2] Cf. supra p. 117 adn. 9. [3] Cf. supra p. 381 adn. 19. [4] Eius votum in scriptis datum vide in App. IV n. 26. [5] Cf. Diarium Iulii Pflug, Röm. Qu. L (1955) 41.

ille Abraae. Unde Paulus in comparatione utriusque nunquam de illius oblatione meminit, sed ⟨quod fuerit rex iustitiae, rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia[1] etc.⟩[a] |

388r **Auriensis** ⟨primum articulum haereticum confirmavit, missam scilicet esse sacrificium⟩[b]; alias enim[c] in lege gratiae nullum esset sacrificium quotidianum pro peccatis, prout fuit in lege veteri ⟨et lege naturae⟩[d], quod falsum est. *Translato enim sacerdotio* translata est et lex et sacrificium, ut Paulus ait[2]. Et si *in omni loco* secundum Malachiam offertur *oblatio munda*[3], ergo et in lege gratiae. Quod missae sacrificium est idem cum illo crucis, ita ut hoc illud nobis applicatur. Et Christus in cena seipsum obtulit, ut habetur Luc. 22[e] [19]: *Quod pro vobis datur,* ⟨id est offertur in praesenti⟩[f]. Et ita semper tenuit ecclesia. Unde ab apostolismet decretum est, ut sacerdos prius offerat, quam communicet[4]. Idem testatur Cyprianus epist. ad Cecilium[5] et alii sancti doctores. Articulus 2 haereticus etiam est, idem 3[s], 4[s] et 5[s], cum pro peccatis applicari possit tam pro vivis quam mortuis, ut Augustinus epist. 64 ostendit[g][6]. 6[s] et 7[s] ⟨et 8[s]⟩[h] idem. In 9° tamen non videtur damnandum, quod dicitur de *lingua vulgari,* cum multae ecclesiae contrarium[i] observent. In 10° *quanto missa similior est* missae Christi etc. non ⟨videntur damnanda⟩[k]. Quoad ordinem: Omnes etiam haeretici sunt. Ordo enim est sacramentum; neque omnes sunt sacerdotes. Unde Paulo et Barnabae impositae sunt manus[7], et Paulus Tito et Titus presbyteris etiam manus imposuerunt[8]; neque id ad magistratum, sed ad episcopos pertinet. Quoad doctrinam: In primo[l] non videtur verum ⟨quod dicitur, quod emundat ab operibus mortuis etc.⟩[h], cum non conferat primam gratiam; neque ⟨videtur bona diffinitio, quae ibidem ponitur⟩[m]; et deleatur ⟨quod dicitur⟩[n] *de duobus sacrificiis* etc. ⟨Neque quod habetur in 3°, quod donantur in eo omnia dona, ob sacramentum poenitentiae et baptismi etc.⟩[o]

Constantinensis[9]. Non placet, quod in doctrina Christus dicatur hostia incruenta, neque quod Christus nisi in ministerio imoletur; et patres antiqui non essent sanctificati. Quoad articulos: Primus est haereticus, quia missa est sacrificium et propitiatorium pro 388v peccatis ⟨etiam mortalibus⟩[p], ut | Paulus ad Hebr. 5 [1] testatur esse proprium sacrificii. Et sicut in ecclesia est sacerdotium externum, sic est et sacrificium secundum ordinem Melchisedech, id est ritum ⟨in pane et vino⟩[q], ut testatur Psalm. 109 [4] et Paulus[10]. Est tamen hostia incruenta in altari, sed cruentam repraesentat in sanguine sub specie vini fuso. Et ita verum est, quod Paulus dicit sine sanguine non fieri remissionem[11]. Et Christus obtulit in cena, sed non in remissionem peccatorum, ⟨sed poenae etc.⟩[r].

Et dimittitur congregatio hora 19.

Congregatio generalis.
Examinantur iidem articuli et doctrina de missa et ordine.

Eadem die [**9. Ianuarii**] hora autem 21 habetur etiam congregatio generalis, in qua patres infrascripti prosequuti sunt examinationem supradictam.

[a] *M* de genealogia
[b] *M* primus articulus haereticus est; missa enim sacrificium est; [c] *M* autem
[d] *M* tam naturae quam legis [e] *Th* 21 [f] *M* in praesenti loquitur
[g] *M add.* sed cuperet provideri abusibus, qui circa hoc insurrexerunt [h] *M om.*
[i] *M* contra [k] *M* debent damnari quoad essentialia, cum vera sint
[l] *M add.* ubi dicitur «Eucharistia potest emundare ab operibus mortuis»
[m] *M* placet diffinitio sacrificii ibidem posita [n] *M* «interius et exterius» in secundo deleatur
[o] *M* In 3° «omnia impetrantur» non videntur vera ob alia sacramenta, quia alias superflua essent, et ob peccatum originale; in eodem «respicit, quantum cruentum repraesentat», falsum est.
[p] *M* allegavitque argumenta adversariorum eaque solvit et pro peccatis mortalibus
[q] *M* ut in pane et vino, ut Melchisedech offerret
[r] *M* cum id fecerit in cruce, sed in coena obtulit in remissionem poenae; et ita missa valet in remissionem poenae et ministro dispensante, licet Christus secretius operetur alium effectum.

[1] Cf *Hebr.* 7, 1 sqq. [2] Cf. *Hebr.* 7, 12.
[3] *Mal.* 1, 11.
[4] Can. 8 Apostolorum. Cf. supra p. 400 adn. 3.
[5] Cf. supra p. 381 adn. 19.
[6] *Augustinus,* Epist. 22 (olim 64) ad Aurelium c. 1 n. 6. *Migne,* P. lat. XXXIII 92. CSEL XXXIV, I 59. [7] Cf. *Act.* 13, 3.
[8] Cf. *Tit.* 1, 5; sed probabilius cogitat de Timotheo, ad quem Paulus expresse de manuum impositione scribit: *1 Tim.* 4, 14; 5, 22.
[9] Super doctrina missae et ordinis votum litteris mandavit, quod exhibemus in App. IV n. 27.
[10] *Hebr.* c. 5—7.
[11] *Hebr.* 9, 22.

R. D. [episcopus] **Oscensis**[1]. Quoad doctrinam: In primo capite deleatur, quod Christus sacrificaverit secundum ordinem Aaronis in cruce. Et in eodem *pro victoria Abraae* dicatur *post victoriam*[a]. In 3° locus Deut. 4[7] allegetur secundum vulgatam editionem[b]. Quoad ordinem: *ut sint habiles ministri* dicatur *idonei*[c]. Articulos omnes haereticos censet.

Clodiensis. Primus articulus haereticus[d] est; est enim missa sacrificium propitiatorium pro peccatis tam culpis quam poenis, ut dicitur in canone *pro redemptione animarum* et *spe salutis*, et ex sententiis sanctorum patrum; [e]Chrisostomus sermone 69[2]. Et idem sacrificium est cum illo crucis, ut ostendit Chrisostomus homil. 17 super epistolam ad Hebr.[3]. Et est vera oblatio, differt tamen in modo, et illa est unica et semel facta, hoc quotidie fit; et illa pro hominibus omnibus facta est, hoc tantum pro fidelibus, ⟨pro infidelibus autem numquam offertur, licet pro eis ecclesia oret⟩[f]. Et illam obtulit Christus in propria persona, et infiniti valoris est; illa autem, quae in altari fit, a Christo fit, sed in persona ecclesiae, quae infiniti meriti incapax est; ideo non pro|dest haec oblatio ut illa 389r
crucis. Ex parte autem rei oblatae semper infiniti vigoris est tam haec quam illa. Et Christus in cena obtulit secundum ordinem Melchisedech; inchoavit tamen sacrificium, quod deinde durat et durabit in finem saeculi. Unde est *sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*[4]. Et respondit ad ⟨argumenta adducta per Bituntinum⟩[g][5], qui hoc mane contrarium defendit, quod non propterea sequitur, quod Christus gratis mortuus sit, quia illud sacrificium cenae ab illo crucis futuro vim accepit[h]; imo si mortuus non fuisset, non fuisset illud cenae propitiatorium. Et quod dicitur, quod essent absoluta omnia sacrificia per illud cenae, respondit idem esse illud cenae et illud crucis. Et in illo cenae Christus meruit sibi et nobis, sibi, ut esset *sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*, nobis, ut essemus boni sacerdotes etc. Quoad articulos: Omnes haeretici sunt; sed quod dicitur in primo *translato nomine* etc., non videtur pertinere ad haeresim[i].

Calaguritanus. Primus haereticus est, 2. articulus idem, in quo tamen posset addi *quoad substantialia*. 3^{s}, 4^{s} et 5^{s} etiam haeretici sunt. Nam[k] pro peccatis valet, mortalibus impetrative, venialibus immediate. 6^{s}, 7^{s} et 8^{s} idem, in quo addatur *necessariam* ibi *materiam* etc. ⟨9^{s} et 10^{s} etiam haeretici sunt⟩[l]. Quoad ordinem: ⟨omnes quoque haeretici sunt et anathemate damnandi⟩[m]. In ultimo tamen non videtur improbandum, quod testimonium populi in ordinatione clericorum adhibeatur etc.[n]

Elnensis in doctrina probat sententiam R. D. Granatensis[6]. Quoad articulos: Primus haereticus est ex canone 9 apostolorum[7] et cap. [8] *Nihil* de consecr. dist. 2 (Alexander papa[8]) et ex 6. synodo[9], ⟨praefiguratum per⟩[o] Melchisedech, et Christus in cena etiam obtulit. Articulus 2 haereticus quoque est, contra canonem 3 apostolorum[10] et concilium Constantiense sessione 8[11] et verba: *Hoc facite*. 3^{s} etiam est haereticus; una enim et eadem hostia et sacrificium est illud crucis et altaris. 4^{s} impius[p]. ⟨5^{s}, 6^{s} idem, 7^{s}⟩[q] contra concilium Agathense[12]; 8^{s}[r] idem|contra concilium Martini papae[13] et concilium Carthagi- 389v

[a] *M add.* In 2. capite non videtur apte allegata auctoritas Psalmi 39, et quod dicitur de duobus sacrificiis [*Ms* sacrificium], et deleatur, quod dicitur de exequiis Christi

[b] *M add.* et quasdam alias notationes fecit etc.; et damnetur, quod indifferenter aqua et vino missa possit celebrari

[c] *M add.* «mensis communibus viduarum» deleatur «communibus»; «et per populi iurisdictionem» addatur «vel magistratus». In fine 2. capitis «ordinandi potestatem» addatur «viris solis», ut excludantur mulieres. In 3. capite «veteris ecclesiae» dicatur «sinagogae».

[d] *M add.* et temerarius [e] *M anteponit* cuius rationem reddit

[f] *M* pro quibus nunquam ecclesia offert, orat tamen pro eis, ut in Parasceve

[g] *M* opinionem Bituntini et eius rationes [h] *C 119 et Th* accipit

[i] *M add.* sed in sensu haereticorum haereticum est.

[k] *M add.* hoc sacrificium [l] *M* 9^{s} etiam damnetur, 10^{s} idem, impius enim est.

[m] *M* primus haereticus est, quia ordo est verum sacramentum, 2^{s} etiam est haereticus, 3^{s}, 4^{s}, 5^{s} et denique 6^{s} et omnes anathemate damnandi.

[n] *M add.* Cuperet non ita passim dari confessionalia et altare portatile

[o] *M* figuratum per sacrificium [p] *M add.* et haereticus [q] *M* 5^{s} idem, et 6^{s} et 7^{s}

[r] *M add.* etiam est haereticus

[1] Eius votum in scriptis datum videas in App. IV n. 28.

[2] Cf. supra p. 427, 32 adn. 10; 446 adn. 11.

[3] *Chrysostomus*, Hom. 17 in epist. ad Hebr. n. 3. *Migne*, P. gr. LXIII 131.

[4] *Ps.* 109, 4. [5] Cf. supra p. 449 l. 28.

[6] Cf. supra p. 445, 19 ss.

[7] Cf. supra p. 400, 15 et adn. 3.

[8] Cf. supra p. 381 adn. 15.

[9] Cf. supra p. 381 adn. 7.

[10] Cf. supra p. 400 adn. 3.

[11] Cf. supra p. 442 adn. 3.

[12] Concilium Agathense a. 506 habitum c. 18 (c. 19 de cons. dist. 2), c. 21 (c. 35 de cons. dist. 1). *Mansi* VIII 327 sq. *Bruns* II 150.

[13] C. 4 *Non oportet* de cons. dist. 2 sub rubr. *ex concilio Martini papae*, re vera conc. Bracarense II c. 55. *Bruns* II 54.

nense 3[1] et Florentinum[2]. ⟨9^s et 10^s etiam sunt haeretici⟩[a]; omnes enim vestes suam habent significationem, cap. [42] *Vestimenta* de consecr. dist. 1. Quoad ordinem: ⟨omnes articuli similiter haeretici sunt⟩[b].

Dimittitur autem congregatio hora 24.

Congregatio generalis. Examinantur iidem articuli et doctrina de missae sacrificio et ordine.

Die dominica **10.** eiusdem mensis **Ianuarii** hora 20 (mane enim non habetur ob sacra audienda et facienda) habita fuit congregatio generalis, in qua patres prosequuti sunt eandem examinationem articulorum et doctrinae de missa et ordine, videlicet:

R. D. [episcopus] **Cenetensis.** Primus articulus haereticus est, 2^s et 3^s idem; non enim[c] irrogatur sacrificio crucis per illud altaris, cum eadem sit hostia, licet repetantur oblationes. 4^s et 5^s etiam haeretici sunt, idem 6^s et 7^s et denique caeteri omnes. Quoad ordinem: Primus etiam haereticus est; nam ordo sacramentum est et a Christo institutum; neque omnes ex aequo sunt sacerdotes neque etiam in lege veteri id fuit. Nam Aaronici et Levitici a populo differebant. Articulus 2 etiam haereticus est, 3^s, 4^s et 5^s idem contra Ioa. 20 [22 sq.] et traditionem ecclesiae. 6^s idem, ut Paulus ostendit Tito[3] et Act. 13 [2 sq.]. Quoad doctrinam: Cupit bene considerari, an Christus in cruce functus sit sacerdotio ⟨Aaronis vel⟩[d] Melchisedech.

Monopolitanus. Placet, quod doctrina ordinis ponatur ante illam de missa. Quoad articulos: Examinavit eos, qui ad ordinem pertinent, quos haereticos censet. Adduxitque argumenta adversariorum, quae et solvit. Si enim ⟨in coelo⟩[e] *mansiones multae sunt*[4], quare et non idem in ecclesia militanti? Ordo etiam in omnibus rebus etiam naturalibus dignoscitur, et Paulus 1 Cor. 12 [5 sq.] declarat. Omnes igitur articuli ⟨damnandi sunt⟩[f]. Quoad
390r doctrinam ⟨cuperet declarari, pro quibus peccatis hoc sacrificium valet⟩[g], ut scilicet | omnia peccata remittat, et non tantum venialia, sed et poenas qualescunque.

Legionensis. Primus articulus haereticus est ex Luc. 22 [19 sq.], Marc. 14 [22 sqq.], Matth. 26 [26 sqq.] et 1 Cor. 11[h] [23 sqq.] et cap. [6] *Cum Marthe* [X] de celebratione miss. [III 41]. Cum enim dicit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis* frangitur vel *datur*, oblationem notat. Et cum dicit: *Hoc facite*, praeceptum offerendi dat. Et cum dicit: Sanguis, qui in remissionem peccatorum funditur, pro peccatis offerri debere ostendit. At cum dicitur *vocari translato nomine* etc., est iniuriosum, non haereticum. Articulus 2 haereticus est, sed declaretur intelligi quoad substantialia. ⟨Alii etiam omnes haeretici sunt. Idem etiam et omnes de ordine.⟩[i] Quoad doctrinam: Nollet decidi opiniones scholasticorum. Et quod dicitur de Melchisedech, ipse obtulit[k] panem et vinum Deo pro victoria Abraae, quod ostendit Anselmus[5] in cap. 7 ad Hebr. ⟨et alii patres etc.⟩[l]

Ovetensis. Primus articulus haereticus est[m], ut habetur in concilio Lateranensi[6] et primo et 12. Toletano[7]. 2^s idem quoad essentialia[n], et alii omnes haeretici sunt. Quoad ordinem: Primus ⟨haereticus est⟩[o]; ordo enim est sacramentum, cum gratiam conferat et signum visibile[p] sit. Et licet multi ordines sint, ad unum tamen ordinantur et

[a] *M* Articulus 9 erroneus est, 10^s idem et error Valdensium
[b] *M* primus haereticus est, 2^s erroneus, 3^s haereticus, 4^s et 5^s idem, 6^s etiam.
[c] *Th* igitur [d] *M om.* [e] *Th* coeli
[f] *M* de ordine haeretici sunt ac etiam illi de missa et anathemate damnandi.
[g] *M* cuperet in ea adduci auctoritates clare loquentes de missa ob adversarios, ne calumniari possent; et quod dicitur pluribus in locis de remissione peccatorum, non exprimitur, de quibus peccatis, quod declarari debet [h] *C 119 et Th* 12
[i] *M* 3^s etiam haereticus est, 4^s, 5^s et 6^s idem, 7^s est falsus, non haereticus, et alii etiam haeretici sunt. Quoad ordinem primus haereticus est, 2^s et 3^s idem, 4^s etiam et alii omnes
[k] *M* tenet, quod obtulerit
[l] *M* et Hieronymus ad Evagrium, et ita tenet consensus ecclesiae, et verbum «profero» idem quod «offero» valet. [m] *M add.* missa enim sacrificium est
[n] *M add.* 3^s idem ac etiam 4^s et 5^s; si enim sacrificia antiqua pro vivis et defunctis valebant, multo magis hoc sacrificium missae, quod illis est praestantius. [o] *M* et alii haeretici sunt
[p] *M* sensibile

[1] Cf. supra p. 442 adn. 6.
[2] Cf. supra p. 393 adn. 2.
[3] Cf. *Tit.* 1, 5. [4] Cf. *Io.* 14, 2.
[5] *Ps.-Anselmus* Cantuar. archiep., re vera *Herveus Burgidolensis*, Comment. in epist. ad Hebr. 7, 1 ss. *Migne*, P. lat. CLXXXI 1582 A.
[6] Cf. supra p. 117 adn. 4.
[7] Cf. supra p. 414 adn. 12 et 13.

unum est sacramentum. Neque omnes Christiani sunt sacerdotes, prout non fuerunt in lege veteri. Unde reprehenditur Ozias et alii, qui in ministerium sacerdotale se intromittere voluerunt[1]. Quoad doctrinam: Probat ⟨Melchisedech obtulisse⟩[a] panem et vinum; alias non fuisset figura Christi; et si erat sacerdos, oportuit, ut offerret[2]. ⟨In 2° deleatur *interius et exterius*⟩[b]. *Iterum patitur* deleatur[c].

Et absolvitur congregatio hora 24.

Adventus R. D. episcopi Cataniensis.

Eadem die [**10. Ianuarii**] applicuit Tridentum R. D. Nicolaus Maria Caracciolus, episcopus Cataniensis, patria Neapolitanus.

Congregatio generalis super examinatione eorundem articulorum et doctrinae de missa et ordine.

Die lunae **11.** eiusdem mensis **Ianuarii** hora 15 celebrata missa consueta etc. habita 390v
est congregatio generalis, in qua infrascripti prosequuntur eandem examinationem etc.

R. D. [episcopus] **Tudensis.** Primus articulus haereticus [est], et missa[m] esse[d] sacrificium probatur ex Malach. 1 [11], reprobans opiniones illorum, qui locum illum de orationibus[e] exponunt. Et Christus ipse etiam obtulit in cena; non est tamen dicendum, quod Christus non ⟨obtulerit in cruce secundum ordinem⟩[f] Melchisedech, cum ⟨sit contra Paulum⟩[g] ad Hebr. 7 [3], qui alia de causa ⟨Christum Melchisedech⟩[h] similat, ut quia fuerit rex iustitiae, pacis[i] etc. Christum autem in cena obtulisse patet ex traditione patrum, ut Dionisius lib. 3 ecclesiast. hierarchiae[3] et Ireneus lib. 4 cap. 34[4]; et in illa oblatione Christus meruit sibi gloriam corporis, nobis gloriam animae et remissionis peccatorum. Neque obstat, quod dicitur *ergo incassum postea passus fuit,* quia oportebat Christum pati; ⟨alias enim in⟩[k] omnibus suis actionibus Christus[l] meruit, improbans quod dixerat R. D. Bituntinus. ⟨Neque verum est⟩[m], quod Christus in terra non fuerit *sacerdos secundum ordinem Melchisedech,* sed tantum post ascensionem, cum sedit ad dexteram Patris. Alias enim oblatio crucis non fuisset sacrificium, si Christus non erat tunc sacerdos. Non erat autem secundum Aaron, ut Paulus ait[5], ergo secundum Melchisedech, ut idem Paulus[6] et Psalm. 109 [4] testantur. ⟨Est igitur missa sacrificium et prodest pro peccatis tam vivorum quam mortuorum quoad poenas temporales. Non prodest enim in peccato existentibus, nisi ut disponantur ad poenitentiam.⟩[n] Et alii articuli etiam omnes haeretici sunt, sed in primo verba illa *translato nomine* sunt falsa[o]; et illa in 3° *Christum illis verbis: Hoc facite* etc. sunt temeraria[p]; idem quod dicitur de missis privatis *ante Gregorium Magnum* in 7°, et in 8° *neque aquam,* et in 9° de *lingua vulgari.* Quoad ordinem: Omnes item haeretici sunt, sed advertatur, quod dicitur in doctrina Christum instituisse omnes inferiores ordines, an probari possit. 5^{s} etiam de unctione potest habere bonum sensum quoad
necessitatem[q] sacramenti. De doctrina: Verba illa *emundat conscientias nostras* Paulus 391r
loquitur ⟨de oblatione crucis[7]; ideo non quadrat in hoc loco⟩[r]. Et quod dicitur diaconos illos septem electos ad ministrandum sacris mensis, ⟨videtur esse contra verba⟩[s] Act. 6 [1 sq.]; ⟨ideo verba aptentur⟩[m].

[a] *M* dicta per Monopolitanum de Melchisedech, quod obtulerit

[b] *M* In eadem «externos ministros» deleatur; in 3° deleatur «cruentum et incruentum», cum detrahatur sacrificio missae; ibidem [c] *M add.* Christus autem amplius non patitur

[d] *M add.* verum [e] *M* oblatione orationum [f] *M* usus fuerit sacerdotio

[g] *M* contradicat Paulo [h] *M* quam oblationis Melchisedech Christo

[i] *M add.* sine matre, patre, genealogia [k] *M* et [l] *M add.* nobis [m] *M om.*

[n] *M* Cuperet tamen explicari in doctrina, pro quibus peccatis prodest et quando prodest. Prodest enim et vivis et defunctis quoad poenas temporales. Non enim remittit peccata existentis in peccato mortali, nisi ille per poenitentiam disponatur; prodest tamen illis, ut Deus iuvet eos ad agendam poenitentiam.

[o] *M add.* non haeretica [p] *M add.* tantum

[q] *Th.* necessitates [r] *M* ea verba de sacrificio crucis et non apta sacrificio altaris

[s] *M* contrarium videtur dici in textu

[1] *2 Par.* 26, 16—21. [2] Cf. *Gen.* 14, 18. [5] Cf. *Hebr.* 7, 11.

[3] Cf. supra p. 381 adn. 16. [6] Cf. *Hebr.* 5, 5 sq. 10; 7, 11—25.

[4] Cf. supra p. 388 adn. 5. [7] *Hebr.* 9, 14.

Algarbiensis[1] articulos omnes propositos haereticos[a] censet et doctrinam probat. Vellet tamen considerari adnotationes patrum.

Lacorensis[b] articulos omnes tam de missa quam ordine haereticos censet probatque sententiam Granatensis et Viennensis[2]. Quoad doctrinam: Considerentur adnotationes iam factae a patribus, et fiat brevior.

Astoricensis. Articulus primus haereticus est, quia missa est vere sacrificium, Luc. 22 [19 sq.]; Christus enim consecravit et obtulit in cena, ut patet ex illis verbis: Benedicens *gratias egit, fregit deditque* illud in remissionem peccatorum, ut sancti patres docuerunt et can. 3 et 9 apostolorum testantur[3] et[c] cap. *Iacobus* de consecr. dist. 2[4], Alexander papa ad omnes orthodoxos[5], concilium Ephesinum epist. ad Nestorium[6] et concilium Lateranense[7]. Articulus 2 etiam haereticus est, 3^{s} et 4^{s} et 5^{s} idem, Dionisius lib. 7 ecclesiast. hierarchiae[8], Thomas in 4 q. 24[9] idem ostendit. Damascenus in sermone super verbis 2 Machab. 12 [46]: *Sancta igitur et salubris est* etc.[10], Cyprianus lib. 1 epist. 9[11], Origenes homil. 3 in Psalm. 36[12]. Illae enim animae defunctorum sunt in actu satisfaciendi et in ecclesia militanti. 6^{s} et 7^{s} etiam haeretici sunt, 8^{s} idem, Cyprianus papa ad Cecilium[13], Ambrosius lib. de sacramentis[14], concilium 3 Carthaginense[15]. ⟨Articuli de ordine omnes etiam sunt haeretici et damnandi etc.⟩[d]

Et dimittitur congregatio hora 19[e].

Congregatio generalis super eisdem articulis et doctrina.

Eadem die [**11. Ianuarii**] hora autem 21 habetur congregatio generalis, in qua examinantur iidem articuli et doctrina de missa et ordine.

R. D. [episcopus] **Guadicensis**[16] primum articulum haereticum confirmavit adducens primo ex diffinitione sacrificii, ut sit res externa, mystica operatione sacerdotis consecrata,
391v Deo oblata. Non tamen | omnis oblatio est sacrificium, ut habetur in veteri lege de oblatione ⟨vase [!] et⟩[f] Levit. 29[g] de truma[h][17] et can. 8[i] apostolorum, cum dicitur: *Qui*[k] *sacrificaverit et recte non obtulerit*[18]. Et ostendit ex sacrificio totam legem subsistere, quia eo ablato[l] aufertur sacerdotium et ⟨exinde lex⟩[m]. Primus articulus igitur haereticus est in omnibus partibus, cum missa sit vere sacrificium. Articulus 2 ⟨haereticus etiam est⟩[n]. 3^{s} idem. Est enim eadem hostia crucis et altaris, et Christus est *sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech,* sed post resurrectionem. Nam eius passione meruit in aeternum fieri sacerdotem. 4^{s} haereticus est. Nam canon ab apostolis habetur; unde dicitur, quod Alexander papa[o] addidit[19]: *Qui pridie quam pateretur* etc.; ergo ⟨antea erat canon, et ipse pontifex fuit quintus a Petro⟩[p]. 5^{s} articulus haereticus etiam est, 6^{s} idem, ⟨7^{s}⟩[q] idem. Tertullianus enim in libro exhortatorio ad castitatem meminit de missis pri-

[a] *M add.* et damnandos
[b] *Hoc votum Massarellus in C 118 et C 119 omisit.* [c] *M add.* Iacobus idem ostendit
[d] *M* Articulus 9 et 10 sunt haeretici. De ordine primus est haereticus, 2^{s} idem, 3^{s} idem et alii omnes. Quoad doctrinam mittet aliquas adnotationes. [e] *M* circiter 20 [f] *Th om.*
[g] *Th* 19 [h] *M add.* quod elevaretur [i] *Th* 9 [k] *Th* quod [l] *Th* oblato
[m] *M* et sacerdotio ablato lex aufertur. *M insuper add.* Et quod imolare idem est ac sacrificare, estque oblatio propitiatoria pro nobis et sacrificium incruentum respectu ad illud crucis peractum; non est autem testamentum tantum neque etiam ut sanguis, sed sanguis confirmatorius est testamenti.
[n] *M* idem, ut iacet [o] *M add.* a Petro quintus [p] *M* ergo ante erant reliqua
[q] *M add.* erroneus est

[1] Ioannes de Melo, iuris utriusque doctor, die 13. Martii 1549 episcopus Silvensis in Portugallia nominatus est; anno 1564 ad sedem archiepiscopalem Elborensem translatus ab anno 1568 usque ad mortem (6. Aug. 1574) maior inquisitor in regno Portugalliae fuit. *van Gulik-Eubel* III² 191. 300. Annis 1553/54 tractatum de reformatione scripsit, Conc. Trid. XIII, I p. 193—198.
[2] Cf. p. 443 et 444 s. [3] Cf. p. 400, 15 et adn. 3.
[4] C. 47 *Iacobus* de cons. dist. 1.
[5] Cf. p. 381 adn. 15. [6] Cf. p. 117 adn. 1.
[7] Cf. p. 117 adn. 4. [8] Cf. p. 395 adn. 5.
[9] *Thomas Aquinas,* In IV Sent. dist. 24 de ordinis sacramento agit. Sed videas dist. 12 q. 2 art. 2 quaestiunc. 3 ad 2.
[10] Cf. supra p. 394 adn. 8; sed ibi de verbis *2 Mach.* 12, 46 nihil legitur.
[11] Cf. p. 395, 37 et adn. 13.
[12] *Origenes,* Hom. 3 in Ps. 36. *Migne,* P. gr. XII 1337 C.
[13] Cyprianus, episcopus Carthaginensis, non papa, cf. supra p. 400 adn. 14.
[14] Cf. p. 445 adn. 5. [15] Cf. p. 442 adn. 6.
[16] Cf. *Röm. Qu.* L (1955) 42.
[17] *Exod.* 29, 26 ss. *Num.* 9, 2 ss.
[18] Can. 8 apost. *Funk,* Didascalia 566/67. *Hefele* I² 802.
[19] Breviarium Rom., lectio IX die 3. Maii. Cf. *Th. Schermann,* Festgabe A. Knöpfler, Freiburg 1917, 276 ss.

vatis, id est in quibus nemo communicaret[1]. 9s articulus ⟨non est damnandus ut alii⟩[a], quia posset concedi, ut lingua vulgari aliquibus in locis celebraretur, argumento eorum, quae Paulus dicit 1 Cor. 14 [13s.]. Articulus 10 idem[b]; Clemens enim I de vasis[2], Anacletus de vestibus meminerunt[3]. Quoad ordinem: Etiam omnes articuli haeretici sunt[c].

Virdunensis omnes articulos ⟨tam de missa quam de ordine haereticos censet⟩[d]; probat tamen dicta per RR. DD. Monopolitanum, Auriensem et Guadicensem[e].

Constantiensis. Articuli omnes tam de missa quam de ordine haeretici, erronei, scandalosi et damnandi sunt.

Bossanensis articulos omnes haereticos censet[f]. Examinavitque tantum, an Christus in cena sacrificaverit et obtulerit seipsum Patri, defenditque partem affirmativam. Nam cum Christus in cena functus fuerit sacerdotis officio, ⟨oportuit, ut sacrificaverit⟩[g], cum id proprium sit sacerdotum secundum Paulum[4]. Et illud cenae sacrificium fuit propitiatorium pro peccatis. | [392r] Nam et ante cenam Christus peccata dimisit, ut paralitico, Magdalenae[5] et aliis; ergo et multo magis per oblationem sui corporis. Et si etiam sacrificia naturae et legis peccata remittebant in fide Christi venturi ex opere operantis, multo magis ipse Christus per ipsius corporis sacrificium, quod sanctificavit quidem, sed sanctificatos non consumavit, ⟨ut illud crucis⟩[h]. Neque illud cenae fuit omnino absque sanguinis effusione, ut dixit Christus: *Hic est* sanguis, *qui pro vobis* effunditur etc.

Postea dimissa est congregatio hora 24.

Congregatio generalis.
Examinantur iidem articuli et doctrina de missa et ordine.

Die Martis **12.** eiusdem mensis **Ianuarii** hora 15[i] habetur congregatio generalis, in qua patres infrascripti prosequuti sunt examinationem eorundem articulorum et doctrinae, videlicet:

R. D. [episcopus] **Salaminensis.** Primus articulus haereticus est. Nam missa est vere sacrificium et[k] Christus in ea vere offertur[l]; estque propitiatorium remissionis peccatorum. Augustinus lib. 1 contra adversarium legis cap. 19 id ostendit[6]. Articulus 2 etiam haereticus est, 3s et 4s et 5s idem; applicatur enim hoc sacrificium pro vivis et defunctis, ut illud crucis. 6s et 7s idem; concilium enim Maguntinum[7] et Agathense[8] de missis publicis et privatis meminerunt. Et alii articuli omnes tam de missa quam de ordine haeretici sunt[m]. In doctrina autem probat notationes patrum.

Vicentinus[n][9] articulos omnes propositos haereticos et damnandos censet ex scripturis et rationibus a theologis et patribus allegatis. In doctrina[o] nollet decidi opiniones doctorum[p] et in praefatione ⟨nullam reddi rationem, quare tractetur[q] de missa et ordine; et fiat brevior et considerentur censurae patrum⟩[r].

Mutinensis omnes articulos[s] damnandos censet; cuperet tamen in eis aliqua clarius poni[t], | [392v] ut in primo *vocari translato nomine sacrificium* missam, cum id videatur asseri ab Augustino epist. 24 ad Bonifacium[10] et alibi ad Cecilium[11]. Non repugnat[u] tamen, quod

[a] *M* damnandus etiam est, sed non ut alii [b] *M* etiam erroneus est
[c] *M add.* In doctrina ordinis dicatur aliquid de traditione Spiritus Sancti, de quo nihil dicitur.
[d] *M* haereticos et damnandos censet, cum sint contra sacram scripturam et consensum ecclesiae catholicae [e] *Th* Gaditanum; *M add.* et quoad doctrinam probat dicta per patres
[f] *M add.* Quoad doctrinam adnotationes quasdam afferet. [g] *M* ergo et sacrificavit
[h] *M* quod in illo crucis factum est [i] *M* 16 [k] *M* cum
[l] *M add.* licet et sine praesentia eius sacrificium esset ex ratione oblationis
[m] *M add.* et anathemate damnandi [n] *Th* Vincentinus *et add.* Italus
[o] *M add.* cuperet eam fieri breviorem [p] *M* controversas inter catholicos [q] *Th* tractatur
[r] *M* nihil dicatur de ratione, qua tractatur nunc de missa et ordine, cum non videatur bona
[s] *M add.* quoad omnes partes haereticos et [t] *M* declarari [u] *Th* repugnant

[1] Tertullianus, De exhortatione castitatis cap. 11. *Migne*, P. lat. II 926 C. Corp. Christ. II 1031.
[2] *Pseudo-Clemens*, Ep. 2 ad Iacobum. (Est Pseudo-Isidori.) *Hinschius* 47.
[3] *Pseudo-Anacletus*, Ep. II 23 (Est originis Pseudo-Isidorianae.) *Hinschius* 78.
[4] *Hebr.* 5, 1. [5] *Matth.* 9, 2; *Luc.* 7, 47.
[6] Cf. supra p. 423 adn. 7.
[7] Concilium Maguntinum a. 813 habitum c. 43 prohibet, ne sacerdos solus celebret. *Mon. Germ. Leg.* III Conc. II p. 271. [8] Cf. supra p. 451 adn. 12.
[9] Angelus Bragadinus, ord. Praed., die 17. Martii 1550 nominatus est episcopus Vicentinus; obiit anno 1560. *van Gulik-Eubel* III² 333.
[10] Potius ep. 23, nunc 98 ad Bonifatium n. 9, ut supra p. 404 adn. 5.
[11] *Cyprianus*, Ad Caecilium epist. 63, 14; cf. supra p. 394 adn. 4.

aliquid internum et externum nuncupetur, ut dicitur hominem sanum ut piscem et piscem sanum ad edendum[a]. Articulus 2 etiam haereticus est; Christus enim obtulit in cena; sed declaretur melius, quod dicitur ⟨de opere meritorio⟩[b]. 3^s, 4^s et 5^s idem[c]; omne enim sacrificium pro peccatis est, ut docet Paulus[1], sed non omne ad remissionem peccatorum institutum est, prout hoc altaris[d], cum pro vivis membris tantum offeratur; aliis autem prodest impetrative. Finis autem institutionis huius sacrificii est gratiarum actio et memoria passionis[e] Christi.

Civitatensis Italiae[f2] omnes haereticos, blasphemos et erroneos articulos iudicat; doctrinam vero breviorem optat; nolletque, ut decideretur[g] Christum in cena obtulisse, licet ipse credat, quod obtulerit[h].

Pampilonensis[3] ⟨articulos haereticos iudicat; missa enim est vere sacrificium⟩[i] ex Luc. 22 [19]: *Hoc facite* etc. et[k] traditione ⟨et consensu⟩[l] ecclesiae. Christus enim sacrificavit in cena et nobis sacrificandum praecepit; dixit enim: *Ego sanctifico*[m] *me pro eis*[4], id est tunc in cena offerendo se[n], ut etiam Caietanus declarat[5]. Et hoc sacrificium altaris est idem cum eo. ⟨Et sic omnes alii articuli tam de missa quam de ordine haeretici sunt; ordo enim est verum sacramentum⟩[o] ex eodem loco: *Hoc facite* et Ioa. 20 [22]: *Accipite Spiritum Sanctum* etc. Per impositionem autem manuum etiam in veteri lege dabatur Spiritus Sanctus, ut legitur Deut. ultimo de Iosue, cui Moyses manus imposuit, et repletus est Spiritu Sancto[6]. Et illi 7 diaconi, Act. 6 [1—6], electi etiam sunt ad ministrandum mensis sacris[p]. In doctrina non placet, quod dicitur de *simila*, neque quod Christus *in cruce secundum Aaron* sacrificaverit.

Dimittitur autem congregatio hora 19 ⟨cum dimidia⟩[n].

Congregatio generalis.
Examinantur iidem articuli et doctrina de missa et ordine.

393r Eadem die [**12. Ianuarii**] hora autem 21 habita est etiam congregatio generalis, in qua patres prosequuti sunt examinationem eorundem articulorum et doctrinae de missa et ordine, dixitque primus suam sententiam

R. D. [episcopus] **Segobiensis**[7]. Primum articulum haereticum missamque esse sacrificium[q] comprobavit propitiatorium, satisfactorium, impetratorium et eucharisticum; non remittit tamen peccata mortalia neque delet culpam; alias superfluum esset sacramentum

[a] *M add.* cuperetque ex doctrina deleri verbum «mine» ex auctoritate Malachiae
[b] *M* neque meritorium etc., ut intelligatur de scripturis; quod etiam declaretur in doctrina
[c] *M* haeretici etiam sunt [d] *M add.* quod ad remissionem peccatorum non est institutum
[e] *M om.* [f] *Th* in Apulia [g] *M* determinaretur
[h] *M add.* In doctrina autem ordinis cuperet adverti, quod dicitur de differentia episcoporum et presbyterorum ex verbis Hieronymi
[i] *M* quoad articulos, missam verum sacrificium esse [k] *Th* ex [l] *M* consensus
[m] *Th* sacrificabo [n] *Th om.*
[o] *M* 2. articulus etiam est haereticus, 3^s idem, 4^s, 5^s, 6^s et 7^s idem ac etiam 8^s et 9^s et 10^s. Quoad ordinem primus haereticus est [p] *M add.* Omnes igitur articuli de ordine haeretici sunt
[q] *M add.* verum

[1] Cf. *Hebr.* 5, 1.
[2] Geraldus Rambaldus, mag. artium, 1550 ad 1571 episcopus Civitatensis in Italia inferiori. *van Gulik-Eubel* III² 168.
[3] Alvarus de Moscoso, professor theologiae et cappellanus regius, die 27. Iunii 1550 episcopus Pampilonensis nominatus est; anno 1561 ad ecclesiam Zamorensem translatus post tres annos (1564) obiit. *van Gulik-Eubel* III² 268. 339. Iam anno 1550 a Caesare ad concilium invitatus (Conc. Trid. XI 608 l. 18) respondit se de pecunia laborare, quia reditus sui episcopatus ante festum Nativitatis Domini anni 1551 non haberet; propterea petiit licentiam remanendi in sua dioecesi per totum annum 1551 (*ibid.* 610 l. 5—8). Nihilominus iam mense Novembri huius anni cum regibus Bohemiae iter aggressus est (cf. litteras A. Lippomani Marc. card. Cervino die 8. Dec. datas, *ibid.* 728 l. 40 sq.) et die 3. Decembris Tridentum advenit. De litteris, quas e concilio ad Granvelam misit, cf. *ibid.* 811 adn. 1. Inter alia a Granvela petiit, ut dominos conciliares certiores faceret Pampilonensem ab eo in numero servitorum et creaturarum haberi.
[4] *Io.* 17, 19.
[5] Cf. supra p. 436 adn. 3.
[6] *Deut.* 34, 9: *Repletus est spiritu sapientiae.*
[7] Gaspar de Zuniga et Avellanega, cler. Oxomensis, die 27. Iunii 1550 episcopus Segobiensis nominatus, anno 1558 ad ecclesiam Compostellanam et anno 1569 ad ecclesiam Hispalensem translatus est, ubi die 2. Ian. 1571 e vita discessit. *van Gulik-Eubel* III² 173. 211. 296. A Caesare ad concilium invitatus (Conc. Trid. XI 608 l. 13) respondit se visitatione universitatis Complutensis impediri, quominus in aperitione concilii Tridenti adesset. *Ibid.* XI 609 l. 18 sqq. Ad votum cf. *Röm. Qu.* L (1955) 43.

poenitentiae; delet autem peccata venialia et poenam temporalem; impetrat vero remissionem peccatorum mortalium[a]. Articulus 2 etiam haereticus est, ⟨3^s, 4^s et alii omnes⟩[b]. Quoad ordinem: Primus haereticus est, quia ordo est[c] sacramentum, ut ⟨in multis conciliis iam definitum est⟩[d], inferioresque ordines etiam sacramenta sunt; eis enim tribuitur materia et forma, ut habetur in[e] concilio Florentino[1], et tenet Alexander de Ales[2] et D. Thomas[f][3]. Habent tamen omnia rationem ad unum sacramentum et ideo unum est[g]. Alii etiam articuli haeretici sunt[h].

Castellimaris[4] (qui suo loco ob adversam valetudinem non dixerat) primum articulum haereticum confirmavit, missam scilicet esse sacrificium[i]; si enim vetera[k] sacrificia ideo dicebantur sacrificia, quia Christum typice continebant, multo magis hoc altaris, quod vere Christum continet. Et Christus primo in cena obtulit, et quod fecit, nobis faciendum mandavit; unde dicit: Corpus, quod frangitur. Et sicut vetus testamentum sanguine imolato[l] confirmatum fuit, sic et novum sanguine Christi ⟨imolato oportuit confirmari⟩[m]. Melchisedech etiam panem et vinum obtulit[n]; qua ratione Christus dicitur sacerdos secundum ordinem eius. ⟨Alii etiam articuli haeretici sunt.⟩[a] Quoad doctrinam: ⟨Deleatur, quod dicitur *secundum Aaronem* Christum in cruce sacrificasse. *Et emundare conscientias* etc. non videtur verum, cum culpam non remittat; neque videtur bona diffinitio sacrificii. Neque etiam verum videtur, quod sacrificia veteris legis *fuerint* | *instituta* ad delenda 393v
peccata. In 10. articulo, quod dicitur de comparatione missae Christi, omittatur etc.⟩[o].

Solvitur autem congregatio hora 24.

Congregatio generalis.
Examinantur iidem articuli et doctrina de missa et ordine.

Die Mercurii **13.** dicti mensis **Ianuarii** hora 15[p] habita fuit congregatio generalis, in qua examinantur iidem articuli et doctrina de missa et ordine.

R. D. [episcopus] **Civitatensis** Hispaniae[5] missam esse sacrificium confirmavit[q], et Christum in cena sacrificasse. Si enim Christus sacrificium confecit, cum consecravit, ergo et illud obtulit; benedixit autem[r], gratias egit, fregit dans eis inquiens: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur,* id est offertur, et subdit: *Hoc facite,* quod ipse fecerat. Prodestque ad delendas poenas; primam vero[r] gratiam non confert. Primus igitur articulus haereticus est. 2^s idem; Clemens enim epistula 3 refert apostolos tradidisse, missam esse

[a] *M om.*

[b] *M* 3^s idem, 4^s etiam et 5^s, 6^s et 7^s (quod dicitur in praefatione doctrinae de simila, advertatur etc.), 8^s et 9^s idem ac 10^s

[c] *M add.* verum

[d] *M* iam diffinitum est in concilio Florentino et aliis locis

[e] *M add.* ipso

[f] *M add.* et alii

[g] *M* dicitur ordo sacramentum

[h] *M add.* Quoad doctrinam dabit quasdam adnotationes secretario.

[i] *M add.* roboravit

[k] *M* veteris legis

[l] *M add.* hircorum

[m] *M* et sicut ille sanguis veteris legis fuit imolatitius, sic oportuit ut fuerit hic Christi.

[n] *M add.* erat enim sacerdos

[o] *M* in primo capite deleatur de comparatione sacrificii Aaron etc. vel Melchisedech, de quibus non fiat mentio ob opiniones. In eodem capite primo «emundare conscientias ab operibus mortuis» non videtur verum, quod culpam remittat hoc sacrificium, neque primam gratiam [conferat], sed tantum poenam [deleat]. In eodem capite diffinitio sacrificii, quae ponitur, non videtur amplecti cruentum et incruentum, neque fit in ea mentio de sumptione. In eodem [!] 2. capite «non aliter quam sanguine vitulorum» etc. videtur falsum, cum ibi non intercederet mors testatoris, prout in novo testamento, et non videtur verum, quod dicitur missam esse testamentum, cum sit pars testamenti. In capite de fructibus «quae pro peccatis nominatim erant ordinata» videtur falsum, quia antiqua sacrificia non remittebant peccata. In primo articulo de missa ibi «sacrificii in cruce» dicatur «in cena»; in 10. articulo «et sicut missa Christi» etc. omittatur, et damnetur, quod dicitur de missis privatis noviter addendis, et quod dicitur: «Hoc facite», pertinere ad administrationem.

[p] *M* 16

[q] *M add.* declaravitque sacrificium esse (secundum Gregorium) sacrum facere, ut refertur cap. Multi de consecr. dist. 2

[r] *M* enim

[1] Cf. supra p. 384 adn. 6.

[2] *Alex. de Hales,* Glossa in l. IV Sententiarum qu. 9 ad 1: «Respondemus ad 1, quod in quolibet ordine recipitur character» (Quaracchi 1957, 422).

[3] *Thomas Aquin.,* Summa theol. suppl. III. partis q. 37 art. 3.

[4] Ad eius votum cf. *Röm. Qu.* L (1955) 43.

[5] Petrus Ponce de Leon, iuris utriusque professor, die 27. Iunii 1550 nominatus est episcopus Civitatensis in Hispania *(Ciudad Rodrigo),* anno 1560 translatus est ad ecclesiam Placentinam, obiit die 15. Ian. 1573. A Caesare ad concilium invitatus quid responderit, invenis in Conc. Trid. XI 609 l. 38 ad 46. *van Gulik-Eubel* III² 168. 275.

sacrificium et eos habuisse id a Domino[1]. ⟨Alii etiam articuli omnes haeretici sunt,⟩[a] sed melius aptetur, quod dicitur in 9° de *lingua vulgari*[b]. Quoad ordinem ⟨etiam omnes haeretici sunt⟩[c].

Ochonensis[2], suffraganeus Monasteriensis, probavit sententias patrum.

Montisfalisci[3] primum articulum haereticum comprobavit missamque sacrificium esse ostendit ex 1 Cor. 10 [16—21] secundum concilium Toletanum[4], et[d] declarat Ioannes de Turrecremata[5] in cap. [11] *Relatum*[e] de consecr. dist. 2, et quod possit etiam testamentum nuncupari. Articulus 2 etiam haereticus est, ut declarat Clemens I epistula 3[1] et Alexander I[6]. Aliique[f] articuli haeretici sunt, 10^{s} etiam ut cap. [30] *Concedimus* de consecr. dist. 1, prout declarat ipse Turrecremata[7]. Quoad ordinem etiam omnes haeretici sunt[g]. In doctrina ⟨nollet poni praefationem et continuationem, ut esset brevior⟩[h], et cupit haberi rationem adnotationum patrum. |

394r R. P. **abbas Flandrus**. Quoad ordinem: Primus haereticus est, damnatus in conciliis Constantiensi[8], Florentino et Tridentino[9]. Articulus 2 etiam haereticus est, 3^{s} idem contra Paulum 1 Cor. 12, etiam quoad partem secundam. Ab eodem est enim executio, a quo et potestas; sed potestas sacerdotii non est a magistratu saeculari, ergo et nec executio. 4^{s} etiam haereticus est. Sicut enim lex nova est externa, ita et sacerdotium. 5^{s} idem contra ecclesiae consensum, idem et 6^{s}. Articuli de missa etiam omnes haeretici sunt. Quoad doctrinam probat notationes[i] patrum.

Abbates Itali congregationis Montis Cassini omnes articulos propositos ⟨haereticos et damnandos⟩[k] censent[l]. Adduxeruntque miraculum relatum a Gregorio papa de B. Benedicto, qui quasdam mulierculas excommunicaverat et eas sic obientes[m] per sacrificium missae liberavit[10]. In doctrina autem probant notationes patrum eamque breviorem cupiunt.

Dimittitur vero congregatio hora 19.

Congregatio generalis. Perficitur examinatio suprascriptorum articulorum et doctrinae de missa et ordine inter patres.

Eadem die [**13. Ianuarii**] hora autem 21 habetur etiam congregatio generalis, in qua patres perfecerunt examinationem eorundem articulorum et doctrinae de missa et ordine.

R. P. **generalis s. Augustini**[11] omnes articulos propositos haereticos iudicat. Nam missa verum sacrificium est a Christo institutum. Obtulit enim Christus in cena, et quod ipse fecerat, aliis faciendum praecepit. Quod sacrificium remittit peccata venialia et est satisfactorium pro poenis, impetratorium autem pro culpis et peccatis mortalibus; ⟨offerri autem potest⟩[n] non solum pro fidelibus, sed pro omnibus aliis.

R. P. **vicarius generalis ord. Min. Convent.** missam sacrificium esse comprobavit ex
394v auctoritatibus ab aliis allegatis. Examinavitque articulum, an Christus in cena | obtulerit,

[a] *M* Articulus 3 etiam haereticus est, 4^{s}, 5^{s}, 6^{s} et 7^{s} idem, 8^{s} idem et 9^{s};
[b] *M add.* ut tantum sensus haereticorum damnetur. 10^{s} etiam est haereticus.
[c] *M* primus haereticus est, alii omnes et anathemate damnandi.
[d] *M add.* prout [e] *Th* Zelatum [f] *M add.* omnes
[g] *M add.* et probavit episcopos esse de iure divino et maiores presbyteris
[h] *M* fiat brevior et posset deleri continuatio et praefatio [i] *M* sententias
[k] *M* damnandos ut haereticos [l] *M add.* probatque[!] sententias patrum
[m] *M* obedientes [n] *M* prout est oratio

[1] Cf. supra p. 381 adn. 10.

[2] Ioannes Kridt (Cretensis), die 19. Martii 1550 episcopus Acconensis i. p. i. et suffraganeus Monasteriensis nominatus est; obiit die 9. Iulii 1577. *van Gulik-Eubel* III^{2} 93. 345 s. *H. Jedin*, Die deutschen Teilnehmer am Trienter Konzil (cf. p. 448 adn. 1) 250 sq. *A. Schröer*, Das Tridentinum und Münster, in: *G. Schreiber*, Das Weltkonzil von Trient II (Freiburg i. Br. 1951) 300—303.

[3] Achilles de Grassis, anno 1551 episcopus Montisfalisci nominatus, ad concilium missus est, ut pontificis nomine reges Bohemiae salutaret, ut iam supra meminimus (p. 405[1]). Quoad vitam eius cf. Conc. Trid. I p. XLII adn. 10 et 509 adn. 1 cum libris ibidem laudatis, quibus addas *Pastor* V et VI passim; *Nuntiaturberichte* I. Abt. XII passim.

[4] Toletanum XII c. 5; cf. supra p. 414 adn. 13.

[5] In tract. de consecr. commentarii tom. IV (Venetiis 1578) 69, col. 2.

[6] Cf. supra p. 381 adn. 15.

[7] L. c. (cf. adn. 5) IV 20 sq.

[8] Cf. supra p. 399 adn. 8.

[9] Cf. supra p. 384 adn. 6 et 7.

[10] *Gregorius Magnus*, Dialogorum lib. II cap. 23. *Migne*, P. lat. LXVI 178.

[11] Cuius votum in scriptis datum invenis in App. IV n. 29. Cf. *Röm. Qu.* L (1955) 43.

ad partes affirmativamque veriorem esse affirmavit. Omnes autem articulos propositos haereticos censuit.

Solviturque congregatio hora 23.

Congregatio generalis. Deputantur patres pro formandis canonibus super articulis de missa et ordine et aptanda doctrina.

Die Iovis **14.** eiusdem mensis **Ianuarii** hora 15[a] habetur congregatio generalis, in qua ⟨celebrata missa consueta⟩[b] etc. primum **ego Angelus** secretarius legi sententiam R. et Ill^{mi} electoris Coloniensis super articulis suprascriptis[1], qui omnes iudicantur ab eo ⟨damnandi ut haeretici et scandalosi et blasphemi⟩[c].

Deinde R. D. archiepiscopus **Sipuntinus,** ⟨secundus praesidens⟩[b], disseruit articulum primum de missa, ⟨quam sacrificium esse confirmavit⟩[d]; improbavit autem communem omnium (excepto Bituntino[2]) opinionem, videlicet quod Christus obtulerit in cena, neque probari ex illis verbis Luc. 22 [19]: Aspiciens in coelum benedicens *gratias egit, fregit* etc., quia Christus idem fecerit Matth. 14 [19] et Luc. 9 [16], quum quinque panibus et duobus piscibus pavit 5 milia hominum. Tunc enim etiam intuens in coelum benedixit, fregit et dedit discipulis, et tamen tunc non obtulit. Neque probari illis verbis: *Sanctifico me*[3] etc., ⟨ut quidam ex patribus adduxerat⟩[d], quia ea verba dicta fuerunt extra cenam in monte oliveti. Et ita defendit partem illam, quod Christus non obtulerit in cena. Et quod in missa nos facimus memoriam oblationis crucis[e], non oblationis in cena. Et id voluerit Christus, cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*; ⟨defenditque missam dici posse testamentum, non propterea autem non esse verum sacrificium etc.⟩[f].

Postea R^{mus} et Ill^{mus} D. **legatus** dixit deputandos esse aliquos patres pro formandis canonibus super articulis suprascriptis de missa et ordine et aptanda doctrina | secundum 395r censuras adductas[g]. Cumque omnes remitterent nominationem ad ipsum R^{mum} et Ill^{mum} D. legatum, **ipse** nominavit infrascriptos, videlicet:

Patres deputati pro formandis canonibus super articulis de missa et ordine et aptanda doctrina iam examinata etc.

R^{mus} et Ill^{mus} D. Adulphus, archiep. Coloniensis, sacri imperii elector .	Germanus
R. D. Fridericus Nausea, ep. Viennensis, orator Ser^{mi} regis Romanorum	Germanus
R. D. Balthassar de Heredia, archiep. Calaritanus	Hispanus
R. D. Thomas Campegius, ep. Feltrensis	Bononiensis
R. D. Ioannes Fonseca, ep. Castellimaris	Hispanus
R. D. Iulius Phluch [!], ep. Numbergensis	Germanus
R. D. Franciscus Manrique, ep. Auriensis	Hispanus
R. D. Iacobus Naclantus, ep. Clodiensis	Florentinus
R. D. Ioannes Bernardus Diaz, ep. Calaguritanus	Hispanus
R. D. Octavianus Praeconius, ep. Monopolitanus	Neapolitanus
R. D. Ioannes Fernandi Themino, ep. Legionensis	Hispanus
R. D. Ioannes Emilianus, ep. Tudensis	Hispanus
R. D. Ioannes de Mello, ep. Algarbiensis	Portugallensis
R. D. Nicolaus Psaulme, ep. Virdunensis	Lothoringus
R. D. Gaspar de Stugniga [!], ep. Segobiensis	Hispanus
[h]His autem additi sunt tres ex antiquioribus deputatis[4], videlicet	
R. D. Salvator Salapusius, archiep. Turritanus et Sassarensis	Hispanus
R. D. Petrus Guerrero, archiep. Granatensis	Hispanus |
R. D. Cornelius Mussus, ep. Bituntinus	Placentinus 395v

Qui omnes approbantur ab **omnibus patribus.** Et dimittitur congregatio hora 18.

a *M* 16 b *Th om.* c *M* haeretici et damnandi d *M om.* e *Th* in cruce
f *M* deinde ostendit missam iure dici debere testamentum g *sic Th*; *codd.* adductarum
h *M hic add.* Et quod iis addentur aliqui ex antiquis deputatis, ut putati instructi in materiis dirigendis etc.

1 Vide App. IV n. 30. 2 Vide supra p. 449. 3 *Io.* 17, 19. 4 Cf. supra p. 324, 25 ss.

Sacra deputatio
super formandis canonibus de missa et ordine et aptanda doctrina etc.

Die autem subsequenti, videlicet Veneris [**15. Ianuarii**] hora 15, **patres** sacrae **deputationis** convenerunt coram R^{mis} et Illmo legato et praesidentibus, qui examinarunt censuras patrum adductas super doctrina de missa et ordine easque aptare ceperunt. Qui etiam eadem die hora 21 iterum convenientes easdem censuras discusserunt et primum caput doctrinae reformarunt.

Die vero sabbati et die dominica, **16. et 17.** dicti mensis **Ianuarii,** similiter convenerunt et doctrinam de sacrificio missae aptaverunt et canones super eodem sacrificio confecerunt, quorum exemplum datur patribus die lunae 18. eiusdem mensis sub infrascripto tenore, videlicet:

Canones de sacrificio missae examinandi per patres.

1. Si quis dixerit, in missa non esse sacrificium nec oblationem pro peccatis, sed tantum commemorationem sacrificii in cruce peracti, aut vocari translato nomine sacrificium, at vere et proprie non esse: anathema sit.

2. Si quis dixerit, missam esse tantum testamentum et promissionem remissionis peccatorum: anathema sit.

3. Si quis dixerit, missae sacrificium non esse ex evangelio nec a Christo institutum, sed inventum ab hominibus, neque illud offerre esse opus bonum aut meritorium, imo in eo committi manifestam et multiplicem idololatriam: anathema sit. |

396r 4. Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto ab iis, qui Dei Filium a sacerdotibus in missa Deo offerri credunt: anathema sit.

5. Si quis dixerit, Christum pro nobis mystice in missa imolari et offerri, non aliud esse, quam ipsum nobis ad manducandum dari, aut illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem* non ordinasse, ut apostoli et alii sacerdotes offerrent corpus et sanguinem eius: anathema sit.

6. Si quis dixerit, canonem missae erroribus et seductionibus scatere, abrogandum esse fugiendumque non secus ac pessimam abhominationem: anathema sit.

7. Si quis dixerit, missam nec vivis nec mortuis ut sacrificium prodesse, aut impium esse applicare eam pro peccatis, pro satisfactionibus et aliis necessitatibus: anathema sit.

8. Si quis dixerit, neminem pro alio sacrificium offerre posse, sicut nullus pro alio communicat vel absolvitur: anathema sit.

9. Si quis dixerit, missas privatas (in quibus videlicet solus sacerdos et non alii communicant, quae diu ante Gregorium Magnum fuere in ecclesia) illicitas esse atque abrogandas et cum Christi instituto pugnare, aut repraesentare magis excommunicationem quam communionem a Christo institutam: anathema sit.

10. Si quis dixerit, vinum necessariam materiam non esse huius sacrificii neque aquam miscendam esse cum vino in calice, idque esse contra Christi institutionem: anathema sit.

11. Si quis dixerit, ecclesiae Romanae ritum, quo secreto et submissa voce verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, missamque nonnisi in lingua vulgari celebrari debere, ac imposturam esse certas missas certis sanctis, sicut ecclesia intendit, attribuere: anathema sit. |

396v 12. Si quis dixerit, ceremonias, vestes et externa signa, quibus in celebratione missarum ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis quam officia pietatis: anathema sit.

13. Si quis dixerit, missam minus christianam esse, quia cum pluribus ceremoniis celebratur, quam fuerit a Christo celebrata: anathema sit.

Die autem Martis **19.** dicti mensis sacrae **deputationis patres** confecerunt canones super sacramento ordinis, quorum exemplum datur omnibus patribus die subsequenti sub tenore infrascripto.

Canones de sacramento ordinis examinandi per patres.

1. Si quis dixerit, ordinem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, sed tantum ritum quendam eligendi ministros verbi et sacramentorum, aut figmentum esse humanum, quod ordo sit sacramentum: anathema sit.

2. Si quis dixerit, ordinem non esse unum sacramentum, aut infimos et medios ordines velut gradus quosdam non tendere in sacerdotium: anathema sit.

3. Si quis dixerit, nullam esse ecclesiasticam hierarchiam, aut omnes Christianos ex aequo esse sacerdotes, sed ad usum et executionem ordinum opus esse vocatione magistratus secularis vel consensu populi: anathema sit.

4. Si quis dixerit, ordinationes ab episcopis factas sine plebis consensu irritas esse, aut eum, qui semel est sacerdos, laycum rursus fieri posse: anathema sit.

5. Si quis dixerit, in novo testamento non esse sacerdotium visibile et externum nec potestatem spiritualem consecrandi, offerendi et a peccatis absolvendi, sed ministerium tantum et officium praedicandi evangelium, aut eos, qui non praedicant, prorsus non esse sacerdotes: anathema sit.

6. Si quis dixerit, unctionem non requiri in sacramenti ordinis traditione, imo esse | perniciosam et contemnendam, similiter et omnes alias ceremonias: anathema sit. 397r

7. Si quis dixerit, per sacramentum ordinis non conferri Spiritum Sanctum, ac proinde episcopum, dum ordinat, frustra dicere: *Accipe Spiritum Sanctum:* anathema sit.

8. Si quis dixerit, episcopos non esse iure divino institutos nec praesbyteris superiores, aut non habere ius ordinandi, vel id etiam praesbyteris competere: anathema sit.

Datur omnibus patribus exemplum doctrinae reformatae super sacrificio missae.

Cum vero in sacra ipsa deputatione censurae patrum adductae super doctrina de sacrificio missae in superioribus congregationibus generalibus diligenter examinatae et discussae fuissent ac doctrina ipsa aptata et reformata, datur eius[a] exemplum die Mercurii **20.** eiusdem mensis **Ianuarii** omnibus patribus, ut iterum discuti et examinari possit. Quod exemplum hic non ponitur, ut brevitati consulatur[b].

Datur omnibus patribus exemplum doctrinae de sacramento ordinis reformatae.

Dieque Iovis subsequenti **21.** dicti mensis datur similiter omnibus patribus exemplum doctrinae de sacramento ordinis per sacram deputationem reformatae, ut etiam super ea patres dicere possint suas sententias[c].

Congregatio generalis.
Proponitur causa postulationis filii electoris Brandeburgensis ad ecclesias Magdeburgensem et Alberstatensem, super cuius confirmatione petitur a summo pontifice consilium synodi etc.

[1]Die sabbati **23.** eiusdem mensis **Ianuarii** hora 15 habetur congregatio generalis, in qua post missam et orationem consuetam R^mus^ et Ill^mus^ D. **legatus** dixit patribus proponenda eis | esse quaedam, quae referentur a R^mo^ D. Pighino, secundo praesidente, ut eorum informatissimo. 397v

Deinde ipse R^mus^ D. **secundus praesidens** retulit patribus, qualiter annis superioribus[d] vacantibus ecclesiis Magdeburgensi et Alberstatensi capitula utriusque elegerunt Fridericum, filium Ioachimi, electoris Brandeburgensis[2]. Quod ideo capitula ipsa fecerunt, ut, cum essent in confinibus haereticorum, haberent virum potentem, qui eos defenderet ⟨atque tutaretur⟩[e]. Qui electus tunc erat adolescens, nunc autem est 24 annorum. ⟨Eo vero tempore⟩[f] iuravit se accepturum confirmationem a sede apostolica et tueri bona et iura ⟨ipsarum ecclesiarum; nec multo post⟩[g] misit ad pontificem Paulum III, qui per id tempus obiit, ⟨sedeque vacante apostolica nihil super ipsa confirmatione agi potuit⟩[h].

a *Th* ideo b *In C 118 add. in margine* habetur in pag. 391 (*i. e. 412 numerationis novae*).
c *In C 118 add.* habetur exemplum infra pag. 397 (*i. e. 418 numerationis novae*).
d *M* elapsis e *M om.* f *M* qui g *M* eorum; ipse elector
h *M* et nihil factum sede vacante

1 Acta, quae Massarellus in duabus congregationibus die 23. Ianuarii et in prima die 24. Ianuarii habitis conscripsit, leguntur in tomo *Conc. 18* fol. 78 (= M).

2 Cf. de hac re litteras Francisci de Toleto die 2. Ianuarii 1552 ad imperatorem datas (Conc. Trid. XI n. 521 B) et supra p. 198 adn. 1.

Nunc vero denuo misit ad S^{mum} D. N. Iulium III ⟨ab eoque confirmationem ipsam petiit, commendantibus negocium ipsum invictissimo imperatore et serenissimo Romanorum rege⟩[a]. Pontifex multas ⟨ex una parte⟩[b] difficultates videt, prima quod ⟨electus non sit legitimae aetatis⟩[c] et quod eius pater adheserit Lutheranis in duobus articulis, videlicet de communione sub utraque specie et de connubio sacerdotum, licet ipse electus promiserit ⟨et iuraverit⟩[d] se catholice ⟨in omnibus⟩[d] victurum. Ex ⟨alia parte⟩[e], si non confirmatur, ecclesiae erunt perpetuo destitutae suo pastore, quia nemo auderet eas recipere ob potentiam ipsius iam electi. ⟨Estque considerandum, quod sunt duae ecclesiae, quae uni soli iuxta decretum huius concilii dari non possunt[1]. Quare S^{tas} S. distulit usque in hunc diem deliberationem.⟩[f] Verum cum ⟨res diutius differri non possit, cum ecclesiae ipsae in dies infestentur ab haereticis et earum multi ad eos deficiant⟩[g], S. S^{tas} voluit consulere sanctam synodum, ut[d], quid in hoc casu faciendum sit, respondeat[d]. Qua in re animadvertendum etiam est, quod pater electi, ⟨licet sit suspectus in fide, tamen⟩[d] misit
398r oratores suos ad hanc sanctam synodum[2] ⟨et promisit se et accepturum | et defensurum omnia eius decreta⟩[h], et sit magna[d] spes de eius reductione et de recuperatione bonorum iam ab ipsis ecclesiis ablatorum. Ipse quoque electus offert se ad concilium venire et ei subesse ⟨et in omnibus eius decreta⟩[i] recipere etc.

Deinde retulit patribus adesse oratores ducis Mauritii, electoris Saxoniae, qui dicunt suos adducturos theologos, sed petunt ampliorem salvumconductum, ⟨quam datus hactenus fuerit ab ipsa synodo⟩[d]; quo habito promittunt se venturos. Et hoc interim petunt supersederi a diffinitione et tractatione rerum in concilio discussarum[k], donec ⟨dicti theologi⟩[d] veniant. Et quod praeterea adsint oratores ducis Virtembergensis, qui petunt a sacra synodo audiri et admitti eorum mandatum, et quasdam scripturas proponere ⟨et offerre⟩[l]. Super quibus patres considerandum admonuit, et primo super confirmatione supradictae postulationis sententias rogavit.

R^{mus} et Ill^{mus} D. card. **Tridentinus** ostendit multis rationibus consulendum esse pontifici, ut ⟨confirmationem ipsam concedat⟩[m], et gratias S. S^{ti} agendas, quae dignata sit ⟨rem ipsam⟩[n] cum synodo communicare, cum de per se ipsa potuisset decidere. Placet igitur ei, ut confirmetur, sed ⟨electus veniat ad ipsam synodum, coram qua iterum fidem catholicam profiteatur et, si opus fuerit, haeresim abiuret⟩[o].

R. et Ill. D. elector **Maguntinus** consulit gratificandum electo salva fide catholica. Et ita statui praesentis temporis expedire ostendit, cum patris reductio speretur, et iam concilium agnovit et eius decretis acquieturum promiserit.

[p] R. et Ill. D. elector **Treverensis** probat sententiam Tridentini et Maguntini[q].

R. et Ill. D. elector **Coloniensis** idem confirmavit.

R. D. **Viennensis,** orator serenissimi regis Romanorum, idem comprobavit[r]. |

398v R. D. [archiepiscopus] **Turritanus** adduxit argumenta ⟨pro utraque parte⟩[s], et tandem confirmandam electionem[t] consuluit, ut proposita fuit.

Antibarensis probat sententiam R^{mi} et Ill^{mi} D. Tridentini.

Arborensis idem comprobavit.

Upsalensis idem, sed fiat pro hac vice tantum.

Panormitanus probavit sententiam Tridentini et electorum.

Granatensis super re tam gravi dixit se velle maturius considerare et pro nunc nullam sententiam proferre[u].

Calaritanus probavit sententiam Granatensis; ei tamen placet ⟨sententia etiam Tridentini⟩[v].

[a] *M* ut idem peteret cum litteris favorabilibus imperatoris et regis Romanorum
[b] *M* nunc [c] *M* esset iuvenis [d] *M om.* [e] *M* alio latere
[f] *M* Propterea distiluit [!] deliberationem.
[g] *M* amplius distuli [!] non possit provisio aliqua, cum versetur ditio earum ecclesiarum in medio haereticorum et in dies deficiant ad haereticos ipsos [h] *M* cumque novit
[i] *M* eamque [!] recipere [k] *M* tractandarum [l] *M* velle asserunt
[m] *M* ut confirmatio fiat ipsius postulationis [n] *M* hoc negocium; *Th* ipsam
[o] *M* cum hoc, quod denuo electus promittat coram synodo fidem catholicam et abiuraturum, si opus fuerit, aliqua; *Th add.* cui adstipulantur 21 patres
[p] *Th om. vota eorum patrum, qui sententias aliorum secuti sunt.*
[q] *M add.* propter rationes iam adductas [r] *M add.* ut dixit Tridentinus
[s] *M* hinc inde [t] *M* postulationem
[u] *Th add.* Idem senserunt 14 patres [v] *M* cum conditionibus a Tridentino allatis

[1] Sessio VII de ref. c. 2. Conc. Trid. V 997 [2] Cf. supra p. 197, 29 ss. l. 20 sqq.

R. D. [episcopus] **Feltrensis** ⟨censet confirmandam postulationem, sed ad⟩[a] unam ecclesiam tantum.

Placentinus probat sententiam D. Granatensis.

S. Marci probat sententiam D. Tridentini.

Chiemensis[b] idem comprobavit.

Cathaniensis idem confirmavit.

Camerinensis idem confirmat.

Zamorrensis probat sententiam D. Granatensis.

Carthaginensis idem; neque probat duas ecclesias ⟨ullo modo⟩[c] uni dandas.

Lancianensis probat sententiam R. D. Granatensis.

Algarensis, **Misiensis** } idem probant.

Numbergensis probat sententiam Tridentini.

Siracusanus idem comprobat. |

Vigorniensis idem confirmat. 399r

Argentinus probat sententiam electorum.

Mindoniensis idem probat.

Bituntinus idem probat, ut[d] dispensatio ipsa fiat a pontifice, cui gratiae agendae sunt etc.; sed electus statim ad concilium veniat, ⟨ut dixit Tridentinus⟩[e].

Bellicastrensis probat sententiam Tridentini[f].

Auriensis probat sententiam D. Granatensis.

Pacensi non placet, quod duae ecclesiae uni dentur. Si tamen huc prius[c] veniret electus, posset fieri re cognita.

Constantinensis probat sententiam D. Pacensis.

Oscensis probat sententiam D. Granatensis.

Clodiensis idem confirmat[g].

Cenetensis probat fieri confirmationem postulationis hac conditione, ut electus huc veniat.

Monopolitanus probat sententiam D. Granatensis.

Legionensis idem probat.

Ovetensis confirmat idem.

Tudensis idem approbat.

Algarbiensis probat sententiam D. Tridentini.

Lacorensis ⟨probat sententiam D. Granatensis⟩[h].

Guadicensis[i] vellet prius huc venire electum, deinde rem decidi; pro nunc nihil dixit[k].

Astoricensis est in sententia D. Guadicensis.

Virdunensis probat sententiam D. Guadicensis[l], et remittit se ad pontificem. |

Constantiensis probat sententiam D. Tridentini. 399v

Curiensis idem confirmat.

Salaminensis probat sententiam Tridentini et electorum.

Bossanensis probat sententiam electorum.

Vicentinus censet differendam deliberationem.

Mutinensis censet dispensandum, sed nollet id fieri cum ⟨consilio synodi⟩[m].

Civitatensis Apuliae[n] probat sententiam D. Mutinensis.

Pampilonensis probat sententiam D. Granatensis.

Segobiensis probat sententiam D. Granatensis.

Civitatensis Hispaniae probat sententiam D. Pacensis.

Ochonensis probat sententiam DD. Tridentini et electorum.

[o]**Solonensis** probat sententiam Tridentini.

[o]**Calaguritanus** non probat duas ecclesias uni dandas.

[o]**Elnensis** remittit se ad pontificem.

[o]**Spirensis** suffraganeus probat sententiam D. Misiensis.

[a] *M* probat consulendum, ut postulatio confirmetur, idque rationibus confirmavit quoad
[b] *M* Saltzburgensis suffraganeus [c] *M om.*
[d] *Th* et [e] *M* ut erudiatur, et cum conditionibus a Tridentino allatis
[f] *M add.* sed prius veniat huc electus
[g] *M hoc loco adiungit vota Solonensis, Calaguritani, Elnensis, Spirensis.*
[h] *M* nihil dixit se velle dicere [!] [i] *Th* Gaditanus [k] *Th add.* et cum eodem 8 patres
[l] *M* Granatensis [m] *M* consensu concilii [n] *M* Italiae
[o] *M hoc votum superius refert, ut adnotavimus supra adn. g.*

Montisfalisci ⟨probat sententiam D. Tridentini⟩[a].

RR. PP. **abbates Itali** probant sententiam Tridentini et electorum.

R. P. **generalis Praedicatorum** censet differendam deliberationem vel denegandam.

R. P. **generalis s. Augustini** cuperet differri deliberationem.

R. P. **vicarius ord. Min. Convent.** probat sententiam D. Bituntini.

Et cum patres essent valde discordes videreturque in veritate res gravis, ⟨nihil conclusum est, sed⟩[b] datum fuit tempus ad deliberandum, ut maturius ⟨responderi possit S. S^{ti}⟩[c].

Et dimittitur congregatio hora 19.

Congregatio generalis.
Decernitur dandum salvumconductum ampliorem Protestantibus et supersederi in proxima sessione a publicatione decretorum, cum utrumque peterent oratores Saxonis.

400^{r} Eadem die [**23. Ianuarii**] hora autem 21 habetur congregatio generalis, in qua R^{mus} D. **secundus praesidens** dixit restare, ut patres dicerent sententias super 2. capite[d] hoc mane proposito, videlicet quod oratores ducis Mauritii Saxoniae petunt novum salvumconductum efficacioribus clausulis munitum, ⟨quam antea datum fuerit⟩[b]. Et hoc interim petunt supersederi a publicatione et diffinitione materierum, quae tractatae sunt, cum ipsi velint adducere suos theologos[e], ut eorum doctrinam defendant. Et licet (ait) possimus vereri, ut deludamur, tamen[f] ecclesia ut pia mater non debet aliquos reiicere, ⟨sed omnibus gremium ostendere et aperire⟩[b], praesertim ne eis detur ansa subterfugiendi et amplius non veniendi ad concilium. Et tamen hoc medio tempore materiae examinari et discuti poterunt, ita ut tempus frustra non conteratur. Super quo rogavit patrum sententias.

Sed primum R. D. **Turritanus** retulit patribus, qualiter haec omnia ⟨fuerunt etiam proposita in sacra deputatione, cui visum fuit, ut dictus salvusconductus concedatur et a publicatione decretorum in proxima sessione supersedeatur; examinatio autem materiarum non differatur, idque visum esse Caesareae Maiestati⟩[g].

R^{mus} D. elector **Maguntinus** probat supersederi a diffinitione[h] decretorum, non autem a discussione[i], et quod salvusconductus concedatur[k].

R. D. **Treverensis** elector idem probat.

R. D. **Coloniensis** elector, quia deputatus, nihil dixit, cum deputati non loquantur, ⟨quum res, quae proponitur, in sacra deputatione iam discussa et decreta est⟩[l].

R. D. [archiepiscopo] **Antibarensi** placet ⟨supersederi et salvumconductum dari⟩[m].

Arborensis idem confirmat.

Upsalensis ⟨idem approbat⟩[n]. |

400^{v} **Panormitano** placet dari salvumconductum et dilationem.

R. D. [episcopus] **Placentinus** idem confirmat.

S. Marci idem, quod longa oratione confirmavit[o].

Chiemensis[p] probat idem.

Cathaniensi placet idem, sed fiat usque ad aliam sequentem sessionem; alias autem amplius non audiantur.

Camerinensis cuperet celebrari sessionem[q] et nullam prorogationem[r] fieri. De salvoconductu autem remittit se R^{mo} et Illmo legato.

a *M* idem probat et placet dispensari b *M om.* c *M* consilium S^{mo} D. N. dari possit
d *M* articulo e *M* doctos f *Th* at
g *M* iam legatus patribus deputatis proposuerit, et re discussa visum est patribus ipsis deputatis, ut salvusconductus concedatur et materiae non diffiniantur, sed tractentur et examinentur, praesertim cum id etiam petat et expedire videatur Caes. Maiestati.
h *M* publicatione i *M* tractatione
k *Th add.* cui adstipulantur 26 patres, *omittens ut in superiori congregatione vota eorum, qui cum aliis idem senserunt.*
l *M* cum iam eis placuit, quod propositum est. m *M* ut supersedeatur, ut petunt
n *M* placet dari salvumconductum et dari dilationem, ut petunt, ut prosequantur materiae
o *M* concedendum ostendit
p *M* Saltzburgensis suffraganeus q *M add.* et materias iam discussas publicari
r *M* dilationem

Zamorrensis ⟨probat dari salvumconductum et dilationem; sed procedatur in tractandis materiis⟩[a].

Carthaginensis idem comprobat.

Lancianensis idem confirmat.

Algarensis ⟨idem comprobat⟩[b].

Misiensis, **Siracusanus**, **Vigorniensis** – idem comprobant.

Argentinus probat sententiam D. Maguntini.

Bellicastrensi placet dari dilationem et salvumconductum et procedi hoc interim in materiis discutiendis.

Mindoniensis, **Pacensis**, **Constantinensis** | – idem comprobant. 401r

Oscensis, **Solonensis**, **Elnensis**, Suffraganeus **Spirensis**, **Cenetensis**, **Ovetensis**, **Lacorensis** – idem comprobant.

Guadicensis idem probat; sed cuperet etiam supersederi a tractatibus materierum.

Astoricensi placet dari salvumconductum et dilationem ad certum tempus[c].

Constantiensi placet dari salvumconductum et dilationem.

Curiensis idem probat.

Salaminensis probat idem; sed detur terminus certus et interim materiae tractentur.

Bossanensi placet dari salvumconductum et dilationem cum praefixione certi termini.

Vicentinus idem probat; sed salvusconductus detur aequis conditionibus, ut[d] supersedeatur a diffinitione et tractatione.

Mutinensi placet dari salvumconductum et dilationem.

Civitatensis Apuliae[e] idem probat.

Pampelonensi placet concedi petita.

[e]**Segobiensis** idem probat.

Civitatensis Hispaniae idem probat; sed detur terminus certus.

Achonensis idem probat.

Montisfalisci idem confirmat[f]. |

RR. PP. **abbates Itali** probant placita sacrae deputationis. 401v

R. P. **generalis Praedicatorum** idem probat; et detur terminus certus.

R. P. **generalis Heremitarum s. Augustini** idem probat.

R. P. **vicarius ord. Min. Convent.** idem confirmat.

Et ita conclusum est, ut salvusconductus detur in ampliori forma et dilatio publicationis decretorum[g] fiat. Et interim ab ⟨examinatione et discussione materierum, quae restant,⟩[h] non cessetur.

Et dimissa fuit congregatio hora 24.

Congregatio generalis. Audiuntur oratores ducis Virtembergensis et sic primum aliqui ex Lutheranis seu Protestantibus.

Die dominica **24.** eiusdem mensis **Ianuarii** hora 15[i] habetur congregatio generalis, in qua R^mus D. **secundus praesidens** proposuit patribus adesse oratores ducis Virtem-

[a] *M* placet, quod sessio prorogetur et dilatio et salvusconductus detur et in tractatione procedatur; *Th add.* ut dixit Maguntinus

[b] *M* idem, ut salvusconductus et dilatio detur et in materiis discutiendis procedatur.

[c] *M add.* ante sessionem; *Th add.* idem censuerunt 13 patres

[d] *M* et [e] *M om.* [f] *M add.* et terminus brevis detur [g] *M* materiarum

[h] *M* tractatione [i] *M* 16

bergensis[1], qui petunt audiri et praesentare mandatum et ⟨scripturam quandam, quae, cum⟩[a] contineant quaedam inhonesta, non videretur legenda publice in sessione, ⟨sed tantum in secreta congregatione⟩[b]. Verum quoniam dubitari posset, ne ob id mandatum et caetera huiusmodi sanctae synodo praeiudicetur, praemittenda esset a synodo aliqua ⟨protestatio seu⟩[b] declaratio, per quam decerneretur[c] per similes[d] mandatorum admissiones ⟨et scripturarum quarumcunque exhibitionem⟩[b] nullum ipsi synodo praeiudicium fieri[e]. Et cum ipsi oratores comparebunt[f], admittatur eorum mandatum et audiantur. ⟨Deinde iussi exeant, ut, quid respondendum sit, deliberetur. Postea rursus vocati responsum audiant. Quod responsum paucissimis verbis detur.⟩[g]

[h] Super qua re rogatis sententiis **omnibus** placuit, ut protestatio ipsa praemittatur et oratores ipsi admittantur et audiantur.

Deinde protestatio ipsa a **me Angelo Massarello** secretario alta voce lecta fuit,
402r quae | est tenoris infrascripti, videlicet:

Protestatio seu declaratio facta a sancta synodo in congregatione generali, ne per admissionem mandatorum minus legitimorum etc. praeiudicium ipsi synodo fiat. 24. Ianuarii 1552.

[2] Haec sacrosancta, oecumenica et generalis Tridentina synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae sedis apostolicae legato et nunciis[i], ne ob disceptationes (quae tam de personis comparentibus mandatisque et scripturis exhibendis quam de loco ad sedendum personis assignando oriri possent) felix ipsius concilii progressus retardetur, inhaerens decreto in secunda sessione promulgato[3] atque illud innovans statuit, decernit et[k] declarat[l], quod, si forte contigerit aliquos, qui ex dispositione iuris aut ex approbatorum conciliorum more admittendi aut recipiendi non essent, vel per seipsos vel per interpositas personas admitti aut recipi vel in loco non debito sedere vel sententiam, etiam sub verbo *Placet*, proferre vel congregationibus interesse vel alios quoscunque actus facere concilio durante, quodque, si etiam contigerit mandata, instrumenta, protestationes et alias cuiusvis generis scripta quaecunque, quae ipsius concilii honorem, ius ac potestatem quomodocumque laederent seu laedere possent, recipi aut admitti, propterea non praeiudicetur neque aliquo modo praeiudicatum censeatur vel intelligatur praesenti concilio nec conciliis oecumenicis ac generalibus in perpetuum celebrandis[m].

[a] *M* quasdam scripturas exhibere; et quoniam mandatum
[b] *M om.* [c] *M* synodus declaret [d] *M* huiusmodi
[e] *M add.* quod decretum deinde publicabitur [f] *M add.* in hac congregatione
[g] *M* Deinde iubebuntur exire et deinde deliberatio fiet, quid respondendum, et deinde vocabuntur et verba quaedam formata sunt, quibus respondendum videtur.
[h] *Quae sequuntur usque ad finem congregationis Massarellus paucis tantum verbis in M adnotavit.*
[i] *C 146 fol. 228 hic add.* (*quae postea sunt del.*) quae pacem et unionem ecclesiae omnibus votis exoptat et Christum Dominum ac Redemptorem nostrum (qui omnes homines salvos fieri vult et ad cognitionem veritatis accedere) imitari cupit ac propterea parata est quoscunque in ipsa synodo comparentes fraterna et christiana mansuetudine recipere, audire, docere, instruere et in rectam semitam dirigere ac dissidentes reconciliare, et quae etiam tam pro ipsius Dei et Redemptoris nostri gloria quam, ne diutius ecclesiae debito cultu et suorum episcoporum praesentia defraudentur, quanto celerius poterit ad [quanto . . . etc. *postea est corr. in* sine cunctatione ad fructuosum] finem concilii pervenire satagit
[k] *C 146 fol. 228 add. supra lineam*
[l] *C 146 fol. 228 hic add.* (*quod postea est del.*) et protestatur
[m] *C 146 fol. 228 hic add.* (*quae postea sunt del.*) cum omnis intentio huius concilii sit et eo tendat, ut pax et concordia quacunque ratione, licita tamen et congruenti, in ecclesiam reducatur.

[1] De eorum legatione ad concilium cf. novissime *E. Bizer*, Confessio Virtembergica. Das Württembergische Bekenntnis von 1551 (Stuttgart 1952), praesertim p. 32—63.

[2] Tres prostant protestationis copiae in tomo *Conc. 146;* prima, fol. 224, Massarellus usus est, cum protestationem coram patribus legeret; addita est enim in eius fine interrogationis solitae formula: *Reverendissimi et Illustrissimi Domini sanctissimique patres, placentne haec omnia vobis?* Secunda copia, fol. 226, manu Massarelli scripta nullius momenti est. Tertia, fol. 228, primam huius protestationis formam exhibet, quam Iulius III ipse confecerat. Legitur enim in margine superiori huius copiae manu Massarelli: *Formata da N. Sre Iulio 3o. Publicatum 24. Ianuarii in generali congregatione.* Haec prima forma a praesidentibus concilii correcta et aptata est. Cf. *Raynaldus*, Annales ad a. 1552 n. 12.

[3] Videlicet die 1. Sept. 1551, cum nuntius regis Gallorum synodo litteras ipsius regis praesentaret. Supra p. 100 l. 3—8 et p. 104 l. 14—26.

Quae protestatio seu declaratio unanimiter ab **omnibus** approbata fuit.

Deinde intromissi sunt praefati ducis Virtembergensis **oratores,** qui stantes in calce aulae capitibus detectis iunior, videlicet **Ioannes Heinricus Hoecklin,** loquutus est in hanc sententiam:

Verba prolata ab oratoribus ducis Virtembergensis in congregatione habita 24. Ianuarii 1552 in eorum comparitione etc.[1]

R^{mi} patres, Ill^{mi} principes et Domini observandissimi. Sacra Romana Caesarea 402^{v} Maiestas, dominus noster clementissimus, hortatus est pro summa clementia M^{tis} Suae Ill^{mum} principem ac dominum D. Christophorum ducem Virtembergum et Teccum etc., dominum nostrum gratiosum, cuius legatione in praesentia vigore huius mandati, quod hic exhibemus, fungimur, ut ad coetum R^{marum} vestrarum paternitatum referat, si quid habet, quod ad publicam catholicae ecclesiae utilitatem et ad conscientiae tranquillitatem pertinere videatur.

Quare, ut iam dictus Ill^{mus} princeps, dominus noster gratiosus, testificetur pium suum affectum erga veram ecclesiam Christi et declaret obedientiam suam erga Sacram Romanam Caesaream Maiestatem, dominum nostrum clementissimum, curavit in scriptum conferri ea, quae arbitratur ad constituendam veram pacem ecclesiae tam in doctrina quam in ritibus ecclesiasticis emendanda esse.

Hoc scriptum offerimus iussu et mandato Ill^{mi} principis nostri R^{mis} vestris paternitatibus et speramus fore, ut vestrae R^{mae} paternitates ex eo cognoscant, Illmo principi nostro nec curam nec studium deesse, ut vera pax et concordia in ecclesia Christi constituatur.

Quod si vero quid in hoc brevius vel obscurius, quam res tanta postulat, dictum fuerit, aut si alioquin opus esse videbitur, idem Ill^{mus} princeps noster theologos suos, qui id copiosius et magis perspicue explicent necnon sacrae scripturae testimoniis defendant ac tueantur, debita eis praestita securitate se missurum pollicetur et offert.

Et cum hucusque dilata sit actio, princeps noster Ill^{mus} interea nobis aliquot gravamina transmisit iussitque R^{mis} paternitatibus illa vestris exhiberi, ut videlicet eo facilius ad causae tractationem perveniri possit et ut theologi quoque principis nostri eo citius huc amandentur. Cumque haec ipsa gravamina sint eiusmodi, ut pro rei | magnitudine praetermitti non possint et necessario proponantur, Ill^{mi} principis nostri nomine 403^{r} etiam atque etiam rogamus, ut R^{mae} paternitates vestrae benigne illa suscipiant, simul atque responsum nobis commodum, quam primum fieri poterit, dare dignentur.

His dictis praesentarunt mandatum et scripturam praefatam. Eius autem mandati tenor sequitur et est talis:

Mandatum procuratorium ducis Virtembergensis praesentatum ab eius oratoribus in generali congregatione die 24. Ianuarii 1552.

[2]Divina gratia nos Christophorus dux Virtembergae et Decke[a], comes Monntis[b] Conc. 89 n. 5 Velligarli etc. Literis hisce praesentibus fatemur ac notum facimus omnibus: Cum per Romanam Caesaream Magiestatem[c], dominum nostrum clementissimum, una cum electoribus, principibus ac caeteris communibus statibus sacri Romani imperii pluribus iam habitis comitiis diligenter ac graviter id actum, deliberatum ac consultatum sit, qua nam via et ratione existentes in Germania religionis discordiae et dissidia tandem componi et in debitam christianam concordiam redigi possent, nullam autem ex omnibus ad hoc magis commodam, idoneam aut salutarem viam ac remedium potuisse inveniri et constitui, quam ut generale aliquod liberum, oecumenicum et christianum concilium haberetur, in quo et supradicta religionis dissidia tollerentur et communis quaedam tam religiosorum quam saecularium reformatio christiana una cum aliis rebus universae christianitati salutaribus et ad conservandam reipublicae christianae tranquillitatem maxime utilibus et necessariis constitueretur, quo etiam concilio universis et singulis principi-

[a] *C 118* Tekae [b] *C 118* Montis [c] *C 118* Maiestatem

[1] Cf. *U. Encaustius* [= *Io. Brenz*], Ordenliche beschreibung deren ding, so in namen ... Christoffen hertzog zu Wirtemberg ... auff d. concilio zu Triendt durch seine gesandten gehandelt seind, 1552. *Raynaldus* ad a. 1552 n. 13. *Le Plat* IV 418 s.

[2] Scriptum originale huius mandati concilio praesentatum prostat in tomo *Conc. 89* n. 5 (quod sequimur).

bus et statibus sacri Romani imperii integrum liberumque foret, quaecunque sua incommoda et gravamina in communem deliberationem et tractationem adducere. Qua de causa ad peragendum et perficiendum illa omnia praesens hoc concilium Tridenti indictum et constitutum esse dicitur. Quod ut accederetur et frequentaretur, Caesarea Maiestas non modo per edictum publicum electores caeterosque principes ac status omnes sacri Romani imperii moneri et evocari curavit clementissime, verum etiam ad concilium venientibus personis per scriptum salvumconductum, quo libere et absque omni periculo et incommodo ad concilium commeare, in eo versari et ab eo recedere ac in locum tutum redire possent, impartiri fecit. Etsi autem humiliter pro eo, ut debemus, maximis hisce et pernecessariis rebus ipsi quoque praesentes adesse desideremus, plurimis tamen et gravissimis occupationibus ac difficultatibus, quibus in praesentiarum praemimur, fit, ut personaliter ipsi venire plane non possimus. Quamobrem, ut debitam nostram obedientiam ac promptissimam voluntatem, qua erga communem Christianitatis salutem avidissime affecti sumus, nihilominus declaremus, nobilem et equestris ordinis Ioannem Theodericum a Plieningen ac Ioannem Heinricum Hoeklin[a], iuris utriusque doctorem, consiliarios et legatos nostros nostro nomine ablegavimus instructos pleno mandato id, quod ipsis vigore harum litterarum omni meliori modo et forma, qua de iure seu consuetudine fieri possit aut debeat, damus et datum esse volumus, hac ratione, ut coniunctim aut separatim nostro nomine (nisi et in quantum de iure tenemur et salvis exceptionibus quibuscunque) una cum aliis electoribus, principibus ac statibus sacri Romani imperii et absentium nunciis et legatis concilium illud accedant, in eo compareant, deliberent atque concludant, quatenus indictum hoc concilium (prout multis iam habitis imperii comitiis decretum est) libere, legitime et christiane celebretur, omnes incidentes causae quam utilissime deliberentur et perpendantur, dissidia religionis ad christianam concordiam redigantur, christianae reformationes tam spiritualium quam saecularium instituantur, publica et privata incidentia gravamina deponantur, christianae reipublicae tranquillitas modis omnibus promoveatur et conservetur. Denique omnia alia faciant et omittant, quae nos ipsi facere et omittere possemus et deberemus, idque secundum instructionem, quam a nobis praescriptam habent. Quodcunque autem consiliarii et legati nostri supradicti nostro nomine sic agere aut perficere iuverint, id firmum ratumque habebimus et pro eo, ut obedientem ac ex animo christianum imperii principem facere par est, re ipsa exequemur secundum bonam fidem omni fraude exclusa. In quorum omnium fidem et robur litteras hasce manu propria subscripsimus ac sigillo nostro appenso communivimus. Actum in oppido nostro Tubinga, vigesima die mensis Septembris, anno Domini et servatoris nostri Iesu Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo primo.

Conc. 118 Subscriptio autem sic habet: Christophorus dux Virtembergensis[b].

404^r Estque in eo sigillum ipsius ducis appensum in cera rubea impraessum[1].

Gravamina autem, de quibus ipsi meminerunt, in scriptis **oratores** praefati exhibuerunt suntque, quae sequuntur, videlicet

Gravamina seu conditiones, quibus oratores ducis Virtembergensis petierunt concilium celebrari, exhibitae ab eis in supradicta congregatione generali[2].

Ill^{mus} princeps ac dominus, D. Christophorus, dux Wirtembergensis, dominus noster clementissimus, certo ordinavit ad Tridentum quosdam theologos suos, qui oblatam confessionem auctoritate sacrae scripturae et verae catholicae ecclesiae consensu defendant ac tueantur et, si opus fuerit, copiosius explicent. Sed priusquam theologi suscipiant 404^v explicatio|nem, petit Ill^{mus} princeps noster de quibusdam gravaminibus suis sententiam Tridentini conventus audire.

Primum ergo gravamen est, quod ad audiendam theologorum explicationem non sint ordinati et constituti ex utriusque partis consensu idonei iudices aut arbitri, qui de praesenti controversia religionis legitime iuxta scripta prophetica et apostolica et iuxta verum verae catholicae ecclesiae consensum cognoscant; nam cum Ill^{mus} princeps noster

a *C 118* Hoklin b *Or.* Cristofferus dux Wirtembergensis

1 Quod bene conservatum est.

2 Copia horum gravaminum prostat in tomo *Conc. 78* fol. 15^r—16^r cum rubrica manu Massarelli: *In congregatione generali Tridentina 24. Ianuarii 1551;* altera *Conc. 146* fol. 236^r—^{v}; 238^{v}ad 239^v; *Conc. 78* fol. 72^r—73^r. Lingua germanica haec gravamina invenis apud *E. Bizer* (supra p. 466 adn. 1) p. 36 sq.

intellexerit maximam partem doctrinae suorum theologorum pugnare cum doctrina et sententia pontificis Romani et eorum episcoporum, qui Romano pontifici iuramentis et aliis obligationibus sunt addicti, nullo iure, nulla aequitate fieri potest, ut pontifex et episcopi eius in hac causa, in qua ipsi sunt pars sive accusatores sive rei, pro idoneis iudicibus aut arbitris cognoscantur. Petit igitur Ill^{mus} princeps noster se reddi certiorem, qui nam sint futuri huius rei iudices aut arbitri.

Secundum gravamen est, quod conventus Tridentinus non videatur servari iuxta recessus comitiorum imperialium Augustanorum[1], in quibus decretum fuit, quod concilium Tridentinum continuari et omnia christiane, honeste et congruenti ordine tractari debeant. Haec verba Ill^{mus} princeps noster nunquam intelliget aut intellexit aliter, quam quod concilium Tridentinum ante annum quadragesimum sextum institutum non sit ita continuandum et prosequendum, ut decreta in eo facta pro conclusis et ratis habeantur. Quae enim haec esset honestas ac congruentia, ea decreta pro ratis et sacrosanctis habenda imponere, quae parte altera nondum audita sunt constituta? Sed quod ab initio omnia capita religionis nostrae, de quibus controvertitur, iterum tractari et his audiendis et diiudicandis vere legitima et aequitati con|veniens actio observari debeat. 405^{r}
Quod cum hoc Tridentinum concilium videatur hoc modo institutum, petit Ill^{mus} princeps noster, ut recessui comitiorum imperialium hac in parte satisfiat.

Tertium est, quod in sessionibus non solum eius concilii, quod anno 46. Tridenti est institutum, verum etiam huius concilii, quod iam continuatur, decreta sint multo aliena a sacris litteris et confirmati multi veteres errores, sicut Ill^{mi} principis theologi sese coram idoneis iudicibus et arbitris declaraturos recipiunt. Petit itaque Ill^{mus} princeps noster, ut talia decreta non habeantur pro conclusis et ratis, sed tantum pro discernendis et iudicandis, donec idonei iudices aut arbitri ex utriusque partis consensu ⟨eligantur et ab his legitima iuxta sententiam sacrae scripturae et consensum⟩[a] verae ecclesiae cognitio fiat. Ut ergo Ill^{mus} princeps noster in hoc unum praecipue incumbat, ut vera et pia concordia in ecclesia Dei constituatur, non dubitat aequum esse, ut his iam commemoratis gravaminibus levetur et exoneretur; ac vicissim recipit, se ope et auxilio divinae clementiae nullum officium Christiano dignum et pio principi intermissurum, quo sperat se Deo Patri Domini nostri Iesu Christi fidem et obsequium suum probare et incolumitatem ac tranquillitatem verae, sanctae, catholicae apostolicaeque ecclesiae iuvare posse.

Praesentarunt etiam ipsi libellum quendam, in quo dixerunt contineri eorum doctrinam et fidem, prout in eorum praefatione retulerunt[2]. Qui quidem libellus cum sit multis modis impius et multa contineat, quae sacrae catholicae fidei adversantur, non est mihi visum illum hic describere, tum ut brevitati studeam (est enim satis longus), tum ne mea haec scripta huiusmodi impietatibus et monstris commaculem.

Postquam igitur dicti oratores in ea, quae superius descripta est, sententia loquuti fuerunt, | dicta sunt eis a **me Angelo Massarello** secretario haec verba: *Secedite mox regressuri.* 405^{v}

Et statim **ipsi** exiverunt locum congregationis.

Deinde habita inter **patres** consultatione decretum fuit, ut responderetur paucis verbis. Quare eis iterum intromissis responsum est per **me secretarium** praefatum his verbis: *Sancta haec oecumenica synodus audivit ea, quae a vobis relata sunt, et cum deliberatione providebit.*

Postea, cum esset iam pulsata hora 19, dimittitur congregatio.

Congregatio generalis.
Audiuntur oratores ducis Mauritii Saxoniae et decernitur consulendum summum pontificem, ut dispenset cum filio electoris Brandeburgensis circa ecclesias Magdeburgensem et Alberstatensem etc.

[3]Eadem die dominica **24. Ianuarii**, hora autem 22 habetur etiam congregatio generalis, in qua R^{mus} et Ill^{mus} D. **legatus** lecta oratione consueta retulit patribus confectam

[a] *C 118 et C 146, 236^{v} om.*

[1] *Abschied des Reichstags zu Augsburg* (die 30. Iunii 1548) § 6. Neue vollst. Sammlung der Reichs-Abschiede II (Frankfurt 1747) 529. Cf. *Le Plat* IV 170 ss.

[2] Qui libellus fuit Confessio Virtembergica, quam nuper edidit *E. Bizer* l. c. 137—190.

[3] Minuta huius congregationis extat in tomo *Conc. 10* fol. 193^{r}.

esse formam salviconductus iuxta tenorem, quem oratores ducis Saxoniae petierunt, quem legi iussit, illumque **ego secretarius** ⟨alta voce⟩[a] legi, ⟨estque tenoris, qui infra in sessione describetur⟩[a]. Super quo exquiruntur sententiae patrum.

Rmus et Illmus D. card. **Tridentinus** probavit salvumconductum, addito in titulo *oecumenica* ibi *synodus* etc.

R. et Illmus D. elector **Maguntinus** dixit: „Si placebit patribus, placebit et mihi", addito etiam *oecumenica* etc.

R. et Illmus D. elector **Coloniensis** idem probavit.

R. et Illmus D. elector **Treverensis** idem comprobavit.

R. D. **Viennensis**
R. D. [archiepiscopus] **Turritanus** | } idem comprobarunt.

406r ⟨**Antibarensis**
Arborensis
Upsalensis } probant salvumconductum.

Et denique caeteri **patres omnes** ipsum salvumconductum comprobarunt, demptis quibusdam verbis, ut puta quod Protestantibus liceat *disputare cum synodo* etc., sed dictum, ut liceat *cum deputandis a synodo* etc.⟩[b]

Deinde proponitur, quod oratores Mauritii ducis Saxoniae petunt etiam audiri a sancta[a] synodo, prout auditi sunt hoc mane oratores ducis Virtembergensis. ⟨Super qua re rogatis sententiis patrum **omnibus** placuit, ut intromitterentur et audirentur. Et quod etiam eis respondeatur paucis verbis.⟩[c]

Postea proponitur iterum[a] causa postulationis electi Magdeburgensis et Alberstatensis, ⟨super cuius confirmatione summus pontifex a sancta synodo consilium petit, prout alias propositum fuerat, hoc nunc addito, ut ipse postulatus teneatur venire ad concilium et in eo usque ad finem permanere. Et quod ei detur administrator, quousque sit perfectae aetatis et appareat, qui sint eius mores, vita et fides etc. Qua in re sententiae patrum exquiruntur.⟩[d]

Rmus et Illmus D. **Tridentinus** probat dispensationem cum his conditionibus concedi.

R. et Illmus D. elector **Maguntinus**
R. et Illmus D. elector **Coloniensis**
R. et Illmus D. elector **Treverensis**
R. D. **Viennensis**
R. D. [archiepiscopus] **Turritanus** |
406v **Antibarensis**
Arborensis
Upsalensis[e] } idem comprobant.

Votisque omnibus dictis, licet aliqui expresse contradicerent, aliqui se nolle aliquid dicere assererent, aliqui se ad Smum D. N. remitterent, tamen longe **maiori parti patrum** placuit, ut dispensatio ipsa et postulationum confirmatio a Ste Sua concedatur, dato ipsi postulato[f] administratore, usquequo sit legitimae aetatis et appareat, quid ipse in fide catholica sentiat, et Tridentum ad concilium veniat et se ei subiiciat et eius decreta se recepturum iuret. Ii autem, quibus placet, sunt, qui superius in congregatione habita die hesterna de mane idem comprobarunt, additis etiam multis, quibus tunc displicuit, nunc vero placuit, inter quos fuere **Misiensis, Davaliensis**[g], **Mutinensis, Civitatensis Apuliae, generalis s. Augustini** et **Min. Convent.** et quidam alii.

Deinde introducuntur oratores ducis Mauritii Saxoniae, videlicet nobilis W o l f g a n g u s

[a] *M om.*

[b] *M* Upsalensis, Arborensis, Panormitanus, Granatensis, Calaritanus idem. Feltrensi placet, sed addatur ibi „disputandi", „non tamen discutiendi contentiose", et addatur „puniendi". Placentino, S. Marci, Saltzburgensi suffraganeo, Camerinensi, Zamorensi, Carthaginensi, Lancianensi placet. Legionensi non placet verbum „disputandi". Guadicensis: deleatur „super concilia et . . ."[?]. Astoricensis: deleatur „cum patribus disputandi" et describantur, qui venerint, et constituantur iudices infra certum tempus, et praefigatur certus numerus personarum. Gener[alis]: „disputandi" addatur „solum cum deputatis". Alii omnes patres dixerunt semper „placet".

[c] *M* et quod possit responderi, prout hoc mane responsum est aliis. Quod omnibus placuit.

[d] *M* cum modificatione, ut electus veniat ad concilium et iuret semper hic manere et dari in spiritualibus administratorem, donec videatur, quid iuvenis naturae habuerit. Et patres poterunt dicere sententias, quid videatur.

[e] *M add.* Panormitano placet. Granatensis non credit expedire. Calaritanus

[f] *M* electo [g] *M* Spirensis suffraganeus, *C 118* Tavaliensis

Koler, capitaneus Turingiae, eques, et Leonardus Badenhorn, u. i. doctor[1]. Quibus stantibus in calce aulae congregationis **doctor** loquutus est in hanc sententiam, videlicet

Propositio oratorum Mauritii ducis Saxoniae in congregatione generali habita 24. Ianuarii 1552.

Quod bonum, felix ac faustum sit christianae reipublicae!

Reverendissimi et amplissimi quarumcumque dignitatum, ordinis et status viri, Patres ac Domini debita reverentia observandi! Ill^mus princeps Mauritius, dux Saxoniae, sacri Romani imperii elector et archimarschalcus, praeses Thuringiae et marchio Misniae etc., dominus noster clementissimus, | misit nos ad vestras R^mas et amplissimas dignitates 407r
ac praestantias.

Et precatur primum omnium a Deo opt. max., patre Domini nostri Iesu Christi, ut Spiritum Sanctum suum benigne largiri ac aspirare dignetur, quo omnia, quae hic agitis acturique estis, ad sui sanctissimi nominis et Christi Filii sui Domini ac servatoris nostri gloriam et honorem, ecclesiae suae pacem et incrementum ac cunctorum christifidelium veram ac aeternam salutem tendant et dirigantur.

Deinde notum vult esse universo huic ordini vestro, quod iam diu secum constituit et animum suum ita declaravit, siquando propitio Deo contingeret universale, liberum et christianum concilium congregari, in quo controversiae religionis nostrae sepositis affectibus secundum sacram scripturam tractari et diiudicari, omnes tuto admitti ac audiri atque christiana reformatio tam in capite quam in membris institui deberent, quod ad tale concilium suos quoque theologos, viros pios, doctos et pacificos mittere vellet.

Et quia putat hoc nomine congregatos nunc esse et in hoc convenisse hic vos omnes, ut eo, quo dictum est, modo procedatur, ideo convocatis suis theologis, qui antecessorum suorum et partim etiam suo tempore in scribendo claruerunt, mandatum dedit, ut missis ex suo numero quibusdam suae doctrinae confessionem in hoc coetu vestro faciant et eam sacrae scripturae testimoniis confirment, atque in omnibus, quibus secundum sacram scripturam possint, vobiscum conveniant ac concordent, id quod illi se facturos prompti ac volentes in se receperunt.[2]

Quod vero hoc hactenus factum non sit et illi hic nondum comparuerint, causam hanc habet, quod princeps noster admonitus fuit cuiusdam constitutionis concilii Constantiensis, quae habet, quod *haereticis* et *de haeresi* suspectis nulla publica fides nullusque | salvusconductus sive *per imperatorem* sive *reges* seu *alios* datus, *quocunque vin-* 407v
culo illi ad servandum *se astrinxerint*, servari debeat. Quinimo *si confisi* aliqui super huiusmodi *salvoconductu venerint, alias non venturi* ad potestatem ecclesiasticam, possint *non obstante* eiusmodi *salvoconductu* nihilominus puniri, ut habetur tenor illius constitutionis in 19. sessione concilii Constantiensis[3], cuius constitutionis exemplar, si forte alias nunc ad manum non sit, iam dabimus.

Et movit haec constitutio principis nostri animum eo magis, quo timore huius etiam Bohemi tempore Basiliensis concilii accedere ad illud nequaquam voluerunt, nisi eis plena et perfecta securitas veniendi eo et ibi commorandi atque inde redeundi in propria a concilio daretur cum derogatione dictae constitutionis Constantiensis et cum aliis quibusdam clausulis. Unde etiam concilium illud Basiliense plenissimam securitatem salviconductus illis concessit cum memoratae constitutionis Constantiensis expressa derogatione et multis aliis clausulis, ut est videre in quarta sessione eius concilii[4], cuius formam priori subiiciemus.

Eiusmodi ergo salvumconductum petivit princeps noster dari etiam suis theologis, consiliariis et aliis, quos huc missurus esset cum eorum ministris et familiaribus, quos secum adducerent, ut tuto huc venire, hic commorari ac redire hinc secure possint. Et spem certissimam conceperat fore, ut, quod Basiliensis synodus Bohemis benignissime concessit, id hic Tridenti Germanis non negaretur.

[1] Die 7. vel 9. Ianuarii Tridentum advenerant. Die 10. Ian. Franciscus de Toleto eorum adventum imperatori nuntiavit. Conc. Trid. XI 768 l. 10. Cf. *ibid.* 992 ss. *Raynaldus* ad a. 1552, n. 15 s. *Le Plat* IV 463 ss.

[2] Die 5. Iulii 1551 Melanchthon convocatis Wittenbergam theologis confessionem Saxonicam proposuit. Die 22. Ian. 1552 Melanchthon, Erasmus Sarcerius, N. Paceus ad concilium missi Norimbergam advenerunt, unde die 10. Martii domum redierunt. *K. Schornbaum,* Beiträge zur bayer. Kirchengeschichte XII (1906) 276. 278 ss.

[3] *Mansi* XXVII 799; cf. *Hefele* VII 227 s. *Bihlmeyer-Tüchle,* Kirchengeschichte II[12] (1948) 438 s.,

[4] *Mansi* XXIX 27 ss.

Verum oblata est illi ante dies non multos quaedam membranea scheda aperta sine sigillo cum significatione hac, quod per istam satis cautum ac prospectum suis esse deberet, cuius copiam quoque exhibebimus. Sed quia multum discors haec ab illa fuit
408r et cum Basiliensi salvoconductu vester salvusconductus in plurimis articulis | minime conveniebat, ob id grave et periculosum iudicatum est non impetrato eo, qui petitus et qualis Bohemis datus esset, salvoconductu huc concedere, maxime cum ex proëmio et aliquot decretis hic Tridenti promulgatis, quae typis excusa in publicum prodierunt[1], manifestum sit, eos pro schismaticis et haereticis hic haberi ac culpari, cum tamen nequaquam huc vocati, multo minus auditi fuerint, et nihilominus prompti sint doctrinam suam testimoniis sacrae scripturae corroborare.

Quare petit princeps noster ex enumeratis causis et se et suos, quominus hic hactenus comparuerint, excusatos haberi et, qua rogavit forma quaque Bohemis in Basiliensi concilio datus fuit salvusconductus, eadem nunc suis etiam dari atque quamprimum sibi transmitti.

Praeterea certior est redditus princeps noster, quamvis, ut dictum est, sui theologi neque vocati neque auditi fuerint et propter defectum pleni atque integri salviconductus venire huc et comparere hic nondum potuerint, quod tamen nihilominus sine mora hic procedatur et concludatur, etiam in illis articulis religionis, qui controversiam habent, sicut videmus, quod nunc sessionem habere et decreta super articulis in controversia positis publicare velitis, id quod principi nostro praeiudiciale et tam divino quam humano, tum naturali tum positivo iuri contrarium existit, quae iura omnia volunt, quod non auditi non debeant praegravari.

Cum itaque velit princeps noster suos theologos huc mittere doctrinae suae confessionem facturos et eam sacrae scripturae testimoniis corroboraturos, quique in omnibus, quibus cum verbo Dei possint, et velint et debeant vobiscum concordare, sed ex defectu salviconductus id facere hactenus impediantur, manifestum est, culpam nullam |
408v illis attribui posse.

Unde rogamus nomine nostri Ill^{mi} principis, ut tractatio illorum articulorum religionis, qui controversiam habent, et praesens instituta sessio decretorumque publicatio eo usque differantur et protrahantur, dum ipsius etiam theologi tuto huc adveniant et ad plenum audiantur, qui iam nunc in itinere sunt et ad sexaginta milliaria germanica huc processerunt[2] expectantes vestrum salvumconductum, ut eo accepto mox huc porro progrediantur et, quamprimum fieri poterit, hic apud vos compareant, doctrinam suam eiusque testimonia sacra edant ac in lucem proferant.

Tertium est, quod relatum fuit principi nostro, quod illa decreta, quae superioribus annis hic Tridenti tractata fuerunt, pro decretis conciliaribus et firmis conclusis habere, articulos, qui controversiam habent et in quibus, qui Augustanae sunt Confessionis, dissentiunt, non reassumere neque audire suos super illis velitis.

Cum vero declaratum illi sit, pleraque eorum decretorum, etiam in praecipuis capitibus religionis nostram iustificationem concernentibus, errores non leves continere, qui per sacram scripturam ostendi ac declarari possunt, summe necessarium et ipse et plerique alii semper iudicarunt et adhuc iudicant, ut sui etiam theologi super illis decretis audiantur; et sic in controversia positi articuli reassumantur.

Quapropter orat princeps noster, ut illa decreta in articulis, qui controversiam habent, omnino reassumantur et tum sui tum alii Augustanae Confessionis theologi super illis plene audiantur, eorum rationes et argumenta ex sacris litteris expendantur, quod pium et Dei verbo consentaneum fuerit, admittatur atque suffragiis omnium nationum christiani orbis laudetur recipiaturque. |

409r Ad haec sunt ista decreta tunc tractata, quando paucissimi eorum, qui ad universale, liberum et christianum concilium requiruntur, pauci praelati paucique legati statuum Germaniae praesentes fuerint, ut patet ex cathalogo nominum eorum, qui una cum illis decretis typis excusus in publicum prodiit[1], unde etiam pro decretis universalis concilii illa decreta haberi aut vendicari nequaquam possunt.

Nam ad universale, liberum et christianum concilium requiruntur universae totius christiani orbis nationes, et ut omnes secure admittantur libereque audiantur, utque

[1] De editionibus decretorum concilii cf. *K. Schottenloher*, Bibliographie zur deutschen Geschichte im Zeitalter der Glaubensspaltung IV (Leipzig 1938) n. 43209 sq.

[2] Theologi a principe Mauritio missi usque Norimbergam profecti erant; vide supra p. 471 adn. 2. Cf. *Pastor* VI 94 adn. 6; *idem*, Die kirchl. Reunionsbestrebungen (Freiburg 1879) 437 s. 443.

eorum rationes, causae et argumenta secundum sacram scripturam expendantur diiudicenturque.

Alioqui ea, quae habetur, congregatio nomen universalis, liberi et christiani concilii minime meretur et, quod in eo decernitur, pro decretis oecumenici, liberi et christiani concilii haberi et acceptari minime potest.

Quarto loco referre et in memoriam revocare debemus vestris amplissimis dignitatibus et praestantiis, quod articuli controversiam habentes fidem nostram christianam et aliqui eorum pontificem praecipue concernunt. Cum autem et iura et concilia tum Constantiense[1] tum Basiliense[2] expresse constituerint, quod in causis fidei et quae ipsummet pontificem contingant pontifex concilio subiectus et concilium supra pontificem sit et esse debeat, conveniens fuerit, illud hoc etiam in loco omnino ita servare et ante omnia confirmare, sicuti in Basiliensi synodo factum est, ut in secunda sessione eiusdem habetur[2], et quod per hoc praelati ac reliqui in concilio, cuiuscunque gradus ac ordinis fuerint, a suis iuramentis, quibus pontifici obstricti erant, quantum ad concilium et causas in eo tractandas pertinet, liberi sint. |

Et censet princeps noster, quod huiusmodi liberatio etiam sine expressa pontificis 409v relaxatione sequatur clare ex conclusis Basiliensis concilii in multis locis, ubi ponitur, quod etiam papalis eminentia et dignitas in talibus casibus concilio subiecta sit.

Si ergo subiecta est papalis eminentia concilio, sequitur, quod personae concilium repraesentantes ab eius nexibus et ipsi praestitis iuramentis, quantum ad fidei articulos et christianam reformationem tam in capite quam membris instituendam spectat, liberae sunt, et etiam si pontifex nollet eis iuramenta ea remittere, quod tamen vi et virtute praedictarum constitutionum Constantiensis et Basiliensis concilii iam liberae sunt, et quod hoc ita declarari merito debeat.

Si enim liberum decet esse concilium, in quo semotis affectibus de controversiis religionis et christiana reformatione capitis et membrorum tractari atque omnia secundum sacram scripturam fieri conveniat, necesse est liberas esse personas, quae libere de his omnibus disserere et iudicare debeant. Liberi autem et sine affectibus nunquam erunt, qui pontifici subiecti et ab eius imperio, quantum ad causas in concilio tractandas pertinet, non soluti censeri debebunt.

Rogat itaque summopere princeps noster praedictas constitutiones Constantiensis et Basiliensis concilii, quod nimirum in fidei articulis et qui pontificem eiusque potentiam contingunt pontifex concilio subiectus sit, ante omnia confirmari exemplo Basiliensis concilii, quod ab initio decretum Constantiensis concilii in articulo, quod universale concilium supra pontificem sit, ante omnia repetivit, approbavit, ratificavit atque etiam de verbo ad verbum actis illis inseruit, quemadmodum secundae sessionis eius concilii acta[2] manifestissime demonstrant. |

Et negari nunquam potest, quod et pontifex et reliquorum clericorum status ac 410r vita magna et gravi omnino reformatione opus habeant. Quanquam enim proxima ante centum et aliquot annos celebrata concilia tempora certa praefinierunt, intra quae semper generalia concilia celebrari debuissent[3], quod praeviderunt iam tunc absque dubio prudentiores eius saeculi futuros ac sequuturos hos abusus, quibus occurrendum in tempore esse rectissime iudicarunt, tamen sequentium temporum pontifices neque eas neque alias bonas patrum constitutiones, quas bona cum conscientia potuissent et necessario debuissent observare, servarunt. Et sic perniciose hosce errores et abusus succrescere permiserunt, unde plurima et infinita mala ac multiplicia schismata christianum orbem invaserunt, exorta bella, odia, dissensiones, tumultus et latissima occasio data ac relicta est grassandi in populum christianum misere saevissimo, crudelissimo nefandissimoque christiani nominis hosti perpetuo.

Quis non videt aut quis dubitat, difficillimum fore hos abusus tollere, pie et christiane emendare atque corrigere, prae quibus ita prophanatum esse constat statum ecclesiasticum, ut species, ut fucus quidam religionis potius quam religio appareat?

Quis emendabit aut quomodo emendabit haec concilium, si personae concilii ad nutum et voluntatem pontificis vivere, ad eius praescriptum agere omnia, ad ei obediendum, ad conservandum eius honorem, statum et potentiam iuramentis debeant esse ac manere obligati?

[1] Decr. *Haec sancta* sessionis 5. *Mansi* XXVII 590. *Hefele* VII 103. [2] Sessio 2, decr. *Sacrosancta* § 3—4. *Mansi* XXIX 21 s. [3] Decr. *Frequens* sessionis 39 (9. Oct. 1417) concilii Constantiensis. *Mansi* XXVII 1159. *Hefele* VII 321 s.

Declarandum ergo et exprimendum hoc amplius fuerit, quod, quicunque sunt in concilio cardinales, archiepiscopi, episcopi, praelati atque omnes omnino omnium ordinum et officiorum homines, per talem constitutionem a suis iuramentis pontifici praestitis, | quantum ad concilii causas et eius reformationem spectat, debeant esse liberi et 410v soluti, et quod per illam ipsam constitutionem liberi et soluti declarati esse debeant, ut ea confisi et eius libertate freti liberius quod sentiant dicere in mediumque consulere ac suffragari libere secundum sacram scripturam possint.

Si vero etiam praeterea a pontifice hoc impetrari posset, quo sua dignitas pro honore Dei et iuvanda christiana reformatione atque provehendis communibus commodis ultro relaxaret ac remitteret eis illa sua iuramenta, hoc vere laudabile, rectum, integrum atque celebre fuerit, et apud idiotas haec res singularem atque ingentem favorem conciliatura, plus fidei et fiduciae paritura, maiorem obedientiam auctoritatemque datura concilio et omnibus, quae in eo decreta et conclusa fuerint. Quod confiteri omnes necesse esset, vere liberum et christianum hoc esse concilium, in quo liberi homines, liberae linguae et voces, libera suffragia essent, et non ad huius aut illius nutum aut voluntatem sententias dicere oportere, sed ad Christi verbum et praescriptum tractare ac diiudicare omnia liceret. Certe hoc mirabilem assensum, ingentem favorem et singularem auctoritatem concilio eiusque reputationi daturum esset.

Et quod hoc ita urgeat et fieri adeo haec petat princeps noster, quae ordine enumeravimus, id non vitio sibi verti neque in aliam, quam ipse facit, partem accipi etiam atque etiam orat. Testem enim Deum habet, quod cuncta haec fidelissimo et optimo animo et affectu syncerissimo faciat, quo erga religionem et christianam rempublicam afficitur, quodque ipsius causae gravitas negociique magnitudo haec ita exigere et requirere omnino videtur. Neque dubitat, quin, quicunque pii, prudentes et sapientes estis quibusque cordi et curae est christiana respublica, christiani orbis calamitas et 411r praesens rerum | status, intellecturi et iudicaturi ipsimet sitis, haec summe necessaria esse et requiri omnino ad celebrandum vere liberum, christianum atque universale concilium, in quo de communi salute omnium, de vera fide, vero Dei cultu et divini nominis syncera invocatione et veneratione tractari debet, de tollendis erroribus et abusibus, formandis moribus christiani populi et tam capitis quam membrorum emendatione, reparanda vera pace ecclesiae, propaganda fide et regno Christi.

Quare quo cuique haec omnia sunt chariora, quo magis his quisque movetur et afficitur, quo propius tangit quemque sua propria et suorum omnium, patriae suae et communis totius populi christiani salus, pax et tranquillitas, quo magis amat et diligit quisque Deum et Filii Dei gloriam propagari cupit, quo beatius et in hoc et in futuro saeculo vivere omnes desideramus, eo maiori studio, fide et diligentia in haec quisque incumbet et in commune consulere iuvabit. Qua in re et Deo omnipotenti et toti orbi christiano gratissimum ac vere bonum opus praestabitis et vestrae vestrorumque atque omnium saluti consuletis. Quod ut fiat, faxit Christus Iesus, Dominus et salvator noster, cui cum Deo Patre et Sancto Spiritu sit honor, laus et gloria in saecula. Amen.

Qua propositione absoluta dictum fuit ipsis oratoribus, ut secederent tantisper mox vocandi. Deinde habita consultatione super responso eis dando decretum est responderi brevibus verbis, prout factum fuit hoc mane cum oratoribus ducis Wirtembergensis. Quare eis iterum intromissis **ego Angelus** secretarius praefatus respondi his verbis, videlicet:

Responsum synodi ad oratores Mauritii ducis Saxoniae.

Sancta haec oecumenica synodus audivit ea, quae a praestantiis vestris relata sunt, et cum deliberatione omnia considerabit. |

411v Postea ipsi **oratores** exiverunt. Postremo indicitur crastina sessio ad horam 15. Et decernitur subsequentem indicandam ad festum divi Iosephi, quod erit 19. mensis Martii, ⟨et in ea praeter alia agendum esse de sacramento matrimonii⟩[a].

Et dimittitur congregatio hora 2 noctis.

Decreta autem praetermissa, quae in hac sessione publicanda erant, sunt circa sanctissimum missae sacrificium et sacramentum ordinis. Super quibus doctrina et

[a] *In C 118 a Massarello postea add.*

canones iam formati erant, licet nihil eorum adhuc conclusum aut firmatum fuisset, sed tantum omnia patribus examinanda et discutienda proposita fuerant. Qua vero forma doctrina ac canones ipsi essent, ex eorum exemplis, quae superius 15. abhinc pagina[1] et inferius mox describuntur, dignosci potest. |

Doctrina de sacrificio missae proposita examinanda patribus 20. Ianuarii 1552, sed non conclusa neque firmata, de qua supra[2].

Proëmium. 412r

⟨Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem legato et nuntiis⟩[a], praestare id volens, quod in ea sessione promisit, in qua de venerabili Eucharistiae sacramento actum est[3], de eiusdem sanctissimae Eucharistiae sacrificio tractare nunc instituit; simul autem cum hac tractatione coniungere voluit sacramenti ordinis explicationem, quemadmodum facturam se in novissima sessione recepit[b4].

Cap. 1. In missa verum et proprium esse sacrificium a Christo Domino institutum.

Ut semper in ecclesia Dei creditum est per veteris legis abrogationem factum non fuisse, ut Christiani omni lege carerent, sed ut sub nova potius et longe praestantiori lege viverent, qualem novum et tanto excellentius testamentum postulabat, ita sancta synodus multis scripturarum testimoniis adducta et constanti veterum patrum traditione confirmata ac divino[c] Spiritus Sancti magisterio instructa nunquam in ipsa dubitatum fuisse declarat, novum sacerdotium Christianos simul cum nova lege suscepisse, nec veterum sacrificiorum abolitionem omnem illis sacrificandi rationem sustulisse, quinimo[d] novum[e] et plane divinum sacrificium christianis sacerdotibus esse relictum, quod ipsi non tantum in gratiarum actionem sed pro peccatis etiam quotidie offerant[f]. Missam igitur veram et propriam sacrificii habere rationem illud inprimis Dei Patris iusiurandum ostendit[g]: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*[5]. ⟨Huius enim sacerdotii munere tunc Christus Dominus functus[h] est,⟩[i] cum | se suo Patri sub sensibilibus 412v panis et vini speciebus[k] in ultima cena obtulit et per sacerdotes, qui eius ministerio[l]

[a] *C 146* Sancta synodus
[b] *In C 146 totum prooemium est del. Massarellus adnotavit:* Prooemium aptabitur brevibus verbis; *in C 18 hanc habet formam:* Exposcebat instituta a sancta synodo de sacramentis omnibus tractandi ratio, ac [!] ut post explicatam eorum sacramentorum doctrinam, quae ad omnes homines ex aequo pertinent [*corr. a Nausea ex* pertinet], de ordinationis sacramento ordinis [!] ageretur, quo illi soli initiari solent, qui sunt aliorum sacramentorum administrationi praeficiendi. Verum quoniam sanctissimae missae sacrificium tam arcte est cum hoc sacramento copulatum, ut ad illud omnes ordines spectare eiusque gratia praecipue instituti videantur, visum fuit sanctae synodo nihil de eo tum statuere, cum de sacrae Eucharistiae sacramento tractabatur, sed eius potius diligentem excussionem in hoc tempus reservare, cum omnia, quae ad ipsius explicationem attinent, commodissime poterunt una cum sacerdotii doctrina tradi. Quemadmodum enim sacerdotium et sacrificium mutuo sibi respondent, sic eorum etiam tractatio atque decisio ita inter se coniunctae et alligatae sunt, ut alterae absque alteris exacte et dilucide nequeant declarari. Quibus summa cum diligentia per hanc sanctam synodum discussis iam et constitutis haec nunc primum de venerando et tremendo missae sacrificio doctrina fidelibus omnibus tenenda profitendaque proponitur.
[c] *C 18 add.* nunc [d] *C 18* quum [e] *C 18 add.* etiam
[f] *C 18* offerunt [g] *C 18* confirmat [h] *C 146 corr. ex* perfunctus
[i] *C 18* Etenim cum sacerdotio hoc functus Dominus in cruce non fuerit, sed secundum ordinem Aaronis potius sacerdotium tunc egisse videatur, cum sanguinem fuderit et sacrificiorum cruentorum, quae in lege recipiebantur, figuras impleverit, consequitur utique tunc munere illum sacerdotii Melchisedech perfunctum [k] *C 18* signis [l] *C 18* mysterio

[1] I. e. fol. 395v—397r, supra p. 460-461.
[2] Doctrina de missa et ordine patribus die 3. Ianuarii 1552 tradita a die 7. Ianuarii usque ad 13. ab illis examinata est. Cuius primae formae unam tantum copiam inveni, qua episcopus Viennensis, Fridericus Nausea, usus est, in ea, quae addenda vel corrigenda credidit, adnotans. Postea eam secretario concilii misit. Quae copia extat in tomo *Conc. 18* fol. 221r—232r et 248r ad 255r (= *C 18*). Die 15. Ianuarii patribus sacrae deputationis doctrina iam reformata tradita est, quam usque ad diem 17. Ianuarii examinarunt et quam invenimus in tomo *Conc. 146* fol. 186r ad 206r (= *C 146*). Quae patres sacrae deputationis in doctrina adhuc aptaverunt, legimus in hac copia. Doctrinam de missa etiam exhibent *Raynaldus* ad a. 1552 n. 3—7 et *Le Plat* IV 385—395.
[3] Id est sessio III (XIII) diei 11. Octobris 1551, supra p. 207 l. 28 sq.
[4] Cf. supra p. 363 l. 30 sqq. [5] *Ps.* 109, 4.

funguntur, usque ad iudicium offerre non cessat, sicut ⟨ipse Melchisedech⟩[a] panem et vinum[b] in sacrificium Deo obtulerat[c 1]. Confirmat[d] deinde oblatio illa munda, quam Dominus per Malachiam, priori populo et eius munere reprobato, suo nomini in omni loco sacrificandam et offerendam praedixit, quod nomen suum magnum futurum esset in gentibus[2]. ⟨Nam adeo sane munda illa est, ut inquinari malitia offerentium nequeat; offertur enim per eam is, qui mentes hominum ab omni peccatorum pollutione mundare potest.⟩[e] Tam assidue etiam[f] illa in omni loco, quam late vera Christi Redemptoris nostri fides extenditur, per christianos sacerdotes offertur, ut merito a Daniele iuge sacrificium sit appellata[3]. ⟨Paulus quoque ad Corinthios scribens: *Videte*, ait, *Israel secundum carnem. Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris? Quid ergo? Dico, quod idolis imolatum sit aliquid? Aut quod idolum sit aliquid? Sed quod quae imolant gentes, daemoniis imolant et non Deo. Nolo autem vos socios fieri daemoniorum*[g]. *Non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum*[4]. Quibus verbis dum manifeste commemorat inter victimas Israelis et imolatas daemoniis Eucharistiam[h], colligitur illam esse sacrificium.⟩[i] Erga quod[k] ea semper veterum patrum pietas et religio fuit, ut certatim ⟨praeclaris et magnificentissimis elogiis⟩[l] augustissimam eius dignitatem commendarent[m] et suam erga ipsum reverentiam et devotionem declararent. Itaque appellatum[n] id invenimus sacrificium ⟨verum, incruentum, purum, summum, plenum, vivificum, singulare⟩[o], rursum salutarem hostiam, holocaustum semper permanens, sacrificium ⟨sacrosanctum, omnes excedens
413r victimas⟩[p], afferens horrorem, ⟨tremenda myste|ria,⟩[q] aliis denique[r] huius generis nominibus honorificentissimis. Ad haec cum constet[s] rem externam mystica sacerdotis operatione consecratam ac Deo oblatam ⟨sacrificium esse proprie dictum, nihil causae dici potest, quin⟩[t] Eucharistia, quam sacerdotes Christi sacra benedictione, quae ⟨verbis fit, quibus catholica ecclesia utitur⟩[u] tanquam forma sacramenti, conficiunt atque Deo offerunt, verum ac proprium[v] sacrificium ⟨dici debeat⟩[r]. Instituit autem Christus Dominus pro sua divina sapientia admirabile[w] hoc sacrificium, cum in novissima cena verus ipse *secundum ordinem Melchisedech sacerdos* panem et vinum in suum corpus et sanguinem convertens se aeterno suo Patri sub panis ⟨et vini⟩[x] speciebus obtulit suisque se discipulis sub earundem rerum symbolis communicavit, praecipiens illis: *Hoc facite in meam commemorationem*[5]. Quibus verbis ecclesia sancta Dei praeceptum esse sacerdotibus intellexit, ut sacrificium in Christi memoriam offerrent. ⟨Proinde in sacro canone missae eos dicere voluit⟩[y]: „Unde et memores nos, Domine, servi tui offerimus praeclarae maiestati tuae hostiam puram"[6] etc. ⟨Eo autem tempore⟩[z], cum novum ipse Dominus sacerdotium ⟨suis apostolis⟩[aa] contulit, ⟨tum partes illas, quae ad perfectum et consummatum missae sacrificium pertinent⟩[bb], consecrationem videlicet, oblationem et communionem instituit[r], quemadmo-

[a] *C 18* ille; *in C 146 corr. ex* ille [b] *C 18 add.* pro victoria Abrahae
[c] *C 18 add.* In qua oblatione singulari ratione Melchisedech Filium Dei praesignavit, cum in reliquis conditionibus a quamplurimis aliis in lege fuerit praefiguratus.
[d] *C 18* Probat
[e] *C 18* Nam praeterquam quod sacra Eucharistia ex simila conficitur quemadmodum oblatio illa, de qua sermonem Malachias habet, tum adeo sane munda ipsa est, ut nec offerentium malitia inquinetur et emundare conscientias hominum ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi possit.
[f] *C 18* etenim
[g] *C 146 hic add.* Non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum. *Quod in C 118 per errorem videtur omissum.* [h] *C 146 hoc loco del.* evidenter
[i] *C 18* quod sacrificium ille tyrannide ad certum quoddam tempus cessaturum prophetisavit, cuius mysterium et praecursionem novi dogmatistae, qui in hoc demoliendo sacrificio laborant, iam operantur
[k] *C 18 add.* tamen [l] *C 18* nova et magnificentissima elogia excogitarent, quibus
[m] *C 18* stabilirent [n] *C 18 add.* et
[o] *C 18* plenum, purum, summum, singulare, incruentatum
[p] *C 18* omnes excedens victimas, sacrosanctum [q] *C 18* et [r] *C 18 om.*
[s] *C 18 add.* sacrificium proprie dictum nihil esse aliud quam [t] *C 18* fieri nequit, quin
[u] *C 18 et C 146* fit certis et praescriptis verbis; *in C 146 postea est corr.* [v] *C 18 add.* sit
[w] *C 18 add.* et divinum [x] *C 18* vinique [y] *C 18* in sacrosancto missae canone inquiens
[z] *C 18 et C 146* Hoc autem praecepto; *in C 146 postea est corr.*
[aa] *C 18* in suos apostolos
[bb] *C 18* dum tres partes illas, quae ad sanctissimum sacrificium missae ex divino instituto pertinent, aeterno et inviolabili foedere sancivit

[1] Cf. *Gen.* 14, 18.
[2] Cf. *Mal.* 1, 10 sq.
[3] *Dan.* 8, 13; 12, 11.
[4] *1 Cor.* 10, 18—21.
[5] *Luc.* 22, 19.
[6] *Missale Romanum*, canon missae post consecrationem.

dum veteres ecclesiae patres magno consensu tradunt. Nam quod nonnullos movere solet, Eucharistiam donum Dei esse sumique[a] solere, commemorationem denique et signum existere salutaris illius sacrificii, quod semel a Christo Domino in cruce peractum est[b], veram sacrificii rationem ⟨Eucharistiae non adimit⟩[c]. Constat enim etiam illum Iudaeorum imolatitium agnum donum fuisse Dei[1] edique solitum ipsumque a Iudaeis in memoriam exitus ab Aegypto imolari consuevisse. Nec vero quod sanguis in missa conse|cratus 413v testamentum a Domino vocetur[2], ideo minus ad sacrificium pertinet. ⟨Ob id enim sanguinem suum Dominus testamentum vocat, quod per eum novum testamentum confirmetur, quemadmodum[d] sanguine animalium vetus olim confirmabatur. Ex iis[e], quae dicta sunt, persuasum[f] evadit, Christum Dominum missae sacrificium instituisse, idque primum omnium in novissima cena eum celebrasse, quod per apostolos postea sanctosque Dei ministros continue in ecclesia Deo oblatum extitit. Quare vehementer⟩[g] hallucinantur, qui eam opus bonum esse negant, cum missae opus Christi ipsius[h] sit ⟨ut praecipue sacrificantis⟩[i], non autem hominis nisi ut[k] ministerium exhibentis, qui, dum digne[l] et in charitate sacrificat, opus procul dubio meritorium et Deo gratum exercet.

Cap. 2. De necessitate sacrificii missae et eius cum crucis sacrificio convenientia[m].

[n]Etsi nunquam in Christi ecclesia sit dubitatum, quin vis aeternae purgationis unicae illi cruentae crucis hostiae affuerit, per quam solam aditus ad salutem et reconcilia-

[a] *C 18* edique [b] *C 18 add.* nihil id plane continet, quod
[c] *C 18* adimat Eucharistiae [d] *In C 146 hoc loco del.* immolato [e] *C 146* his
[f] *C 146* perspicuum
[g] *C 18* Dominus siquidem sanguinem suum novum testamentum eo sensu vocavit, quod pactum remissionis peccatorum, quae novo testamento promittitur, per illum immolatum et in Eucharistia contentum non aliter sanciretur, quam sanguine vitulorum immolato vetus testamentum olim dedicatum fuit. Cum igitur ex his, quae dicta sunt, perspicuum evaserit, missam sacrificium esse a Christo Domino institutum et sua oblatione in coena inchoatum et per apostolos sanctosque Dei ministros continue Deo oblatum, profecto turpissime
[h] *C 18 add.* praecipue [i] *C 18* interius sacrificantis [k] *C 18 add.* exterius
[l] *C 18* christiane [m] *C 18* consonantia
[n] *Secundum caput in C 18 hanc habet formam:* Satis constat, post illam parentum nostrorum inobedientiam, per quam omnes eorum posteri filii irae et rei mortis constituti sumus, firmam saluti[s] spem in uno dumtaxat propitiatorio Christi sacrificio, cuius fulgor iam inde ab origine mundi Dei servis coepit illucere, fuisse collocatam. Reliqua autem sacrificia, quae plurima quidem ac varia ante illud fuerunt, imperfecta omnia et invalida extitisse atque hoc tantum commodi in se habuisse, quod, dum salutarem hanc Christi hostiam adumbrabant, viam illi eius fidem in hominum cordibus excitando sternebant, quousque illa tandem temporis plenitudo accessit, quum Pater aeternus divina sua charitate commotus et hominum sortem miseratus unigenitum suum Filium in mundum misit, ut, quod sacrificia alia conferre per imbecillitatem suam non poterant, ipse sua corporis et sanguinis oblatione praestaret. Qui suam erga Patrem obedientiam declarans: „Sacrificium", inquit per Prophetam, „et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, holocaustum et pro peccatis non postulasti; tunc dixi, ecce venio"[3]. Quamquam autem haec salutaris Christi hostia ad omnia mundi peccata expianda sufficientissima sit, non tamen decuit illam nisi semel, ut semel tantum ab ipso in cruce oblata fuit, secundum plenam suam efficaciam hominibus applicari, idque in baptismo. Hoc etenim illud est, quod divus Paulus in sua ad Hebraeos epistola significat, cum ait, impossibile esse eos, qui semel illuminati sunt et postea prolapsi, ad poenitentiam renovari rursum crucifigentes sibi Filium Dei[4], et cum toties repetit, Christum Dominum per sanguinem proprium, quem semel effudit, aeternam redemptionem hominibus invenisse ac una oblatione consumasse in aeternum sanctificatos[5]. Quae quidem apostoli loca non debent adversus Eucharistiae sacrificium, de quo ibi non loquitur, detorqueri, sed de cruenta crucis hostia sunt prorsus intelligenda, qua per baptismum applicata cuncta ante regenerationem admissa peccata misericorditer condonantur. Caeterum cum baptismo regenerati plerumque propter suam infirmitatem aut malitiam legem Domini praevaricentur transgressionesque huiusmodi a Deo nobis imputentur et inexpiabiles nequaquam sint, aliquo frequenter oblato sacrificio ad sui expiationem eguerunt. Nam et delicta haec subinde iterantur, id autem sacrificium procul dubio Eucharistiae est, quod, cum omnem vim suam ab illa cruenta crucis hostia accipiat, ad hoc est institutum, ut peccata post baptismum admissa illo impetrante et disponente aboleantur. Ita autem de duobus his sacrificiis sermo habetur, quia, etsi una et eadem hostia sit, eo quod unus et idem Christus utrobique contineatur et offeratur, ratio tamen existendi et offerendi est diversa. Tantum autem abest, ut incruentum hoc Eucharistiae sacrificium illi cruento crucis vel repugnet vel quidquam deroget, ut efficacia expiandi ab eo mutuata cum ipsius fine maxime consentiat. Utrumque enim asserimus in remissionem peccatorum a Christo Domino tanquam a praecipuo et summo pontifice offerri. Nec aliter profecto nos ipsi incruentae hostiae quam sacramentis vim omnem et efficaciam ex Christi passione adesse fatemur, nec vero maxima illa dona, quae Redemptor noster nobis nunc impetrat, cum se plenum iam gloria Patri quotidie in missa sacrificat, quidquam aliud esse dicimus quam praemium et fructus,

[1] Cf. *Ex.* 12, 1—11. 24—27; 13, 9; *Deut.* 16, 3. [3] *Ps.* 39, 7 s.
[2] Cf. *Matth.* 26, 28; *Marc.* 14, 24; *Luc.* 22, 20. [4] *Hebr.* 6, 6. [5] *Hebr.* 10, 14.

tionem nobis patet, quia tamen duplex ratio divina lege hominibus est demonstrata querendi per externum cultum fructum et applicationem illius hostiae, in sacramentis videlicet, quae solis suscipientibus prosunt, et in sacrificiis, quae non offerentibus modo sed aliis etiam atque adeo toti ecclesiae utilia sunt, iccirco semper etiam in ipsa ecclesia creditum est, conveniens et necessarium fuisse, mundum hoc et salutare Eucharistiae sacrificium a Christo Domino nobis esse relictum, ut per id meritum passionis eius non ad unum et alterum tantum hominem, sed ad universam etiam ecclesiam posset applicari. Nec decuisset sane legem novam, quae omnibus perfectionis numeris est absoluta, de- 414r fectam omni externo et visibili sa|crificio esse, quo christiani homines Dei opem et gratiam in suis rebus omnibus implorare et, ⟨ut illud maximum⟩[a] reconciliationis nostrae remedium[b], quod in Christi morte omnibus fuit expositum[c], sibi et aliis applicetur[d], possent impetrare. Igitur ut olim patres ante Christi adventum sacrificia habuerunt, quibus spem in suis animis excitabant futuri illius magni sacrificii, quod aliquando per ipsum mundi servatorem erat offerendum, et fiducia in eo per fidem defixa admirabili quadam anticipatione eius in se fructum, antequam offerretur, transferebant, ita sancta synodus docet, hanc omnium sanctorum patrum fidem fuisse, Christianos sacrificium in missa habere longe quidem illud efficacius et sublimius omnibus antiquis hostiis atque eiusmodi, quod expectationem futuri Christi sacrificii nequaquam affert, sed memoriam renovat iam peracti nec illud figurat tantum quemadmodum vetera, sed re ipsa in se compraehendit; eandem etenim corporis et sanguinis Christi hostiam in missa offerri, quae fuit in cruce imolata, eundem agnum, non alium, et unum ubique Christum sacrificari, unum etiam eundemque praecipuum utrobique esse pontificem, qui simul hostia, simul sacerdos est; nam christianos sacerdotes ministros dumtaxat Christi esse atque ipsius, cum Eucharistiam conficiunt et offerunt, personam sustinere, discrimen autem in varia tantum ratione offerendi esse constitutum, quod nimirum in cruce seipsum Christus absque ullius hominis ministerio secundum corporalem existendi rationem *morte intercedente*[1] semel imolaverit, in missa autem quotidie sacerdotum ministerio secundum existentiam sacramentalem in commemorationem[e] mortis se[d] offerat. Quare etsi verissimum est, quod apostolus ait, Chri- 414v stum Dominum *una obla|tione* (cruenta videlicet) consumasse *in sempiternum sanctificatos*[2], oportuit nihilominus eandem oblationem iugiter in ecclesia incruento modo offerri, ut nos recolentes quotidie in hac incruenta oblatione illius cruentae memoriam et gratias agentes pro beneficiis, quae per eam Redemptor noster universis hominibus promeruit atque contulit[f], ea ipsa beneficia cum nobis tum aliis ⟨applicari et conferri impetremus⟩[g]. Neque enim maxima illa dona, quae nobis quotidie Deus per hoc sanctissimum sacrificium confert, quicquam aliud sunt quam praemium et fructus, quos Redemptor noster ex illa summa sua obedientia nunc percipit, quam Patri mortem pro nobis subiens

quos ex summa illa obedientia percipi[t], quam olim eidem Patri in cruce exhibuit. Ita enim Paulus nos docet eum, cum Filius eius esset, didicisse obedientiam et consumatum fructum esse omnibus obtemperantibus sibi causam salutis aeternae, appellatum a Deo pontificem iuxta ordinem Melchisedech[3]. Cur maximum hoc commodum sacrificium incruentum secum afferet? Quod suavissima ratione per illud ipsa Christi mors baptizatis peccatoribus adplicatur, dum illis, qui gratiae Dei ingrati fuerunt, locum poenitentiae relinquit et congruas pro peccatorum ratione satisfactiones exposcit. Illud etiam oblationem hanc Eucharistiae vehementer commendat, tum quod Christi mortem repraesentans eius exequias quotidie celebrat, tum quod per eam ipse Redemptor noster se sacerdotem esse in aeternum secundum ordinem Melchisedech apertissime demonstrat, dum videlicet quotidie huius sacerdotii munus per sacerdotes suos gerit non tanquam per successores, sed tanquam per externos ministros. Qui tametsi multi sunt et infirmitate circumdati, in eo tamen sacerdotes veteris legis longe superant, quod sub uno summo et immortali sacerdote constituti unam et eandem omnes hostiam offerentes semper litant. Quorum oblationibus etsi maximus attribuatur honos, non propterea tamen de excellentia Christi sacrificantis et apud Patrem pro nobis interpellantis quicquam detrahitur, imo nulla ratione magis illa posset commendari. Quemadmodum enim orationes nostrae per Christi interpellationem non tolluntur, sed sanctificantur et in eius gloriam cedunt, nec holocausta quidem martyrum Christi passione sublata fuerunt, sed maxime dignitatis ac meriti accessione honestata, ita haud dubie missae sacrificium per vivificam Christi mortem non abrogatur, sed confirmatur potius et stabilitur, quippe quod ex ea universam vim suam et dignitatem habet. Quare in gravissimam blasphemiam incidunt, qui per missae sacrificium blasphemiam irrogari sanctissimo crucis sacrificio impie calumniantur.

[a] *In C 146 corr. ex* illius maximi [b] *In C 146 corr. ex* remedii
[c] *C 146 hoc loco del.* applicationem [d] *In C 146 add. supra lineam*
[e] *In C 146 hoc loco del.* tantum et mysterio
[f] *In C 146 corr. ex* obtulit [g] *C 146 corr.* applicentur et conferantur, *ut legitur in C 118*

[1] *Hebr.* 9, 15. [2] *Hebr.* 10, 14. [3] *Hebr.* 5, 8 s.

exhibuit. Sic enim Paulus ait eum, cum filius Dei esset, didicisse obedientiam et consumatum factum esse omnibus obtemperantibus sibi causam salutis aeternae, appellatum a Deo pontificem iuxta ordinem Melchisedech[1]. Atque hinc profecto ratio etiam sumitur, quae necessitatem et commodum sanctissimi missae sacrificii vehementer commendat, quod videlicet per id ipse Redemptor noster se sacerdotem esse *in aeternum secundum ordinem Melchisedech* perspicue omnibus patefaciat, dum quotidie sacerdotii huius munus per ecclesiae sacerdotes gerit, qui, tametsi multi sint et infirmitate circumdati, in eo tamen sacerdotes veteris legis longe superant, quod sub uno et immortali sacerdote constituti eandem semper hostiam offerunt eandemque omnes litant propitiationem. Quorum oblationibus qui maximum tribuunt honorem, tantum quidem abest, ut excellentiam et dignitatem mortis Christi imminuant, ut nulla alia ratione extollere illam magis ac commendare possent. Nam ut orationes nostrae Christi interpellationi, per quam sanctificantur et valent, nihil detrahunt nec martyrum holocausta | eius passioni derogant, 415r a qua dignitatem suam et meritum accipiunt, ita haud dubie missae oblatio vim et excellentiam passionis Christi non obscurat, sed ⟨magis ac magis⟩[a] illustrat[b]. Quare gravissime profecto peccant, qui per eam blasphemiam sanctissimo missae sacrificio irrogari calumniantur, atque ii[c] scelestum plane et nepharium admittunt facinus, dum in summam Dei benignitatem tam impie ingrati sunt, ut se ac reliquos homines tanto ipsius beneficio privare velint.

Cap. 3. De fructibus sanctissimi missae sacrificii et eius applicatione.

Quantus et quam varius ex venerando hoc missae sacrificio in Christianos fructus redundet, illi demum recte noverunt, qui commoda omnia, quae universis veteris[d] legis sacrificiis parabantur[e], diligenter enumerantes ea viderunt in hoc uno et singulari sacrificio, cuius illa[f] umbrae fuerunt, copiosius et abundantius quam in[d] illis omnibus esse compraehensa. Et certe qui[g] omnia sacrificia ⟨considerare velit⟩[d], quibus olim populus Dei utebatur, hos praecipuos institutionis eorum fines extitisse comperiet: susceptorum beneficiorum memoriam renovare ac spem futurorum significando erigere, quae duo agno paschali imprimis efficiebantur; maximum Dei supra nos[h] omnes imperium commendare hominesque cum optimo et supremo suo Domino commertio aliquo et consuetudine copulare; foedera Dei confirmare et promissionum eius fide alte in mentibus hominum impressa eos ad summas ipsius laudes excitare, ut holocausto fieri solebat; largitori bonorum omnium gratias agere opemque eius et auxilium in futurum tempus implorare; huc enim hostia pacifica spectabat; admissorum delictorum ac scelerum remissionem ⟨ex fide et devotione offerentium⟩[i] impetrare[k], quod per ea | praesertim sacrificia praestabatur[l], 415v quae pro peccatis nominatim erant instituta; denique animos hominum sanctis actionibus et meditationibus occupare et, ne pravis ullis desideriis serviant (quod omnium sacrificiorum munus erat), inhibere. Haec autem omnia beneficia[m], et si quae alia magna et salutaria fuerunt, quae ex quibusvis[n] ullo unquam tempore sacrificiis perciperentur, declarat sancta synodus ⟨uberrima et praestantissima⟩[o] quadam ratione per unicum missae ⟨sanctissimum sacrificium Christianis⟩[p] nunc praestari[q]. Nam illud quidem primum nemo nescit, memoriam beneficii redemptionis nostrae et immensae[r] illius charitatis, quam Pater aeternus in nos servos suos, *cum* adhuc *inimici essemus*[2], ostendit, gratissima commemoratione in missa celebrari, dum ob oculos nobis in ⟨divino hoc mysterio⟩[s] Redemptoris nostri mors[t] tanquam in imagine[u] proponitur. Negari etiam non potest, vehementer per ipsam[v] futuri aeterni convivii spem[w] in illis confirmari, qui panem sibi in ea

[a] *In C 146 add. in margine* [b] *In C 146 hoc loco del.* et confirmat
[c] *C 146* hi [d] *C 18 om.* [e] *C 18* deputabantur
[f] *C 18* illae [g] *C 18 add.* ferre animum velit per
[h] *C 18 et C 146* res [i] *C 18 om.; in C 146 add. in margine*
[k] *C 18 add.* ipsosque homines Deo inimicos reconciliare; *in C 146 est del.* [l] *C 18* praeparabatur [m] *C 18* emolumenta; *in C 146 est corr. ex* emolumenta
[n] *C 18* ullis; *in C 146 corr. ex* ullis [o] *C 18* uberius et praestantiori
[p] *C 18* sacrificium sanctissimum a Christianis
[q] *C 18 add.* In qua illud idem, ut saepe admonuit, sacrificium offertur, quod a Domino in coena fuit immolatum [r] *C 18* missae [!] [s] *C 18* ea [t] *C 18* add. in illustrissimo mysterio
[u] *C 18* speculo; *in C 146 est corr. ex* speculo [v] *C 18 add.* spem; *in C 146 est del.*
[w] *C 18 om.; C 146 add. supra lineam*

[1] Cf. *Hebr.* 5, 8 sq. [2] *Rom.* 5, 10.

angelorum proponi intelligunt[a]. Dominium vero Dei ⟨in nos⟩[b] et summam eius[c] providentiam quanam re profiteri evidentius potuissemus quam credendo nos morte Filii eius vivificatos per eundem in hoc sacrificio viventem sustentari? Commercium autem num[d] esse aliud maius hominibus cum Deo potest[e], quam ut[f] per hanc divinissimam hostiam, quam Patri ut nostram offerimus, nobiscum praesens sit[g] *omnibus diebus usque ad consumationem saeculi*[1], ut potiori ⟨nunc iure dicere nos quam Iudaei olim possimus⟩[h]: *Non*[i] *est alia* ⟨*natio tam grandis*⟩[k], *quae habeat deos appropinquantes sibi*[b], *sicut Deus noster adest* ⟨*cunctis obsecrationibus nostris*⟩[l][2]? Constat porro foedera non veteris sed novi testamenti, nec temporalis sed aeternae haereditatis, sacra hac oblatione tanquam arrabone confirmari. Neque enim, si nos Deus aliquando ⟨perdere voluisset⟩[m], tale nobis unquam
416r sacrificium | dedisset aut de nostris manibus accepisset. Cum maximum etiam fidei mysterium sit Eucharistia, certe religiose creditum ⟨aliorum mysteriorum fidem vehementer corroborat et maximum in nobis charitatis et devotionis ardorem excitat, ut hoc sacrificium tanquam verum holocaustum Deo offerre possimus⟩[n]. Iam vero ut commodior nulla ratio iniri[o] potuit ad agendas Deo gratias pro summo redemptionis nostrae mysterio, quam si Patri Filium suum unigenitum, in quo complacitum est ei[3], ⟨et sanguinem ab eo pro nobis effusum offerremus, dicentes cum Propheta⟩[p]: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi; calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo*[4], ita nulla plane certiore via uti possumus ad exposcenda et impetranda quaevis ab ipso dona quam hac, ⟨per quam⟩[q] maiores nostri non gratiam tantum et vitam aeternam, sed quaecunque praeterea vel animis vel corporibus usui essent, modo spiritui deservirent, postulabant. Nulla etenim dona *a patre luminum* ⟨in Christifideles⟩[r] descendunt[5], quae non etiam ab eo per ⟨hostiam huius salutaris sacrificii impetrari possint⟩[s]. Cuius assidua celebratio tam sanctam fidelibus omnibus, non[b] sacerdotibus modo verum etiam caeteris, occupationem ⟨tantamque a vitiis distractionem⟩[t] affert, dum eos[u] orationibus, laudibus et canticis vel piis meditationibus aut[v] aliis utilibus vitae[w] christianae actionibus maximo cum spiritus fructu detinet, ut ea de populo christiano sublata ⟨necessum etiam sit⟩[x] nutare[y] fidem, claudicare spem, ⟨charitatem refrigescere⟩[z] et muta ac clausa *ora laudantium* Dominum reddi[6].

Caeterum ex omnibus huius sacrae oblationis fructibus ille est longe maximus, quod, ⟨dum Dominum nostrum Iesum Christum contineat, qui est propitiator, *propitia-*
416v *tio* et propitiatorium *pro peccatis nostris*[7]⟩[b], per eam tanquam per propitiatorium | et expiatorium sacrificium iratus Dominus placatur, ⟨non solum, ut peccata venialia condonet et poenas temporales remittat, sed⟩[aa] ad tantam nonnunquam misericordiam flectatur[bb], ut[cc] ingentibus quoque[dd] criminibus propitietur, ⟨conferens hominibus per[ee] hoc sacrificium praevenientem gratiam et auxilia, quibus excitentur, ut ad ecclesiae sacramenta accedant, in quibus immediata salutis remedia inclusit. Neque enim ecclesia catholica unquam docuit, ita hoc sacrificium valere⟩[ff] ad mortalium delictorum expiationem, ut bonos motus

[a] *C 18* non dubitant [b] *C 18 om.* [c] *C 18 add.* in nos
[d] *C 18* an; *in C 146 est corr.* [e] *C 18* posset; *in C 146 est corr.*
[f] *C 18* si; *in C 146 est corr.* [g] *C 18* esset; *in C 146 est corr.*
[h] *C 18* ratione dicere possemus [i] *C 18* Quae [k] *C 18* gens tam inclyta
[l] *C 18* nobis [m] *C 18* voluisset occidere; *in C 146 est corr.*
[n] *C 18* de aliis fidei mysteriis nos certos confirmatosque reddit, quamobrem amore accensi singulare hoc holocaustum Deo offeremus, quod, cum totum oblatum et incensum Deo fuerit, totum remanet edendum et esum rursus totum Deo incendendum. [o] *C 18* inire [!]
[p] *C 18* eiusque pro nobis effusum sanguinem exemplo Prophetae instructi offeramus, dicentis
[q] *C 18* perque [!] [r] *C 18* in fideles sive per sacramenta sive quavis alia ratione
[s] *C 18* hoc salutare missae sacrificium imperciantur atque impetrentur
[t] *C 18* tantumque avocamentum [u] *C 18 add.* vel
[v] *C 18* vel [w] *C 18* fide[i] [x] *C 18* necessum sit etiam [y] *C 18* mutare [!]
[z] *C 18* refrigescere charitatem [aa] *C 18* et [bb] *C 18* flectitur
[cc] *C 18 add.* etiam [dd] *C 18 om. et add.* hominum [ee] *In C 146 corr. ex* propter
[ff] *C 18* Dominus etiam dixit: «Hic est calix novi testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum»[8]. Hic autem sanguis in cruce effusus, quum in Eucharistia contentus et in mysterio fusus offeratur, fieri nequit, quin sacrificium hoc iis, pro quibus offertur, in remissionem peccatorum valere non debeat, praesertim cum et sacrificia olim pro peccatis instituta fuerint, quae hanc oblationem figurabant, nec pontifex ex hominibus assumatur ullus, qui sacrificia pro peccatis non offerat, et eo quidem pro gravioribus potius quam pro levioribus, quod illa expiatione magis egeant. Illud quoque sancta synodus affirmat, nunquam in ecclesia Dei permissum

[1] *Matth.* 28, 20. [2] *Deut.* 4, 7.
[3] Cf. *Matth.* 3, 17; 17, 5.
[4] *Ps.* 115, 12 sq.
[5] *Iac.* 1, 17. [6] Cf. *Esth.* 14, 9. [7] *1 Io.* 2, 2.
[8] Cf. *Matth.* 26, 28; *Marc.* 14, 24; *Luc.* 22,20 cum canone missae.

mentis aut[a] sacramentum excludat poenitentiae, sine quo actu vel voto suscepto nullum peccatum mortale remittitur. ⟨Cum autem sancta synodus expiatorium hoc sacrificium appellat[b], non hanc vim illi pro solis viventibus tribuit[c], sed etiam ad mortuos omnes in Christo, qui aliquo poenarum reatu sunt obstricti, eam extendi docet[d] ex perpetua et constantissima ecclesiae traditione, quae[e] ab apostolis erudita ⌜etiam pro mortuis⌝[d] sacrificium hoc[f] offerre[g] consuevit[d]. De cuius tam solemni more velle dubitare insolentissimae prorsus superbiae est. Nam cum fideles omnes vivi et mortui unum constituant in Christo corpus, sicut aliorum[d] bonorum[h] ita et huius sacrificii communionem habent, cuius beneficio aeternae quoque gloriae citius praemia consequuntur.⟩[i] Hanc vero fructuum participationem particularis applicatio promovet, quae per sacerdotem, legitimum ⟨Christi et ecclesiae in sacrificio offerendo ministrum⟩[k], secundum iustitiae et charitatis regulas ipsi Deo notas[l] efficitur. Nam si oratio specialiter applicata ei, pro quo funditur, utilis haud dubie est et si sacrificia antiqua certis de causis quibusdam applicabantur, nulla ratio est, cur hoc de excellentissimo sacrificio negetur, quod, cum omnibus antiquis successerit, omnium illorum virtutem eminenter continet.

Cap. 4. De ritibus ac ceremoniis, quae in[m] missae celebratione[n] adhibentur.

[o]Quoniam rudis hominum natura, quae nihil absque sensuum anticipatione percipit, difficile contineri in officio et erudiri in religione ac ad pietatem et devotionem excitari absque sensibilibus ceremoniis et externis aliis adminiculis potest[p], ⟨noluit Deus christianam religionem hoc tanto praesidio esse destitutam. Declarat igitur sancta synodus ecclesiasticas ceremonias neque scripturarum testimoniis neque mysteriorum ratione carere. Quanquam autem non omnes peculiares ritus et ceremoniae, quae in missae celebratione adhibentur, in scripturis expresse inveniantur, nullas tamen absque Spiritus Sancti instinctu in ecclesiam introductas fuisse et tam constanter ac tam religiose tot saeculis observatas affirmat. Atque illae quam sint necessariae populo in officio continendo, ipsi ecclesiae hostes declarant, qui, postquam veteres et receptas ceremonias reiecerunt, novas excogitare et inducere coacti sunt. Nihil igitur in ritibus huiusmodi vel abrogandum est omnino vel immutandum. Quare totum missae canonem sacra synodus asserit⟩[q] sanctissime esse constitutum, nec quicquam continere, quod pietatem et reli- 417r

fuisse, ut hoc communionis sacrificium pro iis offerretur, qui non antea membra corporis Christi per baptismum essent effecti. Quis enim offerat, inquit Augustinus, corpus Christi nisi pro his, qui sunt membra Christi? Baptisatorum autem nomine vivos et mortuos intelligendos hic esse, perpetua et constantissima ecclesiae traditio nos docet, quae pro mortuis ab apostolis erudita offerre consuevit. De cuius tam solemni more velle dubitare insolentissimae prorsus superbiae est. Nam cum fideles omnes vivi et mortui unam constituant christianam rempublicam, sicut bonorum omnium ita et huius sacrificii communionem habent. Modus, quo hoc sacrificium est propitiatorium et haec delictorum remissio vivis et mortuis impenditur, superest iam explicandus. Inprimis quod ad Deum attinet, acceptat ille suavissimum Filii [*cod.* fidei] sui sacrificium respiciens ad illud, non quatenus incruentum est, quia sine sanguinis effusione non fit remissio, sed in quantum illud, quod in cruce peractum fuit, repraesentat. Nam et eadem hostia est cum illa, quae in cruce oblata fuit, eam quoque commemorat atque nobis adplicat, quia qui in se resurgens a mortuis iam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suae passionis offerimus, tocies nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus, non quidem, quod missa adplicata remissionem peccatorum mereatur, sed quia Pater in faciem Filii sui, qui ei praesentatur, respiciens exoratur, ut peccata remittat ingentia. Quod ad suscipientem autem huius hostiae fructum spectat, fide et erga hoc sacrificium speciali devotione opus est, ut remissionem peccatorum accipiat. Nec tamen sic valet hoc sacrificium

[a] *C 18* ut [b] *In C 146 corr. ex* appellet [c] *In C 146 corr. in* tribui, *postea est restitutum.* [d] *In C 146 add. supra lineam*

[e] *In C 146 add. supra lineam* etiam, *quod postea est del.; insuper est del. hoc loco* pro mortuis

[f] *In C 146 add. supra lineam; insuper hoc loco del.* consuevit

[g] *In C 146 hoc loco del.* Deo [h] *In C 146 hoc loco del.* omnium

[i] *C 18* Impetratur enim per hoc sacrificium et coelestis Patris tractu coadiuti de peccatis conterimur et veram poenitentiam agimus. Defunctis autem, qui in Christo quiescunt, valet ad reatus poenarum expiationem et ad aeternae gloriae praemia citius consequenda ex devotione, quam viventes ad hoc sacrificium habuerunt et adhuc habere non desistunt.

[k] *C 18* sacrificii dispensatorem [l] *C 18* ratas [m] *C 18 om.* [n] *C 18* celebrationi

[o] *C 18 praemittit* Quaecumque ad missae substantiam pertinent, iam admonuit sancta synodus consecratione, oblatione ac communione comprehendi. Nunc autem in genere declarat caetera, quae in eius celebratione pro more ecclesiae adhibere solent, primum utili ac necessaria ratione fuisse instituta [p] *C 18* possit

[q] *C 18* nec dubitare quenquam debere, illa et peculiari Spiritus Sancti instinctu inventa atque introducta fuisse et singulari eius praesidio tot postea saeculis tam constanter retenta et tam reli-

gionem non spiret. Quod si quae forte sint obscuriora loca et quae[a] explicationis lucem ⟨desiderent, qualia permulta⟩[b] in scripturis[c] reperiuntur, consultis orthodoxis patribus, qui ea suis expositionibus illustrarunt, pie et[d] catholice intelligi[e] debent. Ideo nonnisi ⟨pernicioso ac pravo⟩[f] consilio abrogari[g] ⟨quidam canonem missae suadent⟩[h] vel tanquam erroribus, mendaciis et seductionibus scatentem[i] impie traducunt[k]. ⟨Propterea religiose et⟩[l] sapienter etiam observatur, ut consecrationis verba et maxima pars canonis tacite et submissa voce a sacerdote recitentur[m]. ⟨Hac enim secreti ratione et⟩[n] maiestas[o] 417v huius ineffabilis mysterii ⟨rectius servatur et populus exci|tatur⟩[p], ut de eo reverentius et maiori cum devotione cogitet. ⟨Lingua etiam latina, quae in titulo crucis Domini tanquam quoddam divinum instrumentum est consecrata, mysteriis missae in ecclesia occidentali celebrandis maxime convenit⟩[q], quae cum tot gentes magna[r] sermonis diversitate distinctas et frequentissime inter se communicantes brevi terrae spacio complectatur, uno hoc profecto sermone, qui omnibus communis est, in peragendo hoc communionis sacrificio uti debuit, praesertim cum hac ratione plurimis incommodis obviam eatur, quae ex tanta evulgatione et tam varia translationum[s] in mysteriis fidei diversitate ⟨nasci possent⟩[t]. ⟨Quod si quae intersit omnibus⟩[u] esse nota ut[v] veteris et novi testamenti lectiones, quae in missa recitantur, ea per concionatores debent saltem diebus[a] festis populo declarari, quemadmodum in illis omnibus ecclesiis fit, quarum pastores officiis suis non desunt.

Quantum autem vestibus, luminaribus atque aliis externis rebus, quae in missae cultum[w] adhibentur et ad eum peculiari consecratione per verbum Dei et orationem sanctificantur, moveri homines soleant, ut[x] revocent animos a cogitatione rerum prophanarum et rem ibi[y] sacram ac divinam agi[z] cum reverentia cogitent, nemo est qui nesciat. Est enim[aa] in his omnibus utilissima et sanctissima significatio, quam qui intelligunt vehementer excitantur, ut in vero[bb] spiritu Patrem adorent et illam puritatem ac mentis elevationem, quoad eius fieri possit, imitentur, quam Redemptor noster in illa novissimae suae[a] coenae missa habuit. Quae ideo simplicissima fuit et his externis signis et ornamentis caruit, quoniam nec ullis externis adminiculis, quibus excitaretur, ille indigebat, nec tempus quoque aut locus, ut ea adhiberet, poscebat[cc]. Ideo idem spiritus, 418r qui ad | sacrificandum eo modo Christum impulit, ecclesiam ⟨docuit decentes et pias pro temporis ratione ceremonias addere⟩[dd].

Porro missae, in quibus nulli praeter sacerdotes celebrantes communicant, immerito ut privatae et illicitae traducuntur. Nam cum missa omnis[a] commune sacrificium sit et a publico ministro celebretur, privata profecto missa dici non potest, in qua pro universa Christi ecclesia sacrificium offertur. Publicae igitur omnes missae sunt et non absque maximo totius ecclesiae et multorum membrorum eius fructu, ubicunque ⟨illae fiant⟩[ee], frequentantur. Nec profecto excommunicationis ullam faciem habent, cum populus, qui huiusmodi sacrificio astat, a sacerdote salutetur, pacis osculum et benedictionem recipiat

giose per universam ecclesiam catholicam esse observata. Nam etsi in scripturis expressa non habeantur, quia nec exprimi debuerunt, ut veteres patres admonent, ut[!] facile ab infidelibus irridentur, satis tamen nobis esse debet, quod in illis prohibita nullibi sint, imo commendata potius, dum ecclesiae authoritatem eiusque consuetudinem nobis commendant; nihil igitur in ritibus huiusmodi vel abrogandum est omnino vel immutandum nec ulla ratio suppetit, quod id fieri debeat. Periculosas enim eiusmodi immutationes semper existere nec effici absque magnis motibus et gravi multorum perturbatione possunt, eorum praesertim, qui propter imperitiam, vel quia prave affecti sunt, statim suspicantur ecclesiam errore aliquo laborasse et veterum fidem abiecisse. Tam enim necessariae sunt populo in officio continendo caeremoniae, ut haeretici coacti fuerint ad plebis disciplinam novos ritus veteribus et receptis explosis excogitare. In specie porro id primum declarat totum missae canonem

[a] *C 18 om.* [b] *C 18* desiderantia, sicut etiam
[c] *C 18 add.* quaedam recondita et perobscura [d] *C 18 et C 146* ac
[e] *C 18 add.* possunt et [f] *C 18* pernitiosissimo et pessimo
[g] *In C 146 corr. ex* abrogare [h] *C 18* a quibusdam canon missae suadetur
[i] *C 18* scatens [k] *C 18 et C 146* traducitur; *in C 146 corr.* [l] *C 18* Quare
[m] *C 18* recitetur [n] *C 18* quo [o] *In C 146 add. supra lineam*
[p] *C 18* silentio rectius honoretur et populus excitetur
[q] *C 18* Linguam [!] etiam latinam [!], quae in titulo crucis Domini consecrata est, maxime convenit mysteriis missae in ecclesia occidentali celebrandis
[r] *C 18* maxima [s] *C 18* sermonum [t] *C 18* nascerentur
[u] *C 18* Quae autem omnibus interest [v] *C 18 add.* sunt
[w] *C 18* cultu [x] *C 18* et [y] *C 18* sibi [z] *C 18* agit[!]
[aa] *C 18* etiam [bb] *C 18 add.* ex [cc] *C 18* permittebat [dd] *C 18* pro tempore edocuit decentes et pias has addere caeremonias [ee] *C 18* celebrentur, et

atque etiam communionem, si velit, accipere possit. ⟨Nec vero earum⟩[a] usus[b] a Magno Gregorio primum[c] fuit inductus, sed longe vetustissimus est, ut ex antiquorum[d] patrum[e] scriptis patere potest[f], cum ⟨crebrius illis temporibus missae celebrarentur, quam fideles in eis communicarent⟩[g]. Nihil est quoque[h], quod offendere quenquam debeat in illis missis, quae ⟨pro intercessione aliquorum sanctorum, in eorum etiam memoriam[i] et honorem⟩[k] particulari ratione celebrantur[1], cum sit certum, nec alii quam Deo sacrificium in eis offerri et sanctorum commemorationes[m] dumtaxat fieri, ⟨quam et⟩[n] in illorum gloriam ⟨et in Christifidelium utilitatem cedere semper in Dei ecclesia creditum est⟩[o].

Iam vero quoniam controversia de aqua cum vino in hoc sacrificio miscenda ⟨iampridem extincta⟩[p 1] his denuo temporibus est excitata, declarat sancta synodus iuxta catholicae ecclesiae fidem et sanctorum patrum traditionem ⟨et consensum⟩[c], aquam vino esse admiscendam, ⟨tum quod⟩[q] ita Christus Dominus fecisse credatur[r], ⟨tum quod⟩[s] illa fluxum nobis aquae et sanguinis ex latere Domini nostri ⟨in cruce pendentis⟩[c] significet[t] ac ipsius etiam[c] cum populo suo coniunctionem repraesentet[u].

Doctrina de sacramento ordinis proposita examinanda patribus 21. Ianuarii 1552, sed non firmata.

Cap. 1. De necessitate sacramenti ordinis et eius institutione.

⟨De sacramento ordinis⟩[c] illud ante omnia sancta synodus docet, ⟨ordinem[v] adeo 418ᵛ necessarium in christiana religione esse, ut institui debuisse non divina tantum revelatione cognoscamus, sed⟩[w] ex ipsa etiam[c] propemodum natura hauriamus[x]. Nam si naturae ⟨lumine, qui⟩[y] religionem aliquam coluerunt, hanc imbuisse persuasionem videntur, ut nephas ducerent sacras actiones ab aliis tractari quam ab iis, qui illis obeundis peculiari aliquo ritu essent dicati[z], quomodo nos existimabimus[aa] Christum Dominum, summam Dei sapientiam, nullum in ecclesia ⟨sua ordinis⟩[bb] sacramentum reliquisse, quo initiarentur et a reliquo populo separarentur, qui sacris in ea mysteriis essent praeficiendi, ⟨praesertim cum sint multa ex illis tam sublimia, ut ad ea exercenda idoneus nemo esse possit, qui divinam ⌜aliquam prae caeteris⌝[cc] et supernaturalem potestatem non acceperit? Necessum igitur haud dubie fuit sacramentum ordinis[dd] in ecclesia christiana existere, in quo sub certis signis ac ritibus, qui ad diversos ordines pro varia ipsorum ratione essent accommodati⟩[ee], ⟨potestas et⟩[ff] gratia conferretur[gg] eiusmodi sacra munera rite et inculpate exequendi. ⟨Itaque Dominum, qui⟩[hh] porrecto sancto pane et ⟨calicis

[a] *C 18* Quarum [b] *C 18 add.* non primum [c] *C 18 om.* [d] *C 18* veterum
[e] *C 18 add.* et [f] *C 18 et C 146 add.* ex quibus constat; *in C 146 postea del.*
[g] *C 18* crebro missae fierent, raro tamen fideles in illis communicasse [h] *C 18* etiam
[i] *In C 146 corr. ex* commemorationem
[k] *C 18* in honorem quorundam sanctorum; *in C 146 corr. ex* in honorem etiam quorundam sanctorum [l] *C 18* deputantur; *in C 146 corr.* [m] *C 18* commemorationem
[n] *C 18* quae cum
[o] *C 18* cedat, nobis tamen utilis ab ecclesia Dei semper existimata est.
[p] *C 18* quae ante multa saecula extincta in ecclesia fuit [q] *C 18* quoniam
[r] *C 18* creditur [s] *C 18* cum [t] *C 18* significat [u] *C 18* repraesentat
[v] *In C 146 corr. ex aliis verbis, quae legi non possunt.*
[w] *C 18* sacramentum ordinis adeo esse in christiana religione necessarium, ut non sola revelatione sed etiam
[x] *In C 146 primo legebatur* hauriamus; *postea est corr. in alia verba, quae legi non possunt; postremo restitutum est* hauriamus; *C 18 add.* ipsum institui omnino oportuisse
[y] *C 18* instinctu acti quicumque unquam; *in C 146 legi nequit, quod antea fuit scriptum; postea est corr.* [z] *C 18* consecrati [aa] *C 18* existimare poterimus
[bb] *C 18 om.; in C 146* ordinis *add. in marg.* [cc] *In C 146 corr. pro* quandam
[dd] *C 146* ordinationis
[ee] *C 18* ad quae cum idoneus per se nemo esse possit, necessum fuit haud dubie sacramentum ordinationis in christiana ecclesia existere, in quo sub sensibili impositionis manuum signo et aliis ritibus huic sacramento convenientibus
[ff] *C 18 om.; in C 146 add. supra lineam* [gg] *C 18 add.* cum potestate; *in C 146 del.*
[hh] *C 18* Quamobrem Dominus, qui sanctissimis apostolis in coena conficiendae atque offerendae Eucharistiae

[1] Cf. *I. A. Jungmann,* Missarum Sollemnia II³ (Freiburg 1952) 48 sqq.

benedictione suis apostolis dixit⟩[a]: *Hoc facite in meam commemorationem*[1], ⟨insufflasse[b] etiam in illos et[c] dixisse legimus: *Accipite Spiritum Sanctum*; *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*[2], atque ita potestatem illis super[d] utrunque suum corpus et verum et mysticum contulisse. Scriptura quoque memorat apostolos post Domini in coelum ascensionem ⌜misso iam Spiritu Sancto⌝[e]⟩[f] ieiunantes et orantes Paulo et Barnabae manus imposuisse[3] ⟨atque ipsos quidem Paulum et Barnabam⟩[g] 419r in ⟨ordinandis et⟩[h] constituendis per civitates[i] presbyteris | eundem[k] ritum ⟨esse sequutos⟩[l4]. ⟨Quo ritu certum est magnam virtutem et gratiam iis, qui ordinabantur, fuisse collatam. Quare merito ab eodem apostolo videmus quasdam vitae sanctioris leges ministris illis, qui ordinati essent, fuisse praescriptas[5]. Nam et diaconos[m] iubet ⌜esse *pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum*[n] sectari, denique habere[o] *mysterium fidei in conscientia pura*⌝[p6]. Ideo autem sacramentum hoc nomen accepit ab ordine,⟩[q] quod variae ecclesiae functiones per gradus distinctae distinctos[r] ministros, ⟨a quibus exerceantur⟩[h], postulent, ⟨qui certum quendam ordinem inter se servent⟩[h]. Nam[s] si in veteri testamento[t] plures ministrorum gradus ad varia templi[u] munera[v] constituti[w] fuerunt, ⟨non minus profecto oportuit diversos etiam ordines esse in hoc sacramento, quod pro nova lege Christus instituit. Quod ipsum ideo unum recte⟩[x] est appellatum, quia[y] omnes eius gradus[z] ad[aa] sacrosanctae Eucharistiae confectionem atque administrationem tanquam ad unum finem referuntur[bb].

Docet[cc] praeterea sancta haec[h] synodus ex veterum patrum traditione, commune esse huic sacramento cum baptismo et confirmatione ⟨caracterem indelebilem[n] imprimere⟩[dd].

[a] *C 18* benedictionis calice tradidit potestatem dicens
[b] *In C 146 corr. pro* insufflavisse [c] *In C 146 add. supra lineam*
[d] *In C 146 corr. pro* supra [e] *In C 146 add. in margine*
[f] *C 18* idem post resurrectionem non sine insufflationis caeremonia remittendi simul et retinendi peccata facultatem contulit et Spiritum Sanctum, per quem habiliores ad tam divinum opus peragendum efficerentur, illis impertitus est, nimirum ut intelligamus, in omnibus legitimis ordinationibus indubitato idem contingere, quod ad sacramenti ipsius efficaciam attinet. Deinde post Domini in coelum assumptionem apostolos, qui hausto plenissimo Spiritu Sancto nihil de humana sapientia excogitabant, legimus ex omni multitudine credentium 7 diaconos elegisse eisque orantes manus imposuisse, non utique, ut solis viduarum communibus mensis praeessent, sed ut ministerium potius ecclesiasticum et [*add. in marg. alia manu*] spirituale exequerentur, praesertim vero munus calicem [*corr. pro* alium] Domini fidelibus dispensandi. Unde Paulus adhortatur diaconos, ut ministerium fidei in conscientia pura habeant. Scriptura etenim testatur prophetas ac doctores Antiochiae ministrantes
[g] *C 18* et [*add. in marg. alia manu*] ipsos iam ordinatos
[h] *C 18 om.* [i] *C 18 add.* Iconii, Lystrae et Anthiochiae
[k] *C 18 add.* consecrationis
[l] *In C 146 corr. ex* assequutos; *C 18 add.* et id etiam Paulum Tito, ut Cretae faceret, praescripsisse.
[m] *In C 146 hoc loco del.* ille [n] *In C 146 hoc loco del. duo verba, quae legi nequeunt*
[o] *In C 146 corr. ex* habere denique
[p] *In C 146 corr. pro* praeter alia multa unius uxoris esse viros et fidei mysterium in conscientia pura habere; videntibus itaque scripturae testimoniis demonstratur ordinationem iure optimo inter ecclesiae sacramenta enumerari, quod sit nimirum invisibilis gratiae visibilis forma.
[q] *C 18* Iam vero ad hanc manuum impositionem tanquam ad efficax signum Deum per eximiam quandam et excellentem gratiam suam assistere perspicuis et disertis verbis testatur ad Timoth. apostolus dicens: ,,Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii''[7]. Evidenter itaque scriptura nos docet, ordinem inter ecclesiastica sacramenta iure optimo anumerari, quod sit nimirum efficax sacrae rei signum et invisibilis gratiae visibilis forma. Accepit autem sacramentum hoc nomen ab ordine,
[r] *C 18* multos diversae potestatis [s] *C 18* Quod
[t] *C 18 add.* quod novi umbra quaedam erat [u] *C 18 add.* et divini cultus
[v] *In C 146 hoc loco del. unum verbum, quod legere nequeo.* [w] *C 18* a Domino ordinati
[x] *C 18* dubitari non debet, quin graduum omnium novi testamenti et sacramenti, per quod gradus ipsi conferuntur, Christus Dominus author atque institutor fuit, unum autem idcirco iure
[y] *C 18* quod [z] *C 18 add.* tam minores quam sacri
[aa] *C 18 add.* legitimam et honorificam; *in C 146 hoc loco del.* legitimam et decentem
[bb] *C 18* referantur et quod per eos ad unum supremum ordinem, quo etiam quisque pro sua ratione participat, gradatim conscendatur, ut merito ab eius summi unitate unum quid sint et uno ordinis sacramento conferantur
[cc] *C 18* Statuit
[dd] *C 18* quod caracterem imprimat indelebilem et; *in C 146 post* indelebilem *del.* in animis suscipientium

[1] *Luc.* 22, 19.
[2] *Io.* 20, 22 sq.
[3] Cf. *Act.* 13, 2 sq.
[4] Cf. *Act.* 14, 22; *1 Tim.* 4, 14; *2 Tim.* 1, 6.
[5] Cf. *1 Tim.* 3, 1—13; *Tit.* 1, 7 sqq.
[6] *1 Tim.* 3, 8 sq. [7] *1 Tim.* 4, 14.

Proinde minime licere semel ordinatos[a], etiamsi in haeresim incidant[b] aut a gradibus suis deiiciantur[c], denuo ad eosdem ordines promoveri. ⟨Si enim in veteri lege praecipiebatur, ut⟩[d] quicquid Domino semel consecraretur, *sanctum sanctorum* illi foret[1], multo[e] erit observandum hoc[f] magis in ministris evangelii, qui peculiari consecratione et longe[g] excellentiori, quam quae unquam in veteri lege extiterit[h], per hoc ⟨ordinis sacramentum⟩[i] Deo dedicantur. ⟨Et certe, cum per id quaedam sacerdotii Christi participatio fidelibus impertiatur, necessum est, si Christi sacerdotium sit aeternum, ut re vera est, omnem etiam consecrationem[k], quae per illud fit, ⌜re consecrata in auctoritate⌝[l] esse perpe|tuam[m]. Constat autem 419v immortales animas hominum esse, qui hoc sacramento consecrantur. Quare synodus haec sancta⟩[n] execrandum esse tanquam impium et sacrilegum eorum errorem[o] declarat, qui affirmant[p], sacerdotes novi testamenti temporariam et ⟨mobilem potestatem per populi vocationem⟩[q] ⟨accipere eaque eiusdem populi voluntate eis detracta rursus ipsos laycos effici. Illos quoque in crasso et gravissimo errore versari ait, qui sacramentum ordinis contendunt ecclesiae catholicae ignotum olim fuisse et figmentum esse ab hominibus excogitatum, quoniam perspicuum factum est, sanctam ipsam Dei ecclesiam non nisi per consecratos hoc sacramento ministros genitam, auctam et propagatam esse, neque sine illo conservari in hunc usque diem et perduci potuisse. Nam ut corpus sine anima et mundus hic visibilis absque sole consistere nequit, sic utique nec christiana ecclesia absque sacerdotio stare potest.⟩[r]

Cap. 2. De visibili et externo ecclesiae sacerdotio.

Quia multi hac nostra tempestate ignorantes scripturas et virtutem Dei externum et visibile sacerdotium cum interno et spirituali (quod omnibus fidelibus unctionem Spiritus et gratiam Christi participantibus commune est) confundunt, propterea nunc sancta synodus adversus eorum sacrilegum[s] et execrandum errorem declarat, ut[t] in ecclesia Dei sacrificium externum est, ita visibile et externum esse sacerdotium, hoc est[u] peculiarem illam sacrae Eucharistiae conficiendae, offerendae atque aliis dispensandae ⟨necnon remittendi et retinendi peccata facultatem⟩[v]. Atque ita sane oportuit, ut, qui in ecclesia, quae *supra montem posita abscondi non potest*[2], excelsiorem et nobiliorem locum acceperunt et aliorum necessitatibus subvenire ex officio debent, noti et conspicui redderentur, | praesertim illi, a quibus populus et doctrinam et sacramen- 420r torum dispensationem expectare et petere debet[w]. Quare Dominus in creandis sacerdotibus plures sensibiles ceremonias orationis[x], impositionis[y] manuum et unctionis[z] adhibere ⟨per ecclesiam⟩[aa] voluit, ut sensibiles et nota consecrationis compraehensibiles esse agnoscamus. Qui autem unctionis huiusmodi ritum tanquam ceremoniam iudaicam insectantur[bb] et illum ut inutilem et contemnendum esse perniciose docent, primum quidem Dei ecclesiam gravi contumelia afficiunt, quae tam multis saeculis hanc unctionem

[a] *C 18* ordinatum [b] *C 18* incidat [c] *C 18* deiiciatur
[d] *C 18* Nam si in veteri testamento Dei fiebat, quod
[e] *C 18* sive esset illud homo sive animal, quanto
[f] *C 18* illud; *in marg. alia manu est corr. in* hoc [g] *C 18* multo
[h] *C 18* extitit, *quod in C 146 est corr.* [i] *C 18* sacramentum ordinis
[k] *In C 146 corr. ex* sanctificationem [l] *In C 146 add. in margine*
[m] *In C 146 hoc loco sunt del. aliqua verba, quae legi nequeunt.*
[n] *C 18* Tamen, *quod in marg. est corr. in* unde [o] *C 18 add.* sancta synodus
[p] *C 18 om.*
[q] *Scriba copiae in C 18 hic lacunam reliquit, quae alia manu vel potius duabus aliis manibus expleta est ut supra.*
[r] *C 18* collatam habere asserunt atque illa sublata rursus eos laycos effici posse. Ex dictis igitur perspicuum evadit, extremae esse dementiae ordinis [*add. in marg. ipsius Nauseae manu*] sacramentum ecclesiae catholicae ignotum atque adeo figmentum humanum asserere, cum non nisi per sacros et [*add. supra lineam*] ordinatos viros, verbi et sacramentorum legitimos dispensatores, sancta Dei ecclesia genita sit [*quae duo verba in lacuna a scriba copiae relicta alia manu addita sunt*], aucta et propagata et in hunc usque [*quattuor ultima verba supra lineam scripta sunt ab ipso Nausea, qui del.* et nunc usque] diem conservata atque perducta, nec aliter sane illa absque sacerdotio quam corpus sine anima aut hic mundus sine sole consistere possit.
[s] *In C 18 add. manu Nauseae in lacuna a scriba copiae relicta.* [t] *C 18* quod
[u] *In C 18 add. supra lineam* [v] *In C 146 corr. pro* potestatem
[w] *In C 18 corr. ex* debent [x] *C 18* orationes [y] *C 18* impositiones
[z] *C 18* unctiones [aa] *C 18 om.; in C 146 add. supra lineam* [bb] *In C 18 hic del.* ut

[1] *Lev.* 27, 28. [2] *Matth.* 5, 14.

religiose servavit, imo in ipsum Deum blasphemi sunt, cuius Spiritu ea[a] eruditur ac regitur. Deinde parum attendisse videntur ⟨unctionis ritum⟩[b] utilissimam habere significationem. Aptissime enim[c] unctionem eam spiritalem repraesentat, quam sacerdotes per ordinationem a Christo Domino trahentes participes quodammodo fiunt regni, prophetiae et sacerdotii eius, quatenus ad regendos ⟨et docendos⟩[d] populos atque ad offerenda pro eis sacrificia idonei redduntur, atque ita quidem divinum Christi unguentum per ipsos sacerdotes quasi *per barbam Aaron* in reliquos fideles tanquam *in oram vestimenti descendit*[e][1]. Neque movere debet, quod Christus immortalis sit sacerdos *ad interpellandum pro nobis semper vivens*[2]. Ut enim ipse rex immortalis, unus ac supremus mundi iudex, unicus et solus magister, nec tamen aut reges aut iudices aut externos doctores tollit, ita nec sacerdotes, qui Dei ministri[3], praesbyteri[4] et *dispensatores mysteriorum*[f] *Dei*[3] in novo testamento appellantur, eum[g] abrogare cogitandum est. Certe si Dominus ipse, cum adhuc in terris ageret, apostolos baptizare, morbos curare atque alia huiusmodi officia suo nomine gerere voluit[5], dubitandum non est, quin[h] ille in coelis 420v residens et summus ac aeternus noster sacerdos[i] existens velit etiam | a sacerdotibus christianis, quos ministros suos et[k] mysteriorum dispensatores esse iussit, hostiam[l] sui preciosi corporis et sanguinis sanctissimae Trinitati suo nomine quotidie offerri.

Porro omnes baptismo initiatos sacerdotes constituere illisque parem potestatem in Eucharistia conficienda et peccatis remittendis tribuere, quid aliud est quam sacris litteris, quae quosdam selectos et a populo distinctos ad sacrum ministerium promovendos aut promotos esse docent, manifeste contradicere? Vileque Christi[m] sacerdotium non paucis ut olim, sed omnibus indifferenter et promiscue concessum reddere? Nec nisi frustra in multis, qui illud per se nunquam exercere possent[n], constituere maximamque per hanc aequalitatem in ecclesia confusionem inducere? Quae profecto cum *spiritum, qui ex Deo est,* acceperit, ut agnoscat, *quae* sibi *a Deo donata sunt*[6], hanc dignitatem omnibus filiis suis per Christum esse communicatam nunquam intellexit. Agnoscit vero omnibus Christianis, qui fidem per dilectionem operantem acceperunt ac retinent, sacerdotium et[o] regnum spirituale ac ius *spiritales* ⟨et viventes⟩[g] *hostias* offerendi *acceptabiles Deo*[p] *per Iesum Christum*[7] competere, ut iure ac merito a principe apostolorum *sacerdotium regale* et a dilecto discipulo reges et[o] sacerdotes nuncupentur[q][8]. ⟨Summo vero in errore illi versantur, qui sacerdotibus evangelicae legis nullam permittunt oblationem, sed ita eos ad unicum concionandi officium adstringunt, ut negent sacerdotes eos esse, qui evangelium populo non annunciant. At longe aliter apostolus Paulus nos docet, qui munus sacerdotii in offerendis donis et sacrificiis pro suis et populi peccatis praecipue constituit nulla praedicationis mentione facta[9]. Quare non omnes sacerdotes⟩[r] praedicatione uti solitos esse etiam in illa primitiva ecclesia, cum tanta erat ministrorum 421r penuria, | ex alio eiusdem apostoli loco colligi posse videtur. Nam cum ille Timotheo scribens praesbyteros, *qui bene praesunt, duplici honore* dignos esse docuisset, addidit: *Maxime qui laborant in verbo et doctrina*[10], insinuans utique hac sermonis restrictione non omnes praesbyteros, qui bene praesunt, praedicationi verbi incumbere, cuius facultatem ad ordinem praesbyteratus per se non spectare argumento nobis sunt apostoli Domini, qui prius hanc praedicandi potestatem acceperunt, quam sacerdotes ab eo fuissent creati. Et certe cum constet[s] varia esse dona Dei multosque sacerdotes inveniri, qui[p], etsi donum

[a] *In C 18 add. manu Nauseae*
[b] *C 18 et C 146* ad Christi et Christianas [*C 146* Christiani] voces, quum [*in C 18 corr. manu Nauseae ex* vocum; *C 146* quarum] significatio admonere eos poterat, etsi usitata Iudaeis unctio in initiandis sacerdotibus fuerit, in lege nihilominus evangelica propter Christi honorem retinenda [!] esse [*C 146* esse retinendam] et; *in C 146 postea est corr., ut supra.*
[c] *C 18 et C 146 add.* illa; *in C 146 postea del.*
[d] *In C 18 in marg. add.*
[e] *C 18 om.* [f] *C 118 falso* ministeriorum [g] *C 18 om.*; *in C 146 add. supra lineam*
[h] *C 18 et C 146 add.* nunc [i] *C 18 add.* Christus [k] *C 18 add.* suorum
[l] *In C 18 corr. ex* postea [m] *In C 18 corr. pro alio verbo, quod legi nequit*
[n] *C 18* possunt [o] *C 18* ac
[p] *In C 146 add. supra lineam* [q] *In C 18 corr. in* nuncuparentur
[r] *In C 146 add. in margine* [s] *In C 146 corr. ex* constat

[1] *Ps.* 132, 2. [2] *Hebr.* 7, 25.
[3] *1 Cor.* 4, 1. [4] Ex. gr. *1 Tim.* 5, 17.
[5] Cf. *Matth.* 10, 8; *Marc.* 3, 14 sq.; 6, 7; *Luc.* 9, 1 sq.
[6] *1 Cor.* 2, 12. [7] *1 Petr.* 2, 5.
[8] *1 Petr.* 2, 9; *Apoc.* 1, 6; 5, 10.
[9] *Hebr.* 5, 1—3; 8, 3.
[10] *1 Tim.* 5, 17.

verbi assecuti ⟨non sint⟩[a], in solicitudine[b] tamen sanctissime praesunt, alios, qui impulsi[c] a Domini spiritu ab hominum consuetudine se[c] abducunt et secretioris vitae[d] rationem eligunt, in qua, etsi aliis verbum Domini non praedicent, puritatem[e] tamen mentis et corporis tueri, contemplationi[f] vacare, sacrificia et orationes offerre commodissime quotidie possunt, absurdissimum profecto esset, hos a sacerdotum numero excludere, quod munus concionandi non obeant.

Sed hoc cum docet[c] sancta synodus, negare non intendi[t] praedicandi ministerium ad episcopos et alios sacerdotes, qui ecclesiis[g] ut pastores praeficiuntur, maxime pertinere. Novit enim apostolum docuisse, episcopum talem doctorem[h] esse oportere, *ut potens sit in doctrina sana exhortari et eos, qui contradicunt, arguere*[1]. Novit ab episcopis et aliis pastoribus legem Domini ut olim a sacerdotibus requirendam iuxta Malachiae sententiam[2]. Verum nunc hoc solum statuit, hanc praedicandi facultatem non ordinis sed iurisdictionis esse, posseque illam et ordinatis detrahi et non ordinatis ab episcopo conferri. Proinde vanissimum esse commentum eorum, qui in ea universam vim sacerdotii constituunt. |

Cap. 3. De ecclesiastica hierarchia et episcopi ac praesbyteri differentia.

Cum in hoc visibili mundo nihil sit, quod authoris eius sapientiam[i] aeque ⟨commen- 421v
det, nihil⟩[k], quod contemplantium omnium oculos ita moveat et delectet, nihil denique, quod ipsius statum magis stabilem et firmum reddat, quam ordo tot dissimilium[l] et diversarum rerum, quae tam aptis[m] et accommodatis[n] locis in eo collocatae sunt, ut supremae, mediae atque infimae consentire inter se et maximam convenientiam habere videantur, cum praeclaram etiam hanc et eximiam ordinis pulchritudinem idem author naturae Deus in angelicis spiritibus posuerit, quos dispares donis et distinctos naturae perfectione[o] creavit, vehementer profecto in Christi sapientiam contumeliosi sunt, qui omnem ex eius ecclesia hierarchiam tollentes ac[p] summam eorum omnium confusionem inducentes nullos in ea asserunt varios et distinctos personarum ordines esse, nullos in ministeriis gradus, nullam superiorum et inferiorum (quantum quidem ad spiritalem et ecclesiasticam potestatem attinet) diversitatem. Sed blasphemum hunc errorem abunde apostolus confutat apertissime aliquot in locis indicans, hierarchicum ordinem et ecclesiasticorum officiorum discrimen divinitus institutum esse. In epistula enim ad Ephesios de Christo Domino loquens: *Et ipse dedit* (inquit) *quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem*[q] *sanctorum in opus ministerii, in aedificationem ⟨corporis Christi⟩*[r][3]. Ad Corinthios autem scribens, postquam eandem officiorum diversitatem commemoravit[s], dilucide demonstrat, non omnibus omnia ministeria in ecclesia esse permissa, subdens: *Nunquid omnes apostoli? Nunquid*[t] *omnes* prophetae?[4] Sancta autem synodus tollere volens omnem perturbationem ⟨ex distincto⟩[u] et pulcherrimo visibilis ecclesiae ordine,
hoc primum[v] declarat, | dubitari[w] a[x] Christianis nequaquam[y] debere, tam visendam 422r
et insignem formam illius hierarchiae esse, quam Christus Dominus in sua ecclesia constituit, et tam aptam omnium partium eius compositionem, ut nulla ullius humanae politiae species ne excogitari quidem pulchrior et convenientior possit. Hanc etenim *novam Hierusalem de coelo descendentem*[5] merito appellari[z] posse, quod per antiquae Hierusalem, id est veteris ecclesiae, ordinatissimam politiam adumbrata ad coelestis Hierusalem formam et exemplar exacta fuerit. Nam ut illa sub uno supremo rectore varios et diversos ministrantium continet ordines, ita visibilis Christi ecclesia summum[aa] ipsius vicarium pro unico et supremo capite in terris habet, cuius ⟨dispensatione[bb] sic

[a] *C 18* nuncient[!] [b] *In C 18 corr. ex* solitudine [c] *In C 146 add. supra lineam*
[d] *C 18* fidei [e] *C 18* voluntatem [f] *C 18* contemplatione
[g] *C 18* ecclesiae [h] *In C 18 corr. pro* doctum
[i] *C 18* sapientia [k] *C 18* commendat nihilque [l] *C 18* similium [m] *C 118* actis
[n] *C 18* commendatis [o] *In C 18 corr. ex* profectione [p] *C 18* ad
[q] *C 18 et C 146* confirmationem; *in C 146 postea est corr.* [r] *C 18* Christi corporis
[s] *C 18 et C 146* enumeravit [t] *C 18* inquit [u] *In C 18 corr. ex* et instinctu[!]
[v] *C 18 om.* [w] *C 18* dubitare [x] *In C 18 add. supra lineam*
[y] *In C 18 hic del.* autem [z] *C 18* appellare [aa] *C 18* suum
[bb] *In C 18 corr. ex* dispensationem

[1] *Tit.* 1, 9. [2] *Mal.* 2, 7.
[3] *Eph.* 4, 11 sq.
[4] *1 Cor.* 12, 28 sq.
[5] *Apoc.* 21, 2.

reliquis omnibus membris officia ⌜ecclesiasticae hierarchiae⌝[a] distribuuntur, ut suis quaeque in ordinibus et stationibus collocata munera sua in totius ecclesiae utilitatem cum maxima pace et unione exequantur[b]⟩[c]. In qua unione quamdiu ipsa per supremum unicum[d] pastorem ac ducem tanquam *castrorum acies ordinata*[1] continebitur, adeo erit fortis ac terribilis, ut ne portae quidem inferi adversus eam possint praevalere[2].

Docet deinde sancta synodus illos non esse audiendos, qui dicunt[e] episcopos iure divino constitutos non esse, cum ex evangelicis litteris manifeste constet, Christum Dominum[f] apostolos, in quorum loco[g] episcopi subrogati sunt, per seipsum evocasse eosque ad apostolatus gradum promovisse. Nec illud in cogitationem nostram venire debet, quod hic tam necessarius[h] et eminens gradus in ecclesiam humana[i] institutione introductus fuerit, quod esset divinam providentiam tanquam in nobilioribus deficientem suggillare. |
422ᵛ Pacem quoque ecclesiae ⟨summopere perturbant⟩[k], qui nihil inter episcopos et praesbyteros interesse arbitrantur, existimantes eadem omnino munera iure divino illis esse permissa. Quorum ⟨error explosus iam pridem et damnatus est in ecclesia. Etsi enim nomina episcopi et praesbyteri nonnunquam apud apostolum indifferenter accipiantur, semper tamen eminentes quasdam functiones non ad praesbyteros, sed ad solos episcopos spectasse, in quibus omnes ordines sunt et sacerdotii plenitudo⟩[l]. Ad solos enim episcopos administrationem sacramenti ordinis et confirmationis, consecrationem sancti chrismatis et olei, altarium item et ecclesiarum benedictionem semper pertinuisse, nunquam ad simplices sacerdotes, quorum irritus et ⟨vanus conatus⟩[m] esset, si[n] haec munera obeunda aggrederentur. Quod si absque contradictione qui ⟨minor est a maiori benedicitur⟩[o], sacerdos autem benedictionem consecrationis ab episcopo accipit, non autem e converso, colligitur haud obscure praesbyterum divino iure episcopo esse inferiorem. Atque hoc quidem discrimen insinuatum nobis in veteri testamento fuit, in quo Dominus Aaronem in summum sacerdotem quasi in episcopum consecravit, filios autem eius per ipsum variis ceremoniis adhibitis, diversis functionibus[p] tanquam minores sacerdotes vel inferiores alios clericos dedicavit[3]. Verum illud postea redemptor noster expressit et manifestavit, dum multis documentis ostendit, se non eodem numero[q] et loco septuaginta duos discipulos ac duodecim apostolos habuisse, sed hos, quos episcopi referunt, officio et dignitate illis praetulisse, quorum partes simplices sacerdotes in consilium et adiutorium episcoporum electi
423ʳ nunc | sustinent. Quid enim est praesbyterium (ut gloriosus martyr Ignatius scripsit) nisi institutio sancta consiliarii[r] episcopi[4]?

Postremo insigniter desipiunt[s] et Dei regulas confundunt, qui eligendi episcopos et reliquos ecclesiae ministros potestatem ad magistratus saeculares suffragante populi

[a] *C 18 om.; in C 146 add. supra lineam* [b] *C 18 om.*

[c] *In C 146 primum legebatur ut supra; postea in margine est corr. in sequentem formam*: universali [*quod iterum est del.*] solicitudine et auctoritate, quam in universam [*quod add. est postea supra lineam*] ecclesiam ut Christi vicarius summam obtinet, omnes ordines [*hoc loco del.* in officio retinentur] distribuuntur [*quod est corr. ex* dispensantur] et intra suorum munerum fines continentur. *Qua solicitudine et cura hoc caput de eccles. hierarchia elaboratum est, vides ex eo, quod in tomo Conc. 78 fol. 65ʳ prostat folium, in quo Massarellus hanc partem doctrinae, quae incipit* Sancta autem synodus tollere volens *et quae explicit* adversus eam possint praevalere, *separatim scripsit; quo in folio unus patrum sequentem formam huius loci proposuit:* solicitudine et auctoritate, quam in universa ecclesia ut Christi vicarius summam obtinet, omnes ordines distribuuntur et dispensantur ac intra suorum munerum fines continentur; *in tomo Conc. 146 postremo omnia, quae in margine erant in novam formam redacta, cancellata sunt et prima textus forma restituta est.*

[d] *C 18 et C 146* unum [e] *C 18 et C 146* docent; *in C 146 est corr.*

[f] *C 18 om. et add.* in [g] *C 18* locum [h] *In C 18 corr. ex* necessarium

[i] *In C 18 add. alia manu in lacuna a scriba copiae relicta*

[k] *C 18* perturbare summopere

[l] *C 18 et C 146* errorem explosum iam pridem et damnatum in ecclesia de [*C 18* et] integro nunc sancta synodus condemnat, declarat autem, etsi nomina presbyteri et episcopi nonnunquam in primitiva ecclesia temporibus praesertim apostolorum confunderentur, quod pauci tunc sacerdotes fuerint [*C 146* fierent], qui non statim in episcopos eligerentur [*C 146 add.* et consecrarentur], functiones tamen episcopatus et sacerdotii distinctas semper et dissimiles extitisse; *in C 146 postea est corr.* [m] *C 18* conatus vanus [n] *C 18 et C 146 add.* ad; *in C 146 postea del.*

[o] *In C 18 corr. ex* maior minorem ac maiorem benedicit

[p] *C 18* actionibus [q] *C 18* munere [r] *C 18* conciliaris [s] *C 18* decipiunt

[1] *Cant.* 6, 9. [2] Cf. *Matth.* 16, 18.

[3] *Lev.* 28 et 29; *Num.* 8.

[4] *Ignatius Ant.*, Ep. ad Trallianos c. 3, 1: „Cuncti similiter revereantur diacones ut Iesum Christum, sicut et episcopum, qui est typus Patris, presbyteros autem ut senatum Dei et concilium apostolorum". *F. X. Funk*, Patres apostolici I² (Tubingae 1901) 244; *Migne*, P. gr. V 677.

voluntate transferunt, quasi illis haec auctoritas divino iure competat. Nam quod ad consecrationem et ordinationem attinet, perspicuum ex scripturis et ipsa constanti traditione evadit, illam ad solos apostolos et episcopos rite ordinatos, qui praesbyteros per civitates constituisse leguntur, spectasse. Tam ratas profecto ac[a] validas esse huiusmodi[b] legitime factas ordinationes, illud evidenti argumento est, quod ⟨pastores et praesbyteri⟩[c], qui per eos manus impositionem et[d] promotionem acceperunt, episcopi a Spiritu Sancto constituti appellantur. Unde Paulus ad Ephesinae ecclesiae praesbyteros congregatos: *Attendite* ⟨(inquit) *vobis et universo gregi, in quo vos posuit Spiritus Sanctus episcopos regere ecclesiam Dei*[1].

Quid vero⟩[e] ad vocationem et nominationem ecclesiae ministrorum attinet, non est illa divino iure magistratuum aut laycorum quorumcunque, quos eligendi auctoritate multis in conciliis privatos invenimus, cum haec divina potestas ad eos potius divina institutione spectare videatur, quorum est ecclesiam Dei regere ac pascere, nempe episcopos, eminenter vero ad Petrum eiusque successores, cui universae ecclesiae cura est a Domino demandata. Non est tamen negandum, olim[f] in creatione pastorum plebem convocari solitam, tum[a], ut omnes fidei et moribus eorum, qui essent promovendi, testimonium suis suffragiis impertirentur, tum[g], ut ei, ⟨in | cuius⟩[f] electione acquiescerent, libentius ⟨et reverentius⟩[e] 423v
obsequerentur. Verum haec non ostendunt[h] authoritatem nominandi pastores ad regendas ecclesias ipsis laicis a Domino communicatam fuisse.

Haec sunt, quae de sacrosancto missae[i] sacrificio atque ordinis sacramento sancta synodus tenenda proponit, in caeteris, quae praedictis addenda necessario forte videbantur, ad orthodoxorum patrum scripta[k], qui his de rebus fusius disseruerunt, pium et fidelem lectorem transmittens. Contra vero universalis ecclesiae dogmata perperam sentientes et docentes more suo iuxta hos, qui deinde sequuntur, canones[2] perpetuo anathematizat et damnat.

[a] *C 18 om.* [b] *C 18* eiusmodi [c] *C 18* presbyteri et [*add. supra lineam*] pastores
[d] *C 18* ac
[e] *C 18 om.; manu Nauseae est add. in margine* [f] *In C 18 add. in margine*
[g] *C 18* dum [h] *C 18 et C 146* convincunt; *in C 146 postea est corr.*
[i] *In C 18 add. supra lineam manu Nauseae* [k] *C 18* descripta

[1] *Act.* 20, 28. [2] Quos vide supra p. 460 s.

SESSIO QUINTA

sacri oecumenici concilii Tridentini

sub Iulio III pont. max.

anno 1552.

[Sessio XV.]

[1]In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, indictione decima, sedente in beati Petri apostolorum principis cathedra S^{mo} et Beat^{mo} in Christo patre et domino nostro, Domino Iulio III pontifice opt. max., pontificatus eius anno secundo, die vero lunae **25.** mensis **Ianuarii,** qua fuit festum conversionis divi Pauli apostoli, Tridenti in ecclesia cathedrali sub invocatione beati Vigilii, in loco consueto ad sessiones habendas specialiter deputato celebrata fuit quinta publica sessio sacrosancti, oecumenici et generalis concilii Tridentini sub eodem S^{mo} D. N. **Iulio III,** praesidentibus in eo Rev^{mis} et Illmo dominis et patribus, Dominis Marcello tituli S. Marcelli, S. R. E. praesbitero cardinali, de Crescentiis nuncupato, ac Sebastiano Pighino, archiepiscopo Sipontino, et Aloysio Lippomano, episcopo Veronensi, eiusdem S^{mi} D. N. papae et sanctae sedis apostolicae de latere legato et nunciis. Quibus quidem convenientibus mane hora 15. una cum praelatis, oratoribus et aliis infrascriptis in dicta ecclesia cathedrali et loco praedicto, in primis R. D. episcopus Cathaniensis decantavit missam solemnem de Spiritu Sancto. Qua absoluta publicata fuit indulgentia consueta. Deinde R. D. episcopus Maioricensis habuit ornatissimam orationem. Conc. 123 204r

Postea tam R^{mus} et Ill^{mus} D. legatus quam praesidentes, electores ac alii praelati omnes acceperunt pluvialia et mitras et alia paramenta consueta, decantantibus cantoribus psalmum 83[2]: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine.* Paramentis autem acceptis quisque resedit in loco suo iuxta ordinem superius alias adnotatum[2]. Et R^{mus} et Ill^{mus} D. legatus resedit ante altare in faldistorio versa facie ad sanctam synodum et solitas orationes legit ac ceremonias consuetas peregit. Decantatis a cantoribus la[e]taniis et benedicta per ipsum R^{mum} et Ill^{mum} D. legatum synodo ac decantato per diaconum evangelio Io. 15 [17]: *Haec mando vobis, ut diligatis invicem* ac etiam decantato hymno: *Veni, creator Spiritus* et aliis orationibus in publicis sessionibus recitari solitis, necnon R^{dis} DD. secundo et tertio praesidentibus una cum ipso R^{mo} et Illmo D. legato ante altare in suis faldistoriis consedentibus, R. D. episcopus **Cathaniensis** accedens ad ipsum altare accepit e manibus praefati R^{mi} et Ill^{mi} D. legati decreta, quae in ipsa sessione publicanda erant, ascendensque ambonem primo legit decretum prorogationis publicationis articulorum seu canonum. Quod est tenoris infrascripti, videlicet:

Decretum prorogationis publicationis[a] canonum[b] in quinta sessione ⟨Tridentina sub Iulio III pont. max.⟩[c3]

Cum ex eo, quod ⟨proximis sessionibus⟩[d] decretum fuit, sancta haec et universalis synodus[e] per hos dies accuratissime diligentissimeque tractaverit ea, quae ad sanctissimum missae sacrificium | et ad sacramentum ordinis spectant, ut hodierna sessione, quemadmodum Spiritus Sanctus suggessisset, decreta de his rebus et quatuor praeterea articulos ad sanctissimum Eucharistiae sacramentum pertinentes ⟨in hac tandem sessione 204v

[a] *C 119 add.* articulorum sive [b] *C 146* decretorum
[c] *C 146* habita 25. Ianuarii 1552 sub Iulio III; *C 119 add.* celebrata 25. Ian. 1552
[d] *In C 146 corr. ex* proxima sessione
[e] *In C 146 hic del.* in Spiritu Sancto legitime congregata

[1] Acta huius sessionis sumpsimus e tomo *Conc. 123* fol. 204^{r} — 211^{v}; in tomo *Conc. 118* leguntur fol. 425^{r}—437^{v}; in *Conc. 119* fol. 562^{r}—575^{v} Acta huius sessionis (excepta oratione episcopi Maioricensis) ab ipso Massarello et, ut e numeris in margine superiori foliorum adnotatis apparet, primitus pro tomo *Conc. 118* scripta sunt; sed quia in decreto prorogationis aliqua corrigenda erant, Massarellus haec folia e tomo *Conc. 118* reiecit et tomo *Conc. 119* inseruit.

[2] Cf. supra p. 89 l. 15—30 et p. 343 l. 18—22.

[3] Copia huius decreti, quae invenitur in tomo *Conc. 146* fol. 272, ea est, qua episcopus Cathaniensis usus est, cum hoc decretum coram patribus legeret; in fine enim decreti manu Massarelli formula interrogationis solitae addita est: *R^{mi} et Ill^{mi} Domini sanctissimique patres, placentne haec omnia vobis?* Decretum typis exscriptum est apud *Raynaldum* ad a. 1552 n. 20.

dilatos⟩[a] publicaret; atque interim affuturos esse putaverit ad hoc sacrosanctum concilium eos, qui ⟨se Protestantes⟩[b] vocant, quorum causa eorum publicationem articulorum[c] distulerat et, ut libere ac sine cunctatione ulla huc venirent, fidem eis publicam sive salvumconductum concesserat, tamen, cum illi nondum venerint et eorum nomine supplicatum huic sanctae synodo fuerit, ut publicatio, quae hodierna die facienda fuerat, in sequentem sessionem differatur, certa spe allata, affuturos eos esse omnino multo[d] ante illam sessionem salvoconductu amplioris formae interim accepto, eadem sancta synodus ⟨in Spiritu Sancto legitime congregata⟩[e] iisdem legato et nuntiis praesidentibus nihil magis optans, quam ex praestantissima natione Germanica omnes de religione dissensiones et schismata tollere ac eius quieti, paci otioque consulere parata ipsos, si venerint, et humaniter excipere et benigne audire confidensque, eos non ⟨fidei catholicae⟩[f] pertinaciter oppugnandae sed veritatis cognoscendae studio esse venturos et (ut evangelicae veritatis studiosos decet) sanctae matris ecclesiae decretis et[g] disciplinae ad extremum esse acquieturos, sequentem sessionem ad edenda et publicanda ea, quae supra commemorata sunt, in diem festum sancti Iosephi, qui erit die decima nona mensis Martii, distulit, ut illi satis temporis et spatii habeant non solum ad veniendum, verum etiam ad ea, quae voluerint, antequam is dies veniat, proponenda. Quibus ut omnem ⟨diutius cunctandi⟩[h] causam adimat, fidem publicam sive salvumconductum eius, qui recitabitur, tenoris et sententiae libenter dat et concedit. Interea vero de matrimonii sacramento agendum et de eo praeter superiorum decretorum publicationem definiendum esse eadem sessione statuit et decernit, ⟨et prosequendam esse materiam reformationis⟩[i].

Quo decreto lecto idem R. D. episcopus **Cathaniensis** interrogavit patres, an placeret. Et statim R^{mus} et Ill^{mus} D. **legatus** ac RR. DD. **praesidentes** responderunt: *Placent.*

Et successive **omnes** alii (interrogatus etiam quilibet singulariter a me Angelo Massarello secretario, praesentibus DD. Nicolao Driel et Vincentio Torfanino, ipsius concilii notariis) responderunt similiter per verbum *Placent.*

Quod cum ego secretarius nunciassem R^{mo} et Illmo D. **legato, ipse** retulit id clara voce patribus inquiens: *Decretum placet omnibus.* Tunc **patres** responderunt: *Deo gratias.*

Deinde idem R. D. episcopus **Cathaniensis** adhuc in ambone permanens legit clara et intelligibili voce aliud decretum super salvoconductu Protestantibus dando sub eo, qui sequitur, tenore, videlicet:

Salvusconductus datus Protestantibus Germanis a sancta synodo Tridentina in sessione quinta sub Iulio papa III.[1]

205r [k]Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae sedis apostolicae legato et nuntiis, inhaerendo salvoconductui in penultima sessione dato[2] et illum iuxta tenorem infrascriptum ampliando universis fidem facit, quod omnibus et singulis sacerdotibus, electoribus,

[a] *C 118 et C 146* in hanc tandem sessionem dilatos; *quod in C 119 add. in margine*
[b] *In C 119 corr. ex* Protestantes se [c] *In C 119 add. supra lineam*
[d] *In C 146 add. supra lineam* [e] *In C 146 add. in margine manu Massarelli*
[f] *In C 146 corr. ex* catholicae fidei [g] *C 146* ac
[h] *In C 119 corr. ex* cunctandi diutius [i] *In C 146 add. manu Massarelli*
[k] *In Conc. 118 post Acta huius sessionis legitur fol. 439 sq.* Forma authentica, qua salvusconductus datus est Protestantibus Germanis. *Cuius formae authenticae principium et finis differt hoc modo:* Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, praesidentibus in ea R^{mis} et Illmo in Christo patribus et dominis, D^{nis} Marcello tituli S. Marcelli S. R. E. praesbytero cardinali de Crescentiis nuncupato, ac Sebastiano archiepiscopo Sipontino et Aloysio episcopo Veronensi, sanctae sedis apostolicae de latere legato et nunciis, inhaerendo salvoconductui *etc. ut supra. In eius fine additum est:* In quorum fidem et testimonium nos Angelus Massarellus de Sancto Severino, clericus Camerinensis diocesis, ipsius sacri concilii secretarius et prothonotarius apostolicus, ac Nicolaus Driel, Coloniensis diocesis, et Vincentius Torfaninus, Bononiensis, clerici eiusdem concilii praesentes publicum instrumentum manu nostra propria subscripsimus, nostris notariorum signis signatum. Datum Tridenti in dicta publica sessione anno, die, mense et pontificatu suprascriptis, praesentibus ibidem ipsius sacri concilii R^{mis} et Ill^{mis} ac RR. et Ill. DD. ac patribus, legato, praesidentibus, cardinalibus, sacri Romani imperii electoribus, Caesareis et regiis ac electoris oratoribus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et generalibus ac aliis honorabilibus, nobilibus et generosis ecclesiasticis et saecularibus viris, in Actis ipsius sessionis specialiter nominatis et adhibitis.

[1] In tomo *Conc. 146* duae extant copiae, una fol. 274r—275r, quae manu Massarelli scripta est, altera fol. 276r—277v, qua episcopus Cathaniensis usus est, cum coram patribus salvumconductum legeret; addita enim est manu Massarelli formula interrogationis consueta. [2] Cf. supra p. 207, 33 ss.

principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militaribus, popularibus et aliis quibuscunque viris, cuiuscunque status et conditionis aut qualitatis existant, Germanicae provinciae et nationis, civitatibus et aliis locis eiusdem et omnibus aliis ecclesiasticis et saecularibus, praesertim Augustanae confessionis personis, qui aut quae una cum ipsis ad hoc generale Tridentinum concilium venient aut mittentur ac profecturi sunt aut hucusque venerunt, quocunque nomine censeantur aut valeant nuncupari, tenore praesentium publicam fidem et plenissimam verissimamque securitatem, quam salvumconductum appellant, libere ad hanc civitatem Tridentinam veniendi ibidemque manendi, standi, morandi, proponendi, loquendi, una cum ipsa synodo de quibuscunque negotiis tractandi, examinandi, discutiendi et omnia, quaecunque ipsis libuerit, ac articulos quoslibet tam scripto quam verbo libere offerendi, propalandi eosque scripturis sacris et beatorum patrum verbis, sententiis et rationibus declarandi, astruendi et persuadendi et, si opus fuerit, etiam ad obiecta concilii generalis respondendi[a] et cum iis, qui a concilio delecti fuerint, disputandi aut charitative absque omni[b] impedimento conferendi, opprobriis, conviciis ac contumeliis penitus semotis. Et signanter, quod causae controversae secundum sacram scripturam et apostolorum traditiones[c], probata concilia et catholicae ecclesiae consensum et sanctorum patrum auctoritates in praedicto concilio Tridentino tractentur, illo etiam addito, ut religionis praetextu aut delictorum circa eam commissorum aut committendorum minime puniantur, impartitur ac omnino concedit. Sic etiam, ut propter illorum praesentiam neque in itinere aut quocumque locorum eundo, manendo aut redeundo, nec in ipsa civitate Tridentina a divinis officiis quovis modo cessetur, et ut his peractis vel non peractis, quandocunque ipsis libuerit aut maiorum suorum mandato et assensu ad propria reverti optabunt aut aliquis eorum optabit, mox absque ulla renitentia et occasione aut mora salvis rebus eorum et suorum pariter honore et personis viceversa possint iuxta beneplacitum libere et secure redire, de scientia tamen ab eadem synodo deputandorum, ut tunc opportune eorum securitati absque dolo et fraude provideatur. Vult etiam sancta synodus in hac publica fide salvoque conductu omnes quascunque clausulas includi et contineri ac pro inclusis haberi, quae pro plena, efficaci et sufficienti securitate in eundo, stando ac redeundo necessariae et opportunae fuerint. Illud etiam ad maiorem securitatem et pacis ac conciliationis bonum exprimens, quod, si quispiam aut illorum aliqui sive in itinere[d] Tridentum veniendo sive ibidem morando aut redeundo aliquod enorme (quod absit) egerint aut commiserint, quo posset huius fidei publicae et assecurationis beneficium eis concessum annullari aut cassari, vult et concedit, ut in | [205v] huiusmodi facinore deprehensi ab ipsis duntaxat et non ab aliis condigna animadversione cum emenda sufficienti per partem ipsius synodi merito approbanda et laudanda mox puniantur, illorum assecurationis forma, condicionibus et modis omnino manentibus illibatis. Pariformiter etiam vult, ut, si quisquam vel aliqui[e] ex ipsa synodo sive in itinere aut manendo aut redeundo aliquod enorme (quod absit) egerint aut commiserint, quo posset huius fidei publicae et assecurationis beneficium violari aut quoquo modo tolli, in huiusmodi facinore deprehensi ab ipsa synodo dumtaxat, et non ab aliis condigna animadversione et emenda sufficienti per partem Dominorum Germanorum Augustanae confessionis tunc hic praesentium merito laudanda et approbanda mox puniantur, praesenti assecurationis forma, conditionibus et modis omnino manentibus illibatis. Vult praeterea ipsa synodus, quod liceat ipsis[f] ambasciatoribus omnibus et singulis toties, quotiescunque opportunum fuerit seu necessarium, ad auram capiendam exire de civitate Tridentina et reverti ad eandem nec non nuntium vel nuntios suos ad quaecunque loca pro suis necessariis negotiis ordinandis libere mittere seu destinare ac ipsos missos seu destinatos seu missum et destinatum suscipere toties, quoties eis videbitur expedire, ita quod aliqui vel aliquis per deputandos concilii socientur, qui eorum securitati provideant vel provideat. Qui quidem salvusconductus et securitates stare ac durare debeant[g] et a tempore et per tempus, quo in ipsius synodi et suorum tuitionis curam ipsos suscipi contigerit et usque ad Tridentum perduci ac toto tempore mansionis eorum ibidem et rursum post sufficientem audientiam habitam spatio viginti dierum praemisso, cum ipsi petierint aut concilium habita huiusmodi audientia ipsis recessum indixerit, a Tridento usque in quem quisque elegerit sibi locum tutum Deo

[a] *C 146 fol. 276^{r} hic del.* refellendi [b] *C 146 fol. 274^{r} corr. ex* ullo
[c] *C 146 fol. 274^{r} hic del.* in praedicto concilio Tridentino tractentur
[d] *C 146 fol. 276^{v} hic del.* ad nos [e] *C 146 fol. 274^{v} et fol. 276^{v} corr. ex* aliquis
[f] *In C 146 fol. 274^{v} supra lin. add.* [g] *In C 146 fol. 274^{v} est corr. in* debent; *C 146 fol. 277^{r}* debent

favente restituet, dolo et fraude prorsus exclusis. Quae quidem omnia pro universis et singulis Christifidelibus, pro omnibus principibus tam ecclesiasticis quam saecularibus quibuscunque atque omnibus aliis ecclesiasticis et saecularibus personis, cuiuscunque status et conditionis existant, aut quocunque nomine censeantur, inviolabiliter observanda esse promittit et bona fide spondet. Insuper omni fraude et dolo exclusis vera et bona fide promittit, ipsam synodum nullam vel manifeste vel occulte occasionem quaerituram aut aliqua auctoritate, potentia, iure vel statuto, privilegio legum vel canonum aut quorumcunque conciliorum, praesertim Constantiensis et Senensis, quacunque forma verborum expressa in aliquod huius fidei publicae et plenissimae assecurationis ac publicae et liberae audientiae ipsis per ipsam synodum concessae praeiudicium quovis modo usuram aut quenquam uti permissuram, quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quod si sancta synodus aut aliquis ex ea vel suis cuiuscunque condicionis vel status aut praeemi-
206r nentiae exsistens praescriptae assecurationis et salvicondu|ctus formam et modum in quocunque puncto vel clausula violaverit (quod tamen avertere dignetur Omnipotens) et sufficiens emenda non fuerit mox subsequuta et ipsorum arbitrio merito approbanda et laudanda, habeant ipsam synodum et habere poterunt incidisse in omnes poenas, quas iure divino et humano aut consuetudine huiusmodi salvorumconductuum violatores incurrere possunt, absque omni excusatione aut quavis in hac parte contradictione[a].

Lecto autem suprascripto salvoconductu idem R. D. episcopus **Cathaniensis** interrogavit patres, an placeret.

Et statim a R^{mo} et Illmo D. **legato** et **praesidentibus** responsum fuit: *Placet.*

Ac successive **quilibet** (interrogatus etiam singulariter a me Angelo secretario praefato, praesentibus DD. Nicolao et Vincentio notariis) respondit simpliciter per verbum *Placet* (excepto R. D. episcopo **Camerinensi**, cui in utroque decreto displicuit, quod daretur ipsis Protestantibus salvusconductus).

Quod cum a me secretario praefato relatum fuisset R^{mo} et Illmo D. legato, ipse **legatus** id enuntiavit patribus his verbis: *Decretum salviconductus placet omnibus.*

Ab ipsis autem **patribus** responsum est: *Deo gratias.*

Deinde D. **promotor** sacri concilii rogavit omnes prothonotarios et notarios ibidem praesentes, ut de omnibus in ea sessione peractis unum vel plura conficerent instrumentum vel instrumenta.

Et successive R^{mus} et Ill^{mus} D. **legatus** incepit hymnum *Te Deum laudamus*, quem cantores perfecerunt. Postremo ipse legatus benedixit sanctam synodum signo crucis et patres omnes depositis paramentis ad propria remearunt hora circiter 20.

[b]Et quia ego Angelus Massarellus de S. Severino Camerinensis dioecesis, sacri concilii secretarius et prothonotarius apostolicus, praemissis omnibus et singulis interfui et praesens fui eaque in notam sumpsi, ideo hic manu mea propria subscripsi in fidem et testimonium etc.

Nomina et cognomina eorum, qui interfuerunt suprascriptae quintae sessioni Tridentinae sub Iulio papa III.

Legatus et praesidentes:

206v R^{mus} et Ill^{mus} D. Marcellus tit. S. Marcelli S. R. E. praesbiter cardinalis, Crescentius nuncupatus, sacri concilii legatus et primus praesidens . . . . Romanus
R. D. Sebastianus Pighinus, archiep. Sipontinus, secundus praesidens . Regiensis
R. D. Aloysius Lippomanus, ep. Veronensis, tertius praesidens . . . . Venetus

Cardinalis:

R^{mus} et Ill^{mus} D. Christophorus Madrutius, tit. S. Caesarei in Palatio S. R. E. praesbiter cardinalis et ep. Tridentinus ac administrator Brixinensis . . . . Germanus

[a] *In C 146 fol. 275^r add. a Massarello* excusatione, *quod postea alia manu est corr. in* contradictione; *in C 146 fol. 277^v hic del.* Datum Tridenti in sessione publica.
[b] *Sequentia leguntur in tomo Conc. 123 tantum, scripta propria Massarelli manu*

Sacri imperii electores:

R^{mus} et Ill^{mus} D. Sebastianus Hausensteyn, archiep. Maguntinus	Germanus
R^{mus} et Ill^{mus} D. Adulphus ex comitibus ex Cauemburg [!], archiep. Coloniensis	Germanus
R^{mus} et Ill^{mus} D. Ioannes ab Isemburg, archiep. Treverensis	Germanus

Oratores Caesaris:

Ill. D. Hugo comes a Montefort	Germanus
Ill. D. Franciscus a Toleto	Hispanus
Ill. D. Guilhelmus a Pictavia	Flander

Orator regis Hungariae:

R. D. Fridericus Nausea, ep. Viennensis	Germanus

Archiepiscopi:

R. D. Salvator Salapusius, archiep. Turritanus	Sardus
R. D. Ludovicus Chieregatus, archiep. Antibarensis	Vicentinus
R. D. Petrus de Alagon, archiep. Arborensis	Hispanus
R. D. Olaus Magnus, archiep. Upsalensis	Gothus
R. D. Petrus de Aragonia, archiep. Panormitanus	Siculus
R. D. Petrus Guerrero, archiep. Granatensis	Hispanus
R. D. Balthassar de Heredia, archiep. Calaritanus	Sardus

Episcopi:

R. D. Thomas Campegius, ep. Feltrensis	Bononiensis
R. D. Guthier de Caravagial, ep. Placentinus Hispaniae	Hispanus
R. D. Gaspar Ioffredus, ep. Segobricensis	Hispanus
R. D. Coriolanus Martyranus, ep. S. Marci	Neapolitanus
R. D. Ioannes Bapt. Campegius, ep. Maioricensis	Bononiensis
R. D. Hieronymus Maiting, ep. Chiemensis, suffraganeus Saltzburgensis	Germanus |
R. D. Franciscus Ferrerius, ep. Vercellensis	Hyporigiensis 207r
R. D. Nicolaus Maria Caracciolus, ep. Cathaniensis	Neapolitanus
R. D. Berardus Bonioannes, ep. Camerinensis	Romanus
R. D. Ioannes Fonseca, ep. Castellimaris	Hispanus
R. D. Antonius de Aguila, ep. Zamorrensis	Hispanus
R. D. Stephanus de Almeida, ep. Carthaginensis	Hispanus
R. D. Ioannes Salazar de Burgos, ep. Lancianensis	Hispanus
R. D. Petrus Vaguer, ep. Algarensis	Hispanus
R. D. Balthassar Vausmann [!], ep. Misiensis, suffraganeus Maguntinus	Germanus
R. D. Iulius Phluch [!], ep. Numbergensis	Germanus
R. D. Hieronymus de Bononia, ep. Siracusanus	Siculus
R. D. Ricardus Patus, ep. Vigorniensis	Anglicus
R. D. Erasmus Alimpurch [!], ep. Argentinus	Germanus
R. D. Franciscus de Venavides, ep. Mindoniensis	Hispanus
R. D. Cornelius Mussus, ep. Bituntinus	Placentinus
R. D. Iacobus Iacomellus, ep. Bellicastrensis	Romanus
R. D. Franciscus Manrique, ep. Auriensis	Hispanus
R. D. Franciscus de Navarra, ep. Pacensis	Hispanus
R. D. Ioannes Iobinus, ep. Constantinensis	Hispanus
R. D. Ferdinandus Loazes, ep. Ilardensis	Hispanus
R. D. Petrus de Augustinis, ep. Oscensis	Hispanus
R. D. Ioannes Naclantus, ep. Clodiensis	Florentinus
R. D. Gregorius [!] Flach, ep. Solonensis, suffraganeus Herbipolensis	Germanus
R. D. Ioannes Bernardus Diaz, ep. Calaguritanus	Hispanus
R. D. Michael Pugius, ep. Elnensis	Hispanus
R. D. Georgius Schuuicherus, ep. Iavaliensis, suffraganeus Spirensis	Germanus

R. D. Michael a Turre, ep. Cenetensis	Utinensis[a]
R. D. Octavianus Praeconius, ep. Monopolitanus	Siculus[b]
R. D. Ioannes Fernandi Themino, ep. Legionensis	Hispanus
R. D. Christophorus Ruscius, ep. Ovetensis	Hispanus
R. D. Ioannes Emilianus, ep. Tudensis	Hispanus
R. D. Ioannes de Mello, ep. Algarbiensis	Portugallensis
R. D. Antonius Codina, ep. Lacorensis, suffraganeus Barchinonensis	Hispanus |
207v R. D. Martinus Ayala, ep. Guadiscensis	Hispanus
R. D. Petrus de Acugna, ep. Astoricensis	Hispanus
R. D. Nicolaus Psaulme, ep. Virdunensis	Gallus[c]
R. D. Christophorus Matzler, ep. Constantiensis	Germanus
R. D. Thomas de Platanis, ep. Curiensis	Germanus
R. D. Franciscus Salazar, ep. Salaminensis	Hispanus
R. D. Vincentius de Leone, ep. Bossanensis	Siculus
R. D. Angelus Bragadinus, ep. Vicentinus	Venetus
R. D. Aegidius Fuscararius, ep. Mutinensis	Bononiensis
R. D. Gherardus de Ramboldis, ep. Civitatensis Apuliae	Veronensis
R. D. Alvarus Moscosus, ep. Pampilonensis	Hispanus
R. D. Gaspar de Stuniga, ep. Segobiensis	Hispanus
R. D. Petrus Ponz, ep. Civitatensis Hispaniae	Hispanus
R. D. Ioannes Krith, ep. Achonensis, suffraganeus Monasteriensis	Germanus
R. D. Achilles de Grassis, ep. Montisfalisci	Bononiensis

Abbates:

R. P. Gherardus de Americourt, abbas S. Bertini Morinensis dioecesis	Flander
R. P. Marcus de Brixia, abbas S. Vitalis de Ravenna	Brixiensis
R. P. Eusebius de Parma, abbas S. Mariae Gratiarum Placentinae dioecesis	Parmensis

Generales ordinum:

R. P. Franciscus Romeus, generalis ord. Praed.	Aretinus
R. P. Christophorus Patavinus, generalis ord. s. Augustini	Patavinus
R. P. Iulius Magnanus, vicarius generalis ord. Min. Conv.	Placentinus

Orator electoris Brandeburgensis:

Magn[cus] D. Christophorus a Strassen, U. I. D.	Germanus

Sacrae theologiae doctores et magistri

Missi a S[mo] D. N.:

Iacobus Laynes, congregationis Iesu	Hispanus
Alphonsus Salmeron, eiusdem congregationis	Hispanus

Missi ab imperatore:

Ruardus Tapper, decanus et cancellarius universitatis Lovaniensis	Flander
Petrus Malvenda, cler. saec.	Hispanus
Melchior Canus, ord. Praed.	Hispanus |
208r Alphonsus de Castro, ord. Min. de observ.	Hispanus
Ioannes Arze, cler. saec.	Hispanus

Missi ab eodem Caesare et Maria regina Hungariae, ex gymnasio Lovaniensi:

Iodocus Ravestein Tiletanus, cler. saec.	Flander
Franciscus Sonnius, cler. saec.	Flander

[a] *C 118* Foroiuliensis [b] *C 118* Neapolitanus [c] *C 118* Lothoringus

Ioannes Valteri, ord. Praed.	Flander
Ioannes Mausius, ord. Min. de observ.	Flander
Rogerius Iuvenis, ord. s. Augustini	Flander
Alexander Candidus, ord. Carmel.	Flander

R^{morum} S. R. E. cardinalium:

Sigismundus Phedrius, ord. Min. Conv., familiaris R^{mi} et Ill^{mi} D. Tridentini	Umber
Martinus Olaveus, cler. saec., procurator R^{mi} et Ill^{mi} D. Otthonis cardinalis Augustani	Hispanus

Sacri imperii electorum:

Ioannes Gropperius, cler. saec., cum R^{mo} et Illmo Coloniensi	Germanus
Everhardus Billicus, ord. Carmel., cum eodem Coloniensi	Germanus
Ambrosius Pelargus, ord. Praed., cum R^{mo} et Illmo Treverensi	Germanus
Ioannes Delphius, cler. saec., cum eodem Treverensi	Germanus

Qui sunt apud DD. praelatos clerici saeculares:

Martinus Malo, familiaris R. D. Ovetensis	Hispanus
Iacobus Ferrusius, familiaris R. D. Segobricensis	Hispanus
Franciscus de Toro, familiaris R. D. Granatensis	Hispanus
Melchior a Vosmediano, familiaris R. D. Pacensis	Hispanus
Antonius Arias, familiaris R. D. Panormitani	Hispanus
Petrus Frago, familiaris R. D. Pacensis	Hispanus
Ioannes Zaballos, familiaris R. D. Auriensis	Hispanus

Regulares ord. Praed.:

Reginaldus de Genua, prior S. Laurentii extra muros Tridentinos	Genuensis
Aloysius de Cathania, familiaris R. D. Panormitani	Siculus
Bernardinus de Colloredo, familiaris R. D. Cenetensis	Utinensis
Didacus Chiaves, socius R. P. de Cano	Hispanus
Desiderius de Verona, concionator S. Laurentii Tridentini	Veronensis
Gregorius Sylvius, procurator R. et Ill^{mi} ep. Leodiensis	Flander[a]|

[Regulares] ord. Min. de observ.:

Alphonsus de Contreras	Hispanus	208 v
Antonius de Uglioa	Hispanus	

[Regulares] ord. Min. Conventualium:

Ioannes Antonius Delphinus, regens Bononiensis	de Casale maiore
Ioannes de Corregio, minister Bononiensis	Corregiensis
Franciscus Visdomini, regens Venetiarum	Ferrariensis
Ioannes Tertius, minister Mediolanensis	Bergomatensis
Antonius a Sapientibus, regens Mediolanensis	Aug. Praetoriae
Ioannes a Novesio	Germanus

[Regulares] ord. Heremitarum s. Augustini:

Marianus Feltrinus, prior S. Marci Tridentini	Feltrensis
Franciscus Tranensis	Tranensis
Stephanus Sestinus, regens Paduae	Umber
Adeodatus de Senis, familiaris R. D. Panormitani	Senensis
Franciscus de Senis, regens Venetiarum	Senensis
Gabriel de Anchona, regens Bononiensis	Picenus

[a] *C 118 hic add.* Petrus Paulus Ianuarius, familiaris R. D. Cathaniensis, Aretinus

[Regulares] ord. Carmel.:

Ioannes Antonius Marinarius, minister Apuliae . . . . Apulus
Desiderius de Panormo, familiaris R. D. Bossanensis . . . . Siculus

[Regulares] ord. s. Hieronymi:

Ioannes Regla . . . . Hispanus
Franciscus de Viglarva, familiaris R. D. Granatensis . . . . Hispanus

Nobiles et barones:

Ill. D. Quirinus Gandulphus, dominus in Hoen[geroltzech] et Suls . . . Germanus
Ill. D. Sylvius comes Porliliarum . . . . Foroiuliensis
Ill. D. Baptista Balduinus . . . . Tridentinus
Exc. D. Franciscus Vargas, consiliarius Caes. M^tis . . . . Hispanus
D. Adulphus Divaid . . . . Germanus[a]
D. Georgius ab Angeloch . . . . Germanus
D. Vilhelmus de Arff . . . . Germanus
D. Georgius ab Helter . . . . Germanus

Et alii quamplures tam nobiles quam ecclesiastici viri, qui supra in quarta sessione describuntur[1], ac etiam procuratores absentium additis Spirensis, Ratisbonensis et Pataviensis. |

209r Sunt praeterea nunc praesentes Tridenti ex Lutheranis, qui se Protestantes appellant, infrascripti, videlicet:

Oratores Mauritii ducis Saxoniae:

Volfangus [!] Koler, capitaneus Thuringiae, eques aureus
Leonardus Badenhorn, U. I. D.

Oratores ducis Virtembergensis:

Ioannes Theodoricus a Plieningen, eques aureus
Ioannes Henricus Hoklin, U. I. D.

Orator rei publicae Argentinensis:

Ioannes Sleidanus, iuris licentiatus

[b]Theologi Lutherani.

Missi a duce Virtembergensi:

Ioannes Brentius
Iacobus Beurtin, doctor
Iacobus Herbranet, doctor
Valentinus Vannius

Missi a re publica Argentinensi:

Ioannes Marbasius
Christophorus Soellius, doctor

Oratio habita a R. D. Ioanne Bapt. Campegio, episcopo Maioricensi, in quinta sessione Tridentina sub Iulio III pont. max. 25. Ianuarii 1552[2].

Quod erat optandum, Sanctissimi Patres, et quod unum ad taeterrimam pestem per totum terrarum orbem diutius pervagatam nec non ad invidiam nostri ordinis infamiamque sedandam maxime pertinebat, id divino primum consilio, deinde summi pontificis

[a] *C 118 hic inserit* D. Thomas Tabarella, Tridentinus [b] *Nomina, quae sequuntur, C 119 om.*

[1] Cf. supra p. 367—368.
[2] Haec oratio etiam in Arch. Vat. *Carte Farnesiane (= CF) 14,* 201r—206r exstat. Typis excripta est apud *Mansi* XXXIII 1127—1133 et *Le Plat* I 238—245.

summique imperatoris pietate, studio ac diligentia datum atque oblatum videtur. Etenim pestifer ille serpens, cuius veneno iam pridem tota fere Germania infecta erat, Britannia contabuerat, iam Italiam versus caeterasque christianas provincias et nationes paulatim alas expanderat ac bonam populi partem contagioso aspectu perniciosoque afflatu impune tabefecerat[a]. Nos vero, qui populorum pastores, qui religionis propugnacula, qui rei publicae christianae firmamenta quique adeo terrarum orbis lumina splendoresque habebamur, hactenus impietati ludibrio fuimus nec pietatis offensionem omnem vitavimus. Inveteravit enim iam et penitus in mentibus hominum insedit opinio, populis quidem perniciosa, nobis vero admodum periculosa, quae per universum fere orbem omnium Christianorum sermone percrebuit, episcopos atque pastores non ut pastores iam, sed ut mercennarios mercedem tantum spectare, sibi cavere, sua procurare, caetera negligere. Irrumpant licet lupi, grassentur per ovile, necent, auferant, dum sibi cautum sit, pastores nil ultra quaerere, ne tantillum quidem oneris subire, si genium vel minima voluptatis parte sint defraudaturi.

Quae sane voces aliaeque huiusmodi, utinam, Patres, ut falso et a perditis passim hominibus iactabantur, ita in multorum | animis locum ac sedem non obtinuissent. Etenim 209v melius illi fortasse suae saluti consuluissent et nos tanta apud bonos suspicione, apud improbos vero infamia minime laboravissemus. Dicant enim, quaeso, quantum temporis praetermissum est, ex quo huiusmodi pestis ac flamma coepit animos hominum pervagari, quin summorum pontificum vigilantia, invictissimi imperatoris pietate, pluribus amplissimorum cardinalium legationibus, episcoporum labore ac diligentia illis, loco ac tempore, pro viribus non sit occursum! Ac ni optima principum consilia gravis semper rei publicae fortuna interrupisset, quae illorum animos a coepto cursu pulcherrimisque conatibus retardasset et ad alias res primo quoque tempore capessendas revocasset, profecto talis morbus atque incendium eorum studio, virtute ac procuratione penitus fuisset extinctum. Sed non plus illi omnes quam una temporum perversitas potuere. Quarum rerum equidem multa eaque praeclara testimonia, Patres, adducerem, quibus scilicet pontificibus, quibus temporibus, quibus locis et quoties fuerit congregata synodus, quod unum remedium tantis malis adhiberi posse videbatur, quoties rursus bellis sive gerendis sive impendentibus aut aliis quibusdam difficultatibus eadem interrupta sit atque impedita, ni vererer orationem meam dilatare, quae infinita esse posset, atque etiam, ut omnem prorsus occasionem in hac parte insolentius volitandi ac insultandi vehementius devitem, praesertim cum vos ipsi omnibus rerum omnium certissimi ac locupletissimi testes esse possitis. Non enim, ut caetera omittam, semel aut iterum, sed multoties e variis orbis partibus maximis vestrum rerumque vestrarum incommodis ac periculis convenistis.

Nunc vero ipsius summi pontificis piissimique imperatoris egregia voluntas singularisque virtus, quibus vobis laudibus quibusve honoribus decorandae videntur? Qui, cum statim restituta synodo multae iterum tempestatum species turbulentissimaeque armorum procellae toto propemodum orbe, terra marique excitatae consurgerent, omnibus prae Christi ecclesia fluctuante pro nihilo habitis, frequentem illam religionis rem tractare, hoc agere, ad hoc tantum negotium incumbere et volunt, ut par est, et iubent. Quippe eo rabies haereticorum evasit, ut, nisi illis saltem hoc tempore obviam iretur, omnia ab eorum prophanis latratibus venenatisque morsibus discerpta fuissent et lacerata.

Venit igitur, Patres, tempus iam diu nobis expectatum atque exoptatum et populo christiano illuxit aliquando illa dies, de qua in orationis initio dixeram, et in qua divino freti praesidio et horum ipsorum principum auspiciis, studio ac diligentia hostes confundere, scissa dogmata resarcire, periclitanti ecclesiae opem ferre, eiusdem auctoritatem prope intermortuam renovare, susceptam nobis maculam falso improborum iudicio delere, existimationem nostram iam pridem amissam gentibus et nationibus reconciliare et errantes, lapsos ac denique fractos et debilitatos piorum animos monere, erigere et confirmare plane valeamus. Non est enim amplius, non est metuendum, mihi credite, Patres, quin ea, quae huiusmodi temporibus, rebus omnibus omissis, tam forti tamque alacri animo coepta sunt, per admirabilem prudentiam coniunctosque eorundem principum animos et voluntates ad pulcherrimum exitum non perducantur, praesertim si illorum studium et diligentiam vestra vigilantia, quemadmodum fecistis[b], perpetua comes et socia consequatur. Quae quo pacto ad has res et hoc potissimum tempore sit adhibenda, paucis expediam, non quod[c], Patres, id vos ignorare arbitrer; neminem enim in hoc gravissimo pariter et sanctissimo consessu adesse intelligo, cuius | summam prudentiam et coniunc- 210r

[a] *C 123* tabescerat [b] *CF* facitis [c] *CF* quo

tam cum pietate sapientiam non admirer, sed quoniam mihi id oneris impositum est, ut ex hoc loco apud ornatissimos eosdemque doctissimos viros verba faciam. Quod etsi longe vires meas exsuperare sentio, tum propter rei magnitudinem et huius auctoritatem loci, tum etiam propter imbecillitatem ingenii et nullam prorsus ad agendum facultatem, cum mihi ipsi semper persuaserim, nihil huc nisi perfectum ingenio atque elaboratum industria afferri oportere, tamen, ne id, quod semel suscepi, propter animi infirmitatem videar omnino deponere exspectationemque vestram oratione mea diutius suspensam tenere, de hac eadem vigilantia pauca et breviter dicere aggrediar, cum nullum aliud argumentum in mentem venire potuerit, quod pro loci, temporis personarumque dignitate commodius a me possit tractari. Quae dum persequor, quaeso vos, Amplissimi Patres, pro humanitate vestra, quae summa est, ut, quemadmodum hactenus fecistis, me benigne attenteque audiatis.

Equidem, Patres, cum universam rem animo complector onusque nostrum diligentius mecum ipse considero, non eadem mihi videtur nostra ac caeterorum principum ratio. Quamvis enim unaquaeque potestas, ut ait apostolus, a Deo sit constituta[1], non tamen omnes in eadem arena versamur. Illi enim terrena, nos coelestia, illi fluxas et momentaneas, nos stabiles et sempiternas opes, illi corporum, nos animarum salutem, illi denique parum fortasse, nos maxime necessaria populis procuramus. Elaborandum est igitur, Patres, et in eo omnes industriae nostrae nervi sunt adhibendi, quod in primis praestare debemus, ut, quanto uberiora, splendidiora Deoque optimo maximo gratiora caeteris omnibus sunt haec, tanto maiori cum diligentia hoc tempore, hoc inquam tempore peropportuno et maxime omnium necessario, a nobis rite atque integre administrentur. Etenim si illa his artibus facile retinentur, quibus initio parta sunt, sunt autem parta multorum hominum studiis et laboribus, quid de iis existimandum est, Patres, quae unius tantum et Dei et hominis nocturnis diurnisque vigiliis, immensis sudoribus et cruciatibus atque adeo pretiosissimo sanguine de saevissimi hostis manibus sunt extorta? Illud praeterea, Patres, in mentem venit, principes ipsos partis opibus et imperiis et caesis ac fugatis hostibus omnia pacata, omnia tranquilla possidere, moenibus praeterea praesidiisque circummunitos neminem amplius formidare. Nobis vero infirmis atque imbecillis ac cum hoste munitissimo ac sempiterno dimicantibus, semper in stationibus, in excubiis, in armis, in laboribus degendum est, ne *leo* ille *rugiens*, qui semper *circuit*, semper explorat, semper aliqua in incautos excogitat strategemata, ovem aliquam non auro neque argento, sed, ut paulo ante dixeram, pretiosissimo sanguine redemptam devoret[2].

Illud etiam, Patres, prae oculis semper habendum censeo, nos esse a Deo constitutos terrae sales, mundi lumina, civitates supra montem positas[3] atque in omnium conspectu, in omnium ore versari, abolito sale omnia insipida remanere, extincta luce statim tenebras oboriri, ruente civitate caeteras opes in eandem ruinam trahi. Patiemur igitur, Patres, Dei ecclesiam, Christi sponsam, spiritus sancti domicilium, apostolorum aedificium, communem matrem tanto excidio oscitantia nostra desidiaque corruere? Absit, Patres, ut talentum illud nostrae fidei abeunte Domino commissum, terrae inutiliter abditum nostra pereat socordia, ne redeunte Domino et rationem ab oscitantibus exposcente *in exteriores tenebras* coniiciamur[4]. Ethnicus ille poeta, Patres, dum universae Graeciae imperatorem pro una muliere et eadem adultera bellum gerentem inducit, figmentis quibusdam
210v admonet | illi, cuius consilio omnia nituntur et cui totius exercitus salus commissa est, semper esse vigilandum[5]. Nos autem, quibus verum illud ac divinum oraculum perpetuam pollicetur beatitudinem, si, ut frugi servos decet, et si prima et si secunda vigilia venerit Dominus, invenerit vigilantes[6], his temporibus tantoque bello pro aris et focis gerendo dormiemus? Aut muliercularum more compressis manibus totum diem sedentes otiabimur? Minime, Patres, minime, inquam. At illud potius meminerimus, hunc illum nobis peroptatum illuxisse diem, quo, si viri erimus et plane viri, sicut esse debemus, sublata humeris cruce, Christi sanguine insigniti, fidei lorica induti[7] ac sanae doctrinae gladio praecincti, eius ecclesiae nos acerrimos propugnatores exhibeamus, ut demum, victis ac spoliatis hostibus, non Iovis, sed veri Dei templa, non Romana, sed coelestia capitolia triumphantes ascendere valeamus.

Nitendum est etiam, Patres, in quo vigilandum, laborandum, sudandum omnino nobis est, si vigilantissimi pastoris officium atque partes omnes sustinere volumus, ut patientiam, perseverantiam, animi magnitudinem et caritatem supremi pastoris, qui se nobis tanquam speciosissimum exemplar semper et in singulis quibusque actionibus imi-

[1] Cf. *Rom.* 13, 1. [2] Cf. *1 Petr.* 5, 8. [5] *Homerus*, Ilias II 24 s.
[3] Cf. *Matth.* 5, 13 sq. [4] *Matth.* 25, 14—30. [6] Cf. *Luc.* 12, 35—38. [7] Cf. *Eph.* 6, 14.

tandum proposuit, quoad eius fieri possit, imitemur. Quod etsi arduum et longe omnium difficillimum est, tamen et in rebus praeclarissimis et humanas vires excedentibus, prima sequendo, semper honestissimum fuit et habitum est, in secundis tertiisque consistere; id quod nobis, eo praesertim auspice et adiutore, poterit aliqua ex parte contingere, si pro Dei gloria et populorum salute conservanda, ipsius vestigiis insistentes, vitam ipsam et sanguinem nedum caetera omnia, cum usus venerit, profundere non dubitaverimus; si praesertim hoc tempore, rebus omnibus confusis ac perturbatis ac ventis quibusdam reflantibus, animo non defecerimus nec a recto cursu deflexerimus, sed in Christi causa defendenda, quantum in nobis fuerit, perstiterimus, quam, si per ipsorum temporum vel hominum quorundam malitiam tueri non dabitur, opprimi nos onere officii potius eligamus, quam tam piam, tam sanctam, tam salutarem provinciam sustinendam nobis impositam et alias quidem saepe sustentatam aut propter perfidiam abiicere aut propter ignaviam deserere; si demum nostra consilia et cogitationes omnes ad augendam religionem moresque restaurandos retulerimus et in mediis tenebris, fluctibus et tempestatibus in Christum semper tanquam in Cynosuram[1] intuiti fuerimus, quicquid deinde evenerit, forti constantique animo toleraturi et nobiscum praeclarissime actum existimaturi, si digni habiti fuerimus, pro Christi gloria probra et contumelias pati[2].

Haec est illa patientia, quam veri imitatores Christi tanquam munitissimum clypeum contra quoscunque mundi ictus obiicere consueverunt; haec illa perseverantia, quae a nobis exigitur et quam rerum praesens status et temporum ratio maxime requirit; haec animi altitudo est et tranquillitas, quae in christianis hominibus et potissimum in episcopis inesse debet; haec denique est illa caeterarum omnium virtutum regina caritas, quam nobis Christus servator noster coelos ascensurus veluti ex testamento reliquit maximeque omnium commendavit[3].

Aegrotat, Patres, totum rei publicae corpus, et eo genere morbi ac gravitate, mihi credite, aegrotat, ut nisi, in medicinis faciendis peritia et diligentia vestra maxime apparuerit, eius salus in maximum periculum et extremum paene discrimen sit adducta. Omnia enim, quae pro illius incolumitate, conservatione ac salute summa praepotentis Dei nostri benignitate illi data ac donata sunt, ab istis novis atque eruditis magistris aut omnino tolluntur aut pro maxime dubiis relinquuntur, ita ut veritati error, medicinae venenum, rebus salutaribus mortifera omnia plane successisse videantur. Tanta, proh dolor, men|ti- 211r bus humanis per eosdem effusa est caligo. Et quidem caeteris istorum vitiis ac peccatis ita moveor, ut ea reprehendenda tantum existimem; hic vero tanto dolore afficior, ut non queam satis neque miseram nostrorum temporum conditionem deplorare neque huius negotii, quod tractamus, rationem fortunamque miserari.

Sed omittamus querelas, ne oratio nostra ab eo, quod instituimus, aliena esse videatur, et illuc revertamur, ut diligenter attendamus, qua cura, quo studio, quanto animi fervore ad eam provinciam nobis incumbendum sit, in qua praecipue de animabus agitur, nec illis quidem paucis, sed de his omnibus, quae in toto terrarum orbe et sunt et in posterum sunt futurae, pro quibus Christus ipse Deus et homo mori et extrema quaeque supplicia pati voluit. A cuius quidem praesidio cum ipsae descendunt[a], vos proximos habent, vos sibi propugnacula, vos munimenta, vos duces, vos milites, vos patres, vos paene deos reputant. Quod si nos orarent atque obsecrarent, ut suis incommodis, necessitatibus, saluti denique, in tanta praesertim rerum omnium suarum perturbatione, ne dicam desperatione, consuleremus, quid aut illis honeste respondere possemus aut pro earum miseriis sive tollendis sive sublevandis facere, nisi ut nos fidemque nostram implorent? Adsunt et implorant, neque solum implorant, verum etiam vehementer efflagitant. Fingite enim cogitationibus vestris, eas hic sordidatas adesse nosque veluti suorum ulcerum atque aegritudinum medicos et curatores peritissimos huc adductos intueri et saepe ac saepius appellare summoque et incredibili paene desiderio teneri, progressum atque exitum huius concilii videndi, in quo uno totam spem suae salutis atque incolumitatis positam et collocatam esse intelligunt. Possumus, Amplissimi Patres, illis egregie admodum operam nostram navare, possumus; omnia enim, quae ad hanc rem spectare videntur, prompta sunt et parata: tempus, locus, patrum frequentia, principum fere omnium unanimis consensus praesto nobis sunt neque ullum auxilium adventitium exspectandum amplius aut requirendum videtur. Quodsi a nobis destituantur, id quod vix in mentem cuiusquam

[a] *CF* discedunt

[1] Cynosura est septentrionis stella, quae vocatur etiam *ursa minor*. Cf. *Fr. Lübker*, Reallexikon des klass. Altertums (Leipzig ^{8}1914) 985.
[2] Cf. *Act.* 5, 41.
[3] Cf. *Io.* 15, 13.

venire aut cadere potest, quo infelices confugiant quemve portum suae miserae atque iactatae fortunae, huc atque illuc fluctuantes, invenire possint aut quo se vertant, amplius non habent, nullumque periculum adeo grave inveniri aut excogitari poterit, ad quod tanquam ad scopulum eas detrudi aliquando non sit necesse.

Quare perpetua illa vigilantia, quam civitatibus, quibus praefecti estis, debetis, facite, Patres, ut hoc potissimum tempore toti terrarum orbi illucescat; perficite, ut, quam de vobis christiani homines conceperunt, non eos frustretur opinio. Mementote etiam et saepe ac saepius in mentes vestras revocate, quae praemia vivo Dei omnipotentis oraculo Christum intrepide confitentibus[a] sint statuta[1], quaeve rursus eis supplicia maneant, qui vel opes vel gloriam vel propriam salutem sacrosancto illius nomini anteponant. Sit clarum illud Nicaenum concilium, Patres, quo horrenda Arianorum rabies sedata est; ornetur eximia laude Constantinopolitanum, quo impia Macedoniorum sententia fuit damnata; habeatur egregium Ephesinum, quod ingentem Nestorianorum flammam exstinxit; anteponatur his Chalcedonense, quo pertinax Eutychianorum perversitas est debellata; caetera item in aeterna gloria sint, quibus diversae diversis temporibus oborientes haereses sunt radicitus exstirpatae; erit profecto inter horum laudes aliquid loci vestrae gloriae, si non unam aut alteram, sed tot ac tantas recentium haereticorum haereses atque monstra vestris sanctissimis decretis tanquam fortibus et fulgentibus armis de medio funditus sustuleritis, quanquam omnis honor et gloria prin-
211v cipi atque | omnium bonorum auctori Deo sit tribuenda, qui per vos ecclesiae suae consultum esse voluerit.

Quae cum ita sint, Patres, primum totius rei publicae christianae causa, qua secundum Deum nulla res cuiquam potior esse debet, deinde pro vestra summa et nobis cognita pietate, pro mea item, quam vobiscum communem habeo, auctoritate vos hortor, pro magnitudine imminentis periculi obtestor, ut otio, ut paci, ut omnium saluti consulatis atque ea in praesenti futurisque consessibus spiritus sancti favore diligenter, ut instituistis, et fortiter decernatis, quae vobis honesta, rei publicae salutaria, Deo optimo maximo gloriosa sint futura.

Te vero, beatissime Paule, te, inquam, sapientissimum et singulari quadam electione electum apostolum appello, id, quod tacito quodam animi sensu et cogitatione universa haec sacrosancta synodus facit atque ego illius nomine supplex humique prostratus, quanta maxima possum animi et vocis contentione, abs te peto et efflagito[b], ut, quemadmodum huiusmodi die admirabili atque extraordinaria Dei virtute et misericordia effectum est, ut ex Saulo Paulus, ex impio pius, ex atrocissimo christiani nominis hoste acerrimus eiusdem propugnator et propagator evaderes[2], ita piissimis tuis efficacissimisque precibus hodierna die atque hoc ipso temporis punctu, quo loquor, eandem plane virtutem et misericordiam omnibus rebellibus, obstinatis atque in suis pravis opinionibus et haeresibus obfirmatis animis impetrare contendas, quandoquidem ea omnia, quae humana ratione et sapientia inveniri aut excogitari hactenus potuerunt, nihil aut certe parum admodum profecere. Quod si per te impetratum fuerit, non tu quidem beatior eris et sanctior; neque enim esse potes, qui nunc es et beatissimus et sanctissimus; sed certe nomen tuum illustrius et maiori quadam cum celebritate quam antea in omnium gentium et populorum sermonibus et mentibus semper haerebit, si quidem ex tali beneficio non minorem utilitatem universus orbis sentiet ac percipiet, quam olim, dum in terris pro Christo legatione fungereris, ex tuis gravibus ac vehementibus concionibus idem senserit atque perceperit, nisi forte maius sit populis patefacere viam ad felicitatem quam curare, ut qui a vera religione defecerint rursus resipiscant et in rectam salutis semitam revertantur. Hoc iterum abs te non sua commoda procurantes, non privatas iniurias ulcisci quaerentes, non regni aut alicuius potentiae appetentes postulant, sed ii, qui laudem et gloriam Dei tuendam et conservandam susceperunt; ii, qui rerum omnium sibi carissimarum obliti, maria et terras ad tui exemplum difficillimis temporibus pertranseuntes, huc religionis constituendae gratia confluxere; ii denique, qui nihil aliud cogitant, nihil agunt, nihil moliuntur, nihil magis in optatis habent, quam ut idem sentiant omnes, idem dicant, idem velint ac inter ipsos nullum prorsus schisma reperiatur, ita ut caritatem maxime amplexantes et in vera fide ac religione ea, qua decet, pietate ac constantia perseverantes tandem in Christo, cum Christo et per Christum in die Domini salvi fiant. Dixi.

[a] *C 123* confidentibus [b] *CF* flagito

[1] Cf. *Matth.* 10, 32. [2] Die 25. Ianuarii celebratur festum conversionis s. Pauli. Cf. *Act.* 9.

ACTA SACRI CONCILII TRIDENTINI

post quintam sessionem

sub Iulio III pont. max.

Missa et datio candelarum in die purificationis b. Mariae.

Die Martis **2. Februarii** eiusdem anni 1552 ⟨in die purificationis b. Mariae celebravit missam consuetam in ecclesia cathedrali R. D. Vercellensis, benedictis prius ac distributis candelis per R^{mum} et Ill^{mum} legatum omnibus patribus solitaque processione cum mitris et pluvialibus facta etc.⟩[a] Conc. 118 439^{v}

Obitus episcopi Viennensis, oratoris regis Romanorum.

Die sabbati **6.** eiusdem mensis **Februarii** obiit Tridenti R. D. Fridericus Nausea, episcopus Viennensis, orator Serenissimi regis Romanorum in concilio, vir optimae vitae et[b] scientiae ⟨non mediocris⟩[c], qui multa pro fide catholica contra haereticos huius temporis scripsit. Eius anima requiescat in pace.

Missa solemnis in die anniversario creationis S^{mi} D. N. Iulii III.

Die lunae **8.** eiusdem mensis **Februarii,** quae fuit dies anniversarius felicis creationis S^{mi} D. N. Iulii papae III, celebrata est in ecclesia cathedrali missa solemnis de spiritu sancto, prout hactenus semper observatum fuit in hoc sacro concilio pro fel. rec. Paulo papa III.[1] Peregit sacra R. D. episcopus Camerinensis. Quibus interfuerunt omnes patres, electores, oratores et alii omnes ipsius sacri concilii. In sero autem huius diei et diei praecedentis fit publica laetitia ⟨ante domos R^{morum} legati et praesidentium et aliorum, qui voluerint, praelatorum⟩[d], accensis scilicet multorum lignorum acervis ac pyris et doliis ⟨pice conspersis etc.⟩[e] |

Recessus electoris Treverensis ex Tridento.

Die Martis **16.** eiusdem mensis **Februarii** R. et Ill. D. archiepiscopus Treverensis, S. R. imperii elector, cum esset valde valetudinarius plurimumque aer istius regionis ei adversaretur nec posset hic Tridenti absque ingenti periculo vitae diutius commorari, recessit ex Tridento Germaniam versus, rediturus ad ecclesiam suam[2]. 440^{r}

Missa in die anniversario coronationis S^{mi} D. N. Iulii papae III.

Die lunae **22.** dicti mensis **Februarii** in festo cathedrae b. Petri, quae est dies anniversarius coronationis S^{mi} D. N. Iulii papae III, celebratur missa solemnis de spiritu sancto in ecclesia cathedrali, ut moris est huius sacri concilii hactenus semper sub fel. rec. Paulo III observati. Peregit sacra R. D. episcopus Camerinensis. Quibus interfuerunt R^{mi} et Ill^{mi} DD. legatus, praesidentes, electores[f], oratores[g] ac caeteri patres omnes concilii. In sero autem hesternae diei et hodierno fit publica laetitia, accensis magnis lignorum acervis ac doliis ⟨pice aspersis⟩[h] candelisque ante hospitia ipsorum legati et praesidentium ac quamplurium praelatorum.

[a] *C 119* qua fuit dies purificationis b. Mariae virginis, R^{mus} et Ill^{mus} D. legatus in ecclesia cathedrali benedixit ac distribuit candelas omnibus patribus (mitris et pluvialibus, ut moris est, indutis) facta solita processione. Deinde R. D. ep. Vercellensis celebravit missam. Fuerunt praesentes omnes electores, oratores, praelati etc.
[b] *C 119 add.* et spectatissimorum morum ac [c] *C 119* omnis generis admirabilis
[d] *C 119* per Ill^{mum} D. legatum, praesidentes et praelatos, qui voluerint
[e] *C 119* ante eorum hospitia
[f] *C 119 add.* imperii [g] *C 119 add.* Caesaris et regis Romanorum [h] *C 119 om.*

[1] Cf. ex. gr. *Conc. Trid.* I p. 286, 307, 579, 583 vel *Conc. Trid.* VI, I p. 532, 567. [2] De recessu electoris Treverensis cf. litteras Francisci de Toleto Granvelae die 7. Febr. datas (*Conc. Trid.* XI p. 817 n. 556) et ad Carolum V imperatorem die 17. Febr. directas (*ibid.* p. 817 sq. n. 557 cum adn. 2). Legatus aegre tulit, quod Treverensis licentiam abeundi a solo imperatore, non autem a summo pontifice petierit. Sed cf. epistulam electoris Treverensis ad Iulium III datam, qua veniam Tridento discedendi petit, apud *Raynaldum* ad a. 1552 n. 2 et *Le Plat* IV 364.

Conceduntur stationes Urbis in civitate Tridentina.

S^{mus} D. N. Iulius papa III exemplum Pauli III fel. rec. sequutus concessit tam patribus concilii quam caeteris omnibus in civitate Tridentina commorantibus stationes Urbis seu eas indulgentias, quas consequerentur visitantes ecclesias Urbis ad hoc deputatas tempore quadragesimae, dummodo singulis diebus ab eis visitarentur ecclesiae Tridentinae per R^{mum} et Ill^{mum} D. legatum nominandae. Quare ipse R^{mus} et Ill^{mus} D. legatus hanc ipsam S^{tis} Suae concessionem publicavit hodie **1. Martii** eiusdem anni **1552,** affixis cedulis in valvis ecclesiae cathedralis et palatii sui hospitii ac aliis locis publicis Tridentinae civitatis sub infrascripto tenore, videlicet |

Publicatio stationum Urbis in civitate Tridentina.

440v R^{mus} et Ill^{mus} dominus, D. Marcellus tituli S. Marcelli, S. R. E. presbyter cardinalis, Crescentius nuncupatus, universalis huius concilii legatus, notum facit, qualiter S^{mus} D. N. Dominus Iulius divina providentia papa III de animarum salute sollicitus dedit et concessit omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus civitatis et dioecesis Tridentinae vel in eis commorantibus, et praecipue RR. DD. praelatis et Ill. oratoribus et DD. theologis, doctoribus et aliis personis tam saecularibus quam regularibus in ipso oecumenico Tridentino concilio existentibus eorumque familiaribus, vere poenitentibus et confessis seu statutis ad id a iure temporibus firmum confitendi propositum habentibus, ut ecclesias infrascriptas diebus designatis devote visitando ac quinquies orationem dominicam et salutationem angelicam recitando nec non pias ad omnipotentem Deum preces pro christianorum principum concordia ac unione ecclesiae et felici ipsius concilii progressu effundendo easdem prorsus indulgentias et peccatorum suorum remissionem consequantur, quas dicti christifideles consequerentur, si ecclesias almae Urbis Romae quadragesimali tempore pro stationibus deputatas personaliter visitassent.

Stationes Urbis in civitate Tridentina concessae a Iulio III pontifice opt. max.

Feria 4. cinerum ad cathedralem ecclesiam S. Vigilii. Indulgentia annorum 3 millium ac remissio omnium peccatorum.

Feria 5. ad S. Mariam maiorem. Indulgentia annorum 10 millium.

Feria 6. ad ecclesiam S. Petri. Indulgentia annorum 10 millium.

Sabbato ad ecclesiam S. Mariae Magdalenae. Indulgentia annorum 10 millium et remissio omnium peccatorum. |

441r Dominica 1. quadragesimae ad ecclesiam S^{mae} Trinitatis. Indulgentia annorum 18 millium et remissio omnium peccatorum.

Feria 2. ad S. Laurentium. Indulgentia annorum 10 millium.

Feria 3. ad S. Marcum. Indulgentia annorum 28 millium et liberatio unius animae a purgatorio.

Feria 4. ad S. Bernardinum. Indulgentia annorum 28 millium et remissio tertiae partis omnium peccatorum.

Feria 5. ad S. Franciscum. Indulgentia annorum 10 millium et remissio omnium peccatorum.

Feria 6. ad S. Crucem. Indulgentia annorum 13 millium et remissio omnium peccatorum.

Sabbato ad S. Apollinarem. Indulgentia annorum 28 millium et totidem quadragenarum.

Dominica 2. ad S^{mam} Trinitatem. Indulgentia annorum 28 millium et 48 quadragenarum.

Feria 2. ad S. Claram. Indulgentia annorum 10 millium et remissio tertiae partis peccatorum.

Feria 3. ad S. Nicolaum. Indulgentia annorum 10 millium.

Feria 4. ad S. Benedictum. Indulgentia annorum 10 millium.

Feria 5. ad S. Annam. Indulgentia annorum 10 millium.

Feria 6. ad S. Martinum. Indulgentia annorum 10 millium.

Sabbato ad S. Helisabeth. Indulgentia annorum 5 millium et plenaria remissio omnium peccatorum.

Dominica 3. ad S^{mam} Trinitatem. Indulgentia annorum 10 millium et liberatio unius animae a purgatorio.

Feria 2. ad S. Margaritam. Indulgentia annorum 10 millium.

Feria 3. ad ecclesiam hospitalis fraternitatis novae. Indulgentia annorum 10 millium.

Feria 4. ad ecclesiam B. Simonis. Indulgentia annorum 10 millium.

Feria 5. ad ecclesiam hospitalis domus Dei. Indulgentia annorum 10 millium.

Feria 6. ad S. Mariam maiorem. Indulgentia annorum 10 millium. |

Sabbato ad S. Claram. Indulgentia annorum 10 millium et remissio omnium pec- 441^{v}
catorum.

Dominica 4. ad S^{mam} Trinitatem. Remissio omnium peccatorum et liberatio unius animae a purgatorio.

Feria 2. ad S. Petrum. Indulgentia annorum 10 millium.

Feria 3. ad S. Marcum. Indulgentia annorum 10 millium et remissio tertiae partis peccatorum.

Feria 4. ad S. Magdalenam. Indulgentia annorum 10 millium et remissio tertiae partis peccatorum.

Feria 5. ad S. Vigilium. Indulgentia annorum 10 millium.

Feria 6. ad S. Bernardinum. Indulgentia annorum 10 millium.

Sabbato ad S. Laurentium. Indulgentia annorum 10 millium.

Dominica de passione ad S^{mam} Trinitatem. Indulgentia annorum 28 millium et totidem quadragenarum ac remissio tertiae partis omnium peccatorum.

Feria 2. ad S. Franciscum. Indulgentia annorum 10 millium.

Feria 3. ad S. Margaritam. Indulgentia annorum 10 millium.

Feria 4. ad S. Mariam maiorem. Indulgentia annorum 10 millium.

Feria 5. ad S. Vigilium. Indulgentia annorum 10 millium.

Feria 6. ad S. Crucem. Liberatio unius animae a purgatorio.

Sabbato ad S. Claram. Indulgentia annorum 12 millium et liberatio unius animae a purgatorio.

Dominica palmarum ad S^{mam} Trinitatem. Indulgentia omnium peccatorum bis in eadem die.

Feria 2. ad S. Petrum. Indulgentia annorum 25 millium et plenaria remissio omnium peccatorum.

Feria 3. ad S. Mariam Magdalenam. Indulgentia annorum 17 millium et remissio omnium peccatorum.

Feria 4. ad S. Laurentium. Indulgentia annorum 28 millium et totidem quadragenarum ac remissio omnium peccatorum.|

Feria 5. in cena Domini ad S. Vigilium. Remissio omnium peccatorum bis in die. 442^{r}

Feria 6. in parasceve ad S. Crucem. Remissio omnium peccatorum.

Sabbato sancto ad S. Claram. Indulgentia annorum 12 millium et remissio omnium peccatorum.

Dominica resurrectionis ad S^{mam} Trinitatem. Indulgentia annorum 27 millium et remissio omnium peccatorum.

Feria 2. paschae ad S. Bernardinum. Indulgentia annorum 28 millium et totidem quadragenarum ac etiam remissio omnium peccatorum.

Feria 3. ad S. Franciscum. Indulgentia annorum 15 millium et totidem quadragenarum ac remissio omnium peccatorum.

Feria 4. ad S. Laurentium. Indulgentia annorum 18 millium et totidem quadragenarum ac liberatio unius animae a purgatorio.

Feria 5. ad S. Vigilium. Indulgentia annorum 10 millium et remissio omnium peccatorum.

Feria 6. ad S. Petrum. Indulgentia annorum 15 millium.

Sabbato in albis ad S. Mariam maiorem. Remissio omnium peccatorum bis in die.

Octava paschae ad S^{mam} Trinitatem. Indulgentia annorum 15 millium et plenaria remissio omnium peccatorum bis eadem die.

Missa concilii die cinerum.

Die **2.** dicti mensis **Martii,** quae fuit dies prima quadragesimae, celebravit missam concilii consuetam R. D. episcopus Mindoniensis habuitque orationem[1] s. theologiae magister Adeodatus Senensis, familiaris R. D. archiepiscopi Panormitani. Antequam autem missa inciperetur, R^{mus} D. legatus indutus pluviali et mitra benedixit cinerem, quo signavit capita omnium patrum pluvialia et mitras similiter habentium ac aliorum etiam astantium, cum prius legatus ipse signatus cinere fuisset a R. D. archiepiscopo Sipontino, secundo praesidente. |

Adventus oratorum regis Portugalliae.

442^{v} Die sabbati **5.** eiusdem mensis **Martii** applicuerunt Tridentum oratores Ser^{mi} D. Ioannis, regis Portugalliae, videlicet Ill. D. Iacobus Sylvius, consiliarius regius, Iacobus Goveanus, s. theologiae professor, et Ioannes Paez, U. I. D. Quibus iverunt obviam oratores Caesarei ac praelati quamplures extra civitatem ad dimidium milliarii una cum familiaribus R^{morum} legati et praesidentium[2].

Missa concilii dominica prima quadragesimae.

Die **6.** dicti mensis **Martii,** dominica prima quadragesimae, celebravit missam de more in ecclesia cathedrali R. D. episcopus Constantinensis, oravitque s. theologiae magister Hieronymus Vannusius O. Praed. de Fano Fortunae, familiaris R. D. archiepiscopi Calaritani. Quibus interfuerunt omnes sacri concilii patres.

Recessus sacri imperii electorum Maguntini et Coloniensis ex civitate Tridentina.

Die Veneris **11.** eiusdem mensis **Martii** R^{mi} et Ill^{mi} DD. Maguntinus et Coloniensis archiepiscopi, S. R. imperii electores, recesserunt ex Tridento Germaniam versus, ituri ad tutandas ditiones suarum ecclesiarum, quae nunc[a] infestantur ab electore Mauritio duce Saxoniae, qui una cum quibusdam[b] sui similibus conspirarunt atque rebellarunt[c] a Caesare, inito foedere cum Henrico rege Gallorum[3].

Missa concilii dominica secunda quadragesimae.

Die **13. Martii,** dominica secunda quadragesimae, celebravit in ecclesia cathedrali missam concilii solitam R. D. episcopus Solonensis Germanus. Oravit autem s. theologiae magister Antonius de Uglioa ord. Min. de observ. Hispanus. Interfueruntque sacris ipsis omnes conciliares.

Congregatio generalis. Admittuntur oratores regis Portugalliae et prorogatur sessio sexta ad Kalendas Maii 1552.

444^{r} [4] In Dei nomine. Amen. Anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, indictione decima, die vero sabbati **19.** mensis **Martii,** pontificatus S^{mi} et Beat^{mi} in Christo patris et domini nostri, D. Iulii divina providentia papae III anno tertio, Tridenti in hospitio R^{mi} et Ill^{mi} D. sacri concilii legati in aula consueta habita est congregatio generalis omnium patrum ipsius concilii, in qua, celebrata solita missa spiritus sancti et recitata consueta eiusdem sancti spiritus oratione, primum ipse R^{mus} et Ill^{mus} **legatus** retulit patribus, iam advenisse oratores Ser^{mi} Ioannis regis Portugalliae eosque petere

[a] *C 119 add.* bello [b] *C 119* aliquibus [c] *C 119* defecerunt

[1] Quae oratio typis exscripta est apud *Le Plat* I 245—256.

[2] Cf. litteras Francisci de Toleto die 5. Martii datas, *Conc. Trid.* XI p. 838 l. 41 sqq.

[3] Cf. litteras oratorum Caesareorum ad Carolum V de die 10. Martii in *Conc. Trid.* XI p. 843 l. 40 sqq. et praesertim p. 844 adn. 1.

[4] Quia haec congregatio habita est loco sessionis iuxta decretum praeteritae sessionis hac die celebrandae, eius Acta a Massarello etiam tomo *Conc. 123* fol. 212^{r}—215^{r} inserta sunt. Breviori forma leguntur *Conc. 118* fol. 444^{r}—446^{v} et *Conc. 119* fol. 583^{r}—587^{v}.

audiri a sacra synodo eique exhibere litteras regias atque ab ea iuxta ipsarum litterarum tenorem admitti. Super quo interrogavit patres, an placeret. Cumque ab **omnibus** responsum fuisset: *Placet,* decretum fuit, ut intromitterentur et audirentur. Verum cum oriretur quaestio de praecedentia circa locum inter eos et oratores regis Hungariae neque lis ipsa componi posset, licet multis modis ac viis id a patribus tentatum fuisset, utrisque validas rationes et iura adducentibus, ne diutius res absque fructu protraheretur, statutum est, ut pro eo actu daretur eis locus in medio aulae, in qua congregatio ipsa habebatur, videlicet in calce sedilium praelatorum, ita tamen, ut neque locum aliorum oratorum neque ipsorum praelatorum tangerent, sed tanquam adhuc eorum loco non sedentes synodum primum alloquuturi, eo autem tempore, quo audirentur, oratores Hungariae congregationes exirent, ne vel ipsis vel eis praeiudicatum videri posset. Secedente igitur oratore (unus enim tantum tunc erat praesens) regis Hungariae praefati **oratores Portugalliae** intromissi sunt, perducti ac comitati ab oratoribus Caesareis, eisque supranotatus locus datus est. Qui primum salutatis humiliter patribus exhibuerunt sacrae ipsi synodo litteras regias, in quibus eorum legatio decernebatur. Quas litteras ego Angelus Massarellus secretarius accipiens aperui | claraque voce legi. Sunt vero tenoris infrascripti, videlicet 444v

Litterae Sermi Ioannis regis Portugalliae ad sacram synodum super constitutione oratorum suorum ad concilium destinatorum[1].

Ioannes Dei gratia Portugalliae et Algarbiorum rex citra et ultra mare, in Africa, Conc. 133 dominus Guineae, navigationis, expeditionis commertii, Aethiopiae, Arabiae, Persidis et 62r Indiae, sacrosancto oecumenico concilio Tridentino in spiritu sancto legitime congregato ecclesiam universalem repraesentanti salutem dicit. Est tanto amplius, quod nobis Dei optimi maximi pietas spondet atque pollicetur ad bene sperandum, quam quod temporum asperitas obiicit opponitque ex adverso ad abiiciendam spem animumque penitus despondendum, ut, quanto obstructiores videntur omnes aditus ad sacri huius concilii conclusionem, si quis humanas rationes cogitatione complectatur, tanto faciliores exitus divina sapientia, quae omnia fortiter attingit, sit inventura. Qua de re ipse spem concepi maximam, et vos, Patres Amplissimi, ut in eam curam vehementius incumbatis, ut obsecrare obtestarique non desinam, non vestrae probitatis diffidentia, sed rei magnitudo et mea in hoc sacrum concilium observantia facit. Quo ipse nunc mitto Iacobum Sylvium, virum in primis nobilem et propter singularem prudentiam in patrum conscriptorum, qui mihi a consiliis esse possunt, numerum et dignitatem a me cooptatum, legatum meum, et cum eo Iacobum Goveanum, sacrarum litterarum professorem, et Ioannem Paez, Caesarei pontificiique iuris doctorem, legatorum meorum nomine et dignitate a me ad hanc obeundam legationem pariter exornatos, ut meo nomine omnes intersint et apud vos agant illis de rebus, quas in mandatis habent. Neque vero dubium esse mihi potest, quin meo in vos omnes animo respondeat benignitas, qua et legatos meos excipiendos et res meas accipiendas a sacro concilio spero. Iterum tamen atque iterum oro vos, ut suscipiatis illos in vestrum patrocinium humaniterque tractetis et omnibus illis in rebus, quas nostro nomine proponent, non fidem modo habeatis, sed eam benevolentiam, quam nostra in vos observantia pietasque postulat, adhibeatis. Sacrosanctum oecumenicum concilium ecclesiam universalem legitime repraesentans, faxit Deus optimus maximus, ut feliciter opus sanctissimum prosequamini et absolvatis, Patres Amplissimi. Almeirini, 29. Septembris 1551. El Rey.

A tergo autem: Sacrosancto oecumenico concilio Tridentino in spiritu sancto Conc. 123 legitime congregato ecclesiam universalem repraesentanti. 212v

Erantque signatae sigillo regio maiori in cera rubea impresso.

Quibus litteris lectis dictum est ipsis DD. oratoribus, ut parumper secederent, mox regressuri. Eisque absentibus propositum fuit responsum eis a sancta synodo dandum. Quod cum ab **omnibus** approbaretur, iterum vocati sunt **oratores** praefati et iisdem locus est tributus.

Tunc a me Angelo secretario praefato nomine sanctae synodi responsum fuit his verbis, videlicet

[1] Sequimur originale in tomo *Conc. 133* fol. 62 regio sigillo in cera rubea impresso exornatum. Copia invenitur in tomo *Conc. 78* fol. 17r—18r. Typis exscriptae sunt hae litterae apud *Raynaldum* ad a. 1552 n. 23 et *Le Plat* IV 538.

Responsum sanctae synodi datum oratoribus regis Portugalliae in eorum comparitione die 19. Martii 1552[1].

Ser^{mi} Portugalliae regis Ioannis litterae, quae recitatae sunt, gravissimi et ornatissimi viri, cum declararint eximiam quandam regis vestri in Deum pietatem, insigne in rem publicam christianam studium ac summam erga sacrum hoc oecumenicum et generale concilium observantiam, patribus maximam quidem, non tamen praeter eorum expectationem, laetitiam attulerunt. Non enim ipsis modo, verum toti terrarum orbi notus atque testatus est regis vestri animus, dignus ipso et parente eius clarissimo et piissimo rege, cuius imitatione atque exemplo, Dei vero omnipotentis instinctu et numine, cum veram fidem orthodoxamque religionem in orientis partibus instaurandam propagandamque curaverit, non minorem is tamen laudem hoc tempore meretur, qui in tam perturbato rei publicae christianae statu, tantis dissidiis, tot haeresibus exortis pia et salutaria
213r huius synodi consilia adiuvare conetur, quam | in barbaris et idolorum cultui deditis nationibus ad veram religionem traducendis adeptus sit. Quam ob rem haec sacrosancta synodus Deo quidem meritas agit gratias, quod tantum in eius regis auctoritate, virtute, animi magnitudine ecclesiae suae praesidium calamitosis hisce temporibus constituerit, regis vero mandatum, quantum de iure potest, grate admodum et libenter admittit, vestram praesentiam cum regis causa tum etiam propter egregias vestras insignesque virtutes gratam semper habitura.

Quo responso dato **oratores** praefati gratias sanctae synodo egerunt atque humili reverentia facta ex aula exiverunt et ad propria remearunt[2].

Sessionis sextae prorogatio.

Comparitione supradictorum oratorum absoluta, cum praesens dies 19. Martii deputata esset pro sessione habenda[3] et sessio ipsa ob diversas causas celebrari non posset, praesertim ob absentiam Lutheranorum, qui iam in duabus proximis praeteritis sessionibus invitati fuerant, ut ad concilium venirent, et iam diu antea et toto hoc tempore a praeterita proxima usque ad hanc diem exspectati fuerint neque adhuc nisi quidam pauci, nempe Virtembergenses et Argentinenses, comparuerint, asserantque retineri ob praesentes tumultus bellicos in Germania ortos, cum scilicet Mauritius dux Saxoniae elector et Albertus marchio Brandeburgensis, electoris frater, cum quibusdam aliis eiusdem sortis hominibus, seditiosis, latronibus et rerum novarum cupidis ac publicae quietis turbatoribus contra Caesarem, eorum dominum, insurrexerint ac rebellaverint, inito foedere cum Henrico Gallorum rege, et iam arma capere et bella movere coeperint, ob quas novitates et tumultus tam catholici quam Lutherani ipsi (cum adhuc res quo tandem tendat, liquido cognosci non possit, an videlicet alii principes vel civitates cum eisdem novatoribus adhaeserint) in suspenso sint, omni aequitati ac rationi consonum statuique praesentis temporis expedire visum est (accedente praesertim iudicio invictissimi imperatoris), ut pro nunc a progressu concilii, donec eorum omnium eventus dilucidius appareat, supersedeatur. Quod a summo etiam pontifice non improbatur. Quare (ut dictum est) a sessione praeterita (quae 25. die mensis Ianuarii elapsi habita est) usque ad praesentem hanc diem ab omnibus actibus conciliaribus cessatum est. Caeterum, quoniam hodierna dies pro sessione ipsa (ut demonstratum est) deputata erat et sessio ipsa, cum haberi non possit, proroganda necessario videbatur, ne id in ecclesia cathedrali de more fieret, quod absque concilii ludibrio esse non posset, quasi saepius ad ipsam ecclesiam inaniter ad sessiones celebrandas eatur, cum nonnisi ceremoniae sessionales haberentur (ut in praeterita proxima sessione factum est), convenientissimum multis rationibus ostendebatur, ut prorogatio ipsa in congregatione generali decerneretur.

Quapropter in hac eadem congregatione post praefatam oratorum Portugalliae comparitionem R^{mus} et Ill^{mus} D. **legatus** alloquutus est patres in hanc sententiam: Eos non ignorare, quo in statu res concilii tunc essent, atque ideo superfluum esse id eis commemorare. Neminem enim reperiri, qui
213v | non liquido cognosceret sessionem, quae hodierna die haberi deberet, celebrari non posse. Neque etiam opus esse, ut eius rei causae connume-

[1] Copia invenitur in tomo *Conc. 133* fol. 63r. Hoc responsum typis exscriptum est apud *Raynaldum* ad a. 1552 n. 24 et *Le Plat* IV 539.

[2] De oratorum admissione legati die 5. Maii ad regem Lusitaniae scripserunt. *Conc. Trid.* XI p. 855 adn. 1.

[3] Vide supra p. 494 l. 14 s.

rarentur, quando omnibus notissimae apparerent, ac propterea sessionem ipsam videri necessario prorogandam. Quae tamen prorogatio multis modis consultius esset, ut in congregatione fieret, sicuti alias in hoc ipso concilio factum reperitur, ne patres ad ecclesiam toties vacui (id est absque decretorum publicatione) redire cogerentur. Eamque prorogationem usque ad Kalendas Maii proximas commode fieri posse, ut hoc interim, quid rei publicae christianae magis expedire videatur, dignosci valeat. Remittens se nihilominus in omnibus iudicio ipsorum patrum, cum ipse nihil ardentius optet, quam ut concilium suum debitum progressum habeat et quanto citius Deo dante exoptatissimum finem. Super ea igitur re sententias ipsorum patrum rogavit.

Et **omnes** unanimiter proposita ab ipso R^{mo} et Illmo D. legato collaudarunt atque approbarunt.

Et ita decretum atque sancitum est, et sessio ipsa, quae hac ipsa die iuxta decretum praeteritae sessionis habenda erat, ad praefatas Kalendas Maii proximas prorogata est.

Dimittiturque congregatio hora circiter 18.

[a]Et quia ego Angelus Massarellus de S. Severino Camerinensis dioecesis, sacri concilii secretarius et protonotarius apostolicus, praemissis omnibus et singulis interfui et praesens fui eaque in notam sumpsi, ideo hic manu mea propria subscripsi in fidem et testimonium etc.

Praelati, qui interfuerunt suprascriptae congregationi.

Legatus et praesidentes:

R^{mus} et Ill^{mus} D. Marcellus tit. S. Marcelli, S. R. E. praesbiter cardinalis, Crescentius nuncupatus, sacri concilii legatus et primus praesidens	Romanus	214r
R. D. Sebastianus Pighinus, archiep. Sipontinus, secundus praesidens	Regiensis	
R. D. Aloysius Lippomanus, ep. Veronensis, tertius praesidens	Venetus	

Oratores Caesarei:

Ill. D. Hugo comes a Montefort	Germanus
Ill. D. Franciscus a Toleto	Hispanus
R. D. Guilhelmus a Pictavia	Flander

Orator Ferdinandi regis Romanorum et Hungariae:

R. D. Paulus Gregoriancz, ep. Zagabriensis	[Hungarus]

Oratores Ioannis regis Portugalliae:

Ill. D. Iacobus Sylvius	Portugallensis
R. D. Iacobus Goveanus	Portugallensis
Exc. D. Ioannes Paez	Portugallensis

Archiepiscopi:

R. D. Salvator Salapusius, archiep. Turritanus	Sardus
R. D. Ludovicus Chieregatus, archiep. Antibarensis	Vicentinus
R. D. Petrus[b] de Alagon, archiep. Arborensis	Hispanus
R. D. Olaus Magnus, archiep. Upsalensis	Gothus
R. D. Petrus de Aragonia, archiep. Panormitanus	Siculus
R. D. Petrus Guerrero, archiep. Granatensis	Hispanus
R. D. Balthassar de Heredia, archiep. Calaritanus	Sardus

Episcopi:

R. D. Thomas Campegius, ep. Feltrensis	Bononiensis
R. D. Guthier de Caravagial, ep. Placentinus Hispaniae	Hispanus
R. D. Gaspar Ioffredus, ep. Segobricensis	Hispanus
R. D. Coriolanus Martyranus, ep. S. Marci	Neapolitanus

[a] *Sequentia in tomo Conc. 123 Massarellus scripsit manu propria.* [b] *C 123 sic*

R. D. Ioannes Bapt. Campegius, ep. Maioricensis . . . Bononiensis
R. D. Berardus Bonioannes, ep. Camerinensis . . . Romanus
R. D. Hieronymus Maiting, ep. Chiemensis, suffraganeus Saltzburgensis Germanus
R. D. Franciscus Ferrerius, ep. Vercellensis . . . Hyporigiensis
R. D. Ioannes Fonseca, ep. Castellimaris . . . Hispanus |
214v R. D. Nicolaus Maria Caracciolus, ep. Cathaniensis . . . Neapolitanus
R. D. Antonius de Aguila, ep. Zamorrensis . . . Hispanus
R. D. Stephanus de Almeida, ep. Carthaginensis . . . Hispanus
R. D. Ioannes Salazar de Burgos, ep. Lancianensis . . . Hispanus
R. D. Petrus Vaguer, ep. Algarensis . . . Hispanus
R. D. Hieronymus de Bononia, ep. Siracusanus . . . Siculus
R. D. Riccardus Patus, ep. Vigorniensis . . . Anglicus
R. D. Cornelius Mussus, ep. Bituntinus . . . Placentinus
R. D. Erasmus Alimpurch[a], ep. Argentinus . . . Germanus
R. D. Iulius Pfluch[a], ep. Numbergensis . . . Germanus
R. D. Franciscus de Venavides, ep. Mindoniensis . . . Hispanus
R. D. Iacobus Iacomellus, ep. Bellicastrensis . . . Romanus
R. D. Franciscus Manrique, ep. Auriensis . . . Hispanus
R. D. Franciscus de Navarra, ep. Pacensis . . . Hispanus
R. D. Alvarus Quadra, ep. Venusinus . . . Neapolitanus
R. D. Ferdinandus Loazes, ep. Ilerdensis . . . Hispanus
R. D. Iulius Contarenus, ep. Bellunensis . . . Venetus
R. D. Ioannes Iobinus, ep. Constantinensis . . . Hispanus
R. D. Petrus de Augustinis, ep. Oscensis . . . Hispanus
R. D. Iacobus Naclantus, ep. Clodiensis . . . Florentinus
R. D. Gregorius[a] Flach, ep. Solonensis, suffraganeus Herbipolensis . . Germanus
R. D. Georgius Schuuicherus, ep. Iavaliensis, suffraganeus Spirensis . Germanus
R. D. Ioannes Bernardus Diaz, ep. Calaguritanus . . . Hispanus
R. D. Michael Pugius, ep. Elnensis . . . Hispanus
R. D. Michael a Turre, ep. Cenetensis . . . Utinensis
R. D. Octavianus Praeconius, ep. Monopolitanus . . . Siculus
R. D. Ioannes Fernandi Themino, ep. Legionensis . . . Hispanus
R. D. Christophorus Ruscius, ep. Ovetensis . . . Hispanus
R. D. Ioannes Emilianus, ep. Tudensis . . . Hispanus
R. D. Antonius Codina, ep. Lacorensis, suffraganeus Barchinonensis . Hispanus
R. D. Ioannes de Mello, ep. Sylvensis Algarbiorum . . . Lusitanus
R. D. Christophorus Matzler, ep. Constantiensis . . . Germanus
R. D. Martinus de Ayala, ep. Guadiscensis . . . Hispanus |
215r R. D. Petrus de Acugna, ep. Astoricensis . . . Hispanus
R. D. Nicolaus Psaulme, ep. Virdunensis . . . Gallus
R. D. Franciscus Salazar, ep. Salaminensis . . . Hispanus
R. D. Vincentius de Leone, ep. Bossanensis . . . Siculus
R. D. Thomas de Platanis, ep. Curiensis . . . Germanus
R. D. Alvarus Moscosus, ep. Pampilonensis . . . Hispanus
R. D. Gaspar de Stuniga, ep. Segobiensis . . . Hispanus
R. D. Petrus Ponz, ep. Civitatensis Hispaniae . . . Hispanus
R. D. Angelus Bragadinus, ep. Vicentinus . . . Venetus
R. D. Gherardus de Ramboldis, ep. Civitatensis Apuliae . . . Veronensis
R. D. Egidius Fuscararius, ep. Mutinensis . . . Bononiensis
R. D. Ioannes Krith, ep. Achonensis, suffraganeus Monasteriensis . . Germanus
R. D. Achilles de Grassis, ep. Montisfalisci . . . Bononiensis

Abbates:

R. P. Gherardus de Americourt, abbas S. Bertini Morinensis dioecesis Flander
R. P. Marcus de Brixia, abbas S. Vitalis de Ravenna . . . Brixiensis
R. P. Eusebius de Parma, abbas S. Mariae Gratiarum Placentinae dioecesis . . . Parmensis

[a] *C 123 sic*

Generales ordinum:

R. P. Franciscus Romeus, generalis ord. Praed.	Aretinus
R. P. Christophorus Patavinus, generalis ord. s. Augustini	Patavinus
R. P. Iulius Magnanus, vicarius generalis ord. Min. Conv.	Placentinus

Missa concilii dominica tertia quadragesimae[1].

Die **20.** eiusdem mensis **Martii** celebravit in ecclesia cathedrali missam consuetam R. D. episcopus Monopolitanus habuitque orationem[2] sacrae theologiae magister Marianus Feltrinus ord. s. Augustini. Quibus interfuerunt omnes conciliares. Conc. 118 446^{v}

Missa in festo annunciationis b. Mariae.

Die Veneris **25.** eiusdem mensis in festo annunciationis b. Mariae virginis R^{mus} et Ill^{mus} D. legatus ac caeteri patres omnes iverunt ad ecclesiam b. Mariae maioris, ubi celebrata missa concionatus est R. D. archiepiscopus Granatensis.

Missa dominica quarta quadragesimae.

Die **27.** dicti mensis **Martii** in dominica quarta quadragesimae celebravit missam consuetam R. D. episcopus Legionensis in ecclesia cathedrali oravitque sacrae theologiae magister Alexander Candidus ord. Carm. Flander. Interfuerunt omnes conciliares excepto R^{mo} et Illmo D. | legato, qui hesterna die coepit adversa valetudine laborare. 447^{r}

Missa in dominica palmarum.

Die **10.** mensis **Aprilis** in dominica palmarum celebravit in ecclesia cathedrali missam concilii R. D. episcopus Lacorensis; benedixit autem ac distribuit palmas R. D. episcopus Veronensis, tertius praesidens (aegrotante R^{mo} et Illmo D. legato). Fuerunt praesentes omnes patres ac oratores, exceptis regis Portugalliae ob quaestionem praecedentiae inter eos et illos regis Romanorum, ut tamen regis Hungariae, cum sic habeatur in eorum mandatis.

Matutinae feria quarta maioris hebdomadae.

Die Mercurii **13.** dicti mensis **Aprilis**, feria quarta maioris hebdomadae, hora 20. in ecclesia cathedrali celebrantur matutinae consuetae, quibus interfuerunt omnes patres.

Missa in die cenae Domini et matutinae.

Die Iovis **14. Aprilis** in die cenae Domini celebravit missam concilii in ecclesia cathedrali R. D. ep. Guadiscensis. Reservatur sacramentum et caetera consueta peraguntur. Hora autem 21. decantantur in eadem cathedrali matutinae.

Missa et matutinae in parasceve.

Die Veneris sancta **15. Aprilis** peregit mane sacra consueta R. D. archiepiscopus Panormitanus habuitque orationem ad patres R. D. episcopus Constantinensis. Adoratur crux etc.[a] In sero autem hora solita decantantur matutinae.

[a] *C 119 add.* et cuncta alia peraguntur iuxta morem sanctae Romanae ecclesiae

[1] Quae sequuntur usque ad ultimam sessionem leguntur in tomo *Conc. 118* fol. 446^{v}—457^{v}; *Conc. 119* fol. 588^{r}—598^{v}; scripta sunt haec folia tomi *Conc. 119* ab ipso Massarello; folia 590—598 (et Acta sequentis sessionis sextae) primo inserta erant tomo *Conc. 118*, prout e numeris in margine superiori adiectis apparet. Postea reiecta sunt in tomum *Conc. 119*.

[2] Haec oratio typis exscripta est apud *Mansi* XXXIII 355 ss. et *Le Plat* I 256—263.

Missa in sabbato sancto.

Die **16. Aprilis**, quae fuit dies sabbati sancti, decantavit missam in eadem cathedrali R. D. episcopus Virdunensis. His sacris huius hebdomadae sanctae interfuerunt semper ⟨R[mi] et Ill[mi] DD. cardinalis Tridentinus, praesidentes, oratores et patres concilii⟩[a]. |

Missa concilii in die paschatis resurrectionis D. N. Iesu Christi 1552.

447v In Dei nomine. Amen. Die **17.** eiusdem mensis **Aprilis**, qua fuit pascha resurrectionis D. N. Iesu Christi, decantavit missam solemnem consuetam in eadem ecclesia cathedrali R. D. archiepiscopus Sipontinus, secundus sacri concilii praesidens, cui interfuerunt omnes conciliares.

Missa die secunda paschatis.

Die **18.** eiusdem mensis in festo secundo paschatis celebravit missam concilii R. D. episcopus Venusinus in eadem cathedrali ecclesia.

Missa die tertia paschatis.

Die vero Martis **19. Aprilis** in festo tertio paschatis decantavit in eadem ecclesia missam R. D. episcopus Lancianensis, cui fuerunt praesentes omnes patres[b].

Causae suspensionis concilii[1].

Rebus concilii sic[c] stantibus bella in Germania in dies magis magisque crudelius[d] saevire incipiunt, Mauritio Saxoniae duce contra Carolum quintum imperatorem, principem suum, arma sumente, adiuto[e] foedere Henrici Gallorum regis, ut superius[2] demonstratum est. Quorum foederatorum vires cum quotidie augerentur nullaque spes adesset non solum pacandae Germaniae (ob quam praecipue concilium Tridenti indictum erat), sed bella etiam in omnibus fere aliis christiani orbis provinciis vel iam orta essent vel conflari inciperent, capitur a Mauritio Augusta civitas. Qua ex re praelati praeter id, quod Tridenti absque fructu iam per multos dies ⟨otiosi perstiterant⟩[f], parum admodum tuti sibi in ea civitate amplius permanere posse videbatur[g], accedente praesertim fama, quae omnes adiacentes regiones impleverat, Mauritium ipsum propediem propugnaculo
448r quodam (quod intra Augustam et Oeni|pontem adiacet) expugnato[3] Oenipontem ipsum properare ad imperatorem impetendum. Quod ubi[h] evenisset, nullus remansisset locus tutus ab Oeniponte Tridentum. Quo timore ita perterriti sunt praelati caeterique conciliares omnes, ut quotidie multi ex Tridento discederent nulla petita licentia[i], tamquam id sibi ex imminenti omnibus noto periculo iure liceret. Ex qua quidem patrum secessione adeo concilium imminuebatur, ut propediem dissolutio indubie expectaretur. Quod cum ⟨ad aures summi pontificis pervenisset⟩[k], Sanctitas Sua nihil ecclesiae Dei magis officere posse considerans quam dissolutionem ipsam, consultius pro rerum et temporum opportunitate suspensionem faciendam censuit. Quare die[l] 15. supradicti

[a] *C 119* omnes conciliares
[b] *C 119 hic add.* Quare hoc tempore cessatum fuerit ab actibus conciliaribus. Hoc tempore, nempe a die 19. mensis Martii, qua sessio sexta prorogata est, nihil omnino in concilio peractum fuit. Cessatum est enim ab omnibus actibus conciliaribus, scilicet a discussionibus et examinationibus articulorum et materiarum concilii in gratiam Protestantium Germanorum, ut eorum theologi expectarentur et in ipsis articulis audirentur, sicuti oratores ducum Saxoniae et Virtembergensis in eorum comparitionibus a sancta synodo petierunt.
[c] *C 119 add.* ut dictum est [d] *M om.* [e] *M* adiutus
[f] *M et C 199* quieverant [g] *M* videbantur *corr. in* videbatur; *C 119* videbatur
[h] *M et C 119* si [i] *M et C 119* venia
[k] *M et C 119* significatum fuisset summo pontifici
[l] *M et C 119 add.* Veneris, *quod in M est postea corr. in* sabbati; *et iterum corr. in* Veneris

[1] In tomo *Conc. 10* fol. 209 legitur prima forma manu Massarelli scripta (=*M*).
[2] Cf. supra p. 510 l. 21 et 512 l. 29 s.
[3] Die 4. Apr. 1552 Augusta Vind. capta erat; sed castellum, quod dicebatur *Ehrenberger Klause*, Mauritius non ante diem 19. Maii expugnavit. *K. Brandi*, Kaiser Karl V. (München [3]1941) 518. 522.

mensis Aprilis[a] suspensionem ipsam concilii ad ⟨beneplacitum Suae Sanctitatis⟩[b] decrevit atque statuit. Interim tamen, ut nihil omitteretur, quod vel ad placandum Dei iram vel ad populi christiani aedificationem pertineret, Sanctitas Sua morum ⟨et abusuum⟩[c] reformationi vacandum constituit[d]. Idque ut commodius ac maiori cum fructu fieri posset, aliquot praelatos ex qualibet natione ex ipso concilio Romam ad Sanctitatem Suam evocandos[e] proposuit[f], ut eorum opera atque consilio reformatio ipsa opportunius et utilius statueretur. Quae omnia pontifex per eius litteras in forma brevis sub data Romae apud S. Petrum dicta die 15. Aprilis R^{mis} DD. legato et praesidentibus significavit. Quarum litterarum tenor est qui subsequitur, videlicet

Breve, quo Iulius III suspendit concilium Tridentinum ad beneplacitum Suae Sanctitatis[1].

Iulius papa III. Dilecte fili noster et venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. Cum intellexissemus nuper ex multorum fidedignorum litteris excitatos | fuisse in Germania non leves armorum tumultus et sacri Romani imperii electores non- 448v
nullosque alios tam Germanicae quam aliarum nationum praelatos isthinc discessisse, vosque et caeteros, qui remanserunt, in magna esse trepidatione et periculo constitutos, anxii profecto eramus et molestiae pleni verebamurque, ne istud concilium (quod magnos fructus tum labefactatae religioni tum periclitanti nationi Germanicae aliquando allaturum sperabamus) violenter fere et cum magno christianae rei publicae scandalo dissolveretur. Quam ob rem communicato hodie negotio cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus atque mature discusso, nullum aliud praesentius, tutius et salutarius remedium instanti necessitati adhiberi posse iudicavimus, quam dictum concilium sive eius prosecutionem ad aliquod tempus suspendere, minime dubitantes, christianos principes vosque et reliquos concilii patres id boni consulturos atque gratum habituros esse. Quapropter motu proprio et ex certa scientia nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine de[que] eorundem fratrum nostrorum unanimi consilio et assensu concilium ipsum sive eius prosequutionem ad nostrum et sedis apostolicae beneplacitum suspendimus, prout etiam per praesentes suspensum esse declaramus. Et quicquid secus quavis auctoritate scienter vel ignoranter in praemissis attemptatum forsan est hactenus vel in posterum contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Quae vobis significare voluimus, ut vos et praelati, qui isthic sunt, his intellectis quietiori animo securitati et caeteris rebus vestris pro temporis condicione consulere possitis. Nos sane spem magnam in Deo omnipotenti habemus, divinam eius Maiestatem pro sua bonitate tranquilliora atque aptiora tempora ad id sanctum opus resumendum et perficiendum cito nobis esse concessuram. Et quoniam intentionis nostrae est, ut nihil interea omittatur, quod ad placandam Dei iram per morum emendationem | et reformationem pertineat, idcirco 449r
volumus, ut vos vel duo aut unus vestrum reliquis absentibus vel impeditis istos venerabiles fratres nostros archiepiscopos et episcopos ex parte nostra per Domini nostri misericordiam hortemini, ut eorum aliqui ex qualibet natione, qui commode id facere poterint, ad nos se conferre velint, quo eorum opera et consilio eam reformationem aggrediamur, quae populo christiano salutaris et ipsi concilio, cum (divina opitulante gratia) resumetur, grata esse possit. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 15. Aprilis 1552, pontificatus nostri anno tertio.

Rom. Amaseus.

Inscriptio autem sic habebat: Dilecto filio Marcello tit. S. Marcelli presbytero cardinali, Crescentio nuncupato, nostro et apostolicae sedis ad concilium Tridentinum legato de latere, et venerabilibus fratribus Sebastiano archiepiscopo Sipontino et Aloysio episcopo Veronensi, nostris et ipsius sedis ad in dicto concilio una cum Marcello cardinali et legato nomine nostro praesidendum nuntiis, et eorum cuilibet.

[a] *M add.* habito sacro senatu, *quod postea est del.* [b] *In M corr. pro* biennium
[c] *M om.* [d] *M* statuit [e] *M* vocandos [f] *M* decrevit

[1] Quod breve typis exscriptum est apud *Raynaldum* ad a. 1552 n. 25 et *Le Plat* IV 544 s.

Quare suprascriptum breve non fuerit publicatum in concilio, sed ab ipso concilio suspensio facta sit.

Licet autem suspensio ipsa per summum pontificem facta fuisset, ut ex suprascripto brevi videre est, nihilominus tamen breve ipsum[a] in concilio minime publicatum fuit. Nam cum praesidentes ipsi animadverterent nonnullis ex patribus haudquaquam aequum aut ex ratione factum videri, ut suspensio ipsa a Sua Sanctitate absque nedum consensu, sed ne consilio quidem sacri concilii decerneretur, ut omnia ea, qua decet, caritate et unione fierent, nihilque referre perpendentes, suspensionem ipsam vel a Sua Sanctitate sola
449v vel a concilio Suae Sanctitatis nihilominus auctoritate (quae in ipsis | praesidentibus erat) decerni, annuerunt, ut suspensio ipsa a conciliomet[b] statueretur nulla habita mentione brevis, sicuti postea factum est, ut inferius demonstratur.

Congregatio generalis. Proponitur suspensio concilii et causae, quae eam faciendam suadent.

[1]Die dominica **24.** eiusdem mensis **Aprilis** Tridenti in ecclesia cathedrali hora 21. habita est congregatio generalis omnium patrum[c] (cum ob gravissimam[d] aegritudinem Rmi et Illmi D. legati haberi non posset in loco consueto[e], habito tamen prius consensu ipsius Rmi et Illmi D. legati, ⟨ut congregatio eo in loco fieret⟩[f]). In qua quidem congregatione ⟨recitatis ad invocandum sancti spiritus numen precibus consuetis⟩[g] R. D. archiepiscopus **Sipontinus, secundus praesidens,** proposuit patribus ⟨statum ⌜et conditionem⌝[h] praesentis temporis et difficultates, quae opponuntur celebrationi concilii, multasque recensuit causas et rationes, quae necessario suadebant et urgebant faciendam omnino esse suspensionem concilii⟩[i] tum ob bella, quae ⟨multis in locis, praesertim⟩[d] in Gallia et Germania vigent, cum Protestantes rebellaverint ab imperatore ⟨et contra eum arma iam movere coeperint⟩[d] nec solum[d] ad concilium venire ⟨non curant, sed publice illud illudere ac detestari non cessant, non attendentes, quanto labore coactum fuerit et⟩[k] in hac civitate hac sola[d] de causa a Paulo primum convocatum et collectum[l], deinde a Smo D. N. Iulio restitutum, ut ⟨commodius provinciae⟩[m] Germaniae mederetur ⟨et haereses in ea subortae tollerentur⟩[d]. Quod modo nedum praestari[n] non potest, verum ⟨ex praesenti sacri concilii in hac civitate mansione⟩[d] illi ⟨ipsi Protestantes⟩[d] irritantur in dies[d] magis magisque[d]. ⟨Quae omnia pro nunc a prosequutione concilii abstinendum et eius suspensionem faciendam admonent⟩[d].

⟨Super quibus rogatis patrum sententiis responsum fuit ut infra.⟩[o] |

450r Rmus et Illmus D. cardinalis **Tridentinus,** ⟨cum deploratus fuisset multis verbis (graviter admodum ac pie) calamitates praesentis temporis, ostendit faciendam necessario esse suspensionem, quam comprobavit⟩[p].

R. D. ep. **Zagabriensis** ⟨laudavit suspensionem tanquam necessariam⟩[q].

R. D. archiep. **Antibarensis, Arborensis, Panormitanus**[r], **Granatensis, Calaritanus,** ep. **Placentinus, Segobricensis**[s] probant sententiam Rmi et Illmi D. Tridentini.

Ep. **Sancti Marci, Maioricensis** ⟨suspensionem faciendam suaserunt⟩[t].

Vercellensis probat sententiam Rmi et Illmi D. Tridentini.

Gallipolitano placet suspensio.

Cathaniensis adhaeret sententiae Illmi D. Tridentini.

[a] *M* ipso [b] *M et C 119* concilio solo [c] *M add.* sacri concilii [d] *M om.* [e] *M* solito
[f] *M et C 119* de faciendo congregationem ipsam in loco praefato
[g] *M* primum [h] *C 119 om.*
[i] *M* causas, quae urgent, ut fiat suspensio concilii
[k] *M* velint, quod [l] *M add.* fuit [m] *M* scilicet [n] *M* fieri
[o] *M* Interrogavit igitur primum patres, an videatur eis faciendam suspensionem.
[p] *M* laudavit faciendam suspensionem, deploratus statum praesentis temporis
[q] *M* idem laudavit; *C 119* suspensionem laudavit
[r] *In C 119 Panormitanus locum habet ante Arborensem.*
[s] *M* Segorbiensis; *C 119* Segorbicensis
[t] *C 119* placet suspensio

[1] Acta sequentium trium congregationum a Massarello in ipsis congregationibus scripta inveniuntur in tomo *Conc. 10* fol. 210r—213r(=*M*). De congregatione die 24. Apr. habita cf. *Raynaldum* ad a. 1552 n. 26.

Camerinensi, Zamorrensi placet suspensio.

Castellimaris non placet suspensio, ⟨sed censet fieri prorogationem concilii⟩[a] ad feliciora tempora.

Carthaginensi, Lancianensi placet suspensio. |

Algarensis ⟨probat suspensionem⟩[b]. 450v

Siracusanus ⟨cuperet fieri dilationem progressus ⌜concilii, non autem suspensionem, ut alias factum est⌝[c]⟩[d].

Bellicastrensis, Vigorniensis, Auriensis, Mindoniensis probant sententiam Illmi D. Tridentini.

Pacensi non placet ⟨suspensio, sed dilatio processus, dum tamen⟩[e] aliter patribus visum non fuerit.

Venusinus ⟨dixit, se nolle aliquid deliberare, antequam[f] audiat modum faciendae suspensionis⟩[g].

Ilerdensi, Constantinensi, Bellunensi, Oscensi placet, quod fiat suspensio[h].

Calaguritanus ⟨cuperet procedi ad ulteriora nulloque modo suspensionem faciendam censet⟩[i].

Elnensis, Cenetensis probant sententiam Rmi et Illmi D. Tridentini.

Monopolitanus, Ovetensis ⟨censent faciendam⟩[k] suspensionem.

Legionensis ⟨dixit se deliberaturum⟩[l], cum agetur de modo. |

Tudensi non placet suspensio, sed ⟨cuperet fieri translationem ⌜ipsius concilii⌝[c] ad aliquam⟩[m] civitatem Italiae. 451r

Sylvensi, Lacorensi placet, quod[c] suspensio fiat[c].

Guadiscensi ⟨non placet suspensio, sed dilatio[c] progressus⟩[n].

Astoricensi non placet suspensio, antequam modum intelligat.

Virdunensis probat sententiam Rmi et Illmi D. Tridentini.

Salaminensi placet suspensio ad beneplacitum Smi D. N.

Bossanensis, Vicentinus ⟨censent faciendam esse suspensionem⟩[b].

Pampilonensi ⟨nullo modo suspensio placet⟩[o], sed procedatur ad ulteriora. *Neque* (inquiens)[p] *hinc recedam*[q], *antequam concilium finiatur.*

Segobiensi placet suspensio, ⟨dummodo debito modo fiat⟩[r].

Civitatensi[s] non placet suspensio[t], sed prorogetur tractatio dogmatum et agatur de reformatione.

Achonensis[u], **Montisfalisci, abbas S. Bertini, generalis Heremitarum s. Augustini** probant sententiam Illmi D. Tridentini.

⟨Cum autem numeratis votis compertum fuisset, longe maiori parti placere[v] suspensionem, id a me s e c r e t a r i o clara voce pronuntiatum atque declaratum est.⟩[w]

Deinde idem R. D. **secundus praesidens,** ⟨ut quibusdam patribus satisfieret⟩[p], declaravit, | idem esse suspensionem progressus et suspensionem concilii; iterumque ostendit, necessario tam quoad dogmata quam quoad reformationem faciendam esse suspensionem, ⟨tum aliis rationibus tum⟩[p] quia decreta, quae modo fierent, neque a Germanis neque a Gallis[x] reciperentur, ⟨cum dictae[y] nationes⟩[z] absint et concilio non adhaereant omniaque bellis ardeant[aa]. Sunt igitur (ait) expectanda meliora tempora. De modo autem ⟨suspendendi concilium: suspensio ipsa ita facienda est⟩[bb], ut adveniente tempore opportuno concilium resumi possit. ⟨Super quo modo exquisivit patrum sententias, qui responderunt, ut infra sequitur.⟩[cc] 451v

[a] *M* concilii, sed progressus; *C 119* sed prorogetur concilium [b] *C 119* placet suspensio
[c] *C 119 om.* [d] *M* placet dilatio progressus
[e] *M et C 119* sed supersedeatur a progressu, si
[f] *C 119* donec prius [g] *M* non dixit aliquid, sed velle audire prius modum
[h] *In M hoc loco est del.* Lacorensi placet
[i] *M* non placet aliquo modo, sed procedatur ad ulteriora; *C 119* cuperet procedendum ad ulteriora neque aliquo modo placet suspensio
[k] *C 119* probant [l] *M* dicere; *in M hoc votum legitur inter ea Monopolitani et Ovetensis.*
[m] *M* placeret translatio statim ad aliam [n] *M* placet suspensio progressus, non concilii
[o] *M* non placet suspensio aliquo modo [p] *M om.* [q] *M* recedat
[r] *M* cum modo debito [s] *M add.* Hispaniae [t] *M add.* concilii
[u] *M* Oconensis; *C 119* Ochonensis [v] *C 119* placuisse
[w] *M* Et ita a me secretario pronuntiatum est alta voce placuisse longe maiori parti, ut suspensio concilii fiat. [x] *M add.* et aliis multis [y] *C 119* eae [z] *M* qui
[aa] *M* urgeantur [bb] *M* suspendendum est
[cc] *M* Igitur patres dicant sententias de modo, dummodo idem sequatur

R^{mus} et Ill^{mus} D. cardinalis **Tridentinus** ⟨censuit fieri suspensionem ad biennium hac adiuncta[a] declaratione, ut, si infra id tempus cessarent impedimenta, quae modo urgent, concilium resumi debeat ⌜non expectato biennio⌝[b]. Si etiam ultra biennium impedimenta ipsa durarent, concilii suspensio durare quoque intelligatur⟩[c].

R. D. ep. **Zagabriensis** probat sententiam R^{mi} D. Tridentini ⟨addito, quod declaratio cessationis impedimentorum reservetur sedi apostolicae⟩[d].

R. D. archiep. **Antibarensis, Arborensis, Panormitanus** probant sententiam R^{mi} et Ill^{mi} D. Tridentini.

Granatensi placet suspensio, quousque cessabunt impedimenta, prout S^{mo} D. N. videbitur. Sed suspensio ipsa[e] fiat in sessione publica[f]. Cuperetque omnia decreta ⟨huius sacri concilii praelo dari[g], accedente ad id⟩[e] consensu et auctoritate Sanctitatis Suae, ut ⟨exequutioni demandari possint⟩[h].

452r **Calaritano** placet, quod fiat suspensio ad biennium, ita tamen[e], ut ulterius | non procedatur, accedente etiam[i] consensu S^{mi} D. N.[k]

R. D. ep. **Segobricensi**[l] placet suspensio ad biennium et ultra.

S. Marci[m] probat sententiam R. D. Granatensis.

Maioricensis, Vercellensis, Gallipolitanus, Cathaniensis[n], **Zamorrensis** probant sententiam R^{mi} et Ill^{mi} D. Tridentini.

Castellimaris placet fieri suspensionem processus ad feliciora tempora; ⟨sed nulla fiat mentio biennii.⟩[o]

Carthaginensis probat sententiam R. D. Granatensis.

Lancianensis probat sententiam RR. DD. Granatensis et Castellimaris.

Algarensis probat sententiam R^{mi} et Ill^{mi} Tridentini et R. D. Granatensis[p].

Siracusanus probat sententiam R. D. Granatensis[q].

Bellicastrensi, Vigorniensi placet sententia Ill^{mi} D. Tridentini.

Auriensi placet sententia R^{mi} et Ill^{mi} D. Tridentini, ut fiat suspensio ad biennium et ad feliciora tempora; quae cum venerint, patres revertantur absque nova vocatione. Probatque etiam sententiam R. D. Granatensis[r].

Pacensis dixit: ⟨*Si suspensio placet patribus, placet et mihi.*⟩[s]

Mindoniensi[t] placet sententia R. D. Granatensis.

Venusino neque suspensio neque modus placet. |

452v **Ilerdensis**[u], **Constantinensis**[v], **Oscensis, Bellunensis**[w] comprobant sententiam Ill^{mi} D. Tridentini.

Calaguritano non placet suspensio.

Elnensi placet suspensio, quousque durabunt impedimenta.

Cenetensi placet suspensio ad beneplacitum S^{mi} D. N[x].

Monopolitanus[y], **Legionensis**[z], **Ovetensis** probant sententiam R^{mi} et Ill^{mi} Tridentini.

Tudensi non[aa] placet suspensio[bb].

[a] *C 119* addita [b] *C 119 om.*

[c] *M* placet fieri ad biennium, sed quod, si infra cessarent impedimenta, concilium reverti deberet et, si ultra biennium durarent, concilii suspensio ulterius duraret.

[d] *M* et sedes apostolica declararet, quando impedimenta cessassent.

[e] *M et C 119 om.* [f] *M add.* cum decreto [g] *M* imprimi

[h] *M* exequutioni demandarentur; *C 119* exequantur [i] *M* tamen

[k] *M hoc loco inserit* Placentino placet suspensio ad biennium

[l] *M et C 119* Segorbiensi

[m] *M add.* placet fieri quousque tempora mala cessabunt et

[n] *M hic inserit* Camerinensis remittit se ad S^{mum} D. N.

[o] *M* cessantibus impedimentis, et non dicatur „ad biennium"

[p] *M add.* et confirmetur suspensio haec a papa

[q] *M add.* et impedimenta sint gravia

[r] *M add.* et cuperet fieri reformationem a pontifice

[s] *M* Si placet patribus, placet et etiam ad biennium suspensio; *C 119 ut supra; sed loco* mihi *habet* ipsi.

[t] *In M et C 119 Mindoniensis locum habet ante Pacensem.*

[u] *M* Ilerdensis: placet cum [!] sententia Tridentini et pontifex declaret

[v] *M* Constantinensis: placet ad biennium suspensio et sententia Tridentini et Granatensis

[w] *M* Bellunensis cum Tridentino et Granatensi

[x] *M add.* cum sententia Granatensis

[y] *M* Monopolitano placet sententia Tridentini ad beneplacitum Suae S^{tis} et Granatensis sententia [z] *M* Legionensis cum Tridentino et Granatensi [aa] *M add. supra lineam*

[bb] *M add.* ad biennium; *quod sequitur, est del.:* . . . , ante vel post per S^{mum} D. declarandum, et ut dixit Granatensis

Sylvensis[a], **Lacorensis**[b] comprobant sententiam Illmi D. Tridentini.

Guadiscensi non placet suspensio, sed prorogetur processus concilii.

Astoricensi ⟨non placet suspensio, sed prorogatio ad biennium⟩[c]; in aliis autem placet sententia R. D. Granatensis.

Virdunensi placet sententia Illmi D. Tridentini ⟨et Granatensis⟩[d] cum beneplacito Smi D. N.[e]

Salaminensi placet suspensio ad beneplacitum Smi D. N. et sententia R. D. Granatensis.

Bossanensis probat sententias Illmi D. Tridentini et R. D. Granatensis[f].

Vicentino placet sententia Rmi D. Tridentini cum declaratione Suae Sanctitatis.

Pampelonensi neque suspensio neque prorogatio placet, cuperetque fieri reformationem a Smo D. N. |

Segobiensi placet suspensio ad biennium; ⟨quo transacto⟩[g] sine nova vocatione 453r
⟨concilium resumatur⟩[h] et decreta imprimantur.

Civitatensi[i] non placet suspensio.

Achonensis[k] probat sententias Illmi D. Tridentini et R. D. Granatensis.

Montisfalisci placet sententia Illmi D. Tridentini, et declaratio ⟨reservetur Smo D. N.⟩[l]

Abbas S. Bertini, generalis Heremitarum probant sententiam Illmi D. Tridentini.

⟨Cum igitur a maiori parte patrum probaretur sententia Rmi et Illmi D. Tridentini, secundum eam decretum atque conclusum fuit.⟩[m]

Deinde idem R. D. **secundus praesidens** dixit[n] conficiendum esse decretum ⟨iuxta praedictam maioris partis sententiam⟩[o], reservata tamen in ipso decreto auctoritate summi pontificis illud approbandi. Quod decretum publicetur in sessione publica[p].

⟨Rogatisque sententiis patrum propositio praefata ab **omnibus** comprobatur⟩[q] eligunturque ad ipsum decretum conficiendum infrascripti, videlicet

Patres electi pro confectione decreti suspensionis.

RR. DD. archiepiscopi Panormitanus, Granatensis, Calaritanus; episcopi S. Marci, Cathaniensis, Sylvensis[r], Auriensis[s].

⟨Dimittitur autem congregatio hora 24.⟩[d]

Sacra deputatio. Formatur decretum suspensionis.

Die lunae **25.** eiusdem mensis [**Aprilis**] habetur sacra deputatio suprascriptorum patrum, qui formarunt[t] decretum suspensionis ⟨concilii, in generali congregatione postea comprobandum⟩[u]. |

Congregatio generalis. Proponitur decretum suspensionis et mens pontificis, ut aliqui patres eant ad Urbem pro reformatione facienda.

Die Martis **26.** dicti mensis **Aprilis** mane hora 12. in eadem ecclesia cathedrali habita 453v
est congregatio generalis, in qua celebrata missa de spiritu sancto et recitatis precibus consuetis[v] R. D. **secundus praesidens**, cum aliqui patres in praeterita congregatione

[a] *M* Sylvensi placet suspensio ad biennium cum assensu [?] papae et ante, si causae cessabunt, et sententia Granatensis [b] *M* Lacorensi placet sententia Tridentini et Granatensis
[c] *M* placet prorogatio sessionis ad biennium, non autem concilium suspendatur
[d] *M om.* [e] *M add.* et decreta imprimantur cum pontifice approbante
[f] *M add.* et decretis [g] *M et C 119* sed tunc [h] *M* huc veniatur [i] *M add.* Hispaniae
[k] *M* Oconensis; *C 119* Ochonensis [l] *M* sit apud pontificem
[m] *M* Et ita conclusum est secundum sententiam cardinalis Tridentini.
[n] *C 119* proposuit [o] *M* de hoc [p] *M et C 119 om.*
[q] *M* quod omnibus placuit [r] *M* Algarbiensis
[s] *M hic add.* Dum autem haec aguntur, significatum est episcopis publice, exercitum Caesareum conflixisse cum exercitu Gallorum in Lotharingia et Gallos profligatos. De quo Deo publice gratiae actae ab eis sunt, et recesserunt patres ovantes et laeti. Deo gratias. *Postea in margine add. Massarelus:* Falsus fuit nuncius. [t] *C 119* confecerunt
[u] *C 119* huiusmodi, ut postea in generali congregatione examinari et firmari posset.
[v] *M add.* per R. D. secundum praesidentem ipse

dixissent se cupere reformationem, retulit summum pontificem nihil magis ⟨in votis habere, quam ut reformatio in ecclesia fiat, ac propterea Sanctitatem Suam optare⟩[a], ut aliqui[b] patres concilii[c] ex qualibet natione[d] Romam[c] ad Suam Beatitudinem ⟨se conferrent⟩[e], ⟨ut eorum consilio et opera consultius atque aptius ipsi reformationi vacari[f] posset; idque nomine eius Sanctitatis (a qua litteras in forma brevis super ea re praesidentes ipsi receperant) patribus proponere⟩[g]. Postea retulit formatum fuisse[h] decretum suspensionis[i] iuxta sententias ⟨maioris partis⟩[i] patrum in praecedenti congregatione recitatas.

Quod decretum cum a me Angelo secretario clara voce lectum[k] fuisset, super eo ⟨et missione praelatorum ad Urbem⟩[c] vota rogantur[l]. ⟨Quorum summa est, quae subsequitur.⟩[c]

R^mus^ et Ill^mus^ D. cardinalis **Tridentinus** comprobavit missionem aliquot praelatorum ad Urbem ad S^mum^ D. N. pro reformatione facienda. Qui patres procurare ⟨etiam suo tempore⟩[m] possent, ut concilium cessantibus impedimentis restitueretur a Sanctitate Sua. In decreto autem ⟨quaedam consideranda animadvertit ad maiorem dilucidationem, ut videlicet ⌜in ea non ponerentur verba⌝[n], quae Germanos magis irritare possent. Consuluitque die crastina celebrandam sessionem ob imminens periculum obitus R^mi^ et Ill^mi^ D. legati⟩[o].

R. D. ep. **Zagabriensis** comprobavit proposita circa reformationem ⟨una cum decreto, in quo addi cupit non intelligi restitutum concilium absque pontificis declaratione⟩[p].

R. D. archiep. **Turritanus** ⟨suspensionem et missionem praelatorum improbavit censuitque potius supersedendum a progressu concilii, cum causae suspensionis non
454r videantur legitimae; | quinimmo cum concilium inter caetera sit indictum ad componendas discordias principum, *nunc* (ait) *eo minus recedere debet, quo discordiae ipsae principum maiores sunt*⟩[q].

Antibarensis, Arborensis probant sententiam Ill^mi^ et R^mi^ D. Tridentini.

Panormitanus[r] laudat missionem praelatorum ad Suam Sanctitatem; ⟨in aliis nihil dixit, quia est unus ex deputatis, qui nunquam consueverunt ferre sententias super decretis ab eis propositis.⟩[c]

Granatensis ⟨circa missionem praelatorum non deliberavit; in aliis est etiam et ipse unus ex deputatis⟩[s].

Calaritanus ⟨nihil etiam deliberavit⟩[t].

R. D. ep. **Placentinus, Segobricensis**[u] probant decretum.

S. Marci laudat missionem praelatorum; in aliis est deputatus.

Maioricensis[v], **Vercellensis, Gallipolitanus** comprobant sententiam Ill^mi^ D. Tridentini.

Cathaniensis ⟨probat missionem praelatorum; in reliquis est deputatus⟩[w].

Camerinensis probat decretum et alia proposita.

[a] *M* cupere, ac propterea desiderare
[b] *C 119* aliquot [c] *M om.* [d] *M add.* ex hoc concilio [e] *C 119* accederent
[f] *C 119* vacare
[g] *M* ut cum eorum consilio provideri posset ecclesiarum reformationi etc., id quod ipsis praesidentibus significasse et ideo eis eius parte significare. [h] *M add.* per deputatos
[i] *M et C 119 om.* [k] *C 119* recitatum [l] *C 119* rogavit
[m] *M om.*; *C 119 om.* suo tempore [n] *C 119* ex eo delerentur
[o] *M* laudavit verba illa „S^mo^ D. N. Iulio III", et loco „collapsum" dici „in statum pristinum, in statum unanimem", et deleatur „tragedias", dicatur „novas opiniones", et vellet dici aliqua de expectatione Germanorum etc., et dicatur „pene omnium Germanorum et eorum, quorum causa praecipue agebatur"; addaturque „arma in Pannonia etiam furere". Ultimum caput de observatione decretorum consuluit non ponendum, ne irritarentur Germani, qui id maximopere impugnant. Et sessio fiat cras, [*quae sequuntur add. in margine*] si legatus ita male laborat, ut aiunt.
[p] *M* in decreto probat notationes Tridentini, et addatur restitutionem non intelligi absque nova pontificis declaratione.
[q] *M* cuperet ante omnia legatum delegare praesidentibus suam auctoritatem, cum absit, et cupit dari exemplum decreti, antequam decernatur; neque placet concilium suspendi, sed supersedeatur a progressu, cum alias propter bella ante translationem concilium non fuit suspensum, et tum erant bella in Germania maxima contra imperatorem; et si mittendi essent aliqui ad Suam S^tem^, deberet id significari concilio per litteras apostolicas et in decreto fieri mentionem. Propterea concilium ob componendas discordias coactum etiam est, quare igitur recedit concilium, cum [*unum verbum legi non potest*] deberet. Idem de Turco, et Lutherani calumniabunt concilium, quod eos non audiverit, imo recesserit. [r] *M add.* idem et
[s] *M* deputatus quoad reformationem et missionem non deliberat, in aliis non dicit, quia deputatus.
[t] *M* deputatus de missione etiam nihil dixit. [u] *M* Segorbiensis; *C 119* Segorbicensis
[v] *M* Maioricensi placet missio et placet decretum; et laudat dicta per Tridentinum
[w] *M* deputatus probat reformationem

Zamorrensi placet suspensio ad biennium.

Castellimaris nihil deliberavit.

Carthaginensis ⟨nihil etiam deliberavit⟩[a].

Lancianensis non probat missionem praelatorum; ⟨super decreto autem nihil dixit.⟩[b] |

Algarensis ⟨nihil deliberavit⟩[c]. 454v

Siracusanus[d] in decreto cuperet dici loco *suspensio concilii* — *suspensio progressus*, et ⟨quod ea reservatio, quae fit S^{mo} D. N., deleretur uti superflua⟩[e].

Vigorniensis probat sententiam Ill^{mi} D. Tridentini.

Auriensis cuperet fieri reformationem a concilio[f]; in aliis est deputatus.

Mindoniensis probat sententiam Ill^{mi} D. Tridentini.

Pacensis in decreto nihil deliberavit; ⟨missionem autem praelatorum improbavit⟩[g]. Dixitque nonnulla contra Romanam curiam ⟨et libertatem circa reformationem in ea faciendam⟩[h].

Venusinus ⟨neque suspensionem⟩[i] neque missionem praelatorum probat ⟨censetque faciendam a concilio reformationem⟩[k].

Ilerdensis probat sententiam Ill^{mi} et R^{mi} D. Tridentini.

Constantinensis ⟨non probat missionem praelatorum ad Urbem; in decreto autem laudat sententiam Ill^{mi} D. Tridentini⟩[l].

Bellunensis probat ⟨sententiam Ill^{mi} D. Tridentini⟩[m].

Oscensis probat decretum.

Calaguritano non placet missio praelatorum; sed pontifex solus faciat reformationem; ⟨dixitque in concilio non fuisse libertatem loquendi ⌜circa reformationem, et nonnulla contra⌝[n] curiam Romanam⟩[o].

Elnensis ⟨super decreto nihil dixit⟩[p], improbavit tamen missionem praelatorum.

Cenetensis[q], **Monopolitanus**[r] approbant sententiam Ill^{mi} D. Tridentini.

Legionensis nihil deliberavit.

Ovetensis probat dicta per Ill^{mum} Tridentinum in decreto et per Calaguritanum circa reformationem. |

Tudensi non placet suspensio neque missio praelatorum, sed procedatur in concilio[s]. 455r

Sylvensis probat sententiam D. Tridentini; ⟨estque deputatus.⟩[t]

Lacorensi placet decretum[u].

Guadiscensis cuperet fieri reformationem a concilio[s], probatque sententias RR. DD. Calaguritani, Pacensis et Venusini.

Astoricensi[v] neque suspensio neque decretum placet, probatque sententiam R. D. Turritani.

Virdunensis[w] probat sententiam Ill^{mi} D. Tridentini.

Salaminensi placet decretum in omnibus.

Bossanensi[x] placet sententia Ill^{mi} D. Tridentini.

Pampelonensi non placet suspensio[y].

Segobiensis[z] nihil deliberavit.

[a] *M* cupit copiam decreti [b] *M* decretique copiam cupit videre
[c] *M* probat exemplum dari decreti. [d] *M add.* nihil deliberavit in missione
[e] *M* et illa reservatio papae videtur superflua, cum alias reservata sit.
[f] *M add.* et responsio dabitur per Hispanos, sed deberet id a pontifice peti per breve
[g] *M* neque de missione praelatorum ad Urbem, quod improbat; *C 119* neque de missione praelatorum, quam tamen improbat [h] *M om.; in C 119 a Massarello postea additum*
[i] *M* non placet suspensio, sed detur copia decreti
[k] *C 119* sed reformatio (ait) facienda est a concilio
[l] *C 119* non placet missio praelatorum; in decreto autem placent notationes factae per R^{mum} Tridentinum. [m] *M* missionem praelatorum et decretum cum Tridentino
[n] *C 119* et quaedam in
[o] *M* neque hic adfuit libertas loquendi; et decretum cupit videre, antequam aliquid dicat.
[p] *M* cupit videre decretum
[q] *M* Cenetensis probat missionem praelatorum et decretum cum sententia Tridentini.
[r] *M* Monopolitanus probat reformationem et sententiam Tridentini in decreto.
[s] *M add.* et detur copia decreti [t] *M et C 119 om.*
[u] *M add.* et remittit se praesidentibus [v] *M add.* non deliberavit in missione
[w] *M add.* probat missionem praelatorum et in decreto
[x] *M add.* probat reformationem [y] *M add.* et cupit exemplum decreti
[z] *M add.* deputatus circa reformationem et missionem

Civitatensi ⟨neque decretum⟩[a] neque suspensio placet neque missio praelatorum[b].

Achonensis[c], **Montisfalisci, abbas S. Bertini, generalis Heremitarum** approbant sententiam R^mi^ et Ill^mi^ D. Tridentini.

Deinde R. D. **secundus praesidens** dixit quoad missionem aliquorum praelatorum ⟨ad Urbem pro reformatione facienda, Sanctitatem Suam de ea re scripsisse litteras in forma brevis ad ipsos praesidentes, quae cuique volenti ostenderentur. Postea cum aliqui patres[d] in eorum votis recitandis dixissent, nullam posse sperari reformationem in Urbe, cum nemo in ea sit, qui reformatione non egeat: *Quae igitur* (inquientes) *in Urbe libertas loquendi vel reformandi erit?* ⌜nonnullaque alia contra Romanam curiam retulis-
455v sent⌝[e], ipse R. D. | secundus praesidens multis ⌜rationibus ac⌝[f] modis ostendit maximam, si ullibi gentium, apud pontificem sanctamque sedem apostolicam fuisse semper et esse cuique loquendi libertatem. Neque decere praelatos ita inhoneste de summo pontifice deque Romana curia conviciari. Si enim (inquiens) patres aliqui pro reformatione una cum Sua Sanctitate facienda ad ipsam Urbem accederent[g], ubi liberius, ubi tutius, ubi denique securius ea fieri, ea decerni, ea exsequi posset? Neque praeterea unam tantum Romanam curiam, sed alias curias, alias civitates, alias provincias, alias nationes longe etiam ⌜efficaciori atque praesentaniori⌝[h] reformatione indigere[i]. Monuitque patres, ut in sententiis ⌜libertate quidem fruerentur, sed⌝[f] ab iniuriis et conviciis abstinerent. Obtulit insuper decreti suspensionis exemplum omnibus, quos tamen rogavit, ut celeritate in eo accipiendo atque examinando uterentur, cum maxime instaret atque immineret mors R^mi^ et Ill^mi^ legati⟩[k].

Dimittitur autem congregatio hora 16[l].

Sacra deputatio. Reformatur decretum suspensionis.

Eadem die **26. Aprilis** hora autem 21. habetur sacra deputatio[m], in qua aptatur et reformatur decretum suspensionis iuxta adnotationes patrum.

Datur omnibus patribus exemplum supradicti decreti.

Eadem die datur omnibus patribus exemplum decreti suspensionis ⟨reformati per RR. DD. deputatos, ut in crastina generali congregatione examinari commodius possit⟩[n].

Congregatio generalis. Approbatur decretum suspensionis concilii et die crastina celebrandam sessionem.

456r Die Mercurii **27.** eiusdem mensis **Aprilis** hora 21. habetur congregatio generalis, in qua[o] R. D. **secundus praesidens** retulit patribus, reformatum fuisse decretum suspensionis per DD. deputatos iuxta adnotationes patrum omnibusque fuisse factum satis.

⟨Egoque secretarius decretum ipsum clara voce legi.⟩[p] Super quo rogatis sententiis patres ita responderunt:

R^mus^ et Ill^mus^ D. cardinalis **Tridentinus** approbavit decretum multisque rationibus declaravit suspensionem ⟨ipsam hoc tempore maxime⟩[n] necessariam esse. Atque etiam patres enixe[n] rogavit, ut omnes ⟨idem sapere et⟩[n] in idem convenire[q] omnes vellent; ⟨dieque crastina sessionem fieri et in ea decretum ipsum publicari censuit⟩[r].

R. D. [ep.] **Zagabriensis** comprobavit[s] sententiam R^mi^ et Ill^mi^ Tridentini.

[a] *M et C 119 om.* [b] *M add.* sed pontifex solus reformet; et detur copia decreti
[c] *M* Oconensis; *C 119* Ochonensis [d] *C 119 add.* ut fuere Pacensis et Calaguritanus
[e] *C 119* similiaque alia verba protulerant [f] *C 119 om.* [g] *C 119* irent
[h] *C 119* efficacius atque praesentanius [i] *C 119* opus habere
[k] *M* ad pontificem, id Suam S^tem^ per breve ipsis praesidentibus scripsisse, quod ostendet volentibus videre, et apud pontificem esse maximam libertatem loquendi omnibus, et alias provincias indigere reformatione, non autem solam Romanam curiam. Quoad decretum mittant patres aliqui pro exemplo, ut aliis communicetur aliquo in loco separato congregatis, ut citius expediatur negotium, ne omne in exemplo accipiendo tempus conteratur, cum imminet mors legati, qui gravissime laborat. [l] *M* 15 [m] *M add.* coram R. D. secundo praesidente [n] *M om.*
[o] *M add.* lecta solita oratione [p] *M* Deinde iussit legi ipsum decretum, quod ego alta voce feci.
[q] *M* consentire [r] *M* et cras sessio habeatur [s] *C 119 add.* decretum et

R. D. archiep. **Turritano** non placet praefatio de indictione et restitutione concilii[a], velletque deleri illa verba *omnis spes sublata* etc. et illa *irritaret animos*; ⟨neque mentio fiat suspensionis concilii, sed progressus⟩[b]. Neque etiam placet apponi clausulam illam in fine de consensu S^mi^ D. N.[c] Neque placent verba illa *quatenus de iure spectat.* Decretum igitur in totum displicet.

Antibarensi placet decretum et sessionem celebrari die crastina.

Archiep. **Arborensis, Upsalensis, Panormitanus, Granatensis, Calaritanus,** ep. **Placentinus, Segobricensis**[d] probant decretum et cras sessionem celebrari. |

Ep. **S. Marci, Maioricensis, Vercellensis, Gallipolitanus, Cathaniensis, Camerinensis** 456v probant decretum et crastinam sessionem.

Castellimaris probat sententiam R. D. Turritani.

Zamorrensi placet decretum.

Lancianensis probat sententiam R. D. Turritani.

Carthaginensi placet decretum.

Algarensi placet decretum; cupit tamen considerari[e] dicta per R. D. Turritanum.

Siracusano placet decretum excepta ⟨ultima clausula⟩[f] uti superflua.

Vigorniensis, Bellicastrensis, Mindoniensis, Auriensis[g] probant sententiam Ill^mi^ D. Tridentini.

Pacensi non placet suspensio; sed fiat prorogatio. ⟨Probatque dicta per D. Turritanum.⟩[h]

Venusino non placet suspensio.

Ilerdensis, Constantinensis, Bellunensis, Oscensis probant decretum et cras sessionem fieri. |

Calaguritano non placet. 457r

Elnensis ⟨probat sententiam R. D. Turritani⟩[i].

Cenetensis, Monopolitanus[k] probant sententiam Ill^mi^ D. Tridentini.

Legionensi placet decretum; censet tamen consideranda dicta per D. Turritanum, sessioque crastina celebretur, si R^mus^ legatus gravissime laborat.

Ovetensi placet decretum et crastina sessio.

Tudensi non placet ⟨decretum neque suspensio; probatque sententiam R. D. Turritani⟩[l].

Sylvensis, Lacorensis probant decretum et sessionem crastinam.

Guadiscensi neque decretum neque suspensio placet.

Astoricensis probat sententiam R. D. Turritani.

Virdunensis, Salaminensis, Bossanensis, Vicentinus probant decretum et cras fieri sessionem.

Pampelonensis primo professus est, summum pontificem esse Christi vicarium et ecclesiae caput verumque[m] Petri successorem a Deoque immediate potestatem habere[n]. ⟨Suspensionem autem improbavit[o] adhaerens sententiae R. D. Turritani.⟩[p]

Segobiensi placet decretum et ⟨cras sessionem haberi⟩[q].

Civitatensi neque decretum[r] neque suspensio placet, sed prorogetur progressus concilii. |

Ochonensis[s], **Montisfalisci, abbas S. Bertini, generalis Heremitarum** probant sententiam Ill^mi^ D. Tridentini. 457v

[a] *M add.* de coactione non fiat mentio

[b] *M* neque placet, quod dicitur de suspensionis verbo, sed supersedeatur a progressu

[c] *M add.* quia, si non habetur consensus pontificis, requiratur prius et interim nihil agatur.

[d] *M* Segorbiensis [e] *C 119* animadverti [f] *M* accedente consensu

[g] *In M et in C 119 Auriensis locum habet ante Mindoniensem.*

[h] *M* neque clausula „pontifex", et die dominica fiat sessio, et Turritanus.

[i] *M et C 119* non placet decretum neque crastina sessio, [*C 119 hic add.* probatque sententiam R. D. Turritani *et reliqua om.*] sed die dominica fiat, et sit prorogatio progressus, et Turritanus.

[k] *M* Monopolitano placet decretum; et ponantur in fine verba illa S^mi^ D. N., ut in principio dicitur; et sessio crastina.

[l] *M* sed prorogetur sessio ad kalendas Novembris; et placet, quod dixit Turritanus; *C 119* non placet decretum neque suspensio, sed prorogetur sessio ad kalendas Novembris; probatque notationes R. D. Turritani [m] *M* et [n] *M et C 119 add.* non ab hominibus

[o] *C 119 add.* prorogationemque faciendam censuit

[p] *M* Non placet suspensio, sed fiat prorogatio; et probat dicta per Turritanum; et sessio differatur ad diem dominicam. [q] *M* et sessio die dominica

[r] *M et C 119 add.* neque sessio crastina [s] *M* Oxonensis

Cum autem placeret longe maiori parti decretum dieque crastina sessionem fieri, ita conclusum et firmatum est[a].

Deinde R. D. ep. **Zagabriensis** rogavit patres, ut vellent commendare ⟨per eorum litteras⟩[b] summo pontifici D. Iacobum Severinum Siculum ⟨tanquam benemeritum⟩[c] concilii, ⟨in quo vicecommissarii officium exercuit⟩[b].

Quod cum ab **omnibus** probaretur, iniunctum fuit mihi Angelo secretario, ut id per litteras nomine sanctae synodi Suae Sanctitati significarem.

Postea, cum adhuc vigeret altercatio[d] loci et praecedentiae inter oratores Ser[morum] regum Hungariae et Portugalliae, ne maiores[b] tumultus excitarentur, R[mi] DD. **praesidentes** una cum[e] patribus ibidem praesentibus ordinarunt, ut in crastina sessione oratores regis Portugalliae sederent e regione oratoris regis Hungariae, videlicet parte dextra ante sedilia ipsorum R[morum] praesidentium[f]. Id autem protestati sunt fieri absque praeiudicio iurium alicuius eorum, sed quod unusquisque remaneat illaesus in iure suo.

Et ita ipsi **oratores Portugalliae** acquieverunt pro bono pacis.

⟨Et dimittitur congregatio hora circiter 24.⟩[b]

[a] *M add.* ut habeatur die crastina hora 12. [b] *M om.* [c] *C 119* cum sit benemeritus
[d] *M* differentia et dissensio; *C 119* altercatio et dissensio
[e] *M et C 119 add.* cardinali Tridentino et [f] *M et C 119 add.* et cardinalis Tridentini ac legati

SESSIO SEXTA

sacri oecumenici concilii Tridentini

sub Iulio papa III.
[Sessio XVI.]

[1]In Dei nomine. Amen. Anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, indictione decima, pontificatus S^{mi} et Beat^{mi} in Christo patris et domini nostri, D. Iulii III pontificis optimi maximi anno tertio, die vero Iovis **28.** mensis **Aprilis** Tridenti in ecclesia cathedrali in loco consueto celebrata fuit sexta publica sessio sacrosanctae, oecumenicae et generalis Tridentinae synodi sub eodem S^{mo} D. N. Iulio III, praesidentibus in ea R^{mis} DD. Sebastiano archiepiscopo Sipontino et Aloysio episcopo Veronensi, Sanctitatis Suae et sanctae sedis apostolicae nuntiis, tam eorum proprio quam R^{mi} et Ill^{mi} D. Marcelli tit. S. Marcelli S. R. E. praesbiteri cardinalis, Crescentii nuncupati, legati, ob adversam eius gravissimam valetudinem absentis, nomine. Quibus quidem praesidentibus mane hora 12. convenientibus una cum praelatis, oratoribus et aliis infrascriptis in dicta ecclesia cathedrali, primum R. D. ep. Cenetensis celebravit missam solemnem de Spiritu Sancto. Qua absoluta et publicata de more indulgentia patres omnes acceperunt pluvialia et mitras et alia paramenta consueta. Deinde omnibus suis in locis residentibus R. D. archiep. R. D. Sipontinus, secundus praesidens, accedens ad altare maius ibi solitas orationes recitavit ac ceremonias consuetas peregit. Decantatisque a cantoribus laetaniis ac per diaconum evangelio: *Modicum et iam non videbitis me, et iterum modicum, videbitis me,* Io. 16 [16 sqq.] et benedicta per ipsum R. D. praesidentem sancta synodo invocatoque auxilio Spiritus Sancti per hymnum *Veni, Creator Spiritus* atque aliis orationibus recitatis et ceremoniis in publicis sessionibus fieri consuetis de more peractis, R. D. ep. **Cenetensis** praefatus ascendens ambonem legit clara et intelligibili voce decretum suspensionis concilii tenoris infrascripti, videlicet

Conc. 123 216r

Decretum suspensionis concilii publicatum in sexta sessione Tridentina sub Iulio papa III[2].

Sacrosancta oecumenica et generalis synodus Tridentina ⟨in Spiritu Sancto legitime congregata⟩[a], praesidentibus in ea R^{mis} DD. Sebastiano archiep. Sipontino et Aloysio ep. Veronensi[b], apostolicis nuntiis, tam eorum proprio quam R^{mi} et Ill^{mi} D. Marcelli S. R. E. cardinalis Crescentii legati, ob adversam eius gravissimam valetudinem absentis, nomine, non dubitat, Christianis omnibus patere, hoc concilium oecumenicum Tridentum primo a Paulo fel. rec. convocatum et collectum fuisse, deinde a S^{mo} D. N. Iulio III efflagitante Carolo quinto augustissimo imperatore ea praecipue de[c] causa[d] fuisse restitutum, ut religionem in multis orbis partibus et praesertim in Germania in diversas opiniones miserabiliter distractam in statum pristinum revocaret, abusus et mores Christianorum corruptissimos emendaret. Cumque ad hoc agendum quam | plurimi (216v) patres nulla laborum suorum periculorumque habita ratione e diversis regionibus alacriter confluxissent resque strenue magno fidelium concursu feliciterque procederet ac spes esset non levis, illos Germanos, qui eas novitates excitarant, in concilium venturos, sic animatos, ut veris ecclesiae rationibus unanimiter acquiescerent, lux denique quaedam rebus affulsisse videretur caputque attollere inciperet profligata antea et afflicta res publica christiana, ii repente tumultus, ea bella hostis generis humani versutia exarserunt, ut concilium velut haerere ac suum cursum interrumpere satis incommode cogeretur spesque omnis ulterioris progressus hoc in tempore tolleretur; tantumque aberat, ut sancta synodus Christianorum malis et incommodis mederetur, ut multorum mentes praeter sui

[a] *C 146 add. supra lineam* [b] *In C 146 hic del. aliqua verba*
[c] *C 146 om.* [d] *In C 146 verbum* causa *legitur pro alio, quod est per rasuram del.*

[1] Acta huius sessionis inveniuntur in tomo *Conc. 123* fol. 216r—219v, *Conc. 118* fol. 459r ad 465r, *Conc. 119* fol. 600r—606r. Cf. *Raynaldum* ad a. 1552 n. 27 ss.

[2] In tomo *Conc. 146* fol. 283 prostat copia huius decreti, qua episcopus Cenetensis usus est, cum hoc decretum legeret coram patribus; est enim addita huic copiae interrogationis consuetae formula. Decretum typis exscriptum est apud *Raynaldum* ad a. 1552 n. 28.

animi sententiam irritaret potius quam placaret. Quum igitur ipsa sancta synodus omnia et praecipue Germaniam armis ardere et discordiis videret, omnes fere episcopos Germanos, praesertim principes electores suis consultum ecclesiis e concilio abiisse, decrevit tantae necessitati non reluctari et ad meliora tempora reticere, ut patres, quo eis nunc agere non licet, suis ovibus prospectum ad suas ecclesias regredi valerent, ne diutius utrobique inutili otio conterantur, atque ita, quoniam sic temporum conditio tulit, huius oecumenici concilii Tridentini progressum per biennium suspendendum fore decernit, prout praesenti decreto suspendit, ea tamen lege, ut, si citius pacata res sit ac tranquillitas pristina revertatur (quod sperat Dei optimi maximi beneficio non longo fors[an] spatio futurum), ipsius concilii progressus eodemmet tempore suam vim, firmitatem vigoremque habere censeatur; sin autem (quod Deus avertat) peracto biennio praedicta legitima impedimenta non fuerint submota, quam primum cessaverint, talis suspensio eo ipso sublata esse intelligatur, ac suus vigor et robur concilio sit restitutum et esse intelligatur sine alia nova concilii convocatione, accedente ad hoc decretum consensu et auctoritate Sanctitatis Suae et sanctae sedis apostolicae. — Interea tamen eadem sancta synodus exhortatur omnes principes christianos et omnes praelatos, ut observent et respective, quatenus ad eos[a] spectat, observare faciant in suis regnis, dominiis et ecclesiis omnia et singula, quae per hoc sacrum oecumenicum concilium fuerunt hactenus statuta et decreta.

Quo decreto lecto idem R. D. ep. **Cenetensis** interrogavit patres, an placeret, id quod etiam factum fuit singulariter a me Angelo Massarello secretario praesentibus DD. Nicolao Driel et Vincentio Torfanino notariis, ab **omnibus**que tam R^mis^ praesidentibus et Illmo D. Tridentino quam caeteris patribus omnibus responsum fuit unanimiter per verbum *Placet*, **exceptis duodecim infrascriptis**, quibus ex quinquaginta septem patribus suspensio displicebat. Qui duodecim responderunt ut infra, videlicet: |

217r R. D. archiep. **Turritanus** recitavit ex scripto suam sententiam, legens cedulam quandam subscriptam ab eo et decem aliis sibi adhaerentibus; quam cedulam postea mihi secretario exhibuit; estque tenoris infrascripti[1]:

Cum hoc sacrum oecumenicum concilium ante tot annos a toto christiano orbe desideratum, tantis laboribus procuratum, tandem Tridenti ad exstirpandos haereses, tollenda schismata, reformandos mores pacemque inter christianos principes componendam fuerit convocatum, neque post eius convocationem fuerit adhuc satisfactum nedum omnibus, sed nec plane[b] alicui ex causis, propter quas[c] convocatum est, praesertim reformationi necessariae abusuum, unde mala omnia, quibus vexatur ecclesia, et orta esse et confoveri apertum est, nos infrascripti archiepiscopus et episcopi nostrarum conscientiarum testimonio compulsi huic decreto suspensionis concilii cum omnibus in eo contentis circunstantiis et conditionibus tam quoad substantiam eius quam quoad formam contradicere decrevimus, prout de praesenti contradicimus et repugnamus, tum quia causae suspendendi, quae in eo assignantur, bella scilicet et Germanici tumultus (quos brevi sedatos iri ac componi vel in ipso decreto sperari dicitur), non usque adeo videntur urgere, ut sit propter eas ita a concilii prosecutione cessandum, saltem in his[d], quae ad reformationem attinent, quinimo ad sedandas principum discordias aptissima visa est concilii convocatio subindeque prosecutio et continuatio, tum etiam, quia dicta suspensio magis dissolutionis quam iustae, moderatae aut necessariae supersessionis[e] speciem prae se ferre videtur. Neque enim, etsi caeterae difficultates deerint, quas timere nos docuit experientia, tam celebris praelatorum conventus ex tam diversis remotisque provinciis haberi facile poterit, nec deerunt impugnatoribus catholicae ecclesiae occasiones et rationes ad serenda alendaque bella atque discordias, quibus huius concilii, cuius nomen apud eos tam est odiosum, reassumptionem[f] impediant ac ludificentur, quod nunc eos conari variisque rationibus tentare videmus, si praesertim viderint conatus huiusmodi prospere eis cedere[g] nosque eo adegisse, ut ab incepto opere cessaverimus. Praeterea deterret nos ingens scandalum certaque haeresum prope confirmatio, quam ex tali et tam diuturna suspensione nedum ipsis ecclesiae adversariis, sed et catholicorum plerisque orituram esse manifestum est, cum dominica castra publicamque causam deserere [nos] non alia ratione magis quam

[a] *In C 146 hic del.* de iure [b] *Conc. 146* plene [c] *Conc. 146* quae [d] *C 118 et 123* iis
[e] *C 118 et 123* suspensionis [f] *C 118 et 123* resumptionem [g] *C 118 et 123* succedere

[1] Scriptum originale huius protestationis cum subscriptionibus patrum invenitur in tomo *Conc. 146* fol. 287. Protestatio typis exscripta est apud *Raynaldum* ad a. 1552 n. 29 et *Le Plat* IV 545 ss.

persequutionum metu, laborum impatientia et, quod peius est, causae ipsius et divini auxilii desperatione opinabuntur, cum tamen in tuto loco ab omni bellica iniuria remoto esse nos viderint, ubi alias, cum non minus periculosa bella gererentur, nihilominus ipsa synodus fiducialiter in divino hoc opere perseveraret, quod profecto inficiari nec nos ipsi possumus.

Cum itaque e manibus nostris repetendae erunt animae, quae periturae sunt per subtractionem huius salubris atque unici remedii, aliisque de causis conscientias nostras moventibus huic decreto non expresse contradicere non possumus, immo et contradicimus et, quantum possumus, absolute repugnamus. Ne tamen non omni consilio consentiendi rationem quaerere videamur neve abhorrere credamur a suavi rerum dispositione, | cum et nos difficultatis temporum recessusque praelatorum Germanicae 217v
nationis fere omnium rationem aliquam habendam esse non improbemus, petimus, ut sequens viam, quam hactenus tenuit atque servavit, haec sancta synodus sessionem ad proximas kalendas Maii indictam ad moderatum aliquem terminum proroget diemque declaret, qui ipse ita pro homine interpellet, ut alia convocatio, declaratio aut intimatio minime sit spectanda[a], quominus ad hunc locum concilii omnes praelati convenire et possint et teneantur. Addentes nihilominus, quod, si infra dictum declarandum terminum praedicta impedimenta cessaverint, curet Sanctitas Sua praelatos omnes ad prosecutionem concilii revocare, quos interim ad proprias ecclesias remeare, si libeat, licebit.

Ultima vero decreti verba, quibus commendatur decretorum huius sanctae synodi observatio, placerent utique, si absque his verbis: *quatenus ad eos de iure spectat* publicetur, quae litium occasio esse videntur et seminarium. Quae quidem omnia ita et non aliter fieri petimus protestamurque, si secus fiat, nullum nobis nec sanctae synodo praeiudicium fieri quovis tempore tam propter huius decreti suspensionis publicationem, quam ob quemcunque alium actum, factum vel faciendum, attentatum vel attentandum per quascunque personas contra huius oecumenici concilii auctoritatem et potestatem conciliorumque oecumenicorum omnium. Petimus insuper a synodi huius notario, ut hanc nostram schedulam contradictionis, attestationis ac protestationis inter Acta synodi una cum hoc decreto inserat indeque ipse vel alii nobis unum vel plura authentica instrumenta exhibeant.

Subscriptio autem sic habebat:

S. archiepiscopus Turritanus, I. episcopus Castellimaris, Io. episcopus Lancianensis, M. episcopus Elnensis, Franciscus episcopus Pacensis, Io. episcopus Tudensis, Alvarus episcopus Venusinus, M. episcopus Guadiscensis, Alvarus episcopus Pampilonensis, Petrus episcopus Astoricensis, Petrus episcopus Civitatensis.

Licet autem cedula ipsa subscripta fuisset et ab ipso Turritano et decem aliis patribus, tamen illimet decem patres in eorum votis ferendis dederunt etiam ipsi cedulas suas[1], in quibus nonnisi votum praefati D. Turritani approbarunt, videlicet

R. D. ep. **Castellimaris** dedit cedulam infrascriptam:

«Non placet decretum, sed sum in sententia Rmi archiep. Turritani, cui me subscripsi et subscribo. I. ep. Castellimaris».

R. D. ep. **Lancianensis** exhibuit etiam cedulam eiusdem tenoris.

Similesque cedulas exhibuerunt de verbo ad verbum omnes infrascripti, videlicet RR. DD. episcopi **Pacensis, Elnensis, Tudensis, Guadiscensis, Astoricensis, Pampilonensis, Civitatensis.** |

Contradixerunt etiam alii duo, qui cedulas non dederunt, videlicet RR. DD. epi- 218r
scopi **Venusinus, Calaguritanus**[2].

Sunt igitur, qui contradixerunt, numero duodecim[3]. Qui vero decretum approbarunt, sunt numero quadraginta quinque, videlicet Rmi DD. archiep. **Sipontinus,** ep.

[a] *C 118 et 123* expectanda

[1] Non decem illi patres, qui subscripserunt voto Turritani, sed novem tantum cedulas protestationis proprias Massarello tradiderunt; Venusinus enim cedulam non dedit, quamquam protestationi Turritani subscripsit. Quae cedulae patrum inveniuntur in tomo *Conc. 146* inter foll. 289 et 291.

[2] Episcopi, qui decreto suspensionis contradixerunt, causas, quibus moti suspensionem recusaverint, imperatori Carolo V exposuerunt in litteris die 30. Aprilis datis. *Conc. Trid.* XI p. 878 n. 595.

[3] In tomo *Conc. 10* fol. 213r Massarellus adnotavit sequentia, quae tamen Actis non inseruit:

Veronensis, sacri concilii praesidentes; Rmus et Illmus D. cardinalis **Tridentinus;** R. D. ep. **Zagabriensis**, orator Sermi regis Hungariae; RR. DD. archiep. **Antibarensis, Arborensis, Upsalensis, Panormitanus, Granatensis, Calaritanus;** et ep. **Placentinus, Segobricensis, S. Marci, Maioricensis, Vercellensis, Gallipolitanus, Cathaniensis, Camerinensis, Zamorrensis, Carthaginensis, Algarensis, Siracusanus, Vigorniensis, Bellicastrensis, Auriensis, Mindoniensis, Ilerdensis, Constantinensis, Bellunensis, Oscensis, Cenetensis, Monopolitanus, Legionensis, Ovetensis, Sylvensis, Lacorensis, Virdunensis, Salaminensis, Bossanensis, Vicentinus, Segobiensis, Ochonensis, Montisfalisci, abbas S. Bertini** et **generalis s. Augustini.**

Cum itaque longe maiori parti patrum, non solum ultra dimidiam (ut hoc in concilio res concludi consueverunt) sed tres quartas, decretum placeret, illud approbatum atque firmatum est ac per Rmum D. **secundum praesidentem** pro approbato et concluso haberi et habendum esse alta voce declaratum et pronuntiatum est.

Deinde D. **promotor** rogavit omnes prothonotarios et notarios ibidem praesentes, ut de omnibus et singulis suprascriptis unum vel plura conficerent instrumentum et instrumenta.

Postremo decantatus fuit hymnus *Te Deum laudamus*. Et ipse Rmus D. secundus praesidens benedixit sanctam synodum signo crucis et patres omnes depositis paramentis recesserunt.

[a]Et quia ego Angelus Massarellus de Sancto Severino Camerinensis dioecesis, sacri concilii secretarius et prothonotarius apostolicus, praemissis omnibus et singulis interfui et praesens fui eaque in notam sumpsi, ideo hic manu mea propria subscripsi in fidem et testimonium etc.

Praelati et alii, qui interfuerunt sessioni sextae Tridentinae sub Iulio papa III.

Praesidentes:

218v Rmus D. Sebastianus Pighinus, archiep. Sypontinus, secundus praesidens . . . Regiensis
Rmus D. Aloysius Lippomanus, ep. Veronensis, tertius praesidens . . . Venetus

Cardinalis:

Rmus et Illmus D. Christophorus Madrutius, tit. S. Caesarei in Palatio, praesbiter S. R. E. cardinalis et ep. Tridentinus ac administrator Brixinensis . . . Germanus

Oratores Caesarei:

Ill. D. Hugo comes a Montifort et Rotenfels . . . Germanus
Ill. D. Franciscus a Toleto . . . Hispanus
R. D. Guilhelmus a Pictavia . . . Flander

Orator regis Hungariae:

R. D. Paulus Gregoriancz, ep. Zagabriensis . . . Hungarus

Oratores regis Portugalliae:

Ill. D. Iacobus Sylvius, regius consiliarius . . . Portugallensis
R. D. Iacobus Goveanus, s. theol. magister . . . Portugallensis
Magncus D. Ioannes Paez, U. I. D. . . . Portugallensis

[a] *C 123 manu propria Massarelli*

11 *Patres suprascripti non ratificant cedulam Turritani. Die autem sabbati 30. dicti mensis Aprilis, cum ego Angelus secretarius et DD. Nicolaus Driel et Vincentius Torfaninus notarii iremus ad R. D. archiepiscopum Turritanum, cumque interrogaremus, an ratam habere vellet cedulam ab eo lectam et exhibitam in sessione praeterita, an vero maiori parti patrum acquiescere, noluit declarare mentem suam, dicens se non teneri ad respondendum.* De qua re cf. litteras Massarelli ad card. de Monte die 6. Maii datas in *Conc. Trid.* XI p. 878 adn. 1. De Turritani obstinatione Massarellus graviter questus est in litteris die 28. Aprilis ad card. de Monte missis. *Ibid.* XI p. 874 n. 591 B.

Locus oratorum regis Portugalliae in sessione.

Hic advertendum est, quod in hac sessione oratores regis Portugalliae sederunt e regione oratorum Caesaris, videlicet parte dextra ante sedilia Rmorum praesidentium et Tridentini. Quod ideo factum est, cum controversia, quam ipsi oratores Portugalliae habent cum oratore regis Hungariae super praecedentia, concordari non posset. Oratores autem regis Hungariae sederunt parte sinistra post oratores Caesareos, prout hactenus ante adventum oratorum regis Portugalliae sedere consueverunt. Non est igitur attendendus ordo a me hic praescriptus, cum fuerit mere voluntarius.

Archiepiscopi:

R. D. Salvator Salapusius, archiep. Turritanus	Sardus
R. D. Ludovicus Chieregatus, archiep. Antibarensis	Vicentinus
R. D. Carolus de Alagon, archiep. Arborensis	Hispanus
R. D. Olaus Magnus, archiep. Upsalensis	Gothus
R. D. Petrus de Aragonia, archiep. Panormitanus	Siculus
R. D. Petrus Guerrero, archiep. Granatensis	Hispanus
R. D. Balthassar de Heredia, archiep. Calaritanus	Sardus

Episcopi:

R. D. Guthier de Caravagial, ep. Placentinus	Hispanus	
R. D. Gaspar Iofredus, ep. Segobricensis	Hispanus |	
R. D. Coriolanus Martyranus, ep. S. Marci	Neapolitanus	219r
R. D. Ioannes Bapt. Campegius, ep. Maioricensis	Bononiensis	
R. D. Berardus Bonioannes, ep. Camerinensis	Romanus	
R. D. Franciscus Ferrerius, ep. Vercellensis	Hypporigiensis	
R. D. Pelegrus Cibo, ep. Gallipolitanus	Genuensis	
R. D. Nicolaus Maria Caracciolus, ep. Cathaniensis	Neapolitanus	
R. D. Antonius de Aguila, ep. Zamorrensis	Hispanus	
R. D. Ioannes Fonseca, ep. Castellimaris	Hispanus	
R. D. Stephanus de Almeida, ep. Carthaginensis	Hispanus	
R. D. Ioannes Salazar, ep. Lancianensis	Hispanus	
R. D. Petrus Vaguer, ep. Algarensis	Hispanus	
R. D. Hieronymus de Bononia, ep. Siracusanus	Siculus	
R. D. Riccardus Patus, ep. Vigorniensis	Anglicus	
R. D. Iacobus Iacomellus, ep. Bellicastrensis	Romanus	
R. D. Franciscus Manrique, ep. Auriensis	Hispanus	
R. D. Franciscus Bonavides, ep. Mindoniensis	Hispanus	
R. D. Franciscus Navarra, ep. Pacensis	Hispanus	
R. D. Alvarus de la Quadra, ep. Venusinus	Neapolitanus	
R. D. Ferdinandus de Loaez, ep. Ilerdensis	Hispanus	
R. D. Ioannes Iobinus, ep. Constantinensis	Hispanus	
R. D. Iulius Contarenus, ep. Bellunensis	Venetus	
R. D. Petrus de Augustinis, ep. Oscensis	Hispanus	
R. D. Ioannes Bernardus Diaz, ep. Calaguritanus	Hispanus	
R. D. Michael Pugius, ep. Elnensis	Hispanus	
R. D. Michael a Turre, ep. Cenetensis	Utinensis	
R. D. Octavianus Praeconius, ep. Monopolitanus	Siculus	
R. D. Ioannes Fernandi Themino, ep. Legionensis	Hispanus	
R. D. Christophorus Ruscius, ep. Ovetensis	Hispanus	
R. D. Ioannes Emilianus, ep. Tudensis	Hispanus	
R. D. Ioannes de Mello, ep. Sylvensis	Portugallensis	
R. D. Antonius Codina, ep. Lacorensis	Hispanus	
R. D. Martinus Ayala, ep. Guadiscensis	Hispanus	
R. D. Petrus de Acugna, ep. Astoricensis	Hispanus |	
R. D. Nicolaus Psaulme, ep. Virdunensis	Lotharingus	219v
R. D. Franciscus Salazar, ep. Salaminensis	Hispanus	
R. D. Vincentius de Leone, ep. Bossanensis	Siculus	
R. D. Angelus Bragadinus, ep. Vicentinus	Venetus	

R. D. Alvarus Moscosus, ep. Pampilonensis	Hispanus
R. D. Gaspar de Stuniga, ep. Segobiensis	Hispanus
R. D. Petrus Ponz, ep. Civitatensis in Hispania	Hispanus
R. D. Ioannes Krith, ep. Achonensis	Germanus
R. D. Achilles de Grassis, ep. Montisfalisci	Bononiensis

Abbates:

R. P. Gherardus de Amerincourth, abbas S. Bertini, Morinensis dioecesis	Flander

Generales ordinum:

R. P. Christophorus Patavinus, generalis ord. Heremitarum s. Augustini	Patavinus

Sacrae theologiae magistri et nobiles[a]:

Alphonsus Salmeron, societatis Iesu	Hispanus
Ruardus Tapper, decanus et cancellarius Lovaniensis	Flander
Petrus Malvenda, cler. saec.	Hispanus
Melchior Canus, ord. Praed.	Hispanus
Alphonsus de Castro, ord. Min. de observ.	Hispanus
Ioannes Arze, cler. saec.	Hispanus
Ioannes Valterius, ord. Praed.	Flander
Ioannes Mausius, cler. saec.	Flander
Rogerius Iuvenis, cler. saec.[1]	Flander
Alexander Candidus, ord. Carmel.	Flander
Sigismundus Phedrius, ord. Min. Conv.	Umber
Martinus Malo, cler. saec.	Hispanus
Reginaldus de Genua, ord. Praed., prior S. Laurentii Tridentini	Genuensis
Alphonsus Contreras, ord. Min. de observ.	Hispanus
Antonius de Uglioa, ord. Min. de observ.	Hispanus
Ioannes Antonius Delphinus, ord. Min. Conv.	de Casale maiore
Ill. D. Sylvius, comes Porliliarum	Foroiuliensis
R. Martinus Naidech, archidiaconus Tridentinus	Germanus

Et alii quamplures tam ecclesiastici quam saeculares, quos brevitatis causa praetermitto.

De quaestione praecedentiae inter oratores Ser[morum] regum Hungariae et Portugalliae.

Conc. 118 465^v [2]Et quoniam (ut superius demonstratum est) quaestio super praecedentia et loco in sedendo in Actis publicis huius sacri concilii, orta inter oratores Ser[morum] Hungariae et Portugalliae regum, terminari non potuit et locus, in quo utrique in sessione praeterita consederunt, pro bono pacis et sine iurium alicuius praeiudicio eis assignatus fuerat,

[a] *Conc. 118, 464^v–465^r non 18 ut Conc. 123, sed mutato ordine 33 nomina profert, Conc. 146, 285^r denique 42, ea scilicet quae sequuntur:* Decanus Leodiensis; Paulus Glogovius, procurator praelatorum Poloniae; doctor Arze; decanus Lovaniensis; procurator Pataviensis; magister Miranda; magister Cano; Io. Mausius, Flander; P. de Castro; P. de Contreras; P. de Uglioa; P. Delphinus; P. Paulus Aretinus; Zaballos; Vosmediano; doctor Frago; P. Vigliarua; P. Diruta; P. Feltrinus; P. Aretinus, scriptor s. Augustini generalis; P. Adeodatus; P. Cataniensis cum Panormitano; doctor de Toro; doctor Malvenda; Alexander Candidus; Franciscus Sonnius; Io. Valteri; Salmeron; Rogerius Iuvenis; Vulmarus Bernaert; doctor Olabeus; Martinus Malo; Iacobus Ferrusius; prior S. Laurentii Tridentini; archidiaconus Tridentinus canonicus; Erasmus canonicus; Antonius Piccolus canonicus; eques Tabarella; filius oratoris Portugalliae; nepos eiusdem oratoris; Ioannes Maria [Albertus], secretarius Tridentinus; Hieronymus Roccabruna, canonicus.

[1] Potius ord. Erem. s. Augustini; cf. supra p. 401, 4.

[2] *Conc. 118* fol. 465^v—467^v. *Conc. 119* fol. 606^v—608^v, manu Massarelli.

ut ea omnia perpetuae memoriae mandarentur ac in Actis ipsius concilii adnotata remanerent, petierunt oratores praefati a R^{mis} DD. praesidentibus, ut de his omnibus per eorum patentes litteras fidem eis publicam concederent. Quod praesidentes ipsi fecerunt datis litteris infrascriptis, videlicet

Litterae patentes R^{morum} praesidentium concilii super loco assignato in sessione sexta oratoribus Portugalliae et Hungariae[1].

Nos Sebastianus, archiep. Sipontinus, et Aloysius, ep. Veronensis, S^{mi} in Christo patris et domini nostri, D. Iulii divina providentia papae III, et sanctae sedis apostolicae nuntii ad sacrosanctum oecumenicum concilium Tridentinum una cum R^{mo} et Illmo D. Marcello tit. S. Marcelli S. R. E. presbytero cardinali Crescentio, legato, praesidentes universis et singulis praesentes litteras inspecturis fidem facimus et attestamur, qualiter Ill. D. Iacobus Sylvius et Magn^{ci} Iacobus Goveanus in sacra theologia ac Ioannes Paez U. I. doctores, Ser^{mi} D. Ioannis III regis Portugalliae oratores, die sabbati 5. mensis Martii applicuerunt hanc civitatem Tridentinam ac die sabbati 19. eiusdem mensis comparuerunt coram ipso R^{mo} et Illmo D. legato et nobis ac patribus huius sacri concilii, quibus exhibuerunt et praesentarunt litteras regis super eorum legatione et missione ad concilium, fueruntque a sancta synodo amanter et benigne excepti et eorum litterae | 466r admissae et receptae, eisque ab ipsa sancta synodo fuit benevole responsum, prout haec omnia latius in Actis concilii continentur. Cum autem orta fuisset quaestio super praecedentia in sedendo inter praefatos oratores et R. D. Paulum, ep. Zagabriensem, Ser^{mi} D. Ferdinandi regis Romanorum etc. uti regis Hungariae et Bohemiae oratorem, qui, antequam ipsi oratores regis Portugalliae huc advenissent, in ipso concilio praesens erat, fuit ordinatum, ut in exhibendo mandato, et dum legeretur dumtaxat, sederent oratores Portugalliae e regione R^{mi} et Ill^{mi} D. legati et nostrum et interea orator Hungariae maneret in quadam camera D. legati extra locum, ubi litterae regiae recitabantur. Et sic observatum fuit. Atque cum postea diversis viis et modis tentatum fuisset atque elaboratum tam ab ipso R^{mo} et Illmo D. legato et nobis quam patribus concilii, ut altercatio praefata sedaretur, nec id aliqua via effici posset, remissa fuit decisio et determinatio ipsius praecedentiae ad S^{mum} D. N. et sanctam sedem apostolicam. Caeterum, cum quibusdam ex causis congregationes omnino haberi deberent, quibus de more in hoc praesenti concilio oratores omnes interesse consueverunt, nec adhuc appareret, quo in loco praefati oratores sedere deberent, nos praesidentes praefati, cum die 24. Aprilis essemus in ecclesia cathedrali pro congregatione generali habenda (quae congregatio ob gravissimam R^{mi} et Ill^{mi} D. legati infirmitatem in loco consueto haberi non poterat), una cum patribus ipsius concilii congregati pro bono pacis et quietis ordinavimus, quod oratores Ser^{mi} regis Portugalliae supradicti sederent pro ea vice e regione oratorum invictissimi imperatoris, scilicet parte dextra. Qui locus alias datus fuit Ill^{mis} et R^{mis} DD. sacri imperii | 466v electoribus, dum ipsi in isto concilio praesentes fuerunt et congregationes in aula consueta celebrabantur. Et quod orator Hungariae praefatus sederet in loco, in quo hactenus sedere consueverat, antequam oratores Portugalliae ad concilium venissent, nempe parte sinistra post oratores augustissimi imperatoris. Idque a nobis factum fuit cum reservatione iurium uniuscuiusque et sine praeiudicio aut diminutione iuris, quod alterum ex regnis seu regibus habere posset in hac praecedentia. Idque publice cunctis oratoribus et patribus audientibus a nobis in congregatione declaratum fuit. Quibus omnibus oratores praefati pro quiete et pace pro hac vice dumtaxat assenserunt, facta prius protestatione, quod ista ordinatio iuri principali praecedentiae non praeiudicaret neque ex parte neque ex toto. Ac tam in supradicta congregatione die 24. et alia die 27. mensis Aprilis habitis quam in sessione publica die 28. dicti mensis Aprilis super suspensione concilii celebrata in locis superius adnotatis sederunt. Qua quidem die 28. Aprilis in missa solemni, quae in ipsa sessione de more celebrata est, neque incensum neque pax ulli ex oratoribus data fuit, ne eis in caeremoniis conficiendis alteri partium praeiudicatum videretur. In quorum omnium et singulorum fidem nos praesidentes praefati praesentes litteras fieri fecimus nostraque manu subscripsimus ac nostrorum sigillorum appensione communiri mandavimus. Datum Tridenti die quinta Maii anno salutis 1552.

[1] Cf. *Conc. Trid.* XI p. 855 adn. 1.

Exitus concilii Tridentini
post eius suspensionem sub Iulio III pont. opt. max.

467r [1]Suspensione igitur concilii facta et licentia abeundi praelatis concessa patrum quamplures statim ex Tridento recesserunt, nonnulli ob privata commoda per aliquot adhuc dies ibidem immorabantur. Quidam vero, eo quod aequo animo suspensionem ipsam non tulerant ac propterea ex Tridento minime recedendum esse arbitrabantur, ex ea civitate nequaquam abire decreverant, quum ecce ⟨propugnaculum, quod in angustia itineris, quo ex Augusta Oenipontem itur, situm est,⟩[a] a Mauritio Saxoniae duce occupatur[2], indeque suis copiis Oenipontem ipsum, ubi imperator erat, proficisci parabat. Qua de re Caesar ipse, cum inermis esset, ex eo loco recedere coactus est iterque per Carinthiam habens Villachi oppidum petiit[3]. Mauritius interea Oenipontem potitur Tridentumque (ut qui nihil concilii nomine infensius haberet) iamiam properare ferebatur. ⟨Quod quidem si evenisset, in maximum omnes vitae discrimen venturos esse certo certius habebatur⟩[b]. Is igitur timor ⟨ac trepidatio⟩[b] adeo omnes, ⟨nedum concilii patres, sed quosque alios⟩[b] Tridenti commorantes invasit, ut una vel altera die nemo fere ⟨dictu mirabile⟩[b] ⟨neque ex forensibus neque ex incolis⟩[c] in ea civitate permanserit, unoquoque ⟨suae saluti⟩[d] fuga vel ad altiores montes vel ad densas sylvas aut munitiora loca seu finitimas Venetorum[b] civitates consulente. R^{mus} autem et Ill^{mus} D. legatus concilii, etsi gravissima febri ac dissenteria (quibus iam a 25. die praeteriti mensis Martii perpetuo laboraverat) detineretur, coactus est tamen et ipse ex Tridento recedere[4]. Quod fecit die 26. praesentis mensis Maii secundoque flumine Veronam versus adnavigavit, quam civitatem die subsequenti mane hora circiter 12 intravit. Ingravescente vero continuo magis eius morbo, tandem (sicut Altissimo placuit) die 28. dicti mensis Maii ipsius anni 1552 in ea
467v civitate | obiit; cuius corpus postea Romam delatum est ac in templo Pantheon honorifice tumulatur. Talis igitur fuit exitus concilii Tridentini post eius suspensionem factam die 28. Aprilis 1552 sub sanctissimo in Christo patre ac gloriosissimo principe, domino nostro, D. Iulio III pont. opt. max.

Ego Angelus Massarellus de Sancto Severino, Camerinensis diocesis, U. I. D., sacrosancti oecumenici concilii Tridentini secretarius et prothonotarius apostolicus, quia sessionibus, decretorum publicationibus, congregationibus tam generalibus quam particularibus et aliis omnibus et singulis actibus suprascriptis interfui et praesens fui eaque omnia adnotavi, ideo ea ipsa omnia uti vera, originalia et auctentica manu mea propria scripsi et hic in fidem et testimonium praemissorum subscripsi[5].

[e]Et quia ego Nicolaus Driel, clericus Coloniensis diocesis, publicus apostolica auctoritate ac sacri concilii notarius, suprascriptis sessionibus et decretorum publicationibus interfui presens ac de iis rogatus fui, ideo ea ipsa omnia et singula, que in hoc libro per D. Angelum Massarellum scripta et subscripta sunt, uti vera et originalia et auctentica manu etiam mea propria in maiorem praemissorum fidem et testimonium subscripsi et meo solito signo roboravi.

[f]Ego Vincentius Torfaninus, civis et clericus Bononiensis, publicus apostolica authoritate necnon sacri huius concilii notarius, cum suprascriptis quintae et sextae sessionibus et decretorum earundem publicationibus interfuerim atque de his rogatus fuerim, ea omnia et singula hoc in libro scripta et subscripta a D. Angelo Massarello uti vera, originalia et authentica ad pleniorem eorum fidem et testimonium propria mea manu subscripsi solitoque meo signo munivi.

[a] *M* la Chiusa, oppidum (quod propugnaculum est inter Augustam et Oenipontem); *nomen* „la Chiusa" *postea a Massarello additum est in lacuna pro eo extante.* [b] *M om.* [c] *M add. in margine* [d] *M* rebus suis [e] *manus Nicolai propria* [f] *manus Vincentii propria*

[1] Prima forma eorum, quae sequuntur, ab ipso Massarello scripta legitur in tomo *Conc. 10* fol. 213v (=*M*). Cf. *Raynaldum* ad a. 1552, n. 30.

[2] Propugnaculum, quod dicebatur *Ehrenberger Klause*, Mauritius die 19. Maii 1552 cepit (cf. supra p. 516 adn. 3), Oenipontem die 23. Maii, *Brandi* l. c. 522.

[3] Carolus V. die 27. Maii Villachum pervenit, *Brandi* 522.

[4] De card. Crescentii morbo et morte cf. *J. Birkner*, Kardinal Marcellus Crescentius, in: Römische Quartalschrift XLIII (1935) 283 sq.

[5] In tomo *Conc. 118* Massarellus et notarii propria manu subscripserunt; in margine adnexa

Praelati, oratores et alii tam catholici quam protestantes Lutherani, qui interfuerunt sacro concilio Tridentino sub Iulio III pont. max. anno Domini 1551 et 1552[1].

Legatus et praesidentes:

R^{mus} et Ill^{mus} D. Marcellus tit. S. Marcelli S. R. E. presbyter cardinalis, Crescentius nuncupatus, sacri concilii legatus et primus praesidens	Romanus	469^{r}
R^{mus} D. Sebastianus Pighinus, archiep. Sipontinus, secundus praesidens	Regiensis	
R^{mus} D. Aloysius Lippomanus, ep. Veronensis, tertius praesidens	Venetus	

Cardinalis:

R^{mus} et Ill^{mus} D. Christophorus Madrutius, tit. S. Caesarei in Palatio S. R. E. presbyter cardinalis et ep. Tridentinus ac administrator Brixinensis	Germanus

Sacri imperii principes electores:

R^{mus} et Ill^{mus} D. Sebastianus Heusestein, archiep. Maguntinus	Germanus
R^{mus} et Ill^{mus} D. Ioannes ab Isemburg, archiep. Treverensis	Germanus
R^{mus} et Ill^{mus} D. Adulphus ex comitibus de Scauemburg, archiep. Coloniensis	Germanus

Oratores Caroli V imperatoris augustissimi:

Ill. D. Hugo comes a Montefort et Rothenfels [!]	Germanus
Ill. D. Franciscus a Toleto	Hispanus
R. D. Vilhelmus a Pictavia, archidiaconus Campiniae	Flander

Oratores Ferdinandi regis Hungariae etc.:

R. D. Paulus Gregorianez [!], ep. Zagabriensis	Hungarus
R. D. Federicus Nausea, ep. Viennensis	Germanus

Oratores Ioannis regis Portugalliae:

Ill. D. Iacobus Sylvius, consiliarius regius	Portugallensis |	
R. D. Iacobus Goveanus, s. theol. magister	Portugallensis	469^{v}
Magn^{cus} D. Ioannes Paez, U. I. D.	Portugallensis	

Archiepiscopi:

R. D. Salvator Salapusius, archiep. Turritanus et Sassarensis	Sardus
R. D. Ludovicus Chieregatus, archiep. Antibarensis	Vicentinus
R. D. Carolus de Alagon, archiep. Arborensis	Sardus
R. D. Olaus Magnus, archiep. Upsalensis	Gothus
R. D. Petrus Tagliavia de Aragonia, archiep. Panormitanus	Siculus
R. D. Petrus Guerrero, archiep. Granatensis	Hispanus
R. D. Balthasar de Heredia, archiep. Calaritanus	Hispanus

sunt signa notarilia uniuscuiusque. In tomo *Conc. 119* fol. 608^{v} solus Massarellus subscripsit: *Ego Angelus Massarellus de Sancto Severino, Camerinensis dioc., agri Piceni, I. U. D., sacrosancti oecumenici concilii Tridentini secretarius et prothonotarius apostolicus, quia sessionibus, decretorum publicationibus, congregationibus tam generalibus quam particularibus et omnibus et singulis aliis actibus suprascriptis interfui et praesens fui, eaque omnia dum agerentur adnotavi manuque propria scripsi vel cum originalibus collata subscripsi, ideo hic in fidem et testimonium praemissorum subscripsi. Idem Angelus Massarellus secretarius manu propria subscripsi.*

[1] *Conc. 118* fol. 469^{r}—475^{r} et *Conc. 119* fol. 610^{r}—615^{v}.

Episcopi:

R. D. Thomas Campegius, ep. Feltrensis . . . Bononiensis
R. D. Guthier de Caravagial, ep. Placentinus . . . Hispanus
R. D. Gaspar Ioffredus, ep. Segobricensis . . . Hispanus
R. D. Coriolanus Martiranus, ep. S. Marci . . . Neapolitanus
R. D. Ioannes Bapt. Campegius, ep. Maioricensis . . . Bononiensis
R. D. Hieronymus Maitting, ep. Chiemensis, suffraganeus Saltzburgensis . . . Germanus
R. D. Franciscus Ferrerius, ep. Vercellensis . . . Hipporigiensis
R. D. Nicolaus Maria Caracciolus, ep. Cathaniensis . . . Neapolitanus
R. D. Berardus Bonioannes, ep. Camerinensis . . . Romanus
R. D. Antonius de Aguila, ep. Zamorrensis . . . Hispanus
R. D. Pelegrus Cibo, ep. Gallipolitanus . . . Genuensis |
470r R. D. Ioannes Fonseca, ep. Castellimaris . . . Hispanus
R. D. Stephanus de Almeida, ep. Carthaginensis . . . Hispanus
R. D. Ioannes Salazar, ep. Lancianensis . . . Hispanus
R. D. Petrus Vaguer, ep. Algarensis . . . Hispanus
R. D. Balthasar Vausmann [!], ep. Misiensis, suffraganeus Maguntinus Germanus
R. D. Hieronymus de Bononia, ep. Siracusanus . . . Siculus
R. D. Ricardus Patus, ep. Vigorniensis . . . Anglicus
R. D. Cornelius de Mussis, ep. Bituntinus . . . Placentinus
R. D. Erasmus a Limpurch, ep. Argentinus . . . Germanus
R. D. Iulius Phluf [!], ep. Numbergensis . . . Germanus
R. D. Franciscus Bonavides, ep. Mindoniensis . . . Hispanus
R. D. Iacobus Iacomellus, ep. Bellicastrensis, commissarius apostolicus Romanus
R. D. Franciscus Manrique, ep. Auriensis . . . Hispanus
R. D. Franciscus de Navarra, ep. Pacensis . . . Hispanus
R. D. Alvarus Quadra, ep. Venusinus . . . Neapolitanus
R. D. Ferdinandus de Loaez, ep. Ilerdensis . . . Hispanus
R. D. Iulius Contarenus, ep. Bellunensis . . . Venetus
R. D. Ioannes Iobinus, ep. Constantinensis . . . Hispanus
R. D. Petrus de Augustinis, ep. Oscensis . . . Hispanus
R. D. Iacobus Naclantus, ep. Clodiensis . . . Florentinus
R. D. Georgius Flach, ep. Solonensis, suffraganeus Herbipolensis . . . Germanus
R. D. Georgius Schuikerus, ep. Iavalensis, suffraganeus Spirensis . . Germanus |
470v R. D. Ioannes Bernardus Diaz, ep. Calaguritanus . . . Hispanus
R. D. Michael Pugius, ep. Elnensis . . . Hispanus
R. D. Michael a Turre, ep. Cenetensis . . . Utinensis
R. D. Octavianus Praeconius, ep. Monopolitanus . . . Siculus
R. D. Ioannes Fernandi Themino, ep. Legionensis . . . Hispanus
R. D. Christophorus Ruscius, ep. Ovetensis . . . Hispanus
R. D. Ioannes Emilianus, ep. Tudensis . . . Hispanus
R. D. Antonius Codina, ep. Lacorensis . . . Hispanus
R. D. Ioannes de Mello, ep. Sylvensis Algarbiorum . . . Portugallensis
R. D. Christophorus Matzler, ep. Constantiensis . . . Germanus
R. D. Martinus Ayala, ep. Guadiscensis . . . Hispanus
R. D. Petrus de Acugna, ep. Astoricensis . . . Hispanus
R. D. Nicolaus Psaulme, ep. Virdunensis . . . Lothoringus
R. D. Franciscus Salazar, ep. Salaminensis . . . Hispanus
R. D. Vincentius de Leone, ep. Bossanensis . . . Siculus
R. D. Thomas de Platanis, ep. Curiensis . . . Suitensis
R. D. Alvarus Moscosus, ep. Pampelonensis . . . Hispanus
R. D. Gaspar de Stuniga, ep. Segobiensis . . . Hispanus
R. D. Petrus Ponz de Leon, ep. Civitatensis in Hispania . . . Hispanus
R. D. Angelus Bragadinus, ep. Vicentinus . . . Venetus
R. D. Gerardus de Ramboldis, ep. Civitatensis in Apulia . . . Veronensis
R. D. Egidius Foscararius, ep. Mutinensis . . . Bononiensis |
471r R. D. Ioannes Kridt, ep. Achonensis, suffraganeus Monasteriensis . Germanus
R. D. Achilles de Grassis, ep. Montisfalisci . . . Bononiensis

Abbates:

R. P. Gherardus de Amerinchourt, abbas S. Bertini, Morinensis dioecesis	Flander
R. P. Marcus de Brixia, abbas S. Vitalis de Ravenna	Brixiensis
R. P. Eusebius de Parma, abbas S. Mariae Gratiarum Placentinae dioecesis	Parmensis

Generales ordinum:

R. P. Franciscus Romeus de Castillione, generalis ord. Praed.	Aretinus
R. P. Christophorus Patavinus, generalis ord. Heremitarum s. Augustini	Patavinus
R. P. Iulius Magnanus, vicarius generalis apostolicus ord. Min. Conv.	Placentinus

Oratores Ioachimi electoris Brandeburgensis:

Magn^{cus} D. Christophorus a Strassen, U. I. D.	Germanus
Magn^{cus} D. Ioannes Hoffmanus, secretarius	Germanus

Procuratores absentium praelatorum:

Martinus Olaveus, procurator R^{mi} et Ill^{mi} D. Otthonis Truchses, S. R. E. praesbyteri cardinalis et ep. Augustensis	Hispanus
Gherardus a Grosbech, decanus Leodiensis	
Gregorius Sylvius, ord. Praed., procuratores R. et Ill^{mi} D. Georgii ab Austria, ep. Leodiensis	
Paulus Glogovius, archidiaconus Plocensis, procurator R. D. Nicolai, archiep. Gneznensis, primarii regni Poloniae, ac etiam episcoporum Cracoviensis, Vladislaviensis, Posnaniensis et Plocensis	Polonus
Guilhelmus a Mansdorf, procurator archiep. Saltzburgensis	Germanus
Franciscus de Heredia, procurator ep. Tirasonensis	Hispanus |

Et quidam alii, quorum nomina habentur apud D. Nicolaum Driel, ipsius sacri concilii notarium. 471^{v}

Sacrae theologiae doctores et magistri.

Missi a S^{mo} D. N.:

Iacobus Laynes, societatis Iesu	Hispanus
Alfonsus Salmeron, eiusdem societatis	Hispanus

Missi ab imperatore:

Ruardus Tapper, decanus et cancellarius Lovaniensis	Flander
Bartholomeus Miranda, ord. Praed.	Hispanus
Alfonsus de Castro, ord. Min. de observ.	Hispanus
Petrus Malvenda, cler. saec.	Hispanus
Ioannes Arze, cler. saec.	Hispanus
Melchior Canus, ord. Praed.	Hispanus
Ioannes de Ortega, ord. Min. de observ.	Hispanus

Missi ex gymnasio Lovaniensi a Maria regina Hungariae Caes. M^{tis} iussu:

Ioannes Leonardus Hassellensis, cler. saec.	Flander
Franciscus Sonnius, cler. saec.	Flander
Iodocus Ravesteyn, cler. saec.	Flander
Vulmarus Bernaert, cler. saec.	Flander
Ioannes Valterius, ord. Praed.	Flander
Ioannes Mausius, ord. Min. de observ.	Flander |
Rogerius Iuvenis, ord. S. Augustini	Flander 472^{r}
Alexander Candidus, ord. Carmel.	Flander

Cardinalium Tridentini et Augustensis:

Sigismundus Phedrius Diruta, ord. Min. Conv., familiaris R^{mi} et Ill^{mi} D. cardinalis Tridentini . . . . . Umber
Martinus Olaveus, cler. saec., procurator R^{mi} et Ill^{mi} D. cardinalis Augustensis . . . . . Hispanus

Sacri imperii electorum ecclesiasticorum:

Ioannes Gropperus, cler. saec., familiaris R^{mi} et Ill^{mi} D. Coloniensis Germanus
Everhardus Billicus, ord. Carmel., familiaris R^{mi} et Ill^{mi} D. Coloniensis Germanus
Ambrosius Pelargus, ord. Praed., familiaris R^{mi} et Ill^{mi} D. Treverensis Germanus
Ioannes Delphius, cler. saec., familiaris R^{mi} et Ill^{mi} D. Treverensis . . Germanus

Missus ab episcopo Leodiensi:

Gregorius Sylvius, ord. Praed. . . . . . Flander

Familiares praelatorum clerici saeculares:

Martinus Malo, familiaris R. D. ep. Ovetensis . . . . . Hispanus
Iacobus Ferrusius, familiaris R. D. ep. Segobricensis . . . . . Hispanus
Franciscus de Toro, familiaris R. D. archiep. Granatensis . . . . . Hispanus
Melchior a Vosmediano, familiaris R. D. ep. Pacensis . . . . . Hispanus
Franciscus de Heredia, procurator R. D. ep. Tirasonensis . . . . . Hispanus
Antonius Arias, familiaris R. D. archiep. Panormitani . . . . . Hispanus
Petrus Frago, familiaris R. D. ep. Pacensis . . . . . Hispanus |
472v Ioannes Zaballos, familiaris R. D. ep. Auriensis . . . . . Hispanus

Regulares ord. Praed.:

Reginaldus de Genua, prior S. Laurentii Tridentini . . . . . Genuensis
Aloysius de Cathania, familiaris R. D. archiep. Panormitani . . . . Siculus
Bernardinus de Colloredo, familiaris R. D. ep. Cenetensis . . . . . Foroiuliensis
Didacus Chiaves, socius P. de Cano . . . . . Hispanus
Desiderius de Verona, concionator S. Laurentii Tridentini . . . . . Veronensis
Petrus Paulus Ianuarius, familiaris R. D. ep. Cathaniensis . . . . . Aretinus

[Regulares] ord. Min. de observ.:

Alfonsus de Contreras, socius P. de Ortega . . . . . Hispanus
Antonius de Uglioa, socius P. de Castro . . . . . Hispanus

[Regulares] ord. Min. Conventualium:

Ioannes de Corigio, minister Bononiensis . . . . . Corregiensis
Ioannes Ant. Delphinus, regens Bononiensis . . . . . de Casale maiore
Franciscus Visdomini, regens Venetiarum . . . . . Ferrariensis
Ioannes Tertius, minister Mediolanensis . . . . . Bergomatensis
Antonius a Sapientibus, regens Mediolanensis . . . . . Augustae Praetoriae
Ioannes a Novesio . . . . . Germanus

Qui sex missi fuerunt ad concilium ab eorum religione.

[Regulares] Heremitarum s. Augustini:

Marianus Feltrinus, prior S. Marci Tridentini . . . . . Feltrensis |
473r Franciscus Tranensis, apud eius generalem . . . . . T[r]anensis
Stephanus Sestinus, regens Paduae, apud generalem . . . . . Umber
Adeodatus de Senis, regens Venetiarum, familiaris R. D. Panormitani Senensis
Franciscus de Senis, apud generalem . . . . . Senensis
Gabriel de Anchona, regens Bononiensis, apud generalem . . . . . Picenus

[Regulares] ord. Carmel.:

Antonius Marinarius, minister Apuliae, missus ab eius generali	Apulus
Desiderius Panormitanus, familiaris R. D. ep. Bossanensis	Siculus
Bartholomeus Bonetta, missus ab eius generali	Tridentinus

[Regulares] ord. s. Hieronymi:

Ioannes Regla, familiars R. D. ep. Mindoniensis	Hispanus
Franciscus de Viglarva, familiaris R. D. archiep. Granatensis	Hispanus

Ex viris ecclesiasticis:

Raverus a Palant, canonicus Treverensis	Germanus
Martinus Naidech, archidiaconus Tridentinus	Germanus
Ludovicus Balzanus, canonicus Tridentinus	Tridentinus
Antonius Piccolus, canonicus Tridentinus	Tridentinus
Romulus Dolcinus, canonicus Tridentinus	Mantuanus
Hieronymus Roccabruna, canonicus Tridentinus	Germanus
Thomas Marsonar, canonicus Tridentinus	Germanus
Erasmus Strampergher, canonicus Tridentinus	Germanus
Leopoldus Transtolph, canonicus Tridentinus	Germanus |
Franciscus Cassuffus, canonicus Tridentinus	Tridentinus 473v
Simon a Tono, canonicus Tridentinus	Germanus
Matthias a Cles, canonicus Tridentinus	Germanus
Ioannes Etinger, canonicus Tridentinus	Germanus

Ex nobilibus et baronibus:

Franciscus a Castelalto, capitaneus generalis comitatus Tyroli	Germanus
Franciscus Vargas, consiliarius et fiscalis Caes. M^{tis}	Hispanus
Sylvius comes Porliliarum, procustos concilii	Foroiuliensis
Baptista Balduinus, dux equitum custodiae concilii	Tridentinus
Paulus Madrutius, dux peditum custodiae concilii	Germanus
Ferdinandus de Vega, cubicularius Caesareus	Hispanus
Ioannes Henricus, comes a Leiningen et Falchenstein	Germanus
Quirinus Gandulphus, dominus in Hoen-Geroltzech et Suls	Germanus
Franciscus Cornelius	Venetus
Franciscus ex comitibus Plusasci	Pedemontanus
Hieronymus Pignatellus ex ducibus Montisleonis	Neapolitanus
Gaspar baro de Bolchenstein	Germanus
Bartholomeus Lipomanus	Venetus
Balthassar de Biga	Mediolanensis
Theodorus dominus a Nomo	Germanus
Ioannes a Rothestein	Germanus
Adulphus Divaid	Germanus |
Conradus de Rechenberger	Germanus 474r
Vilhelmus de Harff	Germanus
Georgius ab Elter	Germanus
Ottho Valpett a Bossenein	Germanus
Ioannes Georgius a Gych	Germanus
Thomas Tabarella	Tridentinus
Hieremias de Hieremiis	Tridentinus
Bartholomeus Fliscus, consiliarius Tridentinus	Genuensis
Henricus a Saltzburg	Germanus
Franciscus Particella, consiliarius Tridentinus	Flaminius
Stephanus a Vechenbac	Germanus
Georgius ab Angeloch	Germanus
Philippus de Homburg	Germanus
Philippus Valdecher a Reimpet	Germanus

Henricus a Graschac et Dieporg	Germanus
Dieterus ab Eremberk	Germanus
Conradus Geupel a Schelkropen	Germanus
Adulphus a Schetlet	Germanus
Simon Boes a Valdech	Germanus
Ioannes Christophorus de Morsman	Germanus
Gosvinus Rotteler	Germanus
Vilhelmus a Giminch	Germanus |
474v Theodericus Quaid a Vikraid	Germanus
Bernardus a Dudemberg	Germanus
Theodericus a Mischide	Germanus
Ioannes a Palland	Germanus
Theodericus a Morian	Germanus
Antonius Florebellus, secretarius R^{mi} et Ill^{mi} legati	Mutinensis
Ioannes Maria de Albertis, secretarius R^{mi} et Ill^{mi} Tridentini	Pedemontanus
Octavius Crescentius	Romanus
Philippus Carolus Ghisilerius	Bononiensis
Antonius Cadamostus	Vicentinus
Matthias a Tramterstorff	Germanus
Albanus Prangg	Germanus

Et quamplures alii tam Itali quam Germani et Hispani, qui brevitatis causa praetermittuntur.

Officiales concilii:

R. D. Iacobus Iacomellus, ep. Bellicastrensis, commissarius apostolicus	Romanus
Angelus Massarellus de Sancto Severino, Camerinensis dioecesis, secretarius	Picenus
Ioannes Bapt. Castellius, promotor	Bononiensis
Ludovicus Firmanus, magister caeremoniarum	Maceratensis
Nicolaus Driel, cler. Coloniensis, notarius	Germanus
Vincentius Torfaninus, notarius	Bononiensis |

Protestantes seu Lutherani, qui interfuerunt ipsi concilio Tridentino:

Oratores Mauritii, ducis Saxoniae electoris:

475r Volfangus [!] Koler, capitaneus Thuringiae, eques aureus	Saxo
Leonardus Badenhorn, I. U. D.	Saxo

Oratores Christophori, ducis Wirtembergensis:

Ioannes Theodericus a Plieningen, eques aureus	Germanus
Ioannes Henricus, I. U. D.	Germanus

Theologi missi ab eodem duce Wirtembergensi:

Ioannes Brentius	Germanus
Iacobus Beurlin, doctor	Germanus
Iacobus Herbranct, doctor	Germanus
Valentinus Vannius	Germanus

Orator rei publicae Argentinensis:

Ioannes Sleidanus, iuris licentiatus	Germanus

Theologi missi ab eadem re publica Argentinensi:

Ioannes Marbasius, doctor	Germanus
Christophorus Soellius, doctor	Germanus

Addenda et corrigenda

Pag.

15, 9: Lege *ultro* loco *ultra*.

41, 41: Lege *Severino* loco *Severina*.

45[1]: Adde: Oratio *Petri Fragi* typis exscripta est etiam apud *Mansi* XXXIII 320 C—333 C.

57[2]: Adde: Quam orationem vide nunc in Conc. Trid. VI, I 167—176.

65[2]: *Bernardus Clarae-Vallensis* illa verba ex *Ps.* 37, 12 attulit in epist. ad episcopos Aquitaniae 126, 6 (*Migne*, PL CLXXXII 275 B).

75[1]: Adde: Quae oratio typis exscripta est etiam apud *Mansi* XXXIII 1236 B—1244 D.

112[6]: Verba *Lutheri* citata sine dubio sumpta non sunt ex ipsius libello, sed ex *Ioannis Cochlaei* opere *Septiceps Lutherus ubique sibi suis scriptis contrarius* (Lipsiae 1529) fol. H iij^{r}: Cap.XXI. De adoratione huius sacramenti. «Ad Valdenses de eucharistia: ... Quamobrem dicimus nunc, illos non esse damnandos ... Sed tamen ubique vides ...».

113[1]: Verba *Lutheri* citata inveniuntur in eius sermone *auf unsers Herren Fronleichnamstag* (4. Iunii 1523): «Darumb bin ich keinem fest nye feinder gewest wenn disem fest und unser frawen empfengknüß.» (Ed. Weimar. XII 581, 31 s.). Quae verba *Ioannes Cochlaeus* latine attulit in opere *Articuli CCCCC Martini Lutheri ex sermonibus eius sex et triginta* (s. l. 1526) fol. P^{v}, n. 427: «Lutherus. Ideo nullum festum odi magis unquam, quam hoc festum et festum conceptionis Mariae». Quem locum *Cochlaeus* iterum protulit in opere *Septiceps Lutherus* (cf. supra 112[6]) cap. XXI, fol. H iij^{r}, unde sine dubio una cum loco antecedente a collectoribus articulorum sumptus est.

113[3]: *Von Gottes genaden unsers Hermans ertzbischoffs zu Cöln ... einfaltigs bedencken, warauf ein christliche, in dem wort Gottes gegrünte reformation ... anzurichten seye* [Bonnae][2] 1544, fol. 110^{v}: «Vom hl. abendtmal ... Und dieweil unser lieber Herr sein h. sacrament uns je allein darzu geben und eingesatzt hat, das wyrs essen und trincken zu seiner gedechtniß, und mit nichten, das wirs fürstellen und umbher tragen sollen, und am tag ligt, was schwären mißbrauchs hierauß bei dem gemeinen volck aufkommen ist, dem selbigen zu begegnen und allerley scrupel und unnutze fragen zu verhüten, so sollen die pastoren und alle, die das abendtmal des Herren halten, allemal die leuth, so sie zur communion zugelassen, abzelen und ihrer zal nach die partikel nemen, und was uberig bleybt, das alsbald niessen und nichts darvon behalten oder einsetzen noch irgent hin tragen oder furstellen».

Pag.

113[4]: *Ioannes Cochlaeus*, In causa religionis miscellaneorum libri tres (Ingolstadii 1545), fol. 174^{r}: «Novae opinionis Lutheranorum, quod dicunt: In hostiis (ut vocant) seu particulis consecratis post usum communionis remanentibus non remaneat corpus Domini, reprobatio per Ioan. Cochlaeum». Cf. ibid. fol. 178^{v}: «Magna est igitur temeritas ... Lutheranorum, qui ... audent absque omni scripturae authoritate affirmare, quod in residuis particulis consecratis, quae remanent post communionem in altari et conservantur in ciboriis pro infirmis aut reponuntur ac circumferuntur in monstrantiis, non sit amplius ibi substantialiter corpus Domini, licet ibi fuerit antea per verba consecrationis». Sed in quibus libellis talem Lutheranorum doctrinam invenit, Cochlaeus non indicit.

113[7]: Hic locus sumptus est ex libello inscripto: *Propositiones D. Mart. Lutheri ab initio negocii evangelici ab autore tractatae*, Vitembergae 1538, ubi fol. P 4^{v}— Q 2^{v} leguntur *Propositiones contra fanaticas et sacrilegas opiniones Papisticorum dogmatum de missa D. Ioannis Aepini*, qui articuli disputati sunt Hamburgi 16. die Octobris hora septima in Lectorio Theologico canonicorum 1536; cf. fol. Q 2^{v}. Articuli 44 haec sunt verba: «Laicis sub panis specie (ut ipsi loquuntur) aut cum pane utramque sacramenti partem, et corpus et sanguinem, laicis porrigi, nugae sunt» (l. c. fol. P 7^{v}).

158[11]: In tractatu *De laudibus virginis matris Vincentius Bellovacensis* dicit cap. 112: «Credimus eam interfuisse gaudiis ascensionis dominicae et in die sancto pentecostes cum apostolis spiritus sancti gratiam accepisse» (Opera, Basileae 1481, fol. C [8]^{r}). Sed locum, ubi Vincentius probat b. virginem Mariam coenae Domini interfuisse, nusquam invenire potui neque in eius tractatu *De laudibus virginis matris* neque in eius *Speculo historiali*.

163[12]: Sine dubio Guadicensis episcopus attulit *Bedae Venerabilis* homiliam I 14 (in dominica III post epiphaniam), cap. 1: «Lavat nos a peccatis nostris quotidie in sanguine suo, cum eiusdem beatae passionis ad altare memoria replicatur, cum panis et vini creatura in sacramentum carnis et sanguinis eius ineffabili spiritus sanctificatione transfertur» (*Migne*, PL XCIV 75 A).

164[10]: Cf. *Hieronymus*, Comment. in Matth. IV, in *Mt.* 27,5 (*Migne*, PL XXVI 204 C).

168[11]: Lin. 1 lege *1533* loco *1553*. — Epistola *Iulii Pflug* nunc denuo edita est apud *Allen*, Opus

epistolarum Des. Erasmi Roterodami X (1941) 217—220, n. 2806.

201[8]: Lege *6,57* loco *6,58*.

219,13[5]: *Iacobus de Voragine*, Legenda aurea cap. 21: Vita b. Antonii: «Quadam vice ... totum mundum laqueis se invicem connectentibus plenum vidit, qui exclamans ait: O quis istos evadet laqueos?» (Reutlingae 1483, fol. g 2[r]).

224, 28[8]: Cf. *Gregorius*, Regula pastoralis III 6 (*Migne*, PL LXXVII 57 A).

235[5], col. 2, lin. 2 lege *hae* loco *haec*.

236[3]: *Von Gottes genaden unsers Hermans ertzbischoffs zu Cöln ... einfaltigs bedencken* (cf. supra pag. 113[3]) fol. 114[v]: «Von bekerung von sünden ... Und zu erhaltung dieser christlichen absolution befehlen wir ernstlich, das die pastoren und diener der sacramenten niemant zur communion zulassen, er hab dan zuvor von seinem pastoren ... die privat absolution entpfangen. Und umb dieser absolution willen soll die beicht bleiben, doch also, das hinfür niemant zu erzelung der sünden genötiget werde. Aber gleichwol soll ein jeder ein demütige bekantnüß thun, das er gesündiget hab und das im hertzlich leid sei, das er Gott erzürnet. Es sey auch ernstlich sein gemüt und will, sein leben zu besseren ... Doch soll ein jeder die sünden, welche das gewissen fürnemlich drucken und beschweren, dem priester entdecken, darneben rath und trost auß dem wort Gottes begeren und hernach umb die absolution bitten».

252, 21: *Nicolaus de Lyra* in *Iac.* 5, 15: «*Et si in peccatis sit* venialibus, *remittentur ei* virtute huius sacramenti. Consequenter inducit ad reverenter sumendum poenitentiae sacramentum, quo remittuntur peccata mortalia» (Biblia latina, quarta pars dni. Nicolai de Lira cum suis additionibus, Argentine 1492, fol. XX [8][r]).

267[16]: Utramque Basilii regulam (scil. fusius tractatam et brevius tractatam) in unam coniunctam *Rufinus* e Graeco in Latinum transtulit. Qua versione Latina sine dubio Gropperus usus est, ubi interrogatio 21 de confessione peccatorum agit. Cf. *Luc. Holstenius*, Codex regularum monasticarum I (Graz 1957) 80.

280, 40 s.: Ethnicus poeta, i. e. *Vergilius*, Aeneis VI 620.

281, 1: Ethnicus, i. e. *Vergilius*, Aeneis VI 597 s.

287, 28s.: In festo omnium sanctorum (die dominica 1. XI. 1551) sermonem in concilio habuit Franciscus Heredia; cf. Conc. Trid. II 493, 6.

294[1]: Compendium eorum ‚quae circa articulos de poenitentia dicenda videntur, a tribus electoribus Germanis confectum sine dubio idem est ac *Responsio ad articulos de sacramento poenitentiae propositos*, quae asservatur in tabulario rei publicae Herbipolensi (*Mz. Urk. Geistl. Schr., L. 19, 3*). Vide in Appendice III n. 11.

294[7]: Sententia archiepiscopi Coloniensis electoris in scriptis data videtur exstare in tabulario rei publicae Herbipolensi (*Mz. Urk. Geistl. Schr., L. 19, 1*). Vide in Appendice III n. 12.

298, 32[25]: Locus: *Qui negligit famam* ... sumptus est ex *Augustini* sermone 355 (De vita et moribus clericorum), cap. 1, 1: «Duae res sunt conscientia et fama. Conscientia tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conscientiae suae negligit famam suam, crudelis est» (*Migne*, PL XXXIX 1569).

313, 37: Locus: *Ille convertitur* ... sumptus est ex *Ps.-Augustini* tractatu De vera et falsa poenitentia 17, 33: «Vertitur a peccato, qui iam vult dimittere peccatum; convertitur ..., sed ad bonum Deum festinat tendere» (*Migne*, PL XL 1128).

317, 15[3]: Non *Athanasius* sed *Origenes* illum locum *1 Tim.* 5, 20 exposuit in homilia VII in lib. Iesu Nave cap. 6: «Quando sacerdotes, qui populo praesunt, erga delinquentes benigni volunt videri et verentes peccantium linguas, ne forte male de his loquantur, sacerdotalis severitatis immemores, nolunt complere, quod scriptum est [*1 Tim.* 5, 20]: *peccantem coram omnibus argue, ut ceteri metum* [al. *timorem*] *habeant*» (GrChrSchr. *Origenes* VII 332, 23—26, *Baehrens*).

317, 27[8]: Loco *Matth. 19* sine dubio legendum est *Matth. 18* [23—34] de servo, cui dominus omne debitum dimisit, qui tamen abiens conservum misit in carcerem etc.

324[2]: Sine dubio allata est *Historia eccles. tripartita* VI 2, 1 (CSEL LXXI 312, 5).

327, 18: Emendationes ab archiepiscopo Maguntino electore (ut videtur) exaratas vide in Appendice III n. 14.

327, 20: Sententiam archiepiscopi Coloniensis electoris in scriptis datam vide in Appendice III n. 13.

335, 5: Sententiam archiepiscopi Maguntini electoris in scriptis missam vide in Appendice III n. 15.

338[2]: Lege *16* loco *11*.

398, 2[3]: *Petrus de Palude*, Quartus Sententiarum lib., dist. 12 art. 3: «Quantum ad tertium sunt 3 conclusiones: Prima, quod [eucharistia] remittit venialia ... Et posset cum tanta devotione sumi, quod omnia venialia deleret et homo sine peccato illa hora esset. Secunda, quod cavet a mortali ... Non autem delet mortale, quod est in conscientia communicantis ... Si vero sit mortale in anima et non sit in conscientia et non sit etiam ignorantia crassa supina, et premissa discussione diligenti ... elapsum est a memoria, ... tunc remittitur ... Sed quando missa pro alio celebratur, etiam mortale, quod est in alterius conscientia, delet non per modum sacramenti, quod solum prodest suscipienti, sed per modum sacrificii ex merito Christi, quo sibi venia impetretur, scil. gratia contritionis ... Tertia conclusio est, quod valet ad pene remissionem actualis peccati mortalis et venialis, primo quidem ratione sacramenti, inquantum valet ad deletionem culpe ...; secundo ratione sacrificii, quo est satisfactorium magis et minus secundum devotionem sumentis et celebrantis, et non solum pro se sed pro alio, non solum pro vivo sed pro mortuo» (Parisiis 1514, f. 49[r]).

419, 17[10]: *Thomas Netter Waldensis* OCarm., Doctrinale antiquitatum fidei ecclesiae cath. III, tit. IV: De institutione missae, cap. 28, n. 8: « ... scio, quod hostis ecclesiae dicet Witclevista Pragensis ...: Cur formam missae non tenemus, quam Christus instituit? Respondeatur ei ...: Attende missam

Christi, ubi tantum invenies lectiones novae legis, praeconii lectionem, gratiarum actionem antecedentem per modum praefationis, gratiarum quoque actionem sequentem consecrationem, orationem ad patrem, sanctorum memoriam et pacem et omnia, ad quorum instar missa tenet ecclesiae, quousque Christus claudat officium dicens: *Surgite, eamus hinc,* cuius vice canit ecclesia: *Ite missa est,* quae singula, ut Christus dabit, sunt dicenda» (Venetiis 1571, f. 60).

447, 6[1]: *Ioannes a Turrecremata,* In tractatum de poenitentia commentarii, in c. [88] *Quem poenitet* de poen. dist. 1, n. 32: «A Petro enim post Christum incepit ordo sacerdotalis, quia ipsi primo pontificatus datus est in ecclesia Christi ... Quinto deficit, cum ait, quod, sicut Christus misit 12 apostolos, ita 72 discipulos. Ista probatio est nulla ... primo, quia per istam missionem, qua Christus apostolos et discipulos misit, nulla arguitur potestas iurisdictionis immediate a Christo eis data. Missio enim illa non fuit collatio cuiuscunque iurisdictionis, ut ... nos in Summa nostra de ecclesia circa 2. librum multipliciter ostendimus, maxime cum apostoli et discipuli illo tempore ante passionem nec essent adhuc sacerdotes nec curati quarumcunque parochiarum» (Opera tom. V, Venetiis 1578, 110, col. 2). Cf. ibidem in c. 51 *Verbum Dei* de poen. dist. 1, n. 8: «Potestas clavium apostolis data fuit, cum Dominus dixit Io. 20 [23]: *Quorum remiseritis peccata* etc.» (l. c. 42, col. 1).

480 ff (p. 481, lin. 2): Locus *Augustini: Quis enim offerat* ... sumptus est ex eius libro De anima et eius origine I, cap. 9, 10 (*Migne,* PL XLIV 480).

Index nominum et rerum

Hic recepta non sunt nomina nisi eorum, qui interfuerunt concilio Tridentino, pontificumque, cardinalium, imperatorum, regum, episcoporum temporis concilii aequalium. Quare omissa sunt nomina allata e s. scriptura, conciliorum, s. patrum, scriptorum ecclesiasticorum, haereticorum aliorumque auctorum, quorum libris usi sunt concilii patres et theologi minores in votis prolatis, regionum denique et locorum excepta sola civitate Tridentina.

A

B

C

D

E

M

P

T